


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
35 L
10
ROMA

M




FARNESI ALFREDO
ROMA


VERITAS
PLUS OMNIBUS
VNA.
FLORUS
BIBLICUS
AUCTORE
P. MICHAE-
LE PEXEN-
FELDER
S. I.
M.DC.LXXII.
Michael Wening fecit




FLORUS BIBLICUS SIVE NARRATIONES EX HISTORIA SACRA TESTAMENTI VETERIS SELECTAE ET DOCTRINA MORALI ILLUSTRATÆ

A
P. MICHAELE PEXENFELDER SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

Cum Facultate Superiorum.

Straubingæ, Typis IOANNIS CHRYSOSTOMI HAAN, Anno M. DC. LXXII.

SERENISSIMO
ET
POTENTISSIMO
PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
FERDINANDO
MARIAE
VTRIVSQVE BAVARIÆ
ET
SVPERIORIS PALATINATVS
DVCI
COMITI PALATINO RHENI,
S. R. I.
ARCHIDAPIFERO
ET
ELECTORI, LANDGRAVIO LEUCHTEN-
BERGENSI, &c.
PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO
SUO CLEMENTISIMO.



DEDICATIO.



Uòd hæc Lucubratio sub oculos SERENITATIS VESTRÆ prodire audeat, fecit illa CLEMENTIA, quæ priorem Laborem meum, APPARATUM ERUDITIONIS, SERENISSIMO Principi MAXIMILIANO EMMANUELI, SERENITATIS VESTRÆ FILIO, ac Electorali Successori, dedicatum, non tantùm benignissimè admittere, sed etiam manibus revolvere, & probare dignata est. Tanti favoris auspiciô animatus, cum altero devotissimi obsequij argumento redeo, SERENISSIME ELECTOR, & FLORUM adfero, seu Narrationum selectiorum Fasciculum, ex historiæ SS. Viridario collectum ac colligatum. Flores uno die morituros, insolitâ quadam mercaturâ commutari auro: & has oculorum delicias, magnis impensis ex ultimis terris accersiri videmus. Tanti est, exigui seminis, aut bulbuli raritate æmulationem accendere, & formosius naturæ vernantis spectaculum oculis exhibere. Varietas imprimis & Colorum novitas, Regum etiam hortis in pretio habetur. Sed quàm breve & fugax est hoc sensuum illicium, si cum voluptate comparetur, quæ ex rerum scitu utilissimarum ac jucundissimarum cognitione hauritur? HISTORIAM intelligo, cuius oblectatione maximos quosque Principes captos fuisse legimus. Carolum certè Quintum, ut hunc præ cæteris memorem, ad summam gloriam provexerunt gubernandi Principia ex Libris Regum ac Ducum Hebræorum, ab Adriano Institu-

Tympius in Speculo Princ. c. 76.

tore

tore adoleſcenti inſtillata. Sapienter Seneca: *Conſilium futuri, venit ex preterito.* Et S. Gregor. Nazianzen. ad Nicobúlum: *Hiſtoria,* inquit, *eſt conglobata quadam ac velut coacervata ſapientia, hominúmque multorum mens in unum collecta. Jucundum & ſecurum eſt ex alienis eventibus vel latis, vel triſtibus diſcere, quid in ſimili cauſa agendum ſit.* Nam ut celebris Hiſtoricus ſcribit: *Humanis in rebus ſacula ac perſona intereunt, cauſſa & eventa eadem recurrunt.* *Epiſt 83.*

Equidem ſi conjuncta Utilitati Iucunditas profanis quoque hiſtorijs pretium & admirabilitatem conciliat, quantò plus amœnitatis, dignitatis, fructûs in Hiſtoriæ Sacræ Campis, ut ita dicam, Elyſijs eſſloreſcit; quæ *Veritatem* cum *Varietate* ita conſociat, ut Legentis ſimul Intellectum cœleſti quodam radio illuminet: ſimul Voluntatem efficaci virtutis affectu inflammet. *Famian. ſtrada Dec. 1. de bello Belgico.*

Lux Veritatis, & *Speculum Vita,* Hiſtoria à Sapientibus appellatur. Id utrumque in *Divina* ſic refulget, ut admirabili candore labes ſine labe, pulchritudines ſine fuco oſtendat. Suo ſplendeſcens nitore, aſcititium colorem non admittit. Dictum Magni Auguſtini eſt: *Etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur.* De ea Pſaltes regius canit: *Lucerna pedibus meis VERBVM tuum, & Lumen ſemitis meis.* Securè ducit euntẽ inter varios tam Pacis, quàm Belli tempore flexus. Eſt eadem *ſpeculum ſine macula,* nulli blandiens, neminem fallens. Reddit cuique *Suum*; imò citra cuiuſquam injuriam, etiam *Alienum,* ut aliorum vel periculo vitemus fugienda, vel emolumento amplectamur ſequenda. *De Serm. Dom. in monte lib. 1. cap. 21. pſal. 118. Sap. 7.*

Atq; hanc ego Hiſtoriæ S. ſive *Faculam,* ut clariùs relucceat; ſive *Speculum,* ut vivaciùs imagines à SERENISSIMIS Oculis reddat; ſive *Florum,* ut à Manu CLEMENTISSIMA vigorem, gratiam, vitam accipiat, SERENITATI VESTRÆ demiſſi-

demississima cum veneratione offero. Peregrinus est, & Domesticus; in Palæstina namque radices egit: in solo *SERENITATI VESTRÆ* subdito procrevit. Si quid in eo rarum, si quid charum, *PATRII SIDERIS* influxui debet. Huic *SERENISSIMO SOLI* sese instar Heliotropii obsequiosissimè inclinat, & in novas *CLEMENTISSIMI FAVORIS* spes admissum iri humillimè confidit. Landishuti. Die S. Michaëli Archangelo Sacra.

SERENITATI VESTRÆ

Devotissimus in Christo

Servus

Michaël Pexenfelder. S. J.

PRAEFATIO.

DUo mihi ſunt præmonenda, amice Lector. Alterum eſt, *Cauſa* huius Scriptionis; alterum, *Modus*. Utriuſque rationem accipe. Dolebant jam pridem mecum Viri docti & pij, cacoëthes hæc noſtra tempora invaſiſſe, conſcribendi Narrationes hiſtoriales, frivolas planè, futiléſque, & bonis moribus detrimentoſas. Colligunt eas, confingúntque malè feriata ingenia, Piſtrino Plauti, Cypridiſque fornicibus aptiora, quàm ingenuis Muſarum collibus. Hinc paſſim in libris verſuti lenones, fallaces lenæ, pellaces Thaides, deceptæ Europæ, illuſæ Danaæ, victæ Atalantæ, infelices Thisbæ, ingenioſæ Ariadnæ; amoris victimæ Pyrami, amandi artifices Leandri, defleti Adonides, mactati proci Penelopes, raptores Helenarum Parides, horúmque ſimilia propudia, in quibus Venus & Cupido paſſim paratragœdiantur.

Alijs eſt volupe ſcribere, legeréque Paraſitos & Sycophantas plenos illiberalibus jocis, impuris facetijs, ſordidis argutijs, dicacibus cavillationibus, vernilibus narratiunculis, honeſtas aures vulnerantibus.

Quidam præla fatigant Typographica, politicis in ſpeciem inſtructionibus, narrationum novitate, & audaciâ quibuſvis obtrectandi, vendibilibus. In quibus ſub palliolo doctrinæ civilis, latent Momi, Theones, Zoili, mordacibus dicterijs, procacibus cenſuris Sacra juxta Prophanáque inceſſentes.

Atque Voluſianæ hæ chartæ ubique volant per urbem, & manus hominum. Luſtra domos, excute librorum armaria; quàm raros videbis libellos, pietatis magiſtros! Quàm multos curioſitatis eſcâ decipientes, & ſub melle venenum propinantes! Quid ergo? an deſunt hiſtoriæ utiles, & morum probitati ſervientes? Minimè quidem. Sed ſordent, quia fructuosè mordent; quia docent Sancta, honeſta, caſta, & veluti ſpecula legenti ſuos nævos oſtendunt.

Nunc propiùs ad argumentum noſtrum. Videor mihi audire quempiam dicentem: Quid tibi vis cum Narrationibus iſtis, è divina Hiſtoria exceptis? An non

Puriùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ?

An non major eſt florum gratia, in hortis, ſede ſuâ nativâ ſpectabilis, quàm manu carpta, & faſciculis illigata? Et ipſe S. Scripturæ candor nónne ſupra omnes orationis colores nitidè fulget, ſuaviter allicit, potenter movet? Deinde eâ divinorum vis eſt verborum, ut apices etiam ſinguli ſuum habeant pondus; quæ verba ſi permutes cum alijs, quid aliud obtrudes, quàm corticem ſine medulla; nucleum ſine nuce; florem ſine fructu?

Rectè verò. Sermo Spiritûs S. in ipſa ſua origine fluit limpidiùs, efficaciùs

ficacius penetrat, fœcundiùs rigat; quàm si per adscititij styli canales derivetur. Sed age; quid facias illis, qui Sacros Codices vel propter reverentiam non attingunt: vel propter latentia mysteria non intelligunt? Et esto; relictâ rerum sublimiorum indagatione, animus duntaxat per plana camporum exspatietur, contentus in pratis S. Scripturæ, historicos legere flosculos; quàm multa tamen occurrent, laudatissimum studium retardantia? Nam primò, per varias eundum ambages erit, donec colligantur, quæ pluribus locis sunt dispersa; erunt sæpiùs calcandæ spinæ, donec pervenias ad rosas; multa subterfugient oculos, sub obscuriore sensu, velut sub densiore gramine latentia. Quoties scire voles totum, & tantùm cognosces partem; voles contemplari corpus, & desiderabis membra. Et quantum discriminis, difficultatísque, unica quandoque in narratione tibi offeret temporis, loci, personarum, & cæterorum adjunctorum, non perspecta conditio? Quæ siquis in concinnum ordinem redigat, si perplexa explicet, latentia proferat, quæque cohærere debent, conjungat; unúmque quasi sub aspectum ponat, quæ tu sparsim conquiris, & forsan non acquiris; an non ille grates abs te merebitur amplas? Id ego quidem has Narrationes conscribendo, efficere conatus sum. Nam consilium fuit, ijs gratificari, & quasi nucem evolutam nucleô, florem expeditum calyce, unionem exemptum conchâ proponere, quos delectant solida, non fluxa: vera, non ficta: utilia, non nociva: sancta, non vana: ad solem potiùs exposita, quàm in umbram reducta, aut accessu minùs facilia, & ad cognoscendum explicata.

Et verò si historiam commendat indubitata scribentis veracitas, scriptionis veritas, eventuum raritas, argumenti varietas, salutaris doctrinæ ubertas; quid delectabilius, quid lectu dignius, fructu fœcundiùs reperitur, quàm Historia non hominum auditione accepta, non labili calamo exarata, sed ab ipso Spiritu S. dictata, & litteris divinam fidem obtinentibus commendata? Hinc reges, principes, magistratus, duces bellici, nobiles, plebeij, cives, milites, viri, feminæ: juvenes, senes: sacri, prophani haurire possunt præcepta vivendi, DEUM colendi, salutem publicam, privatámque curandi. De utilitate Historiæ divinæ Cornelius à Lapide in „ proœmio Pentateuchi, & encomio S. Scripturæ. Quod si ulla, *inquit*, hi„ storia est magistra, dux & lux vitæ, in qua regnorum, rerumpublicarum, „ vitæ humanæ ortus, casus, occasus, virtutes, vitia, quasi in speculo cer„ nas, omnémq; prudentiam, & viam ad felicitatem alienô exemplô, felici„ tate infelicitate discas, id ex historia Testamenti Veteris disces. *Et Augustinus* „ *ad Volusianũ.* Hic (*in Scriptura S.*) salubriter & prava corriguntur, & parva nu„ triuntur, & magna oblectantur ingenia; Ille huic doctrinæ inimicus est a„ nimus, qui vel errando, eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando „ medicinam. *Et S. Hieronym. in illa verba Ezechielis cap.* 47. Et erunt fructus „ ejus in cibum. S. Scriptura, *inquit*, est hæc sacra arbor, seu lignum vitæ; cujus historicus sensus, est nobis cibus, quia fidem nostram pascit, allegoricus & moralis, est medicina, quia mores corrigit.

Accedo

Accedo ad alterum, de quo monendum duxi; ad *Modum* nempe, stylúmque scribendi; quem sic attemperavi, ut mallem esse clarus, quàm pictus: nervosus, quàm subtilis: strictus, quàm effluens; religiosus in premendis S. Historiæ vestigijs, & meo nihil indulgens ingenio, sed virorum doctrina ac virtute præstantium comentarijs fideliter inhærens; ut eadem quidem, non iisdem tamen verbis scriberem, quæ divînis è paginis juxta gravissimorum interpretum auctoritatem desumpseram.

Vis scire, quinam illi sint? Complures pervolutavi: præ cæteris tanquã CYNOSURAM delegi illustriora duo Sidera: P. Jacobum Salianum S. J. qui Annales Ecclesiasticos Vet. Test. ab Orbe condito, usque ad Christi D. mortem, tomis VI. accuratissimè complexus est. Et P. Cornelium à Lapide S. J. cuius doctissimos comentarios in *Pentateuchum Mosis, libros Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon* diligenter perlegi: & in ijs, tanquam in Summam, summo judicio contractas aliorum autorum explanationes, recognovi. Post hos, P. Nicolaum Serarium S. J. decem per libros *Tobiæ, Iudith, Esther, Machabæorum* secutus sum, virum reconditæ, solidæque doctrinæ. Neque parùm adjumenti attulit P. Joannes Bisselius S. J. Scriptor perquàm disertus & eruditus *Ruinarum illustrium*, quas ab Orbe condito deduxit ad Ruinam usque Reipub. Vet. Romanæ; producétque longiùs.

His ego ductoribus usus, ex universa divinorum voluminum Test. Vet. historia Narrationes, tanquam flores quosdam amœniores, ita collegi, selegísque, ut L. Julium Florum imitandum mihi sumerem, qui historiam Romanam ex T. Livio, aliísque, Latinis autoribus, felici compendio concinnavit. & velut in theatro spectandum dedit, quidquid ad usque Cæsaris Augusti tempora, Romana Potentia domi, forísque gessit. Hinc titulum Lucubrationi nostræ hausi; Cui pro Auctario addidi, DOCTRINAM MORUM (haud sanè leve impendium operæ) è Narrationum harum visceribus, nisi fallor, ductam pro lectoris palato, utilia magis, quàm sublimia appetentis, &, credo, ignoscentis, si quando longiùs excurrimus: diverso nos gustui accommodantes. Atque hæc sunt, quæ te, Lector benevole, scire volui. Vale, & laborem nostrum si non ex successu, certè ex conatu metire.

* *

Cum liber, cuius titulus est, Florus Biblicus, sive Narrationes ex Historiâ Sacrâ Test. Vet. selecta, &c. à P. Michaële Pexenfelder Societatis JESU Sacerdote conscriptus, à deputatis Patribus Lectus, probatúsque sit, Ego Georgius Muglinus Societatis JESU per superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, potestate ad id à P. N. Joanne Paulo Oliva eiusdem Societatis Præposito Generali mihi concessa, eum typis in lucem vulgari permitto, & privilegium Cæsareum speciale concedo, librum, invito authore, non recudendi, neque intra S. R. Imperij fines, & hæreditarias S. Cæsareæ Majestatis Provincias importandi, In cuius rei fidem hac chirographo meo, & consueto officij sigillo munitas dedi Landishuti 20. Martij 1672.

Georgius Muglinus

INDEX NARRATIONUM.

Narratio L.

Narratio

NARRATIO I.

NARRATIO PRIMA.

CREATIO MVNDI,

SEU COSMOPÆIA

Genesis. 1. & 2.

DEUS est Spiritus lucidissimus, æternus, ubique præsens, unus in Essentia (ut Theologi loquuntur) trinus in Personis. Pater, qui solus à nullo est: Filius de Patre ab æterno genitus: Et Spiritus Sanctus ex Patre, Filioq; pari æternitate procedens; qui cùm Personarum proprietatibus sint distincti, unus tamen eiusdem Naturæ DEUS est, solus Omnipotens, summè Sapiens, infinitè Bonus; idem eximiè Justus, Verax, Fidelis. Quô nihil majus, pulchrius, jucundius aut esse potest, aut excogitari. Qui ante Mundi constitutionem solus sibi Sufficientissimus, & Mundus erat, & Locus, & Omnia. Ipse quippe in seipso existens, seculis innumerabilibus & annis æternis suâ fruebatur sapientiâ, pulchritudine, bonitate; intuebatur, quas possidebat, perfectiones admirabiles, inæstimabili cum gaudio; in quarum contemplatione producebat VERBUM, æternũ & coæqualem Filium; & cum hoc, AMOREM Infinitum, Spiritum Sanctum. Cogitabat de Mundo olim condendo: de Civitate Electorum, quos jam tum sigillatim sibi præsentes habens ac fovens, dulcissimo complectebatur affectu: de reparando per INCARNATIONEM Verbi (Græcis *Sarkosin*) Humano genere, per peccatum ruituro, & meliorem in statum revocando; rei nullius extra se ad summam beatitudinem indigus, nec beatior è rerum creatarum accessione futurus. *Dei perfectiones.*

Sed quia, quod BONUM est, diffundi cupit, DEUS, Infinità Bonitas sese nobiscum comunicaturus, condidit spectabilem hanc Universitatis molem, ut per operum Divinorum Contemplationem, mortalium mentes ad ipsius Creatoris cognitionem, venerationem, amorem attollerentur, hominíque Felicitatis perennis propositô præmiô, Mundus, quasi decurrendi stadium, & armorum palæstra constitueretur. Cæterùm de annis ab ortu Christi ad Mundi principiũ remetiendis alij aliter rationes ponunt, *Creatio Mundi.*

nos cum doctiſſimo & accuratiſſimo Jacobo Saliano, S. J. aliiſq; compluribus, ſecula computamus ad Servatoris Natalem quadraginta, & dimidium, hoc eſt, annos omnino quater mille quinquaginta duos. De tempore, quo fabricata eſt Mundi machina, nihil eſt neceſſe diſputare; ſeu fuerit Autumnale, ſeu Vernum, cùm pro utróque robur argumentorum, & Scriptorum auctoritas pugnet; Autumnus fertilitate & opimitate fructuum olim annum ordiebatur. Idem Vere faciebant Priſci Romani, quo tempore terra germinat, rident flores, amœna temperie formoſiſſimus eſt annus.

Poterat verò Omnipotentis manus Architecti, totam molitionem uno momento abſolvere, niſi placuiſſet parem Potentiæ Sapientiam in rebus, certo dierum intervallo digerendis atque ornandis demonſtrare. Prima itaque Die (ſi tamen dies erat cùm lumen ſolare non eſſet) procreatum eſt è nihilo, cœlum *Empyrium*, à ſplendoris & lucis copia ſic denominatum, auguſtiſſima Divinitatis Sedes, & futurum Beatorum Domicilium; cum fulgentiſſimo illo palatio, conditæ *Mentium* corporis ſocietate vacantium innumeræ myriades, quas *Angelos* vocamus, & Spiritus, Genióſque cœleſtes. E nihilo quoque prodierunt *Terra & Aqua*, globum in unum commiſta; Undâ Tellurem ſuo complexu cohibente, ſeſéque uſque ad cœlum expandente. Atque hæc, ut ſine materia præexiſtente producebantur; ita ex his, Terrâ inquam & Aquâ, cætera omnia, quæ ſub aſpectum cadunt, ſunt educta. Nullus tum rerum ornatus viſebatur, nulla forma, tenebrîs omnia involventibus; Cùm Imperiô divinô lux quædam in aquis coruſcare cæpit, longum latúmq; fulgore ſe diffundente.

Dies prima creationis.

Sequenti die, quam lux illa, rudis quidem & imbecilla, qualis eſt, cùm abeunte nocte diluculum inſtat, efficiebat, Orbes Cæleſtes, quos Sacra Pagina Firmamentum appellat, exiſtere ſunt juſſi, mediô inter aquas Superiores (quas Cryſtallinas vocant) & Inferiores (Philoſophis Elementares dicuntur) interſtitiô ſuſpenſi, nullisdum ſideribus illuſtrati, nec eodem, quo nati erant, momento, vel ſuâ, vel externâ incitatione agitati. Inde duo illa Primigenia Corpora, *Aër* quidem ex Aqua, *Ignis* ex Aëre prognata ſunt. Igneum Elementum altiora capeſſivit; Huic proximam Regionem ſpirabilis natura inſedit; Terrâ aquîs circumfuſâ medium Mundi locum obtinente.

Dies ſecunda creationis.

Die tertia, undarum ac telluris Sublata confuſione; Hæc in ſpeciem magni Orbis glomerata, ex aquis emergere cœpit. Aquæ ipſæ in cavernas recedere, mariáq; & flumina, & paludes, & ſtagna efficere, ſpatijs ab habitabili ſolô diſcretîs. Terra quidem, ſimul ut mandatum divinum germinandi accepit, repentè herbas

Dies Tertia.

bas & fructus profundere; Arbores fætibus gravidari, campi segetum copiâ & densitate fluctuare: Fluviorum ripæ mira stirpium varietate vestiri: Simul omnia promi, proferriq;. Secus, atque nunc accidit, cùm aratio sationem, satio occationem, Occatio Sarritionem, plantatio putationem, incrementa maturitatem præcedunt; Cùm priùs aguntur deorsum radices, deinde stirpes in altum tolluntur; Tum in frondes se rami induunt, postremóque fructus reddunt, primò parvos & acerbos, paullatim majores & perfectos; Sed omnia hæc conjunctim, unóque temporis puncto proruperunt. Omne præterea genus extitit Metallorum, Fossilium, Lapidum, & rerum (quæ *Mixta*, hoc est, ex elementis composita, appellantur/) vitâ carentium. Caput imprimis floridum extulit Paradisus, seu Hortus Voluptatis, irrigatus quatuor fluviorum ex uno fonte scaturientium limpidissimo liquore, indéque sese per omnem terram diffundentium; *Phisoni* nomen est uni seu gangi: alteri *Geoni*, seu Nilo: tertius *Tigridis*, quartus *Euphratis* appellationem habet.

Quartum Mundi Natalem illustrarunt cælestia Lumina, *Sol & Luna*, cæteræq; *stellæ* ac *sidera* cælum velut gemæ distinguentia, aut instar florum pingentia; hinc alterna dierum & noctium discrimina: hinc quadripartita anni tempora: hinc tempestatum signa prognostica: hinc rerum sub terra, supráque terram nascentium progenerationes. *Dies quarta.*

Quintus porrò dies *Piscibus* & *Volucribus* natalis contigit, quorum genus utrumque, originem suam aquæ fæcunditati debet, è cuius materia propagatum est, quidquid vel pennis aërem, vel pinnis undas secat. *Dies quinta.*

Sextus opificij divini dies *Animantes* accepit, productis jumẽtis, reptilibus, bestijs. Qua die effictus quoque ex humo *homo* est, cui im̃ortalem, juxta suammet imaginem, cælestis Conditor animum inspiravit, intelligendi, appetendi, cum ratione reminiscendi facultate præditum, cæterísque decoratum gratijs, & primævæ innocentiæ ornamentis, ac pleno in cuncta animantia dominatu. Nomen primo homini, *Adami* inditum, quem ubi Divinus Artifex in felicissimi illius Viridarij septa (nã extra illud conditus erat) transtulit, omniq; animaliũ generi ad ipsum adducto, propriam appellationẽ imponere jussit, im̃isso sopore, dormientis è latere costam exemit; è costa vitæ sociã *Evam* formavit; quâ in manũ viri traditâ, utrique fausta apprecatus, jussit inire matrimonium, procreare liberos, extendere genus, progignere populos, obtinere Mundum, imperitare ac præesse rebus, ridente cœlo, plaudentibus sideribus, gratulantibus elementis, tellure gaudio gestiente. Sed ô breve gaudium! Decima tertia ab Ortu *Dies sexta.*

Mundi,

Mundi, die, Eva serpentis fraude, seducta pomum carpsit vetitũ, maritum in criminis, pœnæque comunionem traxit; uterque posteritatem omnem ærumnis & miserijs inexplicabilibus involvit, uti paullò pòst memorabimus, si priùs Ruinam Angelorum exposuerimus.

DOCTRINA.

Affectus in Deum.

LUbet exclamare cum Apocalyptico Vate. *Dignus es Domine, DEUS noster, accipere Gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant.* Apoc.4. Tu *dixisti, & facta sunt: tu mandasti & creata sunt.* ps. 140. *Ex Te, & per Te, & in Te sunt omnia; in Te vivimus, movemur, & sumus.* Actor 17. Tu Mundum homini, hominem tibi condidisti. Hic finis, hæc meta, hic scopus est. Lucem, qua fruimur: spiritum, quem ducimus: commoda, quibus utimur, tuum munus agnoscimus grati. Utendum est ijs, non abutendum; adducant ad Te, non abducant à Te. Tu es, qui Regis & gubernas omnia, qui cursum astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinésque conservas. Quis igitur tam vecors, qui cùm cœlum suspexerit, DEUM esse non videat; & quæ tanta Mente fiunt, casu fieri putet? Hæc nostra felicitas, hæc beatitudo est, Te Nosse, Tibi servire, Teque amando, æternùm Tua contemplatione potiri.

„ Domine fecisti nos ad te, & inquietũ est cor nostrũ, donec requiescat in te. *S. August 1. Confess. 1.* Cœlum & Terra clamant, ut amemus te. Creatorem videmus per creaturam, Factorem per facturam, Fabricatorem Mundi per Mundum. *Quod si nos Domine delectasti in factura tua; quantò speciosior est, qui constituit hæc omnia.* Sap. 13. Tu bonitatis & pulchritudinis omnis exemplar, effector, fons, sphæra, centrum es. In te cælorum est puritas, siderum harmonia, solis nitor, imbrium fæcunditas, fulguris vis, hortorũ gratia, florum pulchritudo, silvarum amœnitas, camporum ubertas, gemmarum virtus, fontium claritas, riparum viror, auri pretium, purpuræ decus, formarum Venustas, Amicitiarum voluptas, rerum omnium amabilitas, meritum, dignitas.

Hominis dignitas.


„ Novissimus Operũ DEI homo, quasi totius sum̃a corporis,
„ quasi causa mundi, propter quẽ facta omnia, quasi omniũ ha-
„ bitator elementorũ. Inter feras vivit; cum piscibus natat; Su-
„ per aves volat; conversatur cum Angelis, terrã inhabitat, &
„ cœlo militat; sulcat mare; aëre pascitur; cultor soli, piscator
„ in fluctibus, in aëre auceps, in cælo hæres, Christi cohæres.
S. Ambros. epist. 18. quæ est ad Honontianum. tom. 5. Agnosce ô homo dignitatẽ tuam, cœlo natus, cælo creatus es; Voluit DEUS omnia esse hominis, hominem esse DEI,

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Ovid. Met. 1.

Nomen Hominis te Humi admoneat, & modeſtiæ; Rectitudo ſtaturæ cœlo admoveat, à terra abducat. Major es, & ad majora conditus, quàm ut cum beſtijs in ventrem abjectus, brutarum ſis mancipium voluptatum. Divum Baſilium audi *homil. 10. Hexameri,* ,, *hoc eſt, operis ſex dierum.* Animal itaq; es, ô homo, imperio natum. ,, Ecquid miſerã hanc affectuũ ſervis ſervitutem? ecquid dedis te ,, peccato in vile mancipiũ? cùr tuapte ſponte mancipẽ te & captivũ conſtitues diaboli? Juſſit te DEUS in creaturis principem ,, locum tenere: & ecce tanti principatûs dignitatẽ à te excutis, ,, & repellis. Et Ambroſ. *lib 6. Hexam. c. 8* Pictus es ô homo, & pictus ,, es à Domino DEO tuo. Bonum habes artificem atque pictorẽ. ,, Noli bonam delere picturã; grave eſt, ut dicat de te DEUS: non ,, agnoſco colores meos, non agnoſco imaginem meam. Doctor ,, Angelicus in *22. c. Matth.* Numiſma Cæſaris in auro eſt, in quo ,, eſt eius imago depicta; DEI autem imago homo eſt, in quo eſt ,, DEI imago figurata. Et Auguſt. *tract. 40 in Joannem* Reddite ,, Cæſari numos: DEO vosipſos. Eſt enim homo nuñus DEI. ,, Quærit DEUS nummum ſuum, ſicut Cæſar ſuum

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram Gen. 1. Eſt homo imago & ſimilitudo DEI. I. ratione dominij, quod homini datum in cæteras animantes. Gen. 1. *& præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli.* 2. ob ſimilitudinem divinarum virtutum. 3. ob modum exiſtendi in rebus; nimirum neque DEUS, neque animus hominis, cùm ſpiritus ſint, circumſcribuntur loco. 4. ob libertatem arbitrij. 5. ob vacationem materiæ, & im̃ortalitatem. 6. ob cognitionem DEI, amorem, & cultum; nihil enim horum habet homo com̃une cum beſtijs. 7. ob ſapientiam ac providentiam, quarum ope finem agnoſcit homo actionum ſuarum, & vias ac rationes eligit eò tendendi. 8. Nulla re magis homo Divinam in ſe Trinitatem refert, quàm cùm intelligendo rem aliquam, eiuſdẽ rei verbum producit, ex verbo autem, quod eſt quid amabile, procedit amor eiuſdem. Salian. de hominis Creatione. *Homo imago DEI.*

Ædificavit Dominus DEUS coſtam, quam tulerat de Adam, in mulie- ,, *rem.* Gen. 2. Conveniens fuit, inquit S. Thomas. *1. p. q. 92. a. 3.* ,, mulierem formari de coſta viri. Primò ad ſignificandũ, quòd ,, inter virum & mulierem debet eſſe ſocialis conjunctio. Neque ,, enim mulier debet dominari in virum; & ideò non eſt ,, formata de capite: neque debet à viro deſpici, ,, tanquam ſerviliter ſubjecta; & ideò non ,, eſt formata de pedibus. *Eva cur è coſta Adami.*



NARRATIO II.

DEFECTIO ANGELORVM

Apocal. 12.

PRincipium Divinorum operum, quæ Majestas Æterna, bonitatem suam diffusura, produxit, cælum, uti supra narravimus, fuit Empyrium; tum Aqua & Terra ex puro puto *nihilo* procreata. Ut verò sedes illa DEI gloriosa, amplitudinis imensæ, aspectibus humanis inaccessa, imota semper & quieta, nulli obnoxia destructioni deliciarum omnium patria, colonos ne desideraret, Spiritus sunt conditi, seu Mentes purissimæ, ab omni corporis concretione separatæ, multitudine innumerabiles, in tres Principatus (Græcis Hierarchias) divisæ, & hæ, ternos in Ordines, quos Choros appellamus, partitæ. In suprema quidem Hierarchia collocati *Seraphini*, qui divinitatis amore calidissimo flagrant: *Cherubini*, scientia DEI profundissimâ lucentes: *Throni*, rebus pacatè continendis, & ut solium sedémque quodammodo, quiescenti DEO præbentes. In media, *Dominationes*, adjuvantes ceteros spiritus cælestes ad gloriam DEI promovendam; *Virtutes*, ad corpora tuenda ordinatæ; promptæque, & expeditæ ad opem largiendam Angelis inferioribus, circa Divinum obsequium occupatis: *Potestates*, ad diabolicas irruptiones retundendas. In Infima, *Principatus* destinantur ad universam naturam humanam adjuvandam, tanquam primi duces in eius rei executione: *Archangeli*, celsioribus nuntiandis, ac provincijs administrandis præfecti; *Angeli* denique (id, quod vocabulo præferunt) nuntij mittuntur ad mortales *particulares*, privatim ferè dirigendos.

Angelorum Ordines.

Eorum Ordinum alij alijs præstant, unde Superiores illuminant mentes inferiorum, suas cum ipsis cogitationes & affectiones communicando, quod Eruditi *Locutionem Angelicam* vocant. Instructi sunt omnes intelligendi vi acerrima, & inflammata in amorem Divinæ Bonitatis voluntate; quibus

quibus accesserunt egregia naturæ tum præsidia, tum ornamenta; potentia videlicet, & robur admirandum: agilitas ac celeritas incredibilis; & quod longè majus, *Gratiæ* ac virtutum dona amplissima, quibus reddebantur *Filij* DEI, Regníque cælestis legitimi hæredes. Unicum ad consumandam felicitatem deerat, perseverantia, (*Angelicæ viæ terminum vocant*) præfixô exigui temporis intervallô, cujus intra spatium operibus DEO placitis, ad præmia pervenirent; secus si facerent, cœlo, quod insidebant, extrusi, pænas alibi darent sempiternas.

Cæterùm à constantia ut descisçerent, evenit culpâ Turbatoris unius, quem sacræ paginæ *Luciferum* nominant. Fuit in hunc congestum, quiquid ornamentorum *Spiritalium*, quidquid naturæ, *Gratiæq;* dotium, omnes alij novem Ordinum Angeli possedissent, quippe principatu in omnes potientem. Sed nocuit & Angelo felicitas nimia, nequis deinceps admiraretur, difficiliùs homines secundã ferre, quàm adversam fortunam. Defectionis caussas alij alias adferunt; quidam aiunt, Luciferum invidiâ stimulatum iniquissimè tulisse, hominis dignitatem, in æqualem *Gloriæ* cum Angelis possessionem, venturam. Alij sentiunt, DEUM Angelis adhuc in *Cursu Viæ* suæ constitutis, aperuisse *Verbi* Divini futuram cum Humana Natura conjunctionem; & Hominem illum constitutum iri, non mortalium modò, sed & Angelorum omnium Caput ac Regem, cui famularis adorationis obsequium, jam tum detrectârit Lucifer. Alij denique asserunt, ipsum insolente mentis elatione, æqualitatem ambijsse Numinis, neque suâ contentum arrogantiâ, quoscunque præterea potuisset Angelorum, in Societatem & contagem pertraxisse.

Peccatum Angelorum quale.

Hunc igitur regem, hunc caput certatim adoptabant rebellionis participes, *Similem* Altissimo, Parem Incomparabili, Deíque Collegam acclamantes. Scindebatur in factiones, ac studia cœlum. Pars etenim melior, sinceriórque peracriter est in Luciferianos invecta. Primus atrocis prælij dux Michaël, è Seraphinis unus, qui Angelici sermonis vocibus, desertores attonans, *Quis*, inquit, *sicut DEUS*? (hoc enim nominis eius significatio indicat) simúlque cum Angelorum socialium fidis Ordinibus in perduelles pugnavit, non jaculis, vel hastis, aut gladijs, sed odijs, mutuis. Tenuit prælium, arbitrô DEO, quoad ei visum est, obstinatos in pravo, dignis cladibus; emeritã autem virtutẽ, præmijs im̃obilibus absolvere; tum verò continuò fulminante Numinis decreto, fulguris more præcipitatur cœlô Lucifer in Tartarum, fítque calamitosorum extremus ille, qui momentò priùs desiderârat esse DEUS. Cum incentore corruerunt Asseclæ, pars tertia Angelicarum Mentium; Geniorum verò in obsequio

Præliũ Angelorum in cælo.

 manen-

manentium uno temporis puncto simul & militia finitur, & *Via*, (tempus scilicet merendæ beatitudini æternæ præfixum) Firmatis *Gratiæ* statu, *Gloriæ* confertur imortalitas, bene gestæ rei merces, atque Stipendium.

Supplicium Angelorum apostatarũ. Michaële in locum Luciferi subrogatô, sempiternum ejectis exilium indicitur; exuuntur cœlestium donorũ ornatu: non relinquitur cognitio, quæ moveat ad opera DEO placitura: non mentis in divinis perspicacitas, & erroris omnis expers lumen; Voluntatis incessit tanta depravatio, ut assiduo versetur in propositio, malum aliud ex alio concitandi, cum immortali Numinis odio, inflexibilitate ad retractandum facinus, ínque pravè semel cæptis obstinatione. Integra tamen eis perstiterunt omnia, quæ secundùm naturæ conditionem tenuerant, poterántque. *Vires cacodæmonum Naturales.* Qualia sunt, *inveniendi* quidvis, & excogitandi acumen atque celeritas; Potentia suimet, & aliorum è loco motrix, & in locum deportatrix; ponderum gravissimorum translatio; quatuor mundi elementorum, non in toto quidem, sed in partibus concussio; diversi generis, tam corporum, quàm vocum ac sermonum, ex aëre condensato, formationes ac difformationes; & ad temporis partem aliquam *assumptiones*; oculorum ludificationes; *Agentium* item ad ea quæ *patiuntur*, applicationes, & è radicum, herbarum, gignentiúmque ceterorum, occultis, sed sibi percognitis viribus, inopina remedia; remediísque atrociora detrimenta, pestes, ac funera; quæque cæterorum præterea spectant, ad mille malarum artium, & eventuum Auctores, quibus idcirco Magi, sagæque supplices, ac clientes fiunt.

Non omnes tamen, qui Luciferi se partibus adjunxerunt, eòdem statim unà descenderunt: Sed, aut quoniam alij alijs minùs, magísve rebellionem adjuverunt; pro malitiæ diversitate, diversa sunt loca sortiti; vel quoniam ob rationes nobis incompertas, quosdam eorum in his potiùs, aut illis elementorum regionibus, quàm alijs, Numini visum est attinendos; relicti quidam extra gehennam sunt: exercendæ mortalium vel patientiæ, vel pænæ. Quorum cùm extra Orcum adhuc agentium maximum sit tormentum; quantum eorundem aliquando fore credamus cruciatum, cùm eò detrusi fuerint omnes, extinctô mundô? quamquam, ubicunque locorum nunc degant, aut quocunque divagentur, secum pœnam suam, nullô laxamentô circumvectant. Quorum multi varias & tetras animalium formas mortalibus vel territandis, vel fallendis mentiuntur.

Libertas porrò superbissimorum Geniorum in angustissimo carcere comprimitur; ignis inferi vis & carnificina, Spiritus illos æquè, sicut & animas postea perditorum hominum, doloribus imensis

im̃ensis, modísque, licet miris, tamen plus nimiô veris, singulos pro suis majoribus, minoribúsve rebellionis meritis torquet. Et mentis, & loci tenebræ, Cim̃eriâ quavis caligine spissiores; loci chaos execrandum; pœnarum acerbitas, nec ad punctum quidē, mitigationis capax; conscientiæ sævientis semper, mordénsque vermis, malum mentibus humanis pariter, & Angelicis, intolerabile; continuati doloris assidua præsentia; bonorū omniū cumulatissima desperatio; nec spes vel veniæ, vel finiendi cruciatûs ulla. Denique præclusa non tantùm sperandi, sed respirandi quoque facultas omnis, irrevocabili Numinis & obfirmatô decretô. Quibus ex rebus nascitur eis, & nunquam emoritur assidua tormentorum, & ignis, cum sensu cogitatio: proindéque DEI infligentis, odium, detestatio, criminatio; cum tristitia quadā, & rabie, verbis nullis explicandâ. Coronat autem hæc tot mala, termini nullius patiens, suppliciorū æternitas, quæ tantò gravior infelicibus illis Spiritibus accidit, quantò brevior illis fuit, suapte culpâ, concessus primævæ felicitatis fructus, & in Empyrio quondam cælo mora, quam Scriptores aliqui ad triduum; ad unam alij diem; quin etiam ad unius nostratis horæ spatium extendunt.

DOCTRINA.

TAnti stetit felicibus quondam, sua si bona nossent, Genijs, præaltus & im̃odicus sui sensus, & arrogantia. *Qui nidum inter sidera posuerunt, detracti sunt*, Abdiæ. v. 4. non tam in terram, quàm in flam̃eum terræ carcerem. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, plenus sapientiâ, & perfectus decore*? Isa. 14. è miraculo venustatis & elegantiæ momentò deformatus in teterrimum & spurcissimū cacodæmonem? Ergo unica superba cogitatio tot milliones Angelorū, nobilissimorū Spirituū, cælestis Aulæ Principum, in æstuantes ignibus voragines præcipitavit? Ergo nullus pœnitentiæ, nullus misericordiæ, nullus recuperandæ gratiæ relictus locus? Ergo omnis æternitas unicā mentis elatæ noxā non exhauriat, non expiet? Quis mille Regum ac Imperatorum filios, unius ob culpā commissi, damnari capite, securi subijci videat, & ingemiscendo non obstupescat, non attonetur, nihil nec precibus, nec numero, nec sanguini, nec brevitati delicti, nec clementiæ dari? *Quia ceciderunt cedri, non ululet abies*? Zachar. cap. 11. *Si DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos*. S. Pet. ep. 2. c. 2. Quis stans est securus casûs? Quis impunitatē suis promittat

Severa Dei justitia.

mittat

mittat sceleribus, & resipiscendi spatium, cùm lectissimorum DEI filiorum peccatum in vestigio secuta sit vindicta & pœna? Si rebelles Numini ne in cœlo quidem invenerunt asylum, quod in terra perfugium est reis à facie furoris Domini? Unius unici si capitalis criminis tam severum fuit judicium, tam horrendum supplicium, quas sibi spes finget conscientia mille flagitiorum sordibus im̃ersa? Itaque sapiat alieno periculo, quisquis non sapit suo; &, ut Magnus Gregorius loquitur, *lib. 4. in 1. Reg. c. 1.* Cau- ,, tela minorum, sit ruina Majorum.

Ambitionis pœna. Christus Lucæ 12. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem.* Time Ambitio, quæ paullatim ascendis, sed repentè præcipitas. Casus Luciferi assimilatur fulguri: tum propter velocitatem descensûs; momentò ruit. tum propter brevitatem lucis; quæ in ortu suo extinguitur, & cum casu in tenebras convertitur.

NARRATIO III.
LAPSUS PROTOPLASTORUM, SEU PRIMORUM PARENTUM.

Genes. 2. & 3.



Quemadmodum DEUS in Empyrio cælo Angelos collocavit; ita statuit, horto, hortorum omnium & Gratiarũ compendio, Paradiso, recens condito Cultorẽ, Custodémq; dare. Produxit igitur è limo, ut suprà memorare cœpimus, primũ Hominem, quem Adamũ vocavit, & ex Adami altissimè sopiti costa, Evam, vitæ, thoríque consortem; quibus regimen im̃isit ceterorũ Viventium omnium. In alimenta mensam eis proposuit, terrarum omnium latũ & frugiferum orbem; Et super hæc, felicitatẽ contulit, nullo calamo exprimendã. Condidit quippe Protoplastos ad imaginem suam DEUS, impertijt animũ im̃ortalem, eúmq; instruxit non rerum tantùm naturalium omnis generis, sed earum quoque, quę supra naturã sunt, scientiâ cognitionéq; ;addidit *Gratiam*, quâ ab ipso ortu DEO grâti, familiares, amici, filij, justi, Sanctíq; constituerentur: dedit corpus vividum, robustũ, sanũ, succo vitali

Felicitas primorum Parentum.

vitali vegetum, membrorum omnium compage, & sensuum perfectione absolutissimum; eximiâ venustate præditum, interitûs imune, nulli vulneri, dolori, ægritudini, morti obnoxium; Adjunxit beneficium innocentiæ primigeniæ, quam Originis *Justitiam* vocant Doctores, spiritum scilicet liberum, & sui arbitrij; & huic appetitiones omnes, & cupiditates obtemperantes; qua in felicitate, postquam plura sæcula decurrissent, & senescere sensim cæptam ætatem *Pomo vitali* aliquoties integrâssent, in cælum sine funere translati, deinceps inter Angelos ævum exegissent.

Cæterùm Pater primus ea Naturæ, Gratiæ, *Justitiæ* Primævę ornamenta, eiusmodi pacto obtinebat, ut si in obsequio DEI persisteret, ea Posteris omnibus, veluti hæreditate obvenirent. Sin' rumperet imperata, tam sibi, quàm Posteritati, quidquid bonorum ac dotium habuerat, amitteret; séque cum omnibus à se progenitis in moriendi necessitudinem, exiliúmque cæli, præcipitem deturbaret. *Pactum Dei cum Adamo*

Loci verò, in quo degebant, amœnitatem quis describat? Hortus erat, omnis honestæ voluptatis, ac deliciarum vivarium. Illic arborum, plantarum, fructuum, florum; illic spectaculorum naturæ, palati gustûs, odoris narium, omne genus atque pabulum. Ibi digestarum in quincunces pomorum, in areolas herbarum, in ordines suos germinum distributio, speciésque pulcherrima; fundi margines, virgultorum sepes, ambulacra spatiosa, virides porticus, apricantium herbida solaria, meridiantium platanónes & umbracula; laborantium, sub opaco respiratus; respirantium, sub dio nova negotia. *Paradisus.*

Stabant artificiosis dispositæ spatijs, silvæ, saltus, nemora, plantaria, vireta, pomaria: tot in hortos, divisus hortus unus; ac tot silvæ, tanquam nemus unicum: unáque venustissima voluptas, in mille sparsa concolores voluptates; Clausæ terrarum orbis opes erant, in unius hortensis amphitheatri orbe. Cæli mirabilis clementia: cœlestis auræ placidissima temperies: siderum æternus, quantum per hominem licuisset, favor. Humus semper virore læta; nec tamen aut suis Autumnis, aut messium felicitate cassa. Ver perpetuum futurum: & ut florum omne tempus, sic temporis omnis flores. Arbores aut in spem se fructûs induentes; aut in spei fructum exonerantes. Non illinc Assyria mala, non Medica, Punica, citria, non ficus, uvæ, palmarúmve, vel aromatum fœtus aberant. Super hæc in silvis, campísque ferarum quadrupedum omne genus, & cicur, & mansuefactum. In arborũ ramis, ac per aërem, volucrũ canoræ, pictæq; mille formę.

Quibus

Quibus cantus deerat, garritu festivæ, sicut psittaci; vel pennarum picturâ floridæ, velut pavones, assiduè gestiebant. Ac præter hæc, ne vel istæ sitirent; vel pecora, belluæque marcerent; vel arescerent homines; vel siccitate squaleret terræ fœcunditas: è paradiso medio, *Fons* ingens, par maximis quibusque fluvijs prorumpebat, qui in alios se quatuor exonerabat amnes.

Arbor vitæ. His non contenta Divina Liberalitas, geminam adiecerat arborem; alteram vitæ fomentum; alteram Virtutis ac meritorum, exercitamentum. Et earum quidem priorem DEUS in ipso defixerat Paradisi meditullio; quò, cunctis è partibus, æqualis singulis accessûs pateret spatium, ac facultas. Hæc *Vitæ* dicebatur, & erat, Arbor, cujus naturæ vis medica, vescentibus eius fructu, non quidē im̄ortalitatem; longissimā tamen suppeditabat vivendi facultatem. Altera verò diverso sita loco, sed egregiâ stirpis, & foliorum, ac frondium, pomorúmque formâ, *Scientiæ Boni Maliq;* nomenclaturam, ex eventu magis futuro, quàm ex indita sapientiæ vi, sortita fuerat. De genere & fructu arboris illius controversia est, alijs ficum, alijs malum fuisse asserentibus; Recentior Scriptor *Ioan. Bissel. Decade, 1. Ruin. Illust.* putat, Pomum fuisse (quales hodiéque Memphi & Alexandriæ gignuntur) fructus botrorum instar proferentem; in eius cortice vestigium morsûs apparere; in segmentis cultro desectis deprehendi effigiem Servatoris in Crucem suffixi, & à Christianis Saracenísque passim vocari *mala Adamiana,* ut in quibus & Protoplasti dens vulnificus, & vulneris medicina sit expressa.

Arbor scientiæ boni & mali.

Adami status ante lapsum. Tali præditus igitur animo, corpore, statúque: tali ditatus loco, ac depositus cum conjuge sua, Primus homo terrestres inter ac cælestes incedebat delicias, purus, innocens, serenus; cum Beatis Mentibus incorporeis, Angelus ipse corporeus versabatur ut frater; cum DEO, Deíque Filio, corporibus in assumptis, ei se conspicuos dantibus, agebat frequenter, ac familiariter, effigies ipse DEI. Non æstuabat, non algebat, non sudabat, non fatigabatur: Paradisi quidem colonus esse jussus, sed quasi per animi magis remissionem, quàm per laboriosæ manûs occupationem; útque tum ingentis & horti possessor & regni, fiduciariam servitutē suam, vel exigui tributi pensione testaretur, mandatum accepit, ne gustu *Scientiæ boni, malique* tangeret *Arborem,* nisi perdere Jus im̄ortalitatis, ac Cœli, sibíque, posteritatíque sui generis vellet.

Qui sponte non fuerat iturus in exitium; per Sathanam & Feminam, sine quibus duobus nulla facilè magna clades inchoatur; trahendus erat. Cùm enim jam dudum cacodæmonem invidia torqueret tantæ Protoplastorum felicitatis in terra, longéq; majoris

majoris olim in cœlo futuræ, cuius ipse possessione deturbatus esset: Serpentem, animal imprimis astutum & sagax, ingressus; eum artibus sibi notis fecit vocalem: magis tamen ipse ex eius gutture locuturus, quàm eloquentem facturus anguem. Hunc indutus habitum, plenis insidiarum oculis, occasionem perdendi hominis venatur. Fortè sic evenit, ut solitario per Paradisum incessu vagaretur Eva: consisterétque, sicut eam animi libido pepulerat, ad arborem, *scientiæ boni maliq;* genitricem. Ibi serpens, sive circumvolutus arboris ramis, aut trunco; sive subter arborem, in caudam aut pedes erectus; tanquam hominem homo, sororémve soror affatur, miráque sermonis illecebrâ benevolentiam captat, & virus pestiferæ cupiditatis, excellendi, supra humanum fastigium, inspirat, dulcedine libertatis plenissimæ mixtum; gustúmque arboris vetitæ persuadet. Quid multis? invadit mulier dentibus pomum prohibitæ stirpis, & in pomo beatitatem DEO invidendam devorâsse arbitratur. Confestim ad maritum advolat, vim pomis illis insitam, & dulcedinis, & promissæ scientiæ laudat; dubitantem, mortísque metu tergiversantem virum pellicit, ut mallet displicere DEO, quàm uxori, raperet pomum oblatum, infigeret dentes, absumeret in cibo vitam, & audaciâ suâ mortem inveheret. Eodem temporis articulo, aperiri cœpti sunt amborum oculi: quíque prius non viderant nuditatem suam; tunc spolia mirati sunt innocentiæ suæ, corporibus juxtà mentibúsque detractâ. *Protoplastorum tentatio & peccatum.*

Statim enim irrequieta legis membrorum rebellione, corpus amborum cœpit in spiritum caput attollere; spiritúsque cum difficultate summa coërcere seditiosum corpus. Præ cæteris autem eos aggressus est furor erubescendæ libidinis, cuius ipsi turbulento sensu agitari cœpti, paribus erubescere luminum suorum dejectibus, & vultuum confusione sunt coacti. In arbustum igitur densius ambo concedunt, verecundiæ suæ lucem, lucísque verecundiam suam subducturi, sibíque subligaria frondea de connexis ficuum folijs consuturi. *Infelicitas, & pœna post lapsum.*

Ita latebant, propatulo quidem se ipsos suffurati, sed sibimetipsis adhuc nimis aperti: DEIque potissimùm oculis manifestissimi; à quo per paradisum inambulante, interrogationibus eò protracti sunt, ut nuditatis & imperij rupti, pomíque vetiti deglutiti, crimen ac temeritatē fateri compellerentur, viro culpā in uxorem, hac in serpentem reijciente. Nec distulit sententiam cœleste Numen; virum, mulierem, anguem suis quemque supplicijs addicit: & Adamum terræ sterilitate; conjugem, uteri tristi fæcunditate; Serpentem, pulveris pabulo, mulierísque mutuis odijs severè multat. Deinde pellibus indutos, excoriatarū

ab Angelis ovium, amarùm, ut meriti fuerant, irridet: in labores, follicitudines, metus, dolores, morbos, atque calamitates extrudit, paradisô proscribit; cujus portas & aditum, Angelô Cherubinô, per gladium bifidum, (Scriptura S. *Versatilem* vocat) flamámque, deterrente, perpetuas in ætates obsepit, patratíq; facinoris supplicium in nascituram progeniem extendit.

Hinc iræ Numinis; macula, & nævus mentis; contumelia stirpis; nuditas *gratia* cœlestis, ac donorum illius; cæcitas rationis; pravitas voluntatis, penuria, morbi, dolores, calamitates, & animi, corporísque cruciatus; quódque miseriæ caput, tremenda mors. Hinc originaria labes ac lues, & hanc sequentes pœnæ; Fomes, quem appellant, & incitamentum peccati, ignavis ruinæ plerumque caussa vel impulsus; generosioribus autē animis, palæstra certaminis, difficultate non carentis. Hinc supplicia mortis sempiternæ: quæ nisi Filij DEI morte, præredempta, nec infantia moriens, nec adulta decedens ætas evitat; Infantes deportantur in loca infera, carentia quidem flamis; plena tamen inamœnæ solitudinis, horrenda tenebris, & illætabili *regioni mortis* propinqua, perpetua felicitate exauctorati. At graviora longè manent profectam ætatem mala, gehennæ supplicia multitudine innumera, duratione infinita subeuntem. Juxta Salianum, Pereriū, Torniellum, aliósque viros doctissimos, tristissimus casus, & è paradiso expulsio contigit, octavo à Protoplastorum productione die, feriâ sextâ secundæ Mundi hebdomadis; ab ortu rerum die decimâ tertiâ.

DOCTRINA.

Miseria ex peccato Protoplastorum

HEu malè carptum malum, ex quo malorum omnium Ilias! *O Adam Ubi es?* quantùm mutatus ab illo, qui fueras! Unicus interdicti pomi morsus in quas miserias Orbem præcipitavit? Hæc est illa Pandoræ pyxis, è qua tot scelerum portenta, & supplicia, fames, bella, pestis: mille calamitates, ærumnæ, cædes, morborum agmina, mors ipsa proruperunt. Hinc ruunt è cœlo tonitrua, nix, grandines, fulgura, procellæ, turbines, fulmina. Hic morsus nos Paradisô exclusit, & in hanc lacrimarum vallem, in hoc exilium, in hoc mare procellosum ejècit, ubi venti vehementes, & fluctus ingentes, & quotidiana naufragia. Ex hac vomica, continuò pravarum cupiditatū purulentia ebullit; ex hoc camino, vitiosæ naturæ fumus nunquam non ascendit, fædæque libidinis scintillæ ejectantur. Primus homo,

Quam meruit pœnam solus, diffudit in omnes:

Luit in Auctore posteritas; & quod unus deliravit, plectuntur omnes. O severā vindictam! Quis Diocletianus, aut Phalaris ob paucculas

pauculas ficus, aut aliquot flosculos, aut unicum pomum, mille homines in crucem rapuit? ET DEUS TER OPT. MAX. innumeras hominum myriades ob arbusculam unam, non solô excisam, sed pomô privatam, eóque unico, supplicijs damnârit Sempiternis? Mortales

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Rationem delicti, auctoritas aggravat prohibentis. Magnum non erat, unicum carpsisse pomum; at longè maximum fuit, in amœnissima illa in omnes paradisi arbores libertate, exceptâ unicâ; ne ab unica quidem, mortis interminatione, à Legislatore mille titulis reverendo, Vetitâ, manum, dentémque abstinuisse.

Gravitas peccati primorum parentum.

Quis igitur hanc tantam peccantium temeritatem gravissimis neget obnoxiam pœnis, in qua, velut in Lernæa Hydra, tantum diversis è capitibus veneni subnascitur, ut uno in scelere, complura involvantur? Nam *primò*, quanta fuit Adami superbia, velle cum uxore, DEO assimilari? *secundò*, quàm perniciosus amor in conjugem, cui ut placeret, non timuit displicere DEO? *tertiò*, quæ mentis incredulæ perversitas, DEO fidem non habere dicenti: *Morte morieris*; habere diabolo susurranti: *eritis sicut dij*? *quartò*, quæ curiositas, experiri, num esum vetiti fructûs, consequatur mortalitas? *quintò*, quanta pravitas inobsequentis animi, DEO nolle parere vetanti? *sextò*, quàm scelerata gula, inter tot palati delicias, quærere, quod contra prohibitionem, sapiat? *septimò*, quàm detestanda purgatio, velle criminis culpâ in DEUM ipsum conferre? *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* *Octavò*, in una noxa, quanta est noxia & damnum, mortis & peccati luem in progeniem universam invexisse? Neque paucioribus criminibus, mulier quoque tenebatur, quæ in ruinam maritum, & per hunc, genus omne mortalium præcipitem egit. Tot tantísque in Divinam Majestatem offensis, quænam aliæ convenirent pœnæ, nisi atrocissimæ, nulláque temporis diuturnitate, ob injuriam Læsi infinitam, satis persolvendæ; nisi nefas exitiale, sanguis DEI pro homine morientis eluisset? Uterque Protoplastorum ærumnas suas in longissimam ætatem propagavit; nam Adam nongentos triginta annos exegit, Eva nongentos quadraginta; uterque DEO per scelerum pœnitudinē reconciliatus. Filius eorum Seth, cognomento Enos, id est, afflictus, miser, ærumnosus, sed virtutis & avitæ religionis maximus cultor, ac doctor genuit Enochum, qui anno M. 987. post annos vitæ 265. vivus desijt in vivis agere, translatus in paradisum. Eccli. 44.

NARRATIO IV.
CAEDES
ABELIS.

Genes. 4. Anno Mundi & Adami. 130. ante Christum 3923.



Uousque malitiæ progredi sustineret homo, post amissum innocentiæ bonum; citò palàm fecit ille, qui primus omnium fraternam consciuit necem. *Cainus* is est; *Adamò*, gentis humanæ principe natus, & *Evâ*; propagationis ministrâ. Inflabat eũ primogeniti speciosus, sed absente virtute, futilis titulus: & eousque reddebat insolentem, ut quantum animi cupidinibus, libidinibúsque libuisset, tantũ eis indulgeret: contumax ad parentum monita, & cœlestium rerum inimicum ingenium: asperum, querulum, intractabile, fallere doctum, & jam tum ostentans semina, quæ mox magno parentum luctu, ipsiúsq; damno adoleverunt. Sed pravorum illi morum caput erat, odium in *Abelem*, eodem progenitum uterô, quo fuerat ipse, natu minorem. Erat *Abeli* jam à teneris indoles comis, placida, mansueta, placabilis: magna in fratrem observantia, in patrem matrémque reverentia, in DEUM religio; qui, quoties DEO per victimas supplicaret, quidquid optimum maximúmque in gregibus & frugibus possidebat, in sacrificiũ offerebat; contrà quàm solebat *Cainus*, perfunctorius in cultu Numinis, cui deteriora dedicabat, melioribus in suas delicias reservatis. Ea propter discretos utriusque Divinitatis cultus, discreta sunt prœmia consecuta. Super *Abelis* namque victimas, & omni victima præstantiorem, animi religionem, divinus ex alto favor oculos advertit, super imolata, priusquam humana manu subderetur ignis, de cœlo flammam jaculando. Hæc porrò Divini favoris in *Abelem* inclinantis nota flammea, cùm haud obtingeret *Caino*; fraternæ felicitatis in invidiam, ac clandestinam detestationem est prolapsus, ut nihil jam, nisi vindictam animo volveret, omnésque posthac victimas contumaciter ejuraret, insuper habitîs DEI, spectabili tantisper se corpore offerentis, hortamentis; quibus docebatur, nequaquam caussam esse, cur

Caussa invidiæ Caini in Abelem.

mœrore,

mœrore, odio, invidiâ in fratrem contabesceret, eáque, vultûs tristitiâ ac dejectione proderet; resipisceret potiùs ipse, & fratrem imitatus, favorem Numinis paribus officijs demereretur; propositam esse benefactis mercedem, pœnam peccatis; neque diffideret de victoria sui, non enim defore vires, quibus pravas appetitiones subijceret rationi. Sed nihil profecit divina monitio in obdurato pectore. Cædem ut certiùs perageret, sceleri prætexens amicitiam, *Abelem* nihil suspicantem, in agros prolectat. Ibi tum, inter eundum varios, ut fieri solet, sermones alternantibus duobus, cùm *Cainus* multa in Auctorem naturæ criminaretur, divinæque gubernationis leges, & ordinem insectaretur; próque suo fervore longiùs in propugnando Numine *Abel* progrederetur, *Cainus* aggrediendi sceleris ansam invenisse ratus, elatum altiùs, quod manu gestabat, telum (obvium quodvis, & apportatum domo, ruris instrumentum, ferro præfixum crediderim) in Martyris, ac fratris (centesimum, vigesimum nonum tunc annum agentis) cerebrum, mox & in pectus, profundè validéque demittit, itáque geminatis iterum, iterúmque plagis, & disputantem simul, & vitam disputantis claudit. Ac corporis quidem cæsi sanguinem, largo fluentem rivo, & tacito clamore ultricia sidera ferientem, tellus excepit: innoxium autem *Abelis* spiritum, destinata longæ quieti piorum, amplexa sedes est subterraneis in locis: ubi corpori plurima post secula reddendus, Christum præstolaretur Liberatorem, ac cœlum Innocentiæ suæ prœmium. Tradunt Auctores, *Abelem* cæsum in agro Damasceno, juxta Hebronem, ubi Adam creatus, & vixisse putatur; Hebræis vocatur *Adama* à terra rubra; & *Damascus*, Hebr. dam sac. id est *saccus sanguinis*; quia hausit sanguinem Abelis. *Cornel. in cap. 2. Genes.*

Cædes Abelis.

DOCTRINA.


MAgnus charitatis tam divinæ, quàm humanæ præco, Joannes interrogat. 1. Joan. 3. *Propter quid Cain occidit Abel?* Sibíque respondet: *quia opera eius erant maligna, fratris autem eius justa.* Invidia malum vetustum, prima labes, antiquum virus, seculorum venenum, causa primi funeris. Hæc Angelorum principem ejecit cælo: hæc gentis humanæ parentem exclusit paradiso: hæc prima cœde fraternam manum cruentavit. Flamma cœlitus depascens Abelis victimas, excitavit livorem in fratricidæ pectore; exarsit furor in innocentiam à DEO honoratam; occidit hominem, ut irritaret DEUM, etiam huic manum injecturus, si posset. „ Invidia, teste Nysseno Gregorio, *in vita Mosis.* malorum est prin„ ceps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix,

Invidiæ malum.

„ doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, igno-
„ miniæ principium, mortifer stimulus, mucro reconditus, telum amarum, figens animam clavus, flam̃a cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est. Interrogat DEUS primum latronem: *Cur concidit facies tua*? Genes. 4. Nimirum priùs quàm facinus perpetraret manus, jam undabat felle pectus, pallor sedebat in ore, tremor in labijs, stridor in dentibus, macies in corpore, tabificum venenum in visceribus. Quod vermis ligno, rubigo ferro, tinea vestimento, hoc invidia fuit animo. Hæc est orcus, in quo nihil nisi dolor & mæror: ignis sine lumine. Orcus semper glutiens, & quod glutit, nunquam devorans, malum sine spe, labor sine quiete, pœna sine com̃iseratione, color mortuorum sine morte. Invidia blandimentis exasperatur: obsequijs inflatur: muneribus irritatur. Ussit Cainum ignis cœlô demissus, & unde concipere debebat scintillas pietatis, arripuit flam̃am livoris, & odij; torquetur fratris felicitate, suspirat, fremit, sudat, cædem anhelat, primos morti aditus per vulnus fraternum facit, & quartam orbis partem parricidali sternit ictu, perditorum coryphæus. Documenta jam tum Virtus dedit, malos permitti, ut coronentur boni; dotem esse pietatis res adversas, & Proborum patrimonium, *PATI.*

Falsa amicitia.

Egrediamur foras. Gen. 4. Sunt verba Caini ad Abelem, quasi diceret, animi gratiâ exeamus in agrum. Hac verborum fallaciâ fratrem, velut agnum lanio, duxit ad macellum. Schema falsæ amicitiæ, de qua Jeremias. c. 3. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Lambendo venenum spargit.




NARRATIO V.

NARRATIO V.

CAINI INTERITUS.

Genes.4. Anno Mundi & Adami 688. Ante Ch. 3365.



Ommissô CAINUS Fratricidiô, agente conscientiâ in desperata consilia animum, spe divinæ clementiæ abjectâ, ab obvio quoque ultionem parricidij extimescens, hominū fugitabat consortium, & latebras quærebat, totius corporis, omniúmque membrorum tremore, in signum patrati sceleris, & vindictam agitatus; ubique pererrans, nusquam consistens; quocunque facinoris fama pervenerat, eò portavit & pœnam; donec contra tot pavores propugnaculū erecturus, ut se parricida à talione defenderet, & prædator latrocinia tutò reponeret, primus omnium molitus est Urbem, quam *Henochiam* vocavit, ab *Henocho* filiorum maximo; in quam, quidquid ubique scelestum, contaminatúmq; erat vel suismet, vel parentum insuper moribus, confluxit. Fortè *Cajnus*, jam admodū senex, seculum enim agebat vitæ suæ septimum, animi gratiâ in silvam Henochiæ iminentem egressus, inter arbusta densa consederat, exæstuantis cæli calores fracturus. In illud ipsum nemus *Lamechus*, eius abnepos, succinctus canibus, ac familiæ suæ satellitio, venatum se contulerat. Cùm ecce prętet spem, è numero scrutantium latebras, adolescentulus quidam, ad herum gradu suspenso recurrit, & deprehensam sibi feram esse significat, pertractus in eam opinionem, ramorum frondiúmq; fallaci concussione. *Lamechus* temerè puero fidem habet, quā confirmarât virgultorum agitatio, sagittam, toto nervo, viribúsq; contortam ejaculatur. In quæ subsecutô, tanquā oris decrepiti, feminecì clamore, questúq;, fit omnium concursatiô; primúsq; vulneris auctor Lamechus advolat; Dimotis virgultorum septis pro fera, tritavum à se Cainum jaculô transfixum aspicit, qui tremulo corpore suspicionē latentis prædæ injecerat. In rabiē igitur actus infelix jaculator, iracundiam, quam debuerat in præcipitem suam temeritatem aliqua parte detorquere, totam in imprudentiam effuderat adolescentuli. Néve mitior in nepotis (Tubalcaini enim filius erat) quàm in tritavi sui cædem esset, arreptô, quem fors & nemus obtulerat, fuste (sive quis malit, arcu) puerum

Urbs prima Henochia.

Cainus interficitur.

puerum nequicquam quiritantem, & cœlum atteſtantem, verberibus atrociter mulctat, vibicibus lividis, è denſa contuſione, tuberibúſque lethiferis oppletum, pro mortuò relinquit, & abit. Neque multò pòſt exanimatus eſt & hic, funúſque Cainæo funeri ſociatum, Henochianorum luctum duplicavit: non abſque grandi Lamechi, velut bis homicidæ, penes vulgus invidiâ. Hunc igitur vitæ ſuæ ſortitus eſt exitum, bipedum teterrimus Cainus; cuius viri ſpiritus impurus, corpore ſuo violenter expulſus, poſt Luciferi, ſociorúmque damnatam audaciam, primus omnium (quod nobis compertum ſit) inferos initiavit ignes, arſurus flam̃arum inextinctô rogô, per omnem æternitatis decurſum. Patrata Caini cædes eſt, anno Mundi, & Adami 688. Ante Chriſtum, 3365.

DOCTRINA.

Mala conſcientia.

VEriſſimè Sapiens Sapientiæ c. 7. *cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia.* Exemplum Cainus eſt, vagus, tremens, profugus, id unum animo volvens: *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* Quid ais parricida? quid times, te inventum iri? jam teneris. Tua, ſi neſcis, conſcientia tibi tribunal, apparitor, accuſator, teſtis, judex, carnifex eſt; ſi frater parcit, terra non parcit, innocentis ſanguine purpurata; ſi frater tacet, terra te accuſat, & condemnat. Audiviſti ex ore Numinis: *Si malè egeris, ſtatim in foribus adſuturum peccatum*, & pœnam peccati. Jam noxa caput ſequitur, & vindicta ſceleſtum; quocunque fugeris, nuſpiam te effugeris. ſentis, quid ſit:

Nocte, diéque ſuum geſtare in pectore teſtem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum. Juven.

Sentiunt & illi, quos mens exagitat conſcia pravi. Juſſiſti Do„mine, *inquit* Magnus Auguſtinus, *lib. 1. confeſſ.* & verè ſic eſt; ut „pœna ſibi ipſi ſit, omnis inordinatus animus. Et Ambroſius „*in pſal. 104.* Unuſquiſque peccatis ſuis flagellatur; gravia enim „peccatorũ pondera, gravia ſunt criminũ verbera. Juxta Poëtam

Prima hæc eſt ultio, quod ſe
Judice, nemo nocens abſolvitur.

Quot vitia, tot tormenta. Invigilant animo, ſceleríſque patrati ſupplicium exercent curæ. Et Tullius ait: Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat. Hæ ſunt impiorum Furiæ, flam̃æ, hæ faces. Addo ego, hæc ſpectra, hæ terribiles viſu formæ, hi manes nuſquam non occurrentes. Hi ſunt vermes, ſemper & ubique rodentes malè

malè conscium pectus. Prisci, ut hæc oculis subijcerent, pingebant Prometheum, ob ignem è cœlo furtim sublatum, in monte Caucaso ligatum ab Aquila; Tityum apud Inferos à vulture; Actæonem in Silvis à canibus lacerari. Hæc Aquila, hic vultur, hi canes, animus est sceleribus obstrictus, assiduè mordens, rodens, lacerans. Conscientia rea, est illa horrida Tisiphone, vel Megæra, flagello accincta,

Et nimium sævas repetens de crimine pœnas.

Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies. Genes. 4. Quid est, quod longè gravior pœna statuatur in Lamechi interfectorem, quàm in Lamechum occisorem Caini? *Cur Lamechi cædes graviùs vindicanda*

℟. Quia Cain fratrē suum sponte occidit, nec pœnitentiam egit facti; ideò dignissimus, qui & ipse occidatur. Lamechus autem interfecit tritavum suum ignarus; puerum verò invitus; quem castigare volebat, non occidere; cuius ipsum utriusque facti pœnituit, ideò minus morte dignus, quàm Cain fuit. Deinde, ut gravitate pænæ tolleretur licentia occidendi homines.



NARRATIO VI.

CATACLYSMUS SEU DILUVIUM

Orbis terrarum. Genes. 6. 7. 8. 9.

Anno Mundi 1656. Ante Christum. 2397.



MAlus, ut dicitur, corvus, malum ovum. Ex sceleratissimo Caino impijssima soboles, Gigantes nati sunt, qui staturam superbiâ, deformitatem impuritate, ferociâ vires adæquantes, scelerum immanitate monstrosi, tam animorum portenta, quàm corporum, in nefas omne ruentes, nihil intentatum mali reliquêre. Ne funditus tot inter crimina, mortalium genus interiret, futurus Averruncus divini furoris, *Noë* justissimus nascitur. Qui deinceps virtutibus, ut annis, auctus, SCELERUM ULTOREM DEUM, verbo & opere reis intentavit. Nam novâ interminandi ratione, *Arcam* seu *Navim*, postquam diu verba



D fuerunt

fuerunt irrita, centum molitus est annis, certante hominum nequitia, cum longa DEI Vindicis patientia. Id, quoniam in Sacris paginis graphicè expressum est, paullò altiùs repetamus.

Noë ædificat Arcam, seu Navim. Centum, & ampliùs annos in prægrandi illa fabricanda navi laborabat *Noachus*, Gen. 6. structuram dictante DEO; vidente, & illudente passim hominum petulantiâ senem, tanquam delirum, & mente emotū. Quidquid ille moneret, hortaretur, minitaretur, ipsi deridiculo habentes, pluris dapsiles æstimabant mensas, hilares ludos, formosas feminas. Frustra minæ, frustra conciones. Estur, potatur, luditur; nuptiæ, convivia, choreæ, luxus & luxuria, *Caussæ diluvij.* & quidquid flagitiorum excogitari potest, insana omnium libidine patratur, donec læsa diu Numinis patientia in furorem vertitur.

Annus advenerat Orbi condito millesimus, sexcentesimus, quinquagesimus sextus, Noëmo vel Noacho sexcentesimus; Anni verò tempus amœnissimum, vernum, nam Majus erat. Virebant campi, florebant horti, nemora frondebant; avium cantibus personabat aër; radiô solis lætissimô cælum ridebat; in lascivia, & amoribus erant mortales: nihilque minùs, quàm interitum exspectabant. Cùm ecce DEUS, octavô priùs, quàm perniciē hanc inferret, die, de cataclysmo jam jam instante præmonitum Noëmum, jubet vasa colligere; relictáque cum suis terrâ, componere, comportaréque, quidquid esset utensilium & commeatûs, in Arcam; brutorum item cicurum, silvestriúmque, tum & volucrū, omne genus eundem in locum introducere; immundorum quidem animalium unum tantùm par; at mundorum, & avium, septena *Introductio animalium in Arcam.* ac septena, id est, tria paria, seu conjugia, & insuper unum masculum; nempe par unum propagationi; alterum sacrificio; tertium usui & esui servabatur. Septimus autem, id est, mas quartus, erat mox à diluvio in sacrificium offerendus. Jussus præterea componere fruges, annonam, pabulum; & omnia famis, sitísque, tam humanæ, quàm brutæ fomenta. Nec ille distulit, quod imperabatur, exequi. Labor apparebat futurus, si viribus ea humanis committerentur, in animalium brutorum introductione. Verùm illa, vel Numinis intùs impellente stimulô, vel Angelis *Ingressio in Arcam.* ea conducentibus, ex omnibus congregata pascuis, silvis, ac nidis confluxerunt: ac spectaculô quidē, quod vel solum sufficere debebat impijs permovendis, admirandô. Novissimum omniū intravit agmen, octo non nisi capitibus censum, Noachus, uxor, filij tres, *Semus, Japhetus, Chamus*, cū suis singuli conjugibus; quos DEUS propter Noëmum justitiâ præ cæteris omnibus, virtutéque conspicuum, ex tot millibus solos conservare statuerat. A tergo verò DEUS hæsit illi, qui post eius ingressum, clausum foris ostium, adversùs imbres, cum cura permunivit, Angelus scilicet divino

jussu

jussu januam Arcæ foris bitumine oblevit, ne quid aquæ penetraret, néve Noëmus spectaculo tam horribili turbaretur, & cohorreret.

Aderat tempus, quo eradicandum eluvionibus impium genus mortalium, quocirca in nubes aterrimas coire repentè cælum; elementa conturbari; venti, procellæque fremere; micare fulgura, ruere cœlô fulmina, simúlque temporis eodem articulô, sursum è terra prorumpere, quidquid illic venarum humentium, ac fontanarum scaturiginum, & aquarum, cæcis voraginibus collectarum latebat; apertis quoque, & proruptis, simul omnibus catarrhactis, flumina, gurgitésque ingenti cum fragore præcipitari. Cum cœlestibus ad delendam mortalitatem subterraneæ conspirârunt aquæ, adeò, ut nec modus esset, nec requies, decidentium ex alto cœli ruinarum, & vel erumpentium terrâ, vel mari vasto restagnantium eluvionum per continuos dies ac noctes quadraginta. *Diluvium.*

Cùm jam staret in edito montis vertice, suis cum inquilinis Arca, & undarum vi omnia obruerentur, horribile sanè spectaculum erat, hominum à recenti superbia, & insolentia ad magnam admirationem: ab admiratione ad ingentem sollicitudinem repentè conversorum, ut qui viderent, domuum suarum tecta penetrari, grandine perrumpi, procellis disijci: cellaria novis undique fontibus ebullire, rapidos torrentes prono concursu parietes domorum, quasi arietes in singula momenta quatere, faciléque deijcere: familiam, rémque domesticam oppressam pessum ire. Luctuosissimus aspectus seminudorum hominum, bacchantium ritu, huc illúcque discurrentium, & sua, deinde suos, postremò seipsos eripere festinantium, à circumfrementium aquarum, & magnis undique voluminibus occurrentium, præsentissima calamitate, atque pernicie: cùm & Arcæ jam clausa esset deforis janua, & illam è conspectu imanes circumquaque imbres, & tanta mentis perturbatio, vel potiùs amentia, miserabiliter sustulisset. Quæ ubique lacrimæ opem implorantium, quæ certamina tabulis se mutuò excludentium, qui clamores pereuntium, qui gemitus conclamatis in rebus, vel pacem à Superis, & veniam anteactæ vitæ postulantium; vel horrendis DEUM Ultorem diris execrantium? Ingens ubique fletus, clamor, ululatus, comploratio, inter continuos ventorum fragores, colluctantium nubium tonitrua; assilientium fluctuum imanes veluti dracones, nulla jam domo, nullo tecto, nulla arbore, monte nullo servare valente morti destinatos. *Miserabilis facies pereuntium.*

Interea Noachus cum suis, lacrimarum imbre perfusus, intimis sensibus, & summa animi contentione, pereuntibus *Multi in diluvio resipuerunt.*

 corpore

corpore, animi certè Salutem à DEO impetrare conabatur; è quibus multi, necessitate in virtutem versâ, vitæ jacturam in scelerum pœnam, & vindictam offenso Numini offerebant 1.Pet. 3. Centum & quinquaginta diebus elapsis, quibus aquæ terrarum orbem tenuerunt sepultum, DEUS immissô ventô calidô & vehementi, eam undarum eluviem in suas cavernas, antra, specus, foveas, abyssos, unde emerserant, redire coëgit; Arca verò Noæa in montibus Armeniæ salva constitit. Emissus ex ea corvus, explorator terrarum, non redijt; redijt verò columba, secundô exploratum missa, virentis olivæ frondem ore referens, cessantis exundationis argumentum. Noachus post annuam in Arca moram, cum suis egressus, exstructâ Arâ, DEO Conservatori, holocaustô pecorum, & avium mundarum sacrificavit; quo piamine placata Divina Majestas, in clementiæ, & eluvionis æternùm avertendæ, pignus, Iridem seu Arcum cœlestem in nubibus suspendit. Quibus rebus gestis Noachus dimisit animantia, unumquodque in viam suam; ipséque cum filijs agriculturæ operam dare cœpit, ne per otium succrescerent scelera, vindicibus undis extincta.

Arcus cœlestis.

DOCTRINA.

Fœdæ libidinis ignes undis obruti

HAnc Numinis iram, has in Orbem calamitates, invexit peccatum, præcipuè Libidinis fædæ; cujus flammæ quô aliô, quàm undis restinguerentur? Perijt aquis mortale genus, ne periret igne. Ultura, DEI contumelias, elementa conspirârunt; Sceleratum in hominem Aër & Tellus imbribus, fluctibúsque pugnaverunt; exhorruit ille spiritum impurum, quo contaminabatur; hanc puduit tot tantísque substerni flagitijs, & vel ad sepulcrum patere perditis. Spretâ tot annis (ampliùs sexcenti fluxerant) DEI conniventis Clementiâ, tandem insurrexit Justitia, & vindictæ tantò sæviori, quantò lentiori, pœnas exigendas comisit. Diluvium aquarum, eluvies turpissimarum cupiditatum provocavit, quam aversatus Oseas, *Non est veritas*, inquit, cap. 4. v. 1. 2. *& non est misericordia, & non est scientia DEI in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra.* In hæc intueantur, qui scelera sceleribus, ultionis securi accumulant. Veternum Augustinus illis excutiat; „Ne putes, ait, *in psalm. 134.* Dominum dormire. Quando tu „vides, quæ facta sunt in impios, cave ne fiant in te. Ad „hoc enim & contra illos facta sunt, ut tu transires, & eos „non imitare-

„ non imitaveris, & talia non patereris. Vide, quoniam fla-„ gellum Domini eſt ſuper omnem carnem. *Omnis* enim, ut Scriptura Divina loquitur, *caro corruperat viam ſuam.* In cunctis qui deliquerunt, in cunctis feriebantur; Aer, terra, aquæ, ex inſtrumentis nequitiæ, mutata ſunt in carnifices ſupplicij. *Pugnavit cum DEO Orbis terrarum contra inſenſatos. Armavit creaturam in ultionem inimicorum.* ſap. 3. & 5. Paulus Ad Hebr. c. 10. minatur: *Voluntariè enim peccantibus nobis, poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem quædam exſpectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Quod ſi tale diluvium fuit aquæ in terra, quale erit ignium in gehenna?

Quia verò cauſæ Diluvij pluribus explicantur cap. 9. Geneſis, eas breviter cum Pererio *lib. 8. in Gen.* perpendamus. Primum Diluvij principium, multiplicatio hominum & flagitiorum. Sacer hiſtoricus ait: *Cùmque cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram &c.* Geneſ. 6. Cum hominibus, multiplicatæ libidinum illecebræ fuêre. Iſaias dicit c. 9. *Multiplicâſti gentem, non „ multiplicâſti lætitiam.* Ambroſio teſte, *de Arca c. 9.* Paucitas & „ paupertas habent pediſſequas, induſtriam & frugalitatem: „ multitudo & opulentia ſocordiam ac nequitiam. *Cauſſæ morales diluvij.*

Pergit Sacer contextus: *& filias procreâſſent.* Quærit Benedictus Pererius, cur hoc? cùm antea quoque generatæ feminæ. Reſpondétque, priùs utique fuiſſe ductas uxores; ſed nunc præcipuè multiplicatas feminas, propter illorum hominum intemperantiam Veneris; & cibi, potúſque luxum; aliáque corporis ac animi vitia, quæ vires generandi debilitabant.

Sequitur: *Videntes filij DEI filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Ut prima peſtis ac pernicies; ita hic ipſe orbis interitus ab oculis ſumpſit exordium. Per *Filios DEI* intelliguntur Poſteri Sethi, per *filias hominum*, feminæ è vitioſa Caini ſtirpe oriundæ. Illi, poſtquam per ſeptem ab Adamo generationes in avitæ pietatis ſtudijs perſeverâſſent, & Cainitarum ſocietate ac connubijs abſtinuiſſent, denique labem ex prava conſuetudine traxerunt, conſortia cum maledicta gente contra vetitum ineuntes. Theodoretus aſſerit, illectos Sethianos inſtrumentis etiam muſicis Cainitarum, Thubal enim inter eos florens, pſalterium & citharam invenerat, laſciviæ & luxûs irritamenta.

Dixítque DEUS: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, in æternum, quia caro eſt.* Id eſt, Ego ſceleratis auferam ſpiritum ſeu vitam, & contrahā ætatis humanæ ſpatia, id enim meruêre peccando, & in omne nefas, præſertim libidinis fædæ, ruendo. Chryſoſt. „ (*Hom 22. in Gen.*) Eò, quòd, inquit, carnalibus operibus ſe ipſos

,, totos dedunt, & animæ substantiâ abutuntur, & quasi sola ,, carne circumdati, carerent anima, sic vitam suam absumunt. Quia nimirum vivunt sine mente, sine ratione, animam pro sale habentes.

Videns autem DEUS, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Ibid. Nempe, quod Psaltes regius canit. psal. 13. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens DEUM; omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum;* Videl. Noëmum. Christus apud Lucam c. 17. *Edebant & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usq; in diē, quâ intravit Noë in arcā: & venit diluviū, & perdidit omnes.* Sed quid bibebant, cùm vinum ante diluviū non extiterit? Erat sicera, aliíq; factitij potus inebriantes.

Quomodo Deum pæniteat.

Pænituit eum, (DEUM) quòd fecisset hominem in terra. Ibid. Nullus ,, homo, inquit Rupertus Tuitiensis, satis explicare sufficit, quo- ,, modo DEUS sine motu sæviat, sine crudelitate occidat, salva ,, pietate ultionem agat, & cum tranquillitate habeat furorem. Ita DEUS dixit. 1. Reg. 15. *Pænitet me, quòd constituerim Saul Regem.* Humano nimirum ritu, modòque locutus est. Nec enim in DEUM cadere potest pœnitentiâ, quæ plerumq; culpam, & non rarò ignorantiam præcedentē consequitur. Quæ omnia procul à DEO. Hac igitur loquendi formulâ significavit DEUS Samueli, velle se regnum, quod indulserat Sauli, ab eo auferre. Ita hoc DEI Consilium de abolenda gente humana, dicitur pœnitentia ab effectu: quia id fecit DEUS, quod homines solent, quos facti aut consulti pœnitet. Hi enim consulta mutant, constructa solvunt, facta revocant, nova instituunt. ,, S. Ambros. (*de Arca Noë. cap. 4.*) Per hæc verba exprimitur pec- ,, catorum acerbitas: tanquā eò increverit culpa, ut etiā DEUS, ,, qui naturaliter nō movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, ,, provocatus videatur ad iracundiam. Pœnituit DEUM liberalitatis in hominem malè collocatæ. *Et tactus dolore cordis intrinsecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ, ab homine usq; ad animantia.* ,, Ibid. Non est dolor, inquit Hugo, nisi de amissione eius, quod ama- ,, tur. Unde, cùm amittimus rem, de qua non curamus, dicere so- ,, lemus: istud non tangit cor nostrum. Quantò igitur profundior ,, erat amor, tantò altiùs tangebat dolor. *Delebo hominem &c.* Chrys. ,, *Homil. 22. in Gen.* Magnam habet emphasin illud, QUEM CREAVI, ,, quasi diceret DEUS: Quæ mei erant officij, omnia exhibui. E ,, nihilo, ut esset, hominem produxi, naturæ eius scientiā eorum, ,, quæ facienda, aut nō facienda, indidi, liberum arbitrium dona- ,, vi, Ineffabili benignitate usus sum: & post longum illud tem- ,, pus, & post indignationē, & minas, quas dixi, & adhuc præfinivi

tempus

„ tempus centum viginti quinque annorum, volens, ut ſua peccata homine ſentiente, indignatio mea revocaretur. Verùm, „ quia nihil lucrifacio, neque proficio, cogit neceſſitas, ut minas opere compleam, & omnibus modis hominem deleam, & „ ſicut malum quoddam fermentum, aboleam totum genus humanum; ne poſterioribus ſæculis peccandi Auctores & Doctores fiant. Hæc ille. Neque verò ſoli homines, ſed brutæ quoque animantes, propter homines, extinctæ ſunt, in deteſtationem impietatis & malitiæ hominis.

Finis univerſæ carnis venit coram me. Ibid. DEUS ad pænitentiam agendam conceſſerat annos centum viginti; (nam, cùm Arcæ fabrica Noëmo imperaretur, quadringenteſimum, octogeſimum agebat annum; quanquam divinæ paginæ rotundiore numero, ut D. Auguſtinus aſſerit *lib. 15 de civit. c. 24.* quingentos Noacho aſſignent) quibus elapſis, effluxit quoq; clepſydra, quã DEUS ſtatuit peccatorum menſuræ. Hinc illud pronuntiatum: *FINIS VENIT UNIVERSÆ TERRÆ.* *Dei longanimitas.*

Quæres, an omnes quos diluvium hauſit, æternùm perierint? Reſpondetur ex 1. epiſt. S. Petri, cap. 3. Chriſtum ad Inferos deſcendentem, inveniſſe multos in limbo, qui tempore diluvij *increduli* fuerant, fidem non habentes Noëmo; poſtea tamen pœnitentes, mentem correxerint. *An omnes damnati, qui diluvio hauſti?*


Sequitur Mira laus, & comendatio Noë, paucis verbis plurima includens: *Hæ ſunt generationes Noë: Noë Vir juſtus atq; perfectus.* Tota Natalium claritas in eo conſiſtebat, quod erat Vir DEO probatus. I nunc, & genus ſine virtute jacta. Quanta res, inter tot malos fuiſſe bonũ! Ideò Eccl. 44. *In tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* *Laus Noë.*

Non eſt autem prætereunda ſtructura Noachéæ ratis, quæ plurimũ admirabilitatis habet, ſive Artificem conſideres, qui fuit DEUS, nam hic eam fabricã Noæ dictavit; ſive materiã & formam expendas. Materies erat è ligno cedrino, accuratiſſimè lœvigato & compacto; longitudo ſeſe extendebat ad cubitos 300. ſeu pedes 450. Latitudo complectebatur cubitos 50. ſeu pedes 75. Altitudo ſurgebat cubitis 30. ſeu pedibus 45. Forma quinas in partes erat diſtributa. *Prima* pars, ſeu infima, fuit ſentina, 4. cubitos, ſeu 6. pedes alta. Hîc ſaburra, & Arcæ libramentũ, ac fimetũ erat; nam eò per laxiores ligneos canales ſtercora, ſordéſque animantiũ potuerunt deijci. Pars *ſecunda*, & proximus priori locus fuit, contignatio prima, ſeu primũ cœnaculũ, 10. cubitis altũ, habitatio animaliũ, trecenta ferè ſtabula, prout DEUS juſſerat, ſeu *manſiunculas*, in ſe continens. Hîc omnia animalia, terreſtria, reptilia, & gradientia. Hę ſtabulationes aſſeribus diſtinctæ; & mediæ inter illas viæ diſpoſitæ. Pars Arcæ *tertia*, contignatio ſecunda, ſeu cænaculum *Arcæ Fabrica.*

ſecundum

ſecundum octo cubitis altum. Hîc penarium, & universi pabuli conditorium. Hîc ſtraminis & fæni plurimum. Hîc ſemina, hordeum, avena, frondes, legumina: hîc fructus omnigeni, molles & duri. Hîc complura dolia, dulcis aquæ plena, potioni, lotioni, destinata. In locis vacuis ruſtica & urbana ſupellex, poſt diluvium uſurpanda. Ex hoc loco, tubi, & foramina laxiora, in pecoris mandras derivata, ad fænum, ſtramen, pabulum ſubmittendum. Pars Arcæ *quarta*, ſeu tertia contignatio, ſive cænaculum tertium, octo cubitis altum, in tres claſſes diviſum, hominibus, & avibus aſſignatum. Claſſem mediam homines occupârunt; extremas duas volucres, tam feræ, quàm cicures habitârunt; media claſſis ſua habuit cubicula, virorum ſeparatim, ac mulierum. Hîc etiam culina, & focus; hîc truſatiles molæ, ac clibanus; hîc lignorum, ac carbonum, & rerum vitæ neceſſariarum receptaculum. Huc lumen obliquum, & ſuſpenſum per Arcæ feneſtram imittebatur. In alia habitacula accenſis cereis eundum. Multæ ſcalæ aſcenſui, & deſcenſui, foramina multa tam addeferendum commeatum, quàm ad ſordes efferendas. Pars Arcæ *quinta*, Tectum illius tam modicè declive, ut in medio non altius unô cubitô fuerit; & ideò factum, ut & ventis reſiſtere, & nimbos poſſet effundere. Oſtium habuit Arca unicum, idque ex latere. Credibile eſt, uno ac dimidio pede fuiſſe altius ſentinâ, ita collocatum, ut catenîs attrahi, ac dimitti, ſicut pons verſatilis potuerit, per quem omnia animalia aſcenderint. Putatur hoc oſtium quindecim pedes longum, ſeptem aut octo latum fuiſſe; foris claudendum, intus inſtar feneſtræ aperiendum.

Pererius *lib. 10. in Gen.* myſticè exponit Arcam, de Eccleſia. Arca enim fabricata erat è lignis firmiſſimis: Eccleſia ex omnibus gentibus, in æternum victuris. Arca centum annis ædificata: Eccleſia ab exordio mundi ædificari cæpta, porrò ædificabitur uſque ad finem mundi, *ad conſummationem Sanctorum.* Epheſ. 4. Arca in fluctibus natabat: Eccleſia inter perſecutiones fluctuat, non mergitur. Arca omnis generis animalia recipiebat: Eccleſia è Gentibus, Judæis; itémque ex bonis, & malis eſt collecta. Ut extra Arcam nulla fuit ſalus, ſic neque extra Eccleſiam &c.




NARRATIO VII.

NARRATIO VII.

MALEDICTIO CHAMI,

Et Chanaanis filij. Gen. 9.

AnnoMundi 1657. Noëmi 615. ante Christum 2382.



BI redijt sua facies elementis, & novus nitor affulsit siderum, Noëmus cum suis ad culturam terræ (neque enim sponte victum sufficiebat) se convertit, aratra invenit, equos, & boves jugo junxit, terram vomere proscidit, cùm antea hominum solùm manibus, & ligonibus foderetur. Inde adjecit curam ad vineam conserendam; vites quippe adhuc sparsim plantatæ, uvas tantùm ad esum ministrabant. Noachus primus vitem excoluit, in vineta distribuit; primus ex uvis vinum expressit, suæ, suorúmque, vel hilaritati, vel infirmitati consulturus. Factum est, ut bonus senex, cui vis tum inexperta vini, liquore novo liberaliùs se prolueret; è potu secuta est ebrietas; ex hac somnus, è somno nuditas inhonesta, dum sopitus, & impos sui, præ æstu caloris infusi disijcit vestimenta, quibus pudor velabatur. Vidit id *Chanaan*, *Chami* filius, admodum puer, malæ stirpis malus fructus; hic proeo, quod suadebat verecundia, & in avum pietas ac reverentia, ut vel oculos averteret, vel clauderet, & quod natura abscondit, ipse quoque tegeret, injectô vel recompositô velamine, ausus est procaci risu nuditati senis illudere, ad patrem recurrere, &, quid viderit, renuntiare. Quid pater? an petulantiam improbi sannionis aut verbis, aut verberibus repressit? an erubuit, ut erubescere faceret filium? an ullam honestatis curam suscepit? suscepit autem? nihilo melior eô, quem genuit, audivit, probavítque os inverecundum, & ut parentis dedecus pluribus deridendum propinaret, fratres, *Semum* & *Japhetum* advocat, ad spectaculum invitat, naturæ abhorrendum. At illi memores reverentiæ paternæ, suô juxta patrísq; pudore suffusi, mox humeris imponût pallium, illúdque,

Plantatio vineæ.

Ebrietas Noëmi.

illúdque, retrorsum incedentes, inijciunt nudato corpori, pudicitiæ pariter & pietatis laude, uno in officio, conjunctâ. Insigne tulit virtus præmium. Posteaquam Noëmus, ebrietate cum sopore discussâ, advertit, tectum se pallio non suo, sed alieno, caussáque intellectâ, meritas in Chamum filium, & Chanaanem nepotem, devotiones, non tam imprecandi, quàm futuras calamitates posteris ipsorum eventuras, prædicendi gratiâ, protulit. Neque aliter, quàm præsagijt, evénit. *Semum* namque *Japhetúmq;* (quem Gentiles *Jápetum* appellant) fausta parentis precatio in progeniē cunctam est comitata, tam frugum, quàm sapientiæ, pietatis, religionis, divinæq; gratiæ copiâ, DEO eam prosequente. Chananæi verò, *Chami*, & *Chanaanis* posteri, impietatis avitæ hæredes & imitatores, servituti non modò corporum, sed animorum quoque, in omne scelus projectorum, addicti stirpitus exscindi, à DEO jussi, documento fuerunt Orbi, quàm infelices sint, quorum patrimonium est vitiositas parentum.

DOCTRINA.

Vini damna

Vinum quid possit, in primo Vinitore proditum est. Rationem evertit, sed innocenti, quia inexperto; pudorem sopiti prophanavit, non prævidenti. Quid melius hoc succo, sobriè haustô? quid deterius im̄odicè ingestô? Siracidis dictum est. Eccli. c. 31. *Exultatio animæ, & cordis, vinum moderatè potatum; amaritudo animæ, vinum multum potatum.* Et Regum sapientissimus monet. Proverb. 23. *ne intuearis vinum, quando flavescit: cùm splenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit, ut coluber; & sicut regulus venena diffundet.* In symbolis fingitur, Noëmum miscuisse vino & viti, sanguinem quatuor animalium, putà simiæ, leonis, porci, agni; quippe ex temulentia gesticulantur alij, ut simiæ; pugnaces alij sunt, ut leones; alij fœdi, veluti porci; mites alij & pij, instar agnorum. Anacharsis Philosophus dixit, tres in vite racemos nasci, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium insaniæ, furoris, violentiæ. Noëmus certè, qui siccus emerserat de Oceano, in cratere naufragium fecit.

Pœna improborum filiorum.

Et tu Chame, ac Chanaan, *ne glorieris in contumelia patris tui; non est tibi gloria, eius confusio* Eccli. c. 3. Impactum genitoris anathema ad maledictam posteritatem in omne ævum extendistis. *Filiorum namque peccatorum, perit hæreditas, & cum sanguine illorum assiduitas opprobrij.* Eccli. 41. Et quod subditur: *Et si nati fueritis, in maledictione nascemini, & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra:* E Proverbijs quoq; sacris habet, quod metuat *Oculus, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ; effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ* Prov. 30.

Gravis

Gravis illa maledictio in Chanaanem intorta Gen. 9. *Maledictus Chana, servus servorum erit fratribus suis.* Quemadmodum peccatô Adami, mors in mundum invecta est: ita peccatô Chami, & Chanaanis, servitus in genus humanum introducta, quæ libero homini nimis quàm acerba & odiosa, & ante hac in sacris paginis non audita. Senserunt hoc Chananæi, Chanaanis posteri, jussu DEI non tantùm servituti subjecti, sed etiam ferro flam̃âque ab Hebræis deleti.

Maledictio improborũ filiorum.

E contrario: *Benedictus Dominus DEUS Sem.* ex quo Hebraica gens oriunda, populus DEO dilectus. *Dilatet DEUS Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.* Ibid. S. Hieron. *in Traditionibus Hebraicis in hunc* „ *locum*: De Sem, *inquit*, Hebræi: de Japhet populus Gentium „ nascitur; quia igitur lata est multitudo credentium, à latitu„ dine, quæ Japhet dicitur, nomen invenit. Quod autem sub„ ditur: *Et habitet in tabernaculis Sem:* de nobis (Christianis) pro„ phetatur, qui in eruditione & scientia scripturarum, in veri „ DEI fide & cultu, ejecto Israële, versamur.

Benedictio proborum filiorum.

Cæterùm, sicut maledictio Cham præfiguravit mala ventura ingratis, & impijs filijs: ita benedictio Sem, & Japhet, amplissimam gratorum, & piorum filiorum, mercedem significavit. In libri Ecclesiastici cap. 3. novem bona commemorantur promissa bonis filijs. *Primum* est, abundantia divitiarum, tam corporalium, quàm spiritualium: *Sicut*, inquit, *qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam. Secundum*, fortunatum & felicem fore in filijs, quos procreaverit. *Qui honorat patrem, jucundabitur in filijs. Tertium*, quocunque tempore supplicaverit DEO, exaudietur ab eo, votorum suorum compos factus. *In die orationis suæ exaudietur. Quartum*, longitudo vitæ. *Qui honorat patrem, vita vivet longiore. Quintum*, stabilitas familiæ ac posteritatis. *Benedictio patris firmat domos filiorum. Sextum*, gloria. *Ex honore patris gloria filij. Septimum*, liberatio hominis in adversis. *Eleemosyna patris non erit in oblivione, & in die tribulationis memor erit tui. Octavum*, peccatorum condonatio. *Sicut in sereno glacies, ita solventur peccata tua. Nonum*, & quasi bonorum omnium cumulus, perpetua DEI erga bonos filios benevolentia, beneficentia, protectio. *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à DEO: & benedictio illius in novissimo maneat.*



NARRATIO VIII.

CONFUSIO TURRIS BABYLONICAE

Gen. 11.

Anno Mundi 1909. ante Christum 2144.



Ntequam spargeretur in diversa, mortalium genus; civitatem, quæ potentiæ argumentum esset, ad Euphratis ripas, in amplissima planitie posuerunt. Quale opus! quod ab omnibus inceptū hominibus, quod annis viginti duobus nondum absolutum, quod imperfectum, regni sedes fuit, cujus ex fundamentis, primum Orbis miraculum, surrexit, Babylo. Et in ea Turrim erexerunt, quæ cœlo, si Superis placet, par esset. Disjecta tandem est superba illa ædificantium vanitas, linguis divisorum, & manibus. Non grassatus est DEUS fulmine, non ignibus pœnam inflixit; sed acerbissimum superbis supplicium, contemptum; idioma unum, in septuaginta duo divisum, animorum quoque discordiam invexit, & machinatores longè, latéque dissipavit. Rei seriem paullò pluribus exprimemus.

Jam Cainus Abelis fraterno sanguine, per homicidium fuso, pœnas dederat, jam dudum Cainitis immixti per connubia Sethiani (Sethi, religione inclyti, nepotes) Filiorum DEI nomen intemperanti mulieriositate fœdaverant; & irritatus mortalium unanimi scelere, nequitiáque DEUS, inundatione terrarū prodigiosâ delêrat, quidquid vivere priùs jusserat. Jam siccato rursus Orbe, Noachi tres filij, totidémque nurus ex *Ararato* monte, cuius vertici tandem institerat Arca, descendentes, Armeniæ superioris vicina quæque loca repleverant, ingenti posteritate; Jam denique *Noachus* filio *Semo* Asiam, ultra Euphratem, ad Indicum usque Oceanum, dederat; *Japheto* Asiam reliquam cis Euphratem, cum Europa ad Gades usque; *Chamo* Syriam cum Arabia, & Africa tota concèsserat; cùm *Nemrodus*, alio nomine Belus, Chami, paternæ nuditatis illusoris, non degener nepos, robore proceritatéq; corporis præcellens; adhæc præfidus, tumidus,

Ædificatio turris Babylonicæ.

tumidus, ferox, divinorum neglector, nec inferior oris facundiâ, mortalibus per clientes, & amicos suos persuasit, ut, antequam in varias terras dividerentur, turrim exstruerent, cuius apex nubes penetraret: Servituram eam altitudinem cùm gloriæ & memoriæ Conditorum; tum futurum munimentum, adversùs aquarum eluviones, si quando terras iteratò inundarent. Cuncti non aures magis, quàm manus præbuêre promptas. Nec mora, calentibus omniũ studijs, inchoatur opus: urbísq; dimensis spatijs ac pomærijs, & egestô limô, collectóque certatim bitumine, compinguntur & excoquuntur diu noctúque lapides. Murorum, propugnaculorum, turrium, ac domorũ firma demittuntur fundamenta; præcipuéq; Turris illius, ac veriùs Arcis, quod in urbis parabant meditullio machinari. Sunt, qui structorum quingenta millia tantæ moli tribuerint. Et si Herodoto, Græco Scriptori, credimus, murorum ex lateritia materia crassitudo unius fuit stadij, sive partis octavæ milliaris Italici, quorum quatuor constituunt unum Germanicum; fundamentorum verò latitudo prorsus incredibilis. Cùm enim octo superessent, etiam Herodoti tempestate, turres in una Turri: sic aliæ alijs fuerunt superimpositæ, ut operis sublimitas, quanquam inconsumata, Divi Hieronymi testimoniô, ad quatuor saltem passuum millia, hoc est, milliare Germanicum, ascenderit. Templum in infima turrium, quadriformi stetit figurâ, cujus circuitus duûm stadiorum; ut non imeritò à quodam Gigantum turris, ac turrium gigas appellata sit.

Procedebat incrementis suis illa moles, & annis in vicennium jam, & ampliùs; inde Nemrodo dictante fabricæ formam, ac leges; hinc verò præceptis obtemperante cœtu hominum, unâ linguâ utentium, quâ generis humani primi propagatores imbuerunt posteros suos, quæ deinceps in *Hebin* retenta, Hebraicæ nomen ac dignitatem sola conservavit. Donec proritatus DEUS, & arrogantiâ mortalium, & coloniarum in diversa loca tarditate, turbavit uno momento multorum annorum negotium, conturbatis structorum verbis; septuaginta duobus, pro numero totidem principum familiarum, distinctissimis idiomatibus, intra temporis unicum articulum, enatis. Itaque frendere præ ceteris Nemrodus, ferus & impotens animi vir, nec imperium curari suum, nec capi voces ac jussa; discedere, si quos vocaret; venire, si quos facessere juberet: cessare laborantes, laborare, quibus ipse cessationem indixisset; pro látere lignum, pro ligno glebam, pro gleba ligonem, pro bitumine caseum, aut lactis sinum; pro bipenni vel malleo panem, vel fructibus refertam corbulam apportari; denique cuncta fieri, *Confusio linguarum.*

præterquam ea, quæ facienda tunc instarent; cæteri quoque nec obsequium, insanis quantumvis acclamationibus, extundebant mutuũ,nec familiare responsum; donec vertente in commiserationis affectum indignatione, non jam contumaciam, sed pœnam esse senserunt, ultione Numinis immissam. Ita factum, ut desperatione successûs,alius aliò per manipulos, ac centurias dilaberentur,remanentibus ad extremum solis illis, qui se Nemrodianos usu cõmunis linguæ profitebantur. Tanti refert ad firmã studiorum concordiam retinendam, ne sermone quidẽ dissonare.

Ex illo temporis ac rerum puncto, diversissimas in terras, insulásque, mortales dilapsi sunt, & Urbs, pendentibus cæptis, & urbis arx, monstrosa Turris, ab eo tempore nomen *Babelis* sortitæ sunt; quæ vox Confusionem Hebræa significatione præ se fert; ex eo,qui linguas disturbavit,permiscuítque, successũ. Greci deinde, Romaníque Babylona nominârunt. Nemrodus verò, convalescente magis ac magis per propaginem populo, clientelísque, quà voluntate sponteque subjectorum, quà viribus & armis, regnum instituit, quem filius excepit *Ninus*, qui genitorem vitâ functum, per exsecrabilem superstitionem, in ipso Turris Babylonicæ templo consecravit, & in impio simulacro DEUM esse jussit, principiô tunc Idololatriæ stabilitô. Usque adeò mali Principum mores facilè transfunduntur in populum. Et Salomonis proverbio fertur c. 29. *Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios.*

DOCTRINA.

O Insaniam mortalium! cælum ipsum petunt stultitiâ! Saxis & cæmentis conantur sidera scandere. Nimirum hi Machinatores sunt, quos

Affectâsse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altáque congestos struxisse ad sidera montes. *Ovid. Metamorph. lib. 1.*

Divina Scriptura vocat Structores illos *Adæ* seu terræ filios, scilicet *ex adama* (terrâ rubrâ) ortos, ínque terram redituros cum operibus suis; quorum stolidam præsidentiam non fulmine, sed flatu diversi soni, DEUS prostravit. Sic erat deprimendus fastus. Ab Ostentatrice Lingua, vanissimum ædificium cœpit. A Lingua peccatum; à Lingua peccati supplicium fluxit.

Vanitas ædificiorum. *Celebremus*, aiunt, *nomen nostrum* Genes: 11. & æternitati consecremus, insanas supra nubes substructiones educendo. O vanitatem! ô ludibrium machinationum humanarum! Expertus id, regum magnificentissimus, de se profatur. *Cúmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores,*

labores, in quibus frustra sudaveram; vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Ecclæ. 2. Ubi nunc est illud superbiæ monumentum, turris Babylonica? Ubi famosa Mundi miracula: Pensiles Semiramidis horti: Ephesinum Dianæ templum: fastigiatæ Pyramidum Ægyptiarum moles: Herculis in mari Gaditano columnæ? ubi Rhodius solis colossus? ubi Cyri regia: Mausóli sepulchrum? ubi aureum Neronis palatium, Diocletiani thermæ, Antonini balnea, Caligulæ pontes, Pompeij amphitheatra? Mortalia mortalium erant opera. Fuisse credimus; ut umbra perierunt. Veræ magnificentiæ est, magnis sumptibus divini gloriam Numinis amplificare.

NARRATIO IX.
ABRAHAMI MIGRATIO

E Chaldæa in Chananitidem. Uxoris Saræ in Ægypto periculum. Victoria de Chodorlahomóre Elamitarum regulo. Occursus & Gratulatio Sacerdotis Melchisedechi.
Gen. 12. 13. 14.

Ab anno M. 2108. ante Ch. 1945. ad ann. M. 2117. ante Christum. 1936.



NNO M. 2039. ante Ch. 2014. in URE Chaldæorum urbe natus est *Abrahamus* ex *Thare* parente, centesimum & trigesimum ætatis annum agente; cùm priùs *Aranem*, & *Nácborem* suscepisset, gentiliũ erroribus involutus. Septuaginta annorum erat Abrahamus, quando imperiô divinô ex patria migrare jussus, relictâ *Chaldæâ*, profectioem in *Chananæam* (quam regionem Chananæi, flagitiosa *Chami* posteritas, incolebant) instituit cum parente, uxore *Sara*, & *Loto*, ex Fratre Arane, nepote. Ad urbẽ *Charanem* seu *Haranem* (in finibus Mesopotamiæ, quatenus etiã Chaldæam complectitur, positã) ubi perventũ est, ibi quinqueñio, DEO sic jubente, substitit. Id loci Thare genitor, jam antè ad veri cultũm Numinis traductus, vivere desijt, cùm annum ætatis quintum supra

Abrahami profectio ex Chaldæa in Chananitidem.

supra ducentesimum attigisset. Abrahamus justis parenti persolutis, suo cum comitatu, Chananitidem ingressus, aliquanto tempore *Sichimis*, in Samariæ metropoli, consedit. Inde progressus, defertur in Convallem *Save*, quæ ob eius fertilem amœnitatem, *Illustris* est dicta. Hic erecto altari, prosecutus iter, tabernaculum tetendit inter urbes *Bethelem* & *Haiam*, quarum illa Orientem, hæc Occidentem respicit. Hic quoque exædificatâ arâ, Deóque in vota vocatô, cùm famis necessitate urgeretur, in Ægyptum descendit; miris interea favoribus, & promissis cœlestibus confirmatus. Imperabat tum Ægyptijs *Pharao*, qui captus pulchritudine Saræ, eam sibi uxorem (nam Abrahamus malebat eius se fratrem, quàm maritum dicere) depóscit. Adducitur in regiam, & ultimum pudicitiæ discrimen mulier; quo tamen dedecore utrumque conjugem DEUS liberavit; Pharaonis namque corpori immissi graves cruciatus, omnem ei amorum & voluptatum cupiditatem ademerunt. Dimittitur igitur suâ cum Sarâ, & amplis muneribus Abrahamus, non sine amica regis querela, ob dissimulationem conjugij. Reversus in Chananitidem, iterum sedem juxta urbem *Bethelem* posuit. Eo in loco, cùm Abrahamus, & Lotus conductis Chananæorum pascuis uterentur, ortâ inter utriusque Pastores contentione; Lotus, optione ei factâ, ad regionem, *Jordani* propiorem, recessit, & *Sodomis* habitavit; Abrahamus verò domicilium fixit in valle *Mambrea* (nam *Mambre* erat dominus loci) non procul urbe *Hebrone*; ubi iterum in prœmium fidei, & obsequij præstiti pollicitus ei DEUS est numerosissimam sobolem, terrámque Chananæam universam, longè uberrimâ. Accidit autem, ut ab Elamitis (sunt ij postea dicti Persæ) duce seu regulo *Chodorlahombre*, victoriâ de Pentapolitanis reportatâ, Lotus cum alijs in captivitatem abstraheretur. Hac, quomodo per Abrahamum liberatus sit, jam expediemus.

Sara periculum pudicitiæ adit.

Abrahamus & Lotus separantur.

Jam diu Pentapolitarum (de quibus inferius plura) flagitia, cœleste Numen, ad expetendas de nocentibus pœnas, irritabant. Quare visa est armis prius, quàm excidiô, hominum perditissimorum castiganda malitia: ut sicut illi gradibus quibusdam scelerum venissent ad extremum scelus; sic DEUS Vindex à correptione molliore, pedetentim accederet ad irrevocabilem ruinam. *Pentapolitæ* (sic dicti à quinq; civitatibus Palæstinis, in valle amœnissima, quam Jordanes irrigabat, sitis) dominatum *Chodorlahombris*, quô annum jam duodecimum premebantur, excutere, negatóque tributô, sese veterem in libertatem vindicare studebant. Chodorláhomor, Persarum regulus seu præfectus, contumaces ad officium reducturus, ingenti cum exercitu seseValli (Hebræis à planitie *Siddim* appellatur) infundit. Ibi collectô

tumultuariò, femineóque milite, quinq; civitatum reguli (*Bara* Sodomorum: *Bersa* Gomorrhæ: *Sennaábus* Adamæ: *Semeber* Seboimæ: *Baleg* seu Ségoris tyrannus) stultâ sui fiduciâ, quàm armis & consiliò instructiores, castra fecerunt. Magnum victoriæ monumentum collocabatur in puteorum multitudine, quâ Siddæa Vallis scatebat; hos stramentis, virgultísque leviter contectos hosti, tanquam certissimam perniciem passim objiciebant. Sed eos exspectatio sua, sicut omnia cætera, fefellit. Asſyrij quippe, deprehensis insidijs, in auctorum suorum capita dolum omnem refuderunt. Cùm enim acie collatâ Pentapolitani, vix ad exiguam temporis moram, vim hostium irruentem sustinuissent, & armis turpissimè projectis, incolumitatem in pedibus constituerent, evénit, ut eorum pars maxima ferrô Persico, strageque funestâ succumberent: pars superstes, inter ipsam fugientium compressionem, ac mentis inopiam, bituminis se voraginibus induerent. Reliquiæ verò tantæ calamitatis, cum rege Sodomorum, in montium aviorum latibula sese receperunt, sedibus suis Persæ victori in direptionem relictis. Accessit in prædæ cumulum, quidquid ætate, robore, formáque victoribus visum est idoneum, quod captivum abduceretur; eorum in numero etiam Lotus cum uxore & filiabus fuit.

Chodorlabomor in Pentapolitas movet.

Pentapolitarum clades.

Ea Sodomorum clade nunciatâ, Lotíque nepotis sui captivitate comotus Abrahamus (patruelis enim erat) è familia sua, quam habebat amplam, robustissimum quemque, sub signa raptim compositos, armat. Trecenti & octo vernæ stabant, ad omne patrisfamilias imperium accincti. Quibus adjunxit illè sive precariam, sive volonum manum haud contemnendam, ex trium fratrum servitijs, clientelísque collectam. Habitabat enim eo tempore Abrahamus (id quod indicavimus) in Convalle, quæ sub ditione erat *Mambra* cuiusdam, *Amorrhæi* quidem, sed viri pij, Deíque notitiam adepti, cujus fratres erant *Escol* & *Aner*; qui propinquis & ipsi locis, cum singulis familijs agebant.

Abrahami expeditio in Assyrios.

Cum his igitur, non tam suô fretus, quàm divinô robore, ductor Abrahamus, Persas ac sociales eorum turmas (nam Chodorláhomor tres minorum gentium reges, seu Dynastas, in belli societatem ascivit, *Amraphélum* Babylonis; *Ariòchum* Ellasaris aut Cœlesyriæ; *Thádalem* promiscuarum in Phænicia nationum Præfectos) assequitur, & improvisus adoritur; partímque cæsos, partim trepidatione mutua sese præpedientes, ingenti strage fundit. Reliquias beneficiò noctis elapsas persequitur, fugientium tergis inhærens. Nec abstitit priùs, quàm, quidquid fugâ, latebrísque cædem pridianam evaserat, occidione deleret; prædámque simul, & captivos omnes extorqueret. Videlicet non Abra-

non Abrahami, sed DEI fuerat, in illa tam clara victoria, vis atque manus.

Melchisedechus Sacerdos Abrahamo Victoriã gratulatur.

Abrahamo cum suis omnibus lætis & incolumibus redeunti occurrit *Melchisedechus*; qui Chananæa quidem progenitus origine, cœlestium tamen geniorum ministerijs, imbutus fuit veri DEI scientiâ, cultúque. *Salemum* (quod posterioribus temporibus *Hierosolyma* dictum) urbē ea tempestate tenuerat, ad annum ætatis, centesimum usque, tertiúmq; decimum: regia juxta, pontificalíque majestate: quódque laudum auctarium fuit, animo, corporéque per vitam omnem impollutô. Hic Abrahamo benè precatus, *& Excelso DEO* victoriam illius gratulatus est; non cruentis victimis, sed *pane, vinóq;* primùm imolatis, ut Eucharistiæ Christianæ mysterium ac Sacrificium adumbraret. Typus ipse Christi Servatoris, Regis, Sumi Sacerdotis, ac Virginis: quem in monte *Sion* Pater æternus, & Regem postea constituit, & *secundùm ordinem Melchisedechi* Sacerdotem sempiternum.

Distributio prædæ.

Cæterùm, ut Pontifex Abrahami copijs victum distribuit; ita vicissim hic Pontifici spoliorum omnium decimam quamque partem assignavit. *Bara* Sodomorum rex, de divinis ac religione nihil sollicitus, & ab Abrahamo victore, cives modò clientésq; suos repetere contentus: eum cætera sibi jubebat omnia, belli jure retinere. Sed Abrahamus viros ei, mulieréśque restituit captivas omnes; spolia quoque, quæ Pentapolitarum fuisse, constare posset. Ipsô quippe expeditionis suæ principiô, levârat dextram in cœlum, voverátque, si potiri victoriâ contigisset, se ex præda Pentapolitanis abactâ, ne calceamenti quidem corrigiam contacturum. Æquū tamen esse dicebat, socijs uti suis, auxiliaribus trium fratrum copijs, de præda Persicâ, stipendiorū ac belli jure merces persolveretur, cùm illi præsertim ea, manu forti barbaris erepta, sua cuncta fecissent. Sic Abrahamus, non minùs justus in præda dividenda, quàm strenuus in obtinenda fuit.

DOCTRINA.

Abrahami virtus per emigrationē è patria probatur.

Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi. Gen: 12. Sic DEUS exercet suos, sic protegit, sic coronat. Causa migrationis è patria fuit, ut *deserentes ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum DEUM cœli colerent.* Judith c. 5. In Græco ibidem additur: *Et ejecerunt eos Chaldæi à facie Deorum suorū, & fugerunt in Mesopotamiam.* Magnus cæli favor, odio esse impijs; & ob probitatem persecutiones pati. Altera causa fuit, Jussio divina, nam per eam emigrationē, & insignis Abrahami virtus, & DEI magnificentia erat ostendenda. Fidem & obedientiam Abrahami (& quidem

quidem cæcam) celebrat Paulus , Heb. 11. *Qui* (Abrahamus) *exijt*, *nesciens quò iret*. Et quantum in se fuit , patrem, Patriam, cognatos , & omnia deseruit ; nisi illi sponte comites profectionis esse voluissent, paratus abire solus. Et exijt sine ulla spe mercedis. Non enim DEUS, cùm primùm eum vocavit, ait, *veni in terram* , quam dabo tibi , *sed quam monstravero tibi*. loc. cit. & Actor. 7. Deinde cùm vaga & incerta peregrinatio soleat officere liberorum procreationi ; in præmium tamen obedientiæ, DEUS ei pollicetur posteritatem adeò copiosam, ut stellis cœli , & arenis maris compararetur. Adjungit opes , dignitates , corporis incolumitatem , vitæ diuturnitatem. *Faciámq; te in gentem magnam , & benedicam tibi , & magnificabo nomen tuum , erísq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi.* Inimicis autem tuis , & tuorum , hostis ero, eósque supplicijs afficiam : *Maledicam maledicentibus tibi.* Denique, quod omnium maximum est : *In te benedicentur universæ nationes terræ.* Videlicet ex progenie tua nascetur JESUS CHRISTUS , per quem omnis benedictio, & salus in mortalium genus effunditur. Ephes. 13. Apparet insuper in hac peregrinatione singularis Abrahami pietas ; qui quócunque terrarum delatus est, studuit aras erigere, & Veri Numinis cultum propagare.

Meritum & præmium obedientiæ.

Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis, ut bene sit mihi propter te. Gen. 12. Quid est hoc ? An mentiendo voluit Abrahamus vitam suam tueri ? An sunt idem *Soror* & *Conjunx* ? Deinde, nónne hoc fuit Saram exponere pręsentissimo pudicitię periculo? Nā si innupta fuit Sara, cur non liceret Pharaoni, eam sibi despondere uxorem ? Respondetur, Abrahamum nec mendacem fuisse, nec conjugalis pudicitiæ proditorem. Nam, quòd eam appellârit *Sororem*, ambiguo fecit sensu ; Ægyptijs eam vocem de germana sorore intelligentibus , Abrahamô verò de nepte ; quæ soror quoque nominatur ab Hebræis. Fuit enim Sara filia *Aranis*, qui frater erat Abrahami ; Avus verò Saræ erat *Thare*. Et avi Hebræis, aliísque gentibus nonnullis dicebantur *Patres*. Rectè ergo Gen. 20. dixit idem Abrahamus : *Filia* (Sara) *patris mei* (Tharæ) *est* , *& non filia matris meæ.* Habuit enim Thare duas uxores , è quarum una natus est Abrahamus ; ex altera, Aran. Jam verò, quòd vitæ conservandæ caussâ videatur voluisse uxorem in discrimen adulterij conijcere , minimè suspicandum est de Viro tantæ sanctimoniæ ; Potiùs credendum, eum per instinctum arcanū divinitus cognovisse , DEO fore curę uxoris continentiam. Deinde meritò confidisse Saræ castitati , cujus pudicitiam , & animi constantiam perspectam habebat.

Quomodo Sara erat conjunx & Soror Abrahami.

Facta est rixa inter pastores gregum Abram & Loth, Gen. 13. Quare ? *erat quippe substantia eorum multa , nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul.* loc. cit. Ubi opes, ibi rixæ. Si pacem colunt Domini, turbant Servi. Verè Salomon Prov. 17. *Melior est bucella sicca cum gaudio , quàm domus*

Rixa inter pastores Abrahami & Loti componitur.

domus plena victimis cum jurgio. Illustre concordis exemplum animi dedit Abrahamus, de quo S. Historicus cap. cit. *Dixit ergo Abram* (postea à DEO dictus est *Abraham*, & *Circumcisionem* instituere jussus) *ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me, & te: & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est: recede à me, obsecro: Si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextram elegeris, ego ad sinistrā pergam.* O mentem excelsam, & pacis, quàm cōmodorū amantiorem! Salomon lib. cit. c. 15. *Vir iracundus suscitat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.* Optimè Romanus Sapiens, *lib. 2. de Ira. c. 34.* Cum „ pare, inquit, contendere anceps est, cum inferiore sordidū, cum „ superiore furiosum. Quid mitius, & ad concordiam servandam efficacius? *Fratres enim sumus.* Omnibus hoc ingerendum, quicunque Christiana professione censentur: *Fratres sumus*; ab eodem patre creati, ad eandem hereditatem destinati, eodem sanguine redempti. Huc servit, quod in Vitis Patrum memoratur de duobus Anachoretis, eodē gurgustio inclusis, eodem animo & sensu præditis; nam nihil illis erat concordius, nihil conjunctius. Fortè sermo inter eos inciderat de hominum jurgijs & litigijs; igitur experturi, quid esset contendere, ponunt in medio laterem; cúmque alter diceret: *Hic meus est.* Debebat alter refellere contradicendo: *At meus est.* ut inde lis existeret inter aientem & negantem. Verùm aliter evénit. nam altero, lapidem suum esse, asserente; subjunxit alter: *Si tuus est*, tolle eum. Adeò ne umbratilis quidem contentionis experimentum capere potuêre, memores illius Paulini. 2. Tim. 2. *Servum autem Domini non oportet litigare.*

Concordia.

Vecordia Pentapolitanorum.


Sed quænam illa Pentapolitarum vecordia? Quid enim in oculis *Bare* Sodomæi fieri potuit, vel à Melchisedecho sanctius, vel ab Abrahamo religiosius, humanius, munificentius? Doceri Pentapolitani (siquid sanæ mentis in eis fuisset) potuerant à *Melchisedechi* moribus, DEI veri cultum, ac Venerearum cupiditatum temperantiam; doceri, visis *Patriarchæ* tot virtutibus, fortitudinem, æquitatem, sacrorum reverentiam, avaritiæ fugam, ac liberalitatem; doceri denique *Loti* quoque civis sui, quotidianis à pravitate dehortamentis, vitæ purioris studia debuerant. Verùm illi (quod pessimis quibusque solenne est) receptis, quæ bello perdiderant, abiérunt; non ingrati modò DEO Liberatori, sed inemendati: porcorum ritu, devorare glandes satis habentes; parùm autem solliciti, caput & oculos allevare, contemplaríque, quonam decussore beneficia tanta suscepissent.

NARRATIO X.

NARRATIO X.

HOSPITALITAS ABRAHAMI. LIBERATIO LOTI cum suis, ex incendio Sodomæo. Gen. 18.

Anno Mundi 2138. ante Christum 2915.



Edebat pro more suo, sub meridiem, ad ostium tabernaculi Abrahamus, in Convalle Mambræa, captans occasionem excipiendi cujuspiam hospitis, illac fortè transituri; (credebat enim opibus se gravari, nisi beneficijs eas exoneraret) cùm juvenes tres conspicit, viâ publicâ contra se gradientes; (cælestes erant genij, peregrinorum habitu) nec mora; seniles impellit pedes, festinat in occursum, invitat perofficiosè ad divertendum; offert sedilia fatigatis, aquam pedibus lavandis, cibum recreandis viribus. Quid multa? capti senis humanitate peregrini, divertunt. Discumbitur; inferuntur epulæ; prandentibus inservit invitator alacritate haud minore, quàm si gratiam acciperet, non conferret. Remotîs mensîs accersitur Sara, non minùs, atque maritus, in officijs charitatis sedula. Injicitur ab hospitum uno, mentio, eam non multò pòst matrem futuram, adhuc enim improles erat. Illa stans à tergo convivarum, excipit dictũ cum occulto risu, quippe spei tam lætæ sterili senecta obnuntiante. Hospes ut ostenderet, aliquid sibi supra hominem inesse, arguit inficiationem furtivæ risionis; editúmque vaticinium iteratò confirmat; non sine tacito gaudio in piorum conjugum pectoribus gliscente. Ubi discubitu surrectum est, actis DEO & Convivatori gratijs, intendunt iter peregrini *Sodomam* versùs. Comitatur aliquò usque officij caussâ Abrahamus. Inter eundũ intelligit decretũ Numinis adversùs Sodomæos supplicium; quare de Loto nepote, Sodomæ habitante, sollicitus; paritérque miseratione erga cæteros incolas comotus, deprecatur initiò incolumitatẽ pro nocentibus, si fortè quinquaginta innocentes in tanto flagitiosorum numero reperirentur; cúmque tã multi non essent; eò denique obsecrando delabitur, ut diceret Angelus, quocũ loquebatur: si vel decem insontes, ætatis adultæ, in amplissima Sodomorum civitate invenirentur, propter eos omni sceleratæ Sodomæ divinam Clementiam parsurã esse. Sed cùm nec deni possent reperiri, fœdis cupiditatibus intaminati, ventum est ad pœnas, à nefandis expetendas.

Hospitiò tres Angeli suscipiuntur ab Abrahamo.

Abrahamus pro Sodomæis deprecatur.

 Inter

Inter hæc cœlestium spirituum unus in astra, unde advenerat, revolavit; Abrahamus quoque suum repetijt tabernaculum; cæteri duo genij Sodomam versus prosequuntur iter. Quò postquā advenerunt; statim à Loto, non secus ac Abrahamus fecerat, humanissimè domum suam non invitantur modò, sed pertrahuntur etiam; nam in publico pernoctare constituerant. Apponitur cæna divertentibus, cœteráq; juris hospitalis officia prolixè præstantur. Cœnatos jam Angelos (si tamen cænârunt) Sodomorum cives, concursu facto, tanquam homines & juvenes, à Loto postulant produci, per corporis contumeliam illudendos. Recusantem, & alias conditiones offerentem, vi facta propemodùm cogunt ac plurimùm affligunt, additis ad verborum convitia minis. Lotum retrahunt Angeli in ædes: Sodomorum cives repentina cæcitate multatos reprimunt: Lotúmque hortantur, ut ex urbe sese cum suorum charissimis quamprimùm proripiat. Eum generi duo exsibilant, & ad colligenda vasa tardiorem efficiunt: ac fortassis etiā super urbis interitu subdubitantem. Instant Angeli, Lotúmq; cum conjuge, & filiabus geminis, cunctantem ac restitantē, extra mœnia educunt, serióque vetant ullô locô vel subsistere, vel retrospicere. Ille tam festinationis præceptô, quàm impendentis ruinæ metu consternatus, *Sigorem* sibi urbeculam deposcit ad latebras & securitatem, cæteroquin eodem exitiô involvendam. Impetrat, quod petit; id enim hospitalitatis erat & pietatis prœmiū. Digrediuntur ex urbe, mox ruentibus è cœlo flam̄is arsurâ. Exportant, quidquid auri, argenti, vestium, commeatûs in sarcinis efferri posset. Nihil autē preciosius, quā DEI FAVOREM secū ferebant.

Lotbi hospitalitas in Angelos.

Angeli Lotbum cum uxore & filiabus ex urbe Sodoma educunt.

DOCTRINA.

„ Disce, *inquit* Ambrosius *lib. 1. de Abrah.* c. 5. quàm impiger „ esse debeas, ut possis prævenire hospitem, ne quis præve- „ niat, & te boni muneris defraudet copiâ. Abrahā pro ho- „ spitalitatis mercede fructum posteritatis recepit. Loth quoque „ nepos eius, non solùm genere, sed virtute proximus, propter „ hospitalitatis effectum (nam personatos Angelos tectô rece- „ pit) sodomitana à se, suísq; supplicia detorsit. Chrysostomus ubi factum hoc Abrahami exquisitè expendit, laudavítque, sub- „ jungit *hom. 21. in Gen.* Et quia magna alacritate venationem pro- „ secutus est, prædam quoque inter retia conclusit. Inde seni ex- „ citatus est juvenilis vigor, neque secus exultavit, quàm si the- „ saurum invenisset. Familiam Abrahami laudans Origenes. „ *Homil. super Gen. c. 18.* Senex; *inquit* currit, Sara accelerat, puer fe- „ stinat, nullus piger invenitur in domo.


Laus Hospitalitatis.

Illustre profectò Abrahami virtus prœmium tulit. Nam primò, Messiæ ex ipsius progenie nasciturì præsagiū accepit. 2. De causa

causa futuræ in impios animadversionis edoctus, didicit suos in DEI timore, & pietatis officio continere. 3. Impendentis certior factus calamitatis, imitandô nobis exemplô, pro improbis deprecatus est. 4. Documentum fuit, quanti DEUS & ipse faciat bonos, & cupiat apud alios esse in pretio; Quorum in gratiam, etsi pauculorum, paratus sit ad indulgentiā impertiendam maximæ sceleratorum multitudini. *Melior*, inquit Siracides Eccle-„ siasti. c. 16. *est unus timens DEUM, quàm mille impij.* Et Ambros. Unde „ discimus, quantus murus sit patriæ vir justus, quemadmodum „ non debeamus invidere viris Sanctis, nec temerè derogare. „ Illorum enim fides nos servat, illorum justitia ab excidio defen-„ dit; Sodoma quoque, si habuisset decem justos, potuit non perire. Et notandum, quòd tres hospites, tanquam unum allocutus, dixerit: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Nempe ut canit Ecclesia, *TRES vidit, & unum adoravit.* Ut intelligas, Abrahamum SS. Triadis mysterium edoctum fuisse. *Premium hospitalitatis.*

Clamor Sodomorum (inquit præcipuus Angelorum, DEI maximè personam gerens) *& Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Lentè nimirum „ & prudenter procedendum ad pœnam & vindictam. Veritatem, „ *inquit* Seneca *lib. 2. de Ira.* dies aperit, potéstque pœna dilata „ exigi: exacta revocari non potest. Sæpe enim sinistro rumo-„ ri malignitas dat exitium, credulitas incrementum. Si DEUS, Philo ait, dicitur ad videndum descendere, qui omnia, priusquam fiant, providet manifestissimè; quantò minùs homo de absentibus, & futuris, & incertis potest conjecturam facere! Visus enim certus potiùs, quàm fallax auditus, est adhibendus testis. Et S. Greg. *lib. 19. Moral. cap. 23.* exponens illa verba Jobi: *Et causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam* c. 29. sic ait: *Lentè procedendum ad pœnam.*

„ DEUS, cùm omnia illi nuda & aperta sint, mala
„ Sodomorum punivit non audita,
„ sed visa.



NARRATIO XI.

NARRATIO XI.

SODOMAE, ET SOCIARUM URBIUM

Deflagratio. Gen: 19.

Anno Mundi 2138. ante Christum 2915.

Flagitia Sodomorum & Gomorrhaeorum.



Allis erat Palæstina (quod indicavimus) juxta Jordanem fluvium, omnium amœnitatum patria. Civitates in ea quinque, quibus nomen commune *Pentapolis*, Videl. *Sodoma*, *Gomorrha*, *Sebois*, *Adama*, *Segor*. Incolæ, præsertim Gomorrhæi, Sodomæique mortalium omnium flagitiosissimi. Summa pravitatis hæc erat: Immodicus animorum ex præsenti felicitate tumor, aliorum, præcipuè alienigenarũ aspernator: tum ex copia rerum, ingluvies, & comessationes assiduæ, quódq; consectaneũ erat, sordium animi cunctarum fœcunda nutrix, otium, & ex otio omnium portenta libidinum; usque adeò, ut nec Loti, viri omni virtute cultissimi, Civis sui, quotidianis dehortamentis & exemplis ad vitæ purioris se studia adduci finerent; & enormia illorũ peccata cœlum non jam tantùm incessere clamoribus, sed obtundere dici possent, ínque suî pœnam importunâ violentiâ pertrahere.

Incendium Pentapolitarum.

Jam Lotus, trésque fugæ comites mœnibus, & omni Sodomorum solô relictis, in campi libertate constiterant, & in oppidulum quoddam, *Balam* nomine concesserant, quam Hebræi *Sigorem* vocant, quæ vox pusillam sonat. Paulatim interea solis adventabat ortus, (nam & tempus nôsse juvat) ac funestæ super Pentapolitas tragædiæ supremus Actus. Sub crepusculum itaque matutinum, Numinis irascentis imperiô, vapores excitari, fuliginea cœlum omne facie fuscari. Cùm ecce, Sodomâ pleraque vel in lectis stertente, vel infandæ Veneri indulgente, sub temporis momentum unum, flare venti, furere turbines ac procellæ, quassari terra; Jordanes in fluctus ac fremitus assurgere; cœlo fulgura micare; tonitruis horrendis aër omnis imugire; tenebris plusquam nocturnis universa repentè vallis inhorrescere; simul tenebræ frangi, discindíque fulminum

jactu:

jactu: cuncta ferientibus, incendentibúsque cœli flam̃is. Quo tanti mali terrore perculsi Pentapolitæ, rapientes alij de stratis corpora, nudi, semitectíque discurrunt. Quòd si qui (sanè paucissimi) jam ad opera fortè diurna surrexissent, in urbibus ac pagis tecta repetebant. Qui verò foris in campis, aut agris erant, jumenta, gregésque secum ad tutiora reducere properabant. Sed interclusit utrisque viam omnem, nova, nec antehac mortalibus comperta calamitas. Dictu citiùs, unà turbines, tonitrua, fulmina, tumultus aëris, terræque tremor, ac disruptis è nubibus, in nimbos igneos Cœlum omne resolvi; torrentis & ecnephiæ more, terrificè rubens flam̃a, sulphure, nitro, pice, bulliente sale, flagrantíque bitumine mixta effundi. Strepit ignium insano stridore cadens supra tecta, turres, palatia, viarúmque strata pluvium incendium: natántque non undis & eluvionibus, sed gehenna quadam stagnante Siddæa vallis, omnes ubique campi, prata, colles, agri, nemora, viridaria; pagi cuncti, quatuor ingentes urbes, Sodoma, Gomorrha, Sebois, Adam̃a, suis cum suburbijs. Fluitant in ignis im̃ani lacu volucres, pecora, greges ovium, armenta jumentorum, hominúmque sexus, & ætas omnis: & quidquid antè paullò Siddæam vallẽ libidinibus ambusserat, com̃unibus nunc flam̃is exuritur.

Lothi Liberatio.

Lotus inter hæc, percom̃odùm *Balam* oppidulum, quod fugæ suæ metam ac diverticulum, ab Angelis pactus fuerat, intrare cum comitibus incipiebat. Jámque suburbium tenebant: jam audiri post tergum horrida tempestas, ac Sodomorum incendium tragicum, insanæque brutorum ac incolarum voces, & lugubris in cœlum clamor, ac flammarum, tectorúmque ruentium funestus fragor occæperant. Quæ res Lotum, ac suos tantò magis, ut properarent, incendit: partim quia, nisi *Ségoris* in umbilico, securitas illa promissa non fuerat; partim, quod respectandi, consistendíque curiosa mora, præceptô fuerat Angelicô discedentibus interdicta. Nec immemores illius imperij Lotus, ac filiæ, cursim petebant, quam sibi destinaverant, *Ségorem*. Quanquam eâ recepti, ne illic quidem fixêre stationem; sed in montana latibula pernici sese cursu subduxerunt, veriti, ne *Ségorem* quoque, sicut scelerum, sic & paris exitij societas cum urbibus cæteris inflam̃atis, tandem involveret.

Uxor Lothi in statuam salis convertitur.

At non æquè vel memor mandati, vel obsequens uxor Loti, tantos ad fragores terræ pariter ac cœli ruentis, sollicitata femineô cognoscendi studiô, retrospexit: & ut erat reflexa cervice, momentô temporis in columnam *Salis* versa, fatuæ curiositatis perpetuũ stetit, ac sapiens momimentum. Dictu mirum, sed verissimum, ac plurimorum insuper oculis usurpatum, eôdem semper vestigiô, quo se cir-

 cumegit

cumegit aſpectu, defixum mulieris ſimulacrum, cum brachijs, humeris, capite, totóque reliqui corporis trunco, defluentíſque talorum tenus veſtis habitu, poſt viginti & plurium ſeculorum circumvolutionem perſtitiſſe. Biſſel. *in Dec. 1. Ruin. Illuſt.* teſtibus confirmat.

DEI vindicta in ipſam etiam regionem.

DEUS, cujus mundiſſimus oculus, ſceleris etiam reliquias perſequens, ipſúmque, quô peccatum erat, locum, regionem quondam ſimillimam paradiſo, & vallem, quæ *Illuſtris* appellabatur, in *Tenebroſam* convertit: cujus nihil, quod videre velis, videre queas. Lacus *Aſphaltites* (à bitumine ſic dictus) fumoſa nunquam non fuligine ebulliens, nomen *Maris Mortui* obtinuit, quòd nihil in eo vivum reperiatur. Terra horrido ſqualore ſterilis luget, æſtuante nebularum, ac fumorum intolerabili, ac peſtilente mephiti, intermortuô vernantium, & gignentium omni fœtu. Poma, ſolâ coloris futilitate, per orbem celebrata, manu vel dente compreſſa, in favillam, vel pulverulentam nebulam reſolvuntur, ut cum veſtigio flammæ hæreat etiam memoria pœnæ, & quæ pœnam meruit, culpæ.

DOCTRINA.

Flamma libidinis, flāmis plectuntur.

HOc habet Libido, vitiorum omnium fœdiſſimum. His pluvijs extinguendus erat Cupidinis æſtus. Summus ardor igni; maximus fætor ineſt ſulphuri. Ita ſupplicium reſpondebat peccato. Quod olim contigit, in futuro ſentient, qui, quorum pœnas intuentur, flagitia non perhorreſcunt. In laſciviam ignis, & ſulphur Avernale graſſabitur. O ignis infernalis, inquit D. Hieronymus, luxuria, cujus materia, gula; cujus flamma, ſuperbia; cujus ſcintilla, prava colloquia, cujus fumus, infamia; cujus cinis, immunditia; cujus finis, gehenna. Et Bern. *Super Cant.* Luxurię currus quadrigâ volvitur vitiorum: ingluvie videlicet ventris; libidine coitûs; mollitie veſtium; otij, ſoporíſque reſolutione; trahitur equis duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantiâ, & qui his præſident, duo, ignaviæ torpor, & infida ſecuritas.

Leves quādoque culpæ ſeverè puniuntur à Deo

Femina quoque in ſtatuam verſa, documento eſt, minimarum etiam, & in ſpeciem vilium culparum, qualis oculorum eſſe curioſitas cenſetur, aut mandati mediocris ruptũ obſequium, ſeveris quandoque pœnis plecti. Muti ſalis acrimonia condimento ſit levitati & inconſtantiæ femineæ. Hic ſexus illicitur vetando, augente voluptatem periculo. Chriſtus hoc exemplo docet Luc. 17. divinis inſiſtere juſſibus, nec à bonis deſiſtere

cœptis,

cœptis, respiciendo. Et si crimen fuit, ignes illos Sulpureos à longè spectâsse; quid demum erit, ijs intus flagrare?

Neque minùs Lothus triste posteritati exemplum extitit; dum Sodomæis ignibus subtractus, in alias flammas per temulentiam incidit, dum impos sui, ac penitùs ignarus, ex altera filiarum *Moabum*, ex altera creat *Ammonem*: duarum gentium profanarum patres, atque principes, suis etiam in posteris, ob infaustum ortum, infelices.

NARRATIO XII.

ABRAHAMUS

ISMAELEM EX ANCILLA AGARE GIGNIT; ISAACUM EX SARA; Agarem cum filio ex ædibus eliminat; Isaacum imolat.

Genes 16. 21. 22.

Annis M. 2124. 2139. 2163. ante Ch. 1929. 1914. 1890.



Ntequam referamus admirandum Abrahami Sacrificium; operæ videtur pretium enarrare, quæ de *Agare* & eius filio *Ismaële*, déq; nativitate *Isaaci* divinæ produnt litteræ. Abrahamus igitur suscepit ex *Agare* ancilla (polygamis enim tum esse licebat; & *Sara* ultro id consilij marito dederat, ut famulam in thalamum, longo tempore sterilem, superinduceret) *Ismaëlem*. Cæterùm Agar ferens uterum, nescijt suam intra fortunam se continere; corpore tumuit, animóque. Hinc insolentior fieri in dominã, nulla-dum prole fœcundam; nam ea tempestate, ut summum erat probrum sterilitas; ità decus maximum, fœcunditas. Indignè tulit insultationem ancillæ domina; potestate igitur à marito accepta, non priùs Agarem exagitare destitit, quàm ipsa profugeret ultro in solitudinem. Siti fatigatam & itinere, revocat DEUS per Angelum. Regreditur eò, unde fugerat, parit filium, nomen ei *Ismaëlis* (hoc est *Exauditio DEI*) imponit. Matrem quippe mœroribus afflictam, pérque devia, non sine multis ad cœlũ suspirijs errantem, exaudivit DEUS, pollicitus innumerabilẽ posteritatem ex eius progenie subnasci turam; inde namque *Agareni* (nempe ab Agare vocati) vulgò *Saraceni*, (nam posteri à Sara malebant se appellare) sunt exorti. *Agar parit filium. Inde Saraceni.*

Decimum quintum jam annum, thori maritalis consortem toleravit Sara, utique haud paullò modestiorem à reditu, quippe ad id instructam ab Angelo; cùm DEUS Saræ, quanquam annis provectæ, matris imperititurus honores, fœcunditatem contulit. Genuit filium ætatis anno nonagesimo; cùm Abrahamus ageret centesimum. Nomen puero ab inexspectata lætitia inditum; *Isaacus* enim *Risum* significat. Aliquantò pòst tempore oblata est Saræ occasio, Agaris & Ismaëlis domô exigendi. Ismaël namque majores, quàm pro filio ancillæ, spiritus conceperat, séque pro herede & primogenito gerens, cœpit Isaacum, tum quinquennem, despicatui habere, eiúsque imbecilli ætati illudere. Id sibi non ferendum existimans Sara, accedit maritum, postulat, ut ancillam cum filio eliminet domô. Duriùs id accipienti Abrahamo, DEUS autor accessit postulationis uxoriæ. Abrahamus igitur, cui nihil erat antiquius, quàm voluntati divinæ obtemperare, dimittit abs se Agarem ac Ismaëlem, tum quidem pane tantùm & aquâ instructos; curam tamen, ut par erat, eorum haud quaquam deponit; sed mox à discessu, necessaria subministrat in solitudine (cui *Bersabea* nomen) degentibus. Cæterùm in locis solitarijs oberrantibus, vires aliquando & penus defecerunt, præsertim aqua. Adolescentem (viginti annorum erat) vehementia sitis tanta accendebat, ut languidum corpus non ampliùs sustentare valens, subter arborem abijceret; excussit suprema necessitas tam matri lacrimas, quàm filio. Numinis opem uterque flens implorat; nec incassùm. Nam & Angelus è cœlo submissus, puteum siticulosis ostendit, & sui matrem officij commonefecit. Eo in loco diutiùs sunt commorati, hinc Abrahamo eorum curam gerente; inde Ismaële sagittis venationem exercente, vitámque agrestem ac ferocem ducente. Hunc in modum liberata Sara domesticâ molestiâ, tantò Isaacum educabat diligentiore curâ, quantò majores in eo spes repositas, ex oraculis divinis sciebat. Sed, ô mira DEI consilia! Afflictione non simplici defunctis, haud paullò difficilius virtutis experimentum subeundum fuit tunc, cùm Isaacum, lumen oculorum, columen domûs, solatium & præsidium senectutis, spem posteritatis, in ipso ætatis flore (quintum & vigesimum agebat annum) victimam sibi depoposcit DEUS. Rei gestæ pathos exactiùs paullò prosequemur.

Isaacus nascitur.

Agar cum Ismaële ejicitur ex ædibus Abrahami.

Fortè nocturnæ se quieti commiserat Abrahamus; cùm vox è cœlo ad aures allabitur, quâ jubetur *tollere* filium, quem è Sara grandæva susceperat, *unicum*, corculum, gaudium, delicium parentum: cúmque manibus suis jugulatum, DEO hostiam

DEUS Abrahamo mandat filium immolare.

ſtiam immolare, in eo monte, qui deſignandus eſſet à Numinis interprete Genio. Novum imperium, & antehac inauditum, meritóque paterna viſcera concuſſurum. Erat hoc, non filij modò, ſed parentis quoque jugulum petere. Quid hîc Abrahamus? num vel voci cœleſti; vel ſuis ipſe fidem auribus non adhibet? num de cruento mandato dubitat, diſputátue? Nihil minùs. Naturam priùs exuit, quàm obſequium. Satis fuit, imperâſſe; parat manum operi, pedes itineri. Non dubitavit credere, quando filius promittebatur; haud trepidavit offerre, cùm exigebatur. Qualis religio credentis, tale fuit obſequium obtemperantis. Nihil cunctatur in negotio tam luctuoſo; ſumô conſurgit manè, accingit ſe profectioni, nulla rei mentione uxori factâ, ne lamentis moram inijceret feſtinanti voluntati: parat neceſſaria Sacrificio; comitem ire jubet Iſaacum, adjungit duos è ſervulis, quíque baiulus ſit lignorum & foculi, aſellum. *Abrahami obedientia.*

Triduô aberat mons, quem cœlum monſtraverat; nomen monti *Moria*, plures in colles diſtincto; quorum qui Orientem reſpexit, *Sion* appellabatur; qui Occaſum, *Golgotha*, poſtea *Calvaria* dictus; qui Septentrionem, *Acra*. Ex Moria quia longè latéque proſpectus patebat, ei *Terra viſionis* nuncupatio eſt facta. Ad eius montis radicem, quò bidui itinere ventum eſt, juſſi ſervi cum jumento ſubſiſtere; lignorum faſcis in Iſaaci humeros transfertur; parens foculum ferens, & gladium, cum filio viam in montis uſque jugum pergit. *Mons Moria.*

Quis jam explicet, quibus tum affectibus paternum pectus miſceretur, dum intuetur innocentis vultum filij, nihil triſte ſuſpicantis, & mox genitoris manu morituri? Quot patris hîc taciti gemitus, quot anhelitus, quàm graves? qui mutui aſpectus? quid ultima filij in montis aſcenſu interrogatio: *Pater mi, ubi eſt victima holocauſti?* quo demum colore vultûs, quo ſenſu animi, ſuum illud pronuntiavit pater: *DEUS tam ſibi providebit, fili mi.* Quid porrò in ſuperando jugo, per unius ſpatium diei ſecū volvere potuit afflictiſſimus pater? Ergo ſacrificiô filium ſibi dari præcipit DEUS, in cujus funere parentū mœſtiſſima orbitas; cum quo ſpes promiſſorum decollat nepotum. Ubi propagatio, numerô cum ſtellis certatura? hic precum mearum fructus? hæc pij generis immenſitas? Jam illi jungenda uxor, jam dulces ſuſcipiendi liberi; & jubetur interfici? an parricida ut eſſem, factus ſum parens? pro tædis nuptialibus funeſtum accendam rogum? an *Riſus* hic meus, quem cœleſtes Genij Mambræâ ſub quercu prædixêre? hoc meum eſt gaudium? Quid ad hæc Sara conjunx? quibus oculis aſpiciet redeuntem *Affectus inter Patrem & filium.*

à jugulatione filij? illa pueri indoles, illa morum suavitas, illa corporis & animi integritas crudeli ferro subijcietur? Mox conjectis in filium oculis, ô mea lux, (tacitis suspirijs loquebatur) mea vita, quis dabit, ut moriar pro te? Túne membratim concidendus es in holocaustum? tu cremandus in pyra, & redigendus in cinerem, sine reliquijs, quas inferam tumulo? Rursus seipso fortior; quid enim? DEO jubenti non parebo? Illi? datam qui fidem, promissúmque non potest fallere. Absit hoc, absit. Mille mihi sint filij, mille mactabo Numini; repetit, quod suum est. Cur, quem dedit, non reddam exigenti, cùm auferre possit nolenti? Atque hos inter fluctus ita sibi constitit viri virtus, ut in spem contra spem pugnans, ne gemitu quidem altiore, aut lacrimis tristitiam cordis exoneraret. Hactenus catastasis; nunc videamus Catastrophen.

Instante Sacrificio, pathos utrinsque.

In montis ubi vertice constitêre, ara manibus utriusque construitur opere tumultuario, componuntur desuper ligna; nihil restat, quàm ut cædatur victima. Ibi tum pater (ô acerbum temporis articulum!) cæleste mandatum exponens filio, Adest, ait, hora, Isaace fili, spes unica parentis ac timor; cœli munus, mox muneris futurus pretium: adest, inquam, tempus, quô fias patris, imò Numinis æterni, sic imperantis, hostia. Quem te mihi fœneratus est puerum, nunc reposcit adolescentem; hoc in Rogô cremandus es cœlo victima; divinis gere morem promptum obsequijs. Quid hîc Isaacus? quid aliud, quàm quòd paratissimus in jussa Numinis, sine querela, sine reluctatione, roboratus animi fortitudine incredibili, deponit vestimentum, ascendit in rogum, procumbit in genua, manus offert ad vincula, corpus ad cædem, patri valedicit illacrimans, animam commendat DEO, gladio nudat jugulum. O fortem mentem! ô animam religiosam, & humanis affectibus superiorem! O novum spectaculum, ac verè Deô dignum! Uter flebilior, uter fortior? Sacerdos, an victima? Non percussoris, non percutiendi variat color: non membra timore vibrantur, dum vibratur ictus; non demissi, non torvi sunt oculi: neuter rogat, neuter formidat: nec se excusat, aut turbatur. Ille exerit gladium, iste præbet cervicem ad feriendum, jugulum ad fodiendum; cedit affectus pietati, pietas religioni; medius stupet gladius, nullô impedimentô suspensus. Poterat Isaacus jam mortis horrore exanimatus, oculis caligine circumfusis concidere. Cùm ecce vox de cœlo intonat, quæ inhibet filij cædem: prædicátque, sat magnum esse captum de Patriarcha, fidei ac obedientiæ experimentum.

Abrahamus

Abrahamus mutaturus hostiam, non mentem, dum de succedanea victima circumspicit, post tergum videt arietem, Angelicô utique ministeriô adductum; quem vepribus implexum corripit, offértque holocaustum pro filio, tantò majore utriusque lætitiâ, quantò propiùs abfuit uterque à cæde ferenda, & inferenda. Sic Isaacus iterum natus; Abrahamus iterum parens; Actor uterque corollam tulit, spectante cœlo, plaudente DEO; qui veræ cædis progymnasma meditatus in cæde ficta, eodem in monte Tragœdiam exhibebit, Filium immolando.

Aries pro Isaaco hostia immolatur.

DOCTRINA.

Ecce ancilla tua, in manu tua est, utere eâ, ut lubet. Gen. 16. Verissimè Sapientissimus regum: *Responsio mollis frangit iram.* Proverb. 15. Sara propior expostulanti, quàm conquerenti de injuria, per ancillam sibi illatâ, verbis acrioribus adorta maritum fuerat. Sed is calori femineo cedens, cùm potuisset excandescentem paribus verbis repellere; maluit frigidam affundere, eísque liberaliter potestatem permittere, Agaris compescendæ. Exemplum conjugibus imitandum. Nam unde ripexæ, contentiones, jurgia domestica? nisi quia non auditur Apostolus monitor, cap. 6. Gal. *Alter alterius onera portate.* & Coloss. 3. *Supportantes invicem, & donantes* (condonantes, remittentes offensas) *vobismetipsis, siquis adversùs aliquem habet querelam.* Cùm maritus est in fermento; molliùs agat uxor: cùm hæc effervescit, & ebullit spumosiùs, ille meminerit veteris dicti: *parce minori.* Ita fiet, ut, tametsi offensiunculæ quandoque intercurrant, procul tamen absint dissidia, & litigia.

Abrahami mansuetudo erga uxorē.

Alterum eius rei specimen dedit Abrahamus, quando Sara concitatior adversùs Agarem: *Ejice*, ajebat, *ancillam hanc, & filium eius.* Gen. 16. Quid ad hæc Abrahamus? Sacra Historia refert: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Recogitabat enim promissiones, cœlitus de Ismaële factas. Et sanè humanitati, naturæque repugnare videbatur, filium ex se genitum cum matre exturbare domô; præsertim cùm non deessent modi, insolentiam & ferociam adolescentis coërcendi. Non tamen vir mitissimus objurgavit uxòrem, aut nimiæ eam severitatis arguit; sed tacuit, altiùs secum rem perpendens. Meruit ea patientia, clariùs ut edoceretur à DEO, de uxoris voluntate amplectenda; cui se libens, voléns que Abrahamus attemperavit. Nimirum jam tum id agebat DEUS, ut amandatâ Agare & Ismaële, in pace & concordia domestica, & sub optima parentum disciplina Isaacus educaretur.

Et poterat

Et poterat sanè Ismaëlis consuetudo familiaris teneriori ætati affricare maculam, etiam adultiori hæsuram.

Uter fortior Abrahäus, an Isaacus.

Extenditq; manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum. Gen. 22. Præstantissimum hoc parentis juxtà, filiíque facinus ex merito Divorum Patrum eloquentiam excitavit. Certatur inter eos, utrius fortitudo plus laudis habeat, & admirationis. Pro filio facit, quòd fortius sit, necem pro DEO subire, quàm inferre. *Deinde*, Abrahamum dolor tantùm animi cruciabat; Isaacus ad animi, corporísque cruciatus, ac mortem ipsam sese promptum exhibuit. *Tertiò*, prævisa tela minùs feriunt; Abrahamus per triduum itineris potuit componere mentem ad ministerium tragicum; Isaacus ante ipsam aram in hostiam est postulatus. *Quartò*, mors acerbior juvenibus accidit, quàm senibus; Isaacus cũ jugulo spes omnes vitæ & fortunæ præcidendas obtulit.

Rationes pro filio.

Rationes pro Parente.

Pro parente pugnant. 1. Quia filium ardentiùs, quàm vitam suam diligebat. 2. quia triduana facinoris atrocissimi meditatione cruciatus est; Isaacus verò, simul imperium mortis accepit, simul fatalem ictum exspectavit. 3. quia divina, de subnascente sobole, promissa in omnes partes animum discerpebant. 4. quia funestius erat patri necare filium, quàm filio necari; hic enim momentò fatum erat suum absoluturus, ille in longos dolores provicturus.

Laus obedientiæ Abrahami.

Præstitæ virtutem obedientiæ acutissimus Origenes *hom. 8. in cap. 22. Gen.* mirè expendit per singula verba: *Tolle filium tuum*; & quidem, *unigenitum*; &, *quem diligis*; & *Isaac*; & *offeres eum in holo-*
„ *caustum, super unum montium.* Quonam hæc spectant, nisi ut dul-
„ cium appellationũ repetitione paterni suscitentur affectus, &
„ amoris evigilante memoria, crescant tentationum augmenta?
„ Ad longitudinem viæ adjungitur montis ascensio, ut in his o-
„ mnibus spatium certaminis accipiat affectus & Fides: amor
„ DEI & amor carnis: præsentium gratia, & exspectatio futuro-
„ rum. Magnitudinem victoriæ ostendit arduitas pugnæ.

Abraham de nocte (id est, summo manè) *consurgens, stravit asinũ suũ &c.* Prima, obsequij gratia, est *celeritas*; altera, *fortitudo* in exequendo, quod arduum; tertia, *simplicitas* in subjectione judicij. Plerumque obedientia, quò est oculatior, hòc est in casum pronior; In mandatis DEI, tota facti ratio, penes est jubentem. At benè est, agnovit DEUS immolantem; tam Sacerdoti pepercit, quàm victimæ; Nempe Obedientia si mactat, suscitat; si perdit, redimit; nec dat in pericula, nisi ut servet.

NARRATIO XIII.

NARRATIO XIII.

NVPTIAE ISAACI CUM REBECCA.

Genes. 24.

Anno Mundi. 2178. ante Christum 1875.

ISaaco quadraginta jam annos nato, Abrahamus genitor de uxore prospecturus, negotium dat *Eliezeri*, rei domesticæ procuratori, viro à fide & prudentia commendatissimo, ut abeat in Mesopotamiam, natalem familiæ suæ terram, sponsam inde adducat filio, de cognato sanguine; exactô in eam rem juramentô, de mandatis cum accuratione exequendis. Eliezer imperata gnaviter facturus, accingit se itineri, seligit è jumentis camelos denos, imponit se, comites, munera aurea, argentea, vestem pretiosam. Jam constiterat non procul urbe *Harane*, ubi domicilium habebat *Bathuel*, filius *Nácboris*, nepos Abrahami ex fratre. Vicinus erat urbi puteus, hominum, & pecudum opportunus usui; ad eum puteum Eliezer non parum sollicitus de negotio commissô benè gerendo, præsidium implorat Divini Numinis, cujus afflatu intelligat, quamnam cœlestis Providentia hero suo minori destinârit sponsam. Discit arcanô cœli responsô, consortem fausti futuram thalami, quæ haustum frigidæ petenti, non modò prompta offerret; sed paratam insuper se præberet ad jumentorum sitim exstinguendam. Hæc eo cogitante, ecce mœnibus egressâ, accelerat pedes *Rebecca*, filia Bathuelis, neptis avi Nachoris, propatrui Abrahami; onerabat scapulas hydria; quam ubi implêrat undâ, retro, unde venerat, flectebat gradum; erat puellæ rara venustas, quam rarior modestia decorabat. Relegenti viam ad urbem, obviam se fert Eliezer, ignotus ab ignota pauxillum rogat aquæ, lenimentum siti. Illa nihil cunctata, aqualem è capite in ulnas deponit, inclinátque sitienti; parùm id erat officiosæ humanitati, nisi puteanam iteratò haustam, camelis quoque propinaret, accedente ad benignitatem obsequij, singulari verborum gratiâ, & virginali verecundiâ, quæ oculos animúmq; Eliezeris ita rapuerunt, ut non *Eliezeris & Rebecca occursus.*

H

ut non dubitaret, divinitus sibi oblatam, cujus anquirendæ caussâ, octo dierum iter peregisset. Omnia probabantur in puella, mores, ætas, forma, genus; quippe quam ex colloquio deprehenderat, arcta cognatione cum Abrahamo connexam; quare jam certus, eam virginem, dòmino suo seniori nurum, juniori sponsam cælitus constitutam, dona profert in pignus & arrham matrimonij, inaures, & armillas aureas.

Delectata muneribus Rebecca, sed magìs spe felicis connubij, invitat hospitem paternas in ædes, omnibus instructas rebus, ad homines & jumenta curanda necessariis. Neque ignara, gratiam beneficij augeri celeritate officij, properè refert domum gressus, comunicatura cum domesticis gaudium, quod ex homine peregrino conceperat; Eliezere interim in laudes DEI, & gratiarum actiones eunte.

Conciliatio nuptiarum. Nuntiô de adventu hospitis acceptô, *Labánus*, natu major Rebeccæ frater (minor vocabatur Bathuel, cognominis parenti, jam defuncto) properat in occursum, verbísque humanissimis bene jubet venire Abrahami, propatrui sui, legatum. Quid multis? exponuntur causæ itineris, produntur signa ducendæ conjugis, consensus matrimonij à matre geminísque virginis fratribus exposcitur; nec difficulter obtinetur, cùm Rebeccæ, in cujus voluntate rei cardo vertebatur, modestum silentium quavis lingua facundiùs loqueretur; cui accedebat verborum suavitas, quibus paratam se demonstrabat ad profectionem suscipiendam cum Eliezere, exoptati conjugij pronubo atque interprete; nova hic promit munera, ad parentem, fratrésque sponsæ ornandos & demerendos. Nuptiarum nequid pompæ deesset, instruitur epulū geniale, nox inter mutuas hilaritates agitur; dies intercedunt aliquot, quibus antidóra, & quæ in longam viam necessaria, expediantur; post eos, nova nupta faustissimas inter apprecationes dimittitur cum ancillarum, quibus assueverat, comitatu.

Exceptio Sponsæ ab Isaaco. Exactô itineris octiduô, pedem ponunt in terra non modò Chananæa, sed in ipsa adeò provincia *Gérara*, ubi tum Abrahamus cum Isaaco degebat. Fortè hic inclinata jam die, prodeambulans in agrum, liberiorem captabat auram; animum cœlestium rerum contemplatione oblectans; cùm agnoscit camelos adversùm se adventantes: festinat in occursum; quem, ut amor est oculatus, conspicata Rebecca, ubi didicit ex Eliezere, virum esse, felicibus auspicijs sibi desponsum, mox verecundiæ causâ, injectô capiti theristrô, de jumento descendere, in desideratissimi conjugis amplexus, oscula, & cetera amantium officia properare. Inducitur sub hæc sponsa ab Isaaco in tabernaculum, quod mater nuper

(triennium

(triennium effluxerat) ætatis anno 127. è vivis evocata, inhabitârat; ibíque inter suavissima salutantium & gratulantium studia, suo cum gynæceo excipitur, Abrahami non minùs, quàm filij luctum, è Saræ funere haustum, novâ lætitiâ plurimùm temperante.

DOCTRINA.

VXor bona, donum DEI insigne. Quærendi conjuges, non tam conciliatione hominum, quàm DEI. Magis spectandi educatio & mores probi, quàm opes, forma, genus. Sapientis dictum est, Proverb. 19. v. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens.* & Prov. 18. v. 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Quàm, ut inveniret filio Abrahamus, quid non egit? Ad eam procurandam misit non lenonem, non parasitum, sed œconomũ domûs suę, virum prudentem, & virtute probatum. Obstringit insuper juramentô, ne quo sinistro abripiatur affectu; cum fide summa negotium agit Eliezer paranymphus: adhibet preces ad cœlestem gratiam obtinendam: spem certam divinæ concipit providentiæ; nec aliter, atque speravit, experitur. Contigit Isaaco sponsa bene educata, labori, hauriendæ aquæ, hydriæ gestandæ assueta: benigna ac liberalis, quæ plus, quàm peteretur, etiam incognito & extraneo offerebat: non curiosè garrula; sed modesta; quæ visô Isaacô, statim è camelo se demisit, in verecundiæ & reverentiæ erga sponsum, nobile Argumentum. Merebatur mulierem bonam, vir bonus, juxta Siracidem Eccli. 26. v. 3. *Pars bona, mulier bona; in parte bona, timentium DEUM, dabitur viro pro factis bonis.* Contrà, pudicitiæ suæ decoctoribus, & raptoribus alienæ, in pœnam peccati cedit mulier mala, tantò graviore plaga, quantò diuturniore; in totam durat vitam. Quæ tum miseriarum ilias in domo? *Non est caput nequius super caput colubri; & non est ira super iram mulieris; commorari Leoni & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Eccles. c. 25. v. 17.*

Uxor bona, magnum Dei donum.



NARRATIO XIV.

ESAV IUS PRIMOGENITI, PARTIM GULA, PARTIM ASTU FRATERNO PERDIT.

Genes. 25. & 27.

Anno Mundi 2223. & 2276. Ante Christum, 1830. & 1777.

DUos Isaacus ex Rebecca filios suscepit; majori natu nomen *Esau*, (Latini Esavum dicerent) minori *Iacobus*; gemelli quidem, partu nam eodem editi, sed habitu corporis, animíque perdissimiles. Major naturâ ferocior, atque ingeniô agresti, à pueritia ruri multus erat, & addictus venatui, Isaaco primùm dissimulante, qui sciret, nihil invitâ dicendum, faciendúmve Minervâ; deinde etiam approbante, eóque nomine ipsum diligente. Iacobus verò, ingeniô facilis, moribus elegans, mitiora studia frequentabat, assiduus domi, quippe quem sua ferebat indoles magis ad excolendum animum, quàm exercendum corpus; quæ adolescentis placiditas, suavitásque, ut matris ipsi benevolentiam & amorem mirè conciliabat; ita hispido alterius geniô, quem etiam piloso corpore præferebat, haud parùm offendebatur. Accidit, ut ea pulticulam ex lente, pro ævi illius simplicitate, Iacobo suo apponeret; quâ dum is vescitur, fortè supervenit Esavus, oppidò lassus de venatione, &, ut fieri solet, famelicus; vix oculos in edulium conjecerat; cùm dentibus etiam in cibum prurit, adeò, ut eum saturandæ fami, præfervidus postularet. At Iacobus, qui intentus erat in occasionem recipiendi Juris Primogenito debiti, quod sibi nascendi sorte vindicabat Esavus: ille autem cæli privilegiô ad se pertinere, è matre didicerat; pultem ea conditione concedit, si sibi prærogativam natalem cedat. Hîc turbatus alter, cupiditate gulæ, cùm putaret, eam cessionem, etiam juramentô firmatam, quippe ridiculam, & à ludibundo factam, nihil de jure suo detracturam, addicit, quod poscebatur; simúlq; cum vili lenticula decoquit principatum familiæ, dignitatem Sacerdotij, opimiorem hæreditatis partem, & quidquid bonorum cum fausta

Diversa utriusque indoles.

Esau Jus primogeniti lenticulâ vendit.

fausta patris precatione conjungebatur. Quam ipse seu venditionem, seu perditionem, initiò contempsisse visus est, tanquam irritam, aut certè ferro refutandam; quod postea minatus est; sed Rebecca antevertit cruenta consilia, titulísque juris nascendi in Iacobum, astu pio, translatis, salutem periclitanti expedivit. Id qua ratione factum, porrò narrabitur.

Isaacus decrepita jam ætate senex, ferinæ tenebatur desideriô; quare vocat ad se Esavum, dat in mandatis, venatum eat, sibíque ex præda silvestri cœnam apparet, id obsequij liberali remuneratione non cariturum. Proficiscitur in venationem filius, cùm suô studiô, tum patris voluntate. Mater interea pro Iacobo sollicita, facilè advertebat, nisi astum aliquem intenderet, beneficium primogeniti (Sacræ Literæ Benedictionem appellant) filio suo non obventurum. Quid comminiscitur? Iacobum ad ovillum gregem amandat, duos jubet afferri hædulos; morem is gerit impigrè; neque segnior mater, utrumque hædorum pelle spoliat; alterum cocturâ tam exquisitâ, conditáque parat, ut planè crederet Isaacus ferinam ad se allatam. Illator cibi Iacobus, vultu, collo, manibus, pelliculis tectus hædinis, fratrem hirsutum mentiebatur; neque sine periculo. Senex quippe caligantibus jam oculis, tactu explorabat, quod visu non poterat. Sed hirsuta hædorum tegmina hispidam Esavi cutem referentia; odor quoque vestimentorum (quibus major natu sive sacrificando, sive alia quapiã actione solenni uti solebat) Iacobum circumdantium, sensus optimi senis ita afficiebant, ut Esavum præsentem esse, sibi persuaderet. Sola vox Iacobi, dubitationem aliquam relinquebat; quia tamen reliqua signa primogenitum loquebantur, conjecit, eum omnino esse, ad quem primę, felicitate nascendi, pertinerent. Comedit igitur de ferina, non in silvis, sed stabulo captâ; recreatúsq; venatoris obsequiô, osculis Iacobum, & primogenitorum privilegijs impertit: abundantiam imprecatur frugum terræ: honorem & reverentiã apud exteros: auctoritatẽm, dominium, jurisdictionẽ in domesticos, ac nepotes. Quibus vixdum actis, adest ecce redux è silvis Esavus; qui re intellectâ, magno clamore irrugire, plenúsque indignationis in fratrem, semel iterúmque patrẽ urgere, se quoque fausta precatione felicẽ redderet. Sed cùm transcriptæ in Iacobum gratiæ revocari non possent, inferioris quædam notæ munera tulit, primogeniti tamen jura, & dona perdidit. Hinc ingens in fratrẽ odium, non nisi cęde exaturandũ, ubi primũ è vivis excessisset genitor. Quę caussa fuit, ut Iacob⁹, consilio matris, bonâ patris veniã, in Mesopotamiã ad Labanũ avunculũ profugeret, secundãte omnia cœpta Deo, cui tantò existebat gratiosior, quantò frater erat invisior. Cęterũ Iacob⁹

Iacobus sub persona Esavi paternã benedictionem impetrat.

sexagenario patre natus est; *benedictionem* ab eo accepit, annum agente trigesimum octavum, supra centesimum. Vitam porrò in densis oculorũ tenebris Isaacus produxit annis quadraginta duobus; universim annos explevit centum octoginta. Vir magnarum virtutũ, & typica Christi imago, cujus adventu præcognito, non tantùm ærumnas suas levabat; sed futura cum præsentibus cõponens, *spiritu*, non secus ac parens Abrahamus, *exultabat*; oriturum ex sua progenie Messiam, omnibus gentibus desideratum.

DOCTRINA.

Gula. Ecclesiasticus monet c. 37. v. 32. *Noli avidus esse in omni epulatione, & ne effundas te super omnem escam.* Non cibus, inquit „ Greg. *l. 30. moral*, sed appetitus in vitio est. Unde & lautio„ res cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non „ sine reatu conscientię degustamus. Et Augustinus *in illud Rom 14.* „ *Noli propter escam destruere opus DEI*, ait: Non propter porcum, sed „ propter pomũ, mortem primus homo invexit, & Esau prima„ tum suũ non propter gallinam, sed propter lenticulã perdidit.

Officium Parentum. De officio parentũ eleganter Ambros. *lib 2 de Iacob. c. 2.* Accipe, „ ait, bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, „ pater judicium: mater circa juniorem tenera pietate propen„ deat, pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet: hic „ magis honoret, illa plùs diligat: compenset alter, quod alter im„ minuit.

Mysterium hujus simulationis. „ Augustinus *lib. contra mendacium, tom. 4* Iacob hædinis pelli„ bus membra contexit, hócque fecit, ut putaretur esse, quod non „ erat; quod factum ad illud, propter quod significandum revera „ factum erat; per hædinas enim pelles peccata: per eum verò, „ qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena „ peccata portabat.

Major serviet minori. Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Rom. 9. v. 13. *Arcanum Prædestinationis.* Arcanum Prædestinationis Divinæ, Esavum cum sua posteritate reijcientis, id est, nullis peculiaribus beneficijs afficientis; Iacobum verò, eiúsque progeniem raris, & magnis gratijs prosequentis: Igitur non volentis, neque currentis (Esavi in venatum excurrentis) sed miserentis est DEI v. 16. & v. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem*, (ad usum honorificum) *aliud verò in contumeliam* loc. cit. v. 21. (ad usum vilem & abjectum) scilicet, ut in scholis loquuntur Theologi, permissivè & indirectè, dando auxilia sufficientia, non tamen efficacia, quia non debita.

Esavo, nomẽ quoq; *Seir* fuit, quod *pilosum* sonat; idémq; *Edom* vocabatur, à capillis rufis. Iacobus appellationẽ à *supplantando* traxit, quia, dũ eodẽ partu edebatur cũ Esavo, plantã eius tenebat: cuíq;

benedictionem

benedictionem paternam erat dolô bonô prærepturus. Collidebantur gemelli in utero materno, non sine gravi puerperæ dolore, dum uterque prior in lucem exire luctatur. Gen. 25. ut jam tum ostenderetur, eos fore patres, & capita duarum gentium, hoc est, Judæorum, & Idumæorum, sibi acerbè adversantium. Nimirum citò se prodit indoles, & præsagia suî, ante lucem spargit. Verum hic illud fuit, quod postea de se Jeremias scripsit. cap. 1. *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Felix, quem DEUS jam infantem novit, hoc est, amat, Triste verbum illud: *Non novi te.* Matth. 7. Esavum, qualis futurus esset, jam tum Natura signavit; Iacobum Gratia victorem fecit, antequam in stadium vitæ mortalis procurreret. Hi duo parvuli nondum nati de prærogativa honoris certabant; usque adeò insitum est humanis mentibus, præcellere. Honorum cupido cum lacte materno bibitur. Ex hoc loco SS. PP. refellunt astrologorum ex Horoscopo, seu natalis astri influxu, divinationes. Iacob enim & Esau, eodem concubitu, ut inquit Paulus Rom. 9. sati, eodémque tempore nati, dissimillimis tamen ingenijs, studijs, moribus, & eventis fuerunt. Vide Pererium. *lib. 2. in Genes.* & S. August. *lib. 5. de Civit. DEI. & lib. 2 de Doctrina Christiana. cap. 22.*

Notanda verba Sacri Scriptoris: *Det tibi DEUS de rore cœli, & de pinguedine terræ.* Dixit ea Isaacus, apprecans Iacobo suo, priùs cœli rorem, ad benedictionem, postea fruges fertilis soli. Ad Esau verò vota vertens: *In pinguedine*, inquit, *terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.* Non sine numine, occultóque spiritûs altioris instinctu, priùs munera terræ, postea cœli impertiri cupiens homini superis inviso, & in rerum terrenarum cupiditates abjecto; quas sibi dari petijt cum rugitu & clamore valido. Cui similes, qui neglectis cœli opibus terræ crepundijs inhiant.

Diversa benedictio in duobus fratribus.



NARRATIO XV.

NARRATIO XV.

PROFECTIO IACOBI IN MESOPOTAMIAM ET EIVS IBI SERVITIVM.

Genes. 28.

Anno Mundi 2276. Ante Christum 1777.

IAcobus, cùm ob præreptum piô, quemadmodum narravimus, dolô natalium primatum, in invidiam, & odia fratris natu majoris, incurrisset, simul iras eius effugiturus, simul uxorem è sanguine, & terra cognata, ducturus, auspice DEO, Parentibus benè precantibus, iter ingreditur in Mesopotamiam, Syriæ Provinciam, ætatis anno septuagesimo octavo. Terminus erat itineris *Haran* Urbs, ubi tum degebat *Labànus*, ipsius avunculus, quippe frater Rebeccæ, homo tã avarus, quã opulentus, & idolorum cultor. Primum peregrinationis diem, dum magnis urget itineribus, solis occasus, corporísq; fatigatio festinantem oppressit, prope urbem *Luzam*. Idoneum igitur sub dio quieti locum capit, puluilli loco, capiti lapidem subijcit, facili somno corripitur. Dormienti scala obijcitur, è terra in Cœlum protensa, quot gradibus, tot arcanis plena mysterijs; commeabant per eam sursum deorsum Genij Cœlites; cacumini DEUS ipse majestatem suam inclinabat; præsignante ostento, Messiam olim nasciturum, in cujus persona Cœlum Terræ, Divinitas Humanitati erat conjungenda. In summo quippe, Æterni Pater Verbi, seu Filij; In imo Iacobus, eiusdem secundùm hominem progenitor repræsentabatur; interjecti gradus indicârunt ceteros Majores, quorum progenie Christus erat oriundus. De quo Cœli secreto ne qua Jacobo relinqueretur dubitatio, is, qui scalæ innitebatur, mœstum, & rerum futurarum sollicitudine suspensum, erexit commemoratione felicitatum, quibus omnis ejus posteritas erat affluxura. Sacer initiò horror animum peregrini perstrinxit; mox liquida voluptate permulsus, lapidem, cui indormijt, statuit in modum cippi, illúdq; mirificæ apparitionis monimentum oleo perungit, consecrátq; DEO. Ex eo eventu, nomen

Scala mystica Iacobo objecta.

nomen vicino oppido *Luza* in *Bethelem* est mutatum; Hebræis, DOMUM DEI, quê id loci spectabilem Iacobus habuerat. Is, qui nova tum spe pollicitationum Cœlestium confirmatus, voti sese nuncupatione, in arctiora Numinis obsequia, & peculiarem famulatum obstringebat.

Exinde septem dierum itinere confecto, in agrum *Harani* proximum pervenit; ubi sciscitanti è pastoribus de familia avunculi sui, commodùm offert se *Rachel*, in qua cum ætate & formâ, flos pudicitiæ certabat; paternas ea tum oves pascebat ruri, pro ævi illius genio, quo simplicitas & innocentia inter prima virginum decora numerabantur. Erat id fortè temporis, quod adaquandorum gregum Rachelem admonebat, quibus, quoniam lapis puteo impositus accessum negabat ad aquam, Iacobus, ignoto sibi, puellæ gratiam conciliaturus beneficiô, saxum revoluit, viam pecori, copiámque facit bibendi. Hauriunt lympham oves, amorem Rachel; utique postquam verbis ultro, citróque datis deventum est in notitiam consobrinæ propinquitatis; Iacobus igitur basiô castô, dulcibus mixtô lacrimis, salutationis, & amoris officium initiat. Nec mora; calentibus animis, calent pedes. Rachel festina, consanguinei Juvenis adventum nuntiat domum, patri Labano; hic properat in occursum, introducit gratissimum nepotem in ædes, inter amplexus, oscula, mutuos, de caussis susceptæ profectionis, sermones: colit omni humanitate advenam; hospitium simul & perfugiũ offert, spem nuptiarum cum una filiarum facit. Neque hospes adventor quidquam obsequiorum in se desiderari passus; cùm integro jam mense virtutem industriámque egregiè probâsset avunculo, gregis universi curæ præficitur. *Iacobi & Rachelis agnitio.*

Omnino septennium ei servituti, & desiderijs potiendæ Rachelis impenderat indefessus pastor, empturus à socero nuptias famulatu, quas ære non poterat. Sed hic, ut erat parcus in promissis, ita fallax in promissorum fide; vafrè substituit pro Rachele *Liam*, annis majorem filiam, longè minorem formâ, quippe oculorum lippitudine laborantem. Alterũ proinde servitutis septennium pro Rachele exigitur; quod ubi pari alacritate, fidéque Iacobus expleverat, demum Rachel ei in manum convénit, feróque Iosephum peperit; cùm ex Lia complurium liberorum pater efficeretur, pensante fœcunditate, quod deerat formæ. Iacobus multa jam auctus prole, petit à socero facultatem revisendæ patriæ; sed homo ingenij duri & illiberalis, non contentus tam diuturni servitij impendiô, septennem insuper famulatum paciscitur; nec abnuit, pro indolis suę facilitate, Iacobus; pactionis erat conditio, ut oves & capræ cùm nigræ, tum vario sparsæ *Iacobi servitus pro Rachele.*

vellere pilóve, separatim pascerentur ab ijs, quibus lana candebat; & harum quidem cura Iacobo: illarum, Labani filijs comitteretur; ex albis porrò quæ provenirent maculosæ, pertinerent ad generum; quæ sine maculis, essent Labani.

Iacobi felicitas in fætura pecoris

Videbatur hic astus omnem mercedis spem ademisse Iacobo, cùm ex matribus unicoloribus fætura non posset exspectari discolor. Didicit artem è cœlo fidissimus opilio, quâ simul vafritiem hominis versipellis eluderet, simul laboris longi ferret pretium. Virgas striatim decorticat populeas, & amygdalinas, eásque ex albo & viridi variatas, proponit in canalibus, unde potus fluebat fœtis gregibus. Ibi tum miraculum naturæ videre licuit; agnæ, varietate virgarum oculis & imaginationi objectâ, maculosum pleræque fundunt partum. Id ubi Labanum advertit, caussæ nequaquam intelligentem, mutatur pactum; diversicolores fœtus vendicantur socero, reliqui permittuntur genero; non meliore infidi locatoris successu; bacillorum namque objectu variatæ fœturæ, serotinæ seu Autumnales, utique deteriores, cedebant Labano; meliores autem & vernæ, sine virgarum ab undis relucentium imagine conceptæ, simplicíque colore lanatæ, in Iacobi incrementum pariebantur: consiliô utique divinô, quô vicennis operæ merces pastori, & dos uxorum reponeretur marito. Itaque fortunis ampliter ditatus Iacobus, præter liberorum copiam, (*undenos* enim tum numerabat filios, quorũ nomina, *Rubẽ, Simeon, Levi, Iudas, Dan, Nephthali, Gad, Aser, Issachar, Zabulon*; *Iosephum* Rachel peperit; & postea in Chananitide Beniaminum, ex cujus partu decessit; filiam genuit Iacobus unam; cui *Dina* nomẽ ex Lia susceptam) ancillarum quoque, & servorum numerosum famulitium, minorúmque greges pecorum; & armenta majorũ, nempe camelorum, boum, asinorum comparavit, secum in Palæstinam abducenda. Adeò prosperitatis fæcunda parens est virtus, cujus pretiũ longè aliâ metitur æstimatione DEUS, aliâ homines.

DOCTRINA.

Varia expositio Scalæ mysticæ.

Scalæ hujus Mysticæ, & variæ & elegantes sunt explicationes; præcipuâ indicavimus in narratione, ubi addendum, per descendentes Angelos Incarnationis mysteriũ hominibus annuntiari; per ascendentes, ardentia Patriarcharum desideria, & orationes sursum ferri ad DEUM; per duo scalæ latera misericordiam, & veritatem, seu fidelitatẽ DEI, de promisso Messia, designari. Est eadem, symbolum Gubernationis divinæ; nam quid DEUS innitens aliud, quàm Caussa Prima, & primum omnium MOVENS?

qui tempus ab ævo

Ire jubet,

Ire jubet, stabilísque manens, dat cuncta moveri.

Genij sunt executores Providentiæ divinæ; scala à cœlo in terram pertingens, indicat, inferiora regi per superiora, videl. angelos: duo scalæ latera, suavitas & fortitudo DEI, in gubernando mundo; varij scalæ gradus, sunt varij modi Providentiæ DEI, rerúmque species, & perfectiones inde manantes. Sic Homerus Iliade 8. DEI providentiam describit, & repræsentat, per catenam auream, à Jove è cœlo demissam in terras, quâ Jupiter omnia comprehendit, constringit, & ad se retrahit. Philoni Iudæorum disertissimo Scala significat hujus vitæ inconstantiã, in qua alij è summo deijciuntur in imum, alij ex imo evehuntur in summum, idque ad DEI nutum & voluntatem, qui scalæ huic incumbens, eam regit & dirigit. D. Bernardo scala designat profectum in virtute: Vidit ,, Iacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes. Num-,, quid stantem quempiam, sive sedentem? Non est concessum ,, stare in pendulo fragilis scalæ; neque in incerto hujus mortalis ,, vitæ quidquam in eodem statu permanet. Non habemus hîc ,, manentem civitatem, aut futuram possidemus, sed inquirimus. ,, Aut ascendas necesse est, aut descendas; si attentas stare, ruas ,, necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. ,, Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. *In* ,, *epist. ad Abbates Suession.* Hieronymus verò *epist. 34. ad Julianum.* ,, *tom. 1.* Scalæ hujus significatione utitur ad incitamentum re-,, surgendi post lapsum. Vidit, *inquit*, Iacob scalam de terra usque ,, ad cœlum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & ,, desuper innitentem Dominum, ut lassis manum porrigeret, ut ,, ascendentes, suo ad laborem provocaret aspectu. Unde & voca-,, tur locus ipse Bethel, id est domus DEI, in qua quotidie descen-,, ditur & ascenditur. Et Sancti enim corruunt, si fuerint negligen-,, tes, & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fleti-,, tibus laverint. Hoc ideo dixi, ut non te terreant descendentes, ,, sed provocent ascendentes. Augustinus *in ps. 44.* per scalam Ia-,, cobæam officium Concionatoris exponit. In scala Iacob, ait, An-,, geli ascendebant, & descendebant. Angeli Dei Prædicatores sunt ,, veritatis; ascendant, ut erigant magnos; descendant, ut nutriant ,, parvos. Vide ascendentem Paulum: *Sive mente excedimus DEO.* ,, Vide descendentem: *sive sobrij sumus vobis.* Vide ascendentem. ,, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Vide descendentem: *Lac* ,, *vobis potum dedi, non escam.* Cæterùm ad literam, scala significat tres Iacobi afflictiones, divina consolatione mitigatas. Quasi diceret DEUS: tria te gravant, patria, parentes, frater. Patriam deseruisti, peregrinus in terram alienam tendis; at vide scalam, quæ tibi cælum referat, quæ viam tibi in astra paratã ostendit. Deinde

parentes dereliquisti,& profugus ad incognitos pergis; at scito, DEUM hoc iter tuum dirigere, tibi adesse, te ducere, te protegere; téque beaturum felicitatibus maximis. Tertiò fratri es exosus, & solus peregrinaris; at scito, tibi Angelos esse comites & duces, qui te salvum ducent in Mesopotamiam, hoc enim descendendo innuunt; ijdémque te incolumem reducent ad parentes in Chanaan, quod ascendendo indicant. Cornel. à Lapide in hunc loc.

Iacobo Scala est objecta, in loco deserto, sub Jove puro, ubi terram pro lectulo, saxũ pro pulvino habuit, à turbis domesticis semotus; nimirũ ita cœli negotia suavissimè spectantur. Animus avellendus à rebus caducis, si vult delectari mansuris.

Amoris Vis.

Iacob avunculo suo Labano pro filia Rachel septẽ annis servivit, *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Quantò magis amores nostros rapiat illa felix æternitas, animi corporísq; sumа beatitudo! illa Rachel formosa nimis & decora; tota pulchra, & sine macula &c.

Propter pios felicitantur impij.

Disce, quanta virorum proborum apud DEUM auctoritas, qui prosperitatẽ, impiorum inferunt ædibus. Deinde Fortunam non cæcam esse quampiam deam, mortalium spes volubili globo rotantem; id quod vel idololatra Labanus intellexit; cujus verba sunt: *experimento didici, quia benedixit mihi DEUS propter te,* scil: Iacobũ. Alios esse fortunatos, alios infortunatos, id totum ex Divina pendet Providentia.

NARRATIO XVI.
IACOBVS
AUCTUS LIBERIS, ET OPIBUS REDIT IN PATRIAM CHANANITIDEM.

Genes. 31.32.33. Anno M. 2296. ante Ch. 1757.



Am fluxerat annus vigesimus comorationis Haranéę, cùm Iacobus consilium capit de deserendo Labani famulatu, adornando in patriã reditu. Suadebant discessum cùm aliæ caussæ, tum maximè, iniqui oculi, ac linguę filiorũ Labani, quibus affinis incrementa dudum erant unguis in ulcere; accedebant tristes Labani vultus; quippe contra cujus spem, desideriũ, & conatum nimiùm

nimiùm creverant opes generi; adhæc, quod erat palmarium, urgebant profectionem jussa cælestia. Iacobus igitur, comunicatô cum uxoribus consiliô, suámque adductîs in sententiam, anno ætatis admodum nonagesimo octavo, parat demigrationi necessaria tam diligenter, quàm occultè; cujus expediendę percomoda sese obtulit occasio. Labanus ad oves, quę tridui à Iacobi pascuis aberant, tondendas abit. Iacobus utitur odiosi hominis absentiâ in rem suam; uxores & liberos camelis imponit, insalutatô socerô, nequa vis aut remora inijceretur abeuntibus, discedit. Rachel, incertum, an auri fulgore capta, an patrē ab avita superstitione avocatura, clàm idola domestica convasat, & asportat.

Iacobus clā à socero discedit.

Non potuit adeò clanculum adornari discessio, quin nunciô ad Labanum perlatô, ira & indignatio concitaretur in profugos. Insequitur continuato septem dierum itinere, cum valida suorum manu; assequitur in *Galaade* monte; graviter expostulat (nam nequid sævius tentaret, à DEO prohibitus erat) avunculus cum nepote, socer cum genero; arguit plagij & sacrilegę rapinæ. Iacobus, ut qui nihil de furtivis idolis resciebat, conscientiâ fretus, jubet expostulatorem investigare; si quod caput in toto comitum esset agmine, quod furti teneretur, sese illud daturū noxæ. Abdiderat Rachel simulacra sub clitellis cameli, cui insidebat; in hanc, cùm frustra excussîs cæterorúm sarcinîs, manum inquisitor inijceret, illa muliebri delusit astu hiantē corvum, caussata morbum, per quem de jumento descendere haud liceret. Hîc Iacobus animos & ipse sumens, vicissim Labano exprobrat calumniam furti, innocentibus impactam; maléque collocatam tanti laboris, tantíque temporis servitutē; decies repetitam pactę mercedis mutationem; hanccine gratiam suis rependi meritis? hunc amorem liberis? quid sibi vellent tam atroces minæ; quæ quòd meditatum in facinus non erumperent, id quidē DEI clementiæ deberi, haud persecutoris armati voluntati; DEUM sese judicem, vindicémque appellare. Quibus auditis, sedatior Labanus, utiq; majore vi adactus, ultro descendere ad fœdus cum genero ineundum; móxque in eius rei memoriam magnus lapidum congeri tumulus, unde nomen Galaadis factum est monti; in extremo acervo utrinque adstituta saxa, tanquam columnę & termini, neutri paciscentium transgrediendi; quorum alter Mesopotamiam, alter Chananitidem respexit; ibidem victimæ imolatæ Numini, cum adjuncta hilaritate convivij. Redit ad sua Labanus; cœptum prosequitur Iacobus iter.

Labanus insequitur generum.

In ipsis Chananææ finibus obviàm in aëre se tulerunt Angeli, eius Provinciæ Protectores, inde locus appellationē sortitus est Castrorum, nam & Genij Mesopotamiæ custodes, instructa

Iacobo obviàm se ferūt Angeli

veluti acie comitati sunt ad limites regionis Iacobum, & præsides Chananitidis Genij, venientem, tanquam præsidiarij milites exceperunt. Id loci per torrentem (*Iabotus* vocatur) agmine traducto, Iacobus cis amnem solus restitans, & intentus de nocte precibus, spectabilem habuit sub diluculum, Angelum Tutelarem, virili specie, ultro ad luctam provocantem. Ille tametsi grandævus, videns necessitatẽ sibi impositam congrediendi cum adversario, descendit in arenam, manum confert manui, pedem pedi, ut palæstritæ solent, ea virium contentione, ut videretur palmam homini concedere cœlestis colluctator; tamen ostensurus antagonistæ suo, quis esset, quocum inijsset certamen, os ei femoris luxavit, nervúmque distorsit. Ne huic quidem dolori succubuit Iacobi virtus, quæ magis & magis sese colligens, injectis implicat adversarium brachijs, arctóque stringit complexu tamdiu, donec illucescens dies aperuit, luctationem eam cum cœlite commissam fuisse; mox subeunte animum metu, ne parùm reverenter dimicatio suscepta fuisset, petit ab Angelo, in signum ut benevolentiæ illibatæ sibi bene precetur, útque velit adesse præsidio, in proximo, cum fratre, congressu. Obtinuit, quod rogavit, indéq; nomẽ *Israëlis* tulit, in testimonium fortitudinis, arduo luctamine probatæ; ex eo tempore gens omnis Hebræa Israëlitarum; locus verò certaminis appellationem *Phanuelis*, seu Visionis DEI traxit.

Iacobus luctatur cum Angelo.

Iacobi & Esavi occursus.

Cæterùm Iacobo ex eâ lucta claudicanti, venit in occursum frater Esavus cum quadringentis viris armatis, ad quem jam antè pastores famulos cum muneribus præmiserat Iacobus. Agmen autem suum in tres turmas providè distribuit, charissimis quibusque in tertiam turmam receptis, ut si hostilis manus priores duas invaderet, spes suas in ultima fugiendo servaret. Post hæc progressus cum muneribus, singulari verborum humanitate conditis, ita placavit animum hominis, cæteroquin horridi & asperi, pristinis ut odiis in amorem versis, exciperent sese mutuis amplexibus & osculis, multa cum officiorum significatione; quibus persolutis, ab invicem digressi, Esavus Idumæam (quæ & *Seir*, & *Edom* dicitur) repetijt; Iacobus quoque prosecutus iter, locum, ubi tentoria fixit, *Socothum* denominavit, indéque post aliquot menses discedens, juxta urbem *Salemum*, ditionis Sichimorum, consedit in agro centum agnis coëmptô; arâ ibidem Numini erectâ, cum inscriptione *ARA DEI FORTIS ISRAEL.* ut etiam lapides loquerentur illum, cujus, ut validam erat opem expertus Iacobus, ita cupiebat monumentis æternis religionem propagatam.

DOCTRINA.

DOCTRINA.

LAban abeuntem generum, velut fugitivum insecutus, in monte Galaad comprehendit, &, *Cur*, inquit, *ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & tympano, & citharis.* O linguam hypocrisi plenissimam! *Hypocrytica lingua,*


Ter peccat, qui se bonum illi simulat, cui facit malè.

Fuerúntque ei obviàm Angeli DEI. Quos cùm vidisset, ait: Castra DEI sunt hæc. Mira DEI providentia, & Angelorum erga suos cura. In unius tutelam hominis, militia cœli stat in excubijs. Ite Cæsares & Pompeij, unóque pedis ad terram allisu, armatis orbem inundate. Ite capita coronata, densóque latera obsepite satellite. Iacobo pedum est pro gladio; probitas, pro clypeo; Armigeri cœlestes pro custodia corporis. Sic itur in hostem à pijs. Huc facit illud Psalmi 33. *Immittet Angelus Domini* (subintelligitur, ipse se) *in circuitu timentium eum.* In Hebræo habetur: *Castra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Mira potentia Angelorum, ut unus vicem exercitûs suppleat. Mira felicitas hominũ, quos, ut S. Basilius in hunc psalmi locum ait, tanta virtus undique securitate circumvallat. *Custodia Angelica erga pios.*

Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè. Quicunque sub DEO militas, rebus in adversis præsidium à precibus pete; laudatissima importunitas, quæ Numen stringit, nec antè dimittit, quàm dederit, quod rogatur. *Vis precationis.*

Quàm decorum pulverem hac in arena collegit Virtus! singuli gressus claudicantis victoris, erant argumenta fortitudinis.

Pulcherrimo titulo Olympionícem fecit palma, ex Olympico antagonista, reportata.



NARRATIO XVII.

NARRATIO XVII.

DINAE, IACOBI FILIAE, VIOLATIO, ET INDE CONSECVTA SICHEMITARVM CLADES. Genes. 34.

Anno M. 2035. ante Ch. 1748.



RBS erat in Chananitide, cui nomen *Sichem*, aut *Sichar*, (secundùm quosdam *Salem* postea, aut *Salemum* dicta, dissentiente Saliano) In eius urbis vicinia, agrum emerat Iacobus, ubi constitutis tabernaculis, aráque (uti memoravimus) exstructâ, cum familia ampla habitabat. Urbi & provinciæ imperabat *Hemor*, cujus filius *Sichem*, in voluptates effusior, licentiam vivendi ducebat à potentia dominandi. Fortè *Dinam*, Iacobi filiam, jam nubilem, formæ supra ceteras puellas venustæ, curiositas impulerat urbem Sichimorum visendi, moresque feminarum urbicos, & studia cognoscendi; virgines enim coævæ tunc magno numero sive ad nundinas, sive festum quodpiam solenne convenerant; quas ut ipsa videret, videri simul cupiebat. Rarò sine periculo prodit in publicum cultiore veste formáque castitas. Vix oculis libavit puellam *Sichemus*, cùm flamam in pectus attraxit, cœpítque ardere simul & amare, efflictímque deperire. Mox abreptus cupiditate Virginis potiendæ, cùm lenocinijs ad flagitium pertrahere non posset, vitium obtulit reluctanti. Illam, ut par erat, illati dedecoris injuriam, indignissimè ferentem, vindicésque minas spirantem, conatur pudoris prædo blanditijs lenire, spem facere conjugij, quo culpæ simul & ignominiæ macula abstergeretur. Nec ipsa, ut feminarum est ingenium, visa est aspernari nuptias. Quare Sichemus amoribus suis, jam honestis fruiturus, adit parentem *Hemorem*, instat, urget, obsecrat, sibi ut Iacobum, Dinæ patrem, exoptatásque nuptias conciliet. Cæterùm eius rei rumor jam antè ad Iacobum pervolârat, & ab hoc ad filios, Dinæ fratres. Oritur omnium indignatio gravissima, & abolendæ

Castitas in publico parùm tuta.

Amoris vesania.

& abolendæ injuriæ cupiditas. Interea adest Hemor, petit filio suo uxorem Dinam, offert mutua connubiorum fœdera ac commercia; munera præterea dotalia, & quidquid pro delicto satis dandum exposceretur. Simulant fratres Dinæ, eam Societatem haud displicere sibi; modò affinitas, ut esset stabilior, circumcisione corporum, juxta ritum Hebraicum sanciretur; gliscente interim sub pectore meditatâ sævitiâ. Acquiescunt sectioni Hemor, & filius, eámque suis persuadent civibus. Fluit undique sanguis, unius ad hominis libidinem extinguendam. Itaque stratis omnium voluntario de vulnere corporibus, die tertia, quâ maximè dolor exacerbatur, Israëlitæ occasione vindictæ utendum rati, consurgunt furiosè, ductoribus Simone & Levi, armatíque urbem ingressi, crudelem edunt stragem inter Sichimitas, ex recenti sectura decumbentes, ac invalidos ad resistendum; mares omnes interfecti. Irrumpunt suis cum manipulis cæteri quoque fratres, non tam cædis, quàm prædæ participes futuri; urbs omnis diripitur, greges, armenta, uxores parvis cum liberis in captivitatem abducuntur. Tanti stetit vel ira, cùm in rabiem vertitur; vel amor, cùm libidine insanit. Vesana crudelitas meritò gravissimè Iacobum affecit, quippe cujus mores ab omni sævitia plurimùm abhorrebant; tantóque detestabilior accidebat ei juvenum furiosorum immanitas, quòd videbat illam conjunctam, cum summa perfidia & sacrilegio; quando ad dirum facinus perpetrandum non dubitârunt præferoces ultores, Sacramento circumcisionis, quô nihil religiosius apud eam gentem habebatur, abuti. Et erant illi facinori alia quoque scelera involuta. Quid enim tanta supplicij atrocitas in eos, qui pro damno illato facere satis, daréque paratos se ostendebant; quid cædes tot innocentium, & nulli culpæ affinium; quid direptio ædium, fortunarum, agrorum; quid in servitutem abstractio pecorum, hominúmque, in quos nullum jus hostilitatis, nulla justi furoris caussa? Accedit maxima temeritas, quæ Iacobum cum omni familia in præsentissimum internecionis discrimen conjecit, quod imminebat ab ijs, quorum communia odia & arma, barbaræ crudelitatis exemplum provocavit; hæsissétque dubio procul ultio in tergis nocentium, nisi vicinarum civitatum vindices manus avertisset Divini providentia Numinis, mirifico favore Iacobum protegentis. Auxit gravitatem sceleris obstinatio peccantium, dum cædium & rapinarum auctores, objurgati à parente, nihil pacati respondent; &, tanquam furor tot sævitiæ argumentis nondum exsatiatus esset, perseverant justitiam prætexere vindictæ, juris omnis & modi limites excedentis. Nempe cùm pudorem profligavit contumacia, virtutum nomina sce-

Crudelitas filiorum Iacobi.

leribus imponuntur; & quod malè fit, longè peiùs defenditur.

DOCTRINA.

Curiositas castitati inimica.

Pudorem cum pedibus Dina extra domesticos parietes extulit; ad nundinas venit, ut castitatem venderet; virgo do- „ mi mansura. Exijt Penelope, redijt Helene. Tenera res, ait „ Hieron. *epist. 9.* in feminis fama pudicitiæ est: & quasi flos pul- „ cherrimus, citò ad levem marcescit auram, & flatu corrumpi- „ tur. Et *epist. 22 ad Eustoch.* Hortus conclusus, soror mea sponsa, „ hortus conclusus, fons signatus. Cave, ne domum exeas, & velis „ videre filias regionis alienæ, quamvis fratres habeas Patriar- „ chas, & Israële parente læteris; Dina egressa corrumpitur.

Impurus affectus.

Videre & videri, magnus est ad concupiscendũ aditus: nam, quod Clemens Alexand. l. 3. Pædag. c. 11. sapienter monet: dũ la- „ sciviũt oculi, calescũt appetit⁹. Prima libidinis sagitta est oculus.

uritque videndo femina. Virg. 3. Georg.

Mulier est tactu viscus, visu basiliscus. Est hæc ipsarum fallacia, quòd ita fugiunt, ut velint videri: ita pugnant, ut velint vinci: ita exercent odia, ut tunc ament maximè. Cornel. à Lap. in c. 4. Prov.

Miserum te Sichemum! ut vidisti! ut perijsti! nimirũ homo libidinis amans, compedes gerit in oculis, quibus vinciat; gluten, quô affigat; hamum, quô inuncet; flammas, quibus adurat; sagittas, quibus confodiat, & suum animum, & alienum. Et Chrys. „ *Serm. in Ozia.* Sicut ignis, ubi calamũ apprehenderit, mox attractã „ materiam suâ flammâ accendit. Ita ignis concupiscentiæ, ut „ primùm formositatem & venustatem visu attigerit, animum „ statim inflammat.

Perfidia reprehenditur

Turpissimã perfidiæ notam autores cædis, sibi suæq; familiæ inusserunt Unde Iacobus eos detestatus Gen. 49. *Simeon*, inquit, *& Levi vasa iniquitatis bellantia* (instrumenta sceleris & furoris) *in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum.* Quasi diceret, absit, ut glorier tam impio facinore; detestor, execror sanguinariam fraudem, & crudelem sæviendi libidinem. Atque, ut malè imprecatus est, ita malum senserunt mali. Salomon Prov. 3. ait: *Abominatio Domino est omnis illusor.* Fraudem & fallaciam Ethnici quoque detestati sunt. Cicero *lib. 3. offic.* graviter hortatur, ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid „ fallaciter committatur. Et Val. Max. *lib. 9. c. 6.* Perfidia tantũ incom- „ modi humano generi adfert, quantum salutis bona præstat fides.

Cur Simeon à Iuditha laudetur.


Quòd si libro Iudith. c. 9. laudari videtur hoc factum, Justitia tantùm DEI laudatur, quâ Sichimitarum impuritas & violentia vindicata est; Deúsque dicitur gladium Simeoni dedisse, ad eum modum, quô datus est postea Chananæis & Assyrijs, ut divinæ Justitiæ administri essent, ad punienda peccata Judæorum, sceleris ipsi interim non immunes.

NARRATIO XVIII.

NARRATIO XVIII.

VARIA IOSEPHI PATRIARCHAE FORTUNA

Genes. 37. & seqq.



Osephus filiorum Iacobi ut pulcherrimus, ita sanctissimus, Rachele natus, à fratribus ceteris, inter pascua, per invidiam & odium iñocentiæ, crudeliter oppressus, Ismaëlitis institoribus, illàc fortuitò prætermeantibus venditur: & ab his in Ægyptum abducitur, cùm ætatis ageret annum septimum, supra decimum. Illic iterum *Putiphari* cuidam, supremo regiæ militiæ Præfecto venundatus; pro mancipio servit, quem liberum mater genuerat: quémque pater fratrum conspirante mendaciô deceptus, flebat, tanquam à silvestri bestia laceratum. Sed Iosepho tamen interim, ob virtutes ac Numinis assistentem opem clemens fuit, ac tantùm non Dominica servitus. Fuisset eadem & felix; nisi præstantis formæ bonô, parùm faustô, pudicissimus juvenis in oculos dominæ descendisset profundiùs, quàm ipse voluisset. Hujus ille sollicitationibus primùm venereis; deinde (cùm eam repulsa castissima rejecisset) calumnijs appetitus, in iram herilem, carcerémq; regium insons detruditur, annos natus septem ac viginti. Trienniô lapsô, cùm Ægyptio regi *Pharaoni* perplexum de septenis bobus pinguibus, ac macilentis, totidémque spicis opulentis, & exesis, perspicua dexteritate somniũ enodâsset: de servitio translatus in libertatem, déque carcere productus in palatium, Ægypti Prorex renuntiatur. Eius dictatis, consiliísque, quidquid septenniô primô fertilitatis enascitur, in horrea congeritur, & in pyramidum illa spatiosa granaria, famis subsecuturæ provido remedio præparata. Successit septennium alterum, sterilitatis: quâ, neque cœlo terras, neque Nilo campos influente; passim omni, non Ægyptô tantùm, sed Arabiâ, Palæstinâ, Syriáque laboratum est. Tunc apertis in tempore frumentarijs cellis, frugibúsque divenditis, per compendia fiscus regius in imensum auctus: Ægyptus argento, pecore, libertate fuit exhausta; volens tamen ac lubens, & ob id

NARRATIO XIX.

EADEM HISTORIA FUSIUS EXPOSITA.

Anno Mundi 2319. Ante Christum 1734.

IOsephus Iacobi Filius, mirâ DEI vel indulgentiâ, vel virtutis mercede, è carcere promotus in regnum, utriusque fuit exemplar fortunæ. Is patri longè charissimus, cùm per invidiam divenditus esset à fratribus, & apud Putipharem Dominum gratiosus, placuisset & Dominæ; pudicitiæ tamen posthabens omnia, per heræ calumniam conjectus in carcerem, trienniò castitatem amavit in vinculis. Nec ultra DEUS præmium distulit; Iosephus per interpretationem arcanorum, Pharaoni notus, ad regni administrationem evectus est, triginta natus annos, in qua per octoginta perseveravit, inaudita aulici felicitate; verè castitatis Martyr & Corona. Historiam multò amænissimam, & eventuum varietate mirabilissimam, per membra sectam dabimus.

CAVSSA INVIDIAE FRATERNÆ ET VENDITIO IOSEPHI. Gen. 37.

Anno Mundi 2306. Ante Christum. 1747.

Caussa odij fraterni in Iosephum.

IOsephus ocellus patris sui Iacobi, & senectutis, nam grandævus eum genuit, delicium, sedecim annorum adolescens, in gravem apud fratres, quos numerabat decem (undecimus *Benjaminus* admodũ puer erat) invidiã & odium incidit, non nisi iñocentis interitu extinguendum. Flammas livori subjecit caussa non una; exulcerabat enim fraternos animos incusatio criminis, nescio cujus; *pessimi* tamen, ut divinæ loquuntur paginæ, cujus ipsi ad parentem à Iosepho erant delati; tum imagines quædam adolescẽti per somniũ objectæ, quas ipse, de sua metiens alios innocentia puerili candore aperuerat, dum per quietem vidisse se narrat, & se, & fratres colligare manipulos; suum ex illis manipulum stetisse erectum, visúmque adorari à fraternis manipulis

 circumstan-

circumſtantibus; aliàs quoque, ſolis & lunæ ſpeciē, undecímq; ſiderum oblatam, ſeſe devenerantium. Quas illi narrationes intolerabilem arrogantiam interpretantes, indignabantur, puerum inter viros affectare dominatum. Uſſit quoque invidorum oculos veſtis polymita, togula ſcilicet multicolore filo eleganter contexta, quam Ioſepho fieri parens curavit, dedítque ferendam, in amoris præcipui inſigne. Amandaverat is fortè adoleſcentem ad fratres paſcendis gregibus occupatos, exploratum, quid agerent, quibúſq; in paſcuis curam gererent gregum. Ioſephus imperij paterni tenaciſſimus, oberrabat ſollicitè, dum inveniret non jam fratres, ſed penè carnifices. Vix enim procul venientem intuiti, continuò de cæde illius deliberant, ſomniatorem per convitium appellant; atque, ut patri os oblinerent, à feris diſcerptum dicere ſtatuunt. Interceſſit cruento conſilio fratrum unus, *Ruben* nomine, ſuasítque, ſicca morte afficerent puerum, ínque ciſternam abjectum enecarent fame potiùs, quàm tenero manus imbuerent ſanguine. Placuítque genus necis. Verſicolore igitur prætexta adoleſcens exuitur, quidquid ille precibus, lacrimis, queſtibus, obſecrationibus inſtaret, modò ſingulos, modò univerſos, per DEI clementiam, pérque parentis ſenectutē deprecando. Nihil potuit frigidus ſudore pavor, blandus rogantis decor, fraterni pietas ſanguinis. Ab obſtinatis per funes in profundam demittitur foveam, lenta fame conficiendus. Non diu latuit in illo cavo, ſepultus antequam mortuus; cùm auctore *Iuda* retrahitur in lucē, & *Madianitis* negotiatoribus, fortè prętervehentibus, viginti venundatur argenteis; à quibus in Ægytum abducitur, Putiphari, viro principi, militiæq; ſub rege Pharaone duci, denuo pro pretio addicendus. Interea per plagiarios fratres illuditur parenti ſeni, perſuadetur ei, Ioſephum filium, in prædam cruentæ belluæ ceſſiſſe: fidei faciendæ, pueri tunica, hœdino ſanguine tincta exhibetur; nec difficile fuit viro candido fucum facere; mox igitur miſerabilis ſenex ire in lacrimas & lamenta nullo ſolatio, niſi morte lenienda. Adeò ſcelus ex ſcelere naſcitur. Qui fratrem invidendò dederunt exitio; parentem mentiendò vivum funus fecēre.

Ioſephus à fratribus venditur.

II.

IOSEPHI PUGNA PRO CASTITATE, ET CONIECTIO IN CARCEREM.

Gen. 39. A.M. 2316. ante Ch: 1737.

DEUS Ioſephum, domi ut ſervavit, ita nec peregrè deſtituit. Hinc in rebus omnibus ſecundus ſucceſſus; hinc gratia & benevolentia heri Putipharis, famuli ſui prudentiam fidémq; mirè ſuſpicientis; & adeò domûs ei totius curam comittentis, eò quidē emolumentò, ut omnes heri facultates maximis augmentis

augmentis locupletarentur. Sed ô nihil tutum in rebus humanis, nihil ab omni parte beatum! erat Iosephus eleganti forma, ideóque gratior, pulchro veniens in corpore virtus. Hæc dominæ irritamento fuit amoris impudici. Iam illa liberiùs, quàm castam decebat, oculos in adolescentem conijcere, & veluti raptis in fomite igniculis, occultum sub venis ignem alere; mox observare tempus, quo sine arbitris posset ephebus ad flagitium invitari. Animosè non semel repugnanti, fidémque hero, Deóque debitam opponenti, iterum iterúmque admovere preces, blanditias, munera, terrores; instare quotidie importunior, tandem etiam manum inijcere recusanti, & ad facinus tantùm non compellere. At ille victoriam in fuga positam esse ratus, palliô, quod lena prehendebat, in manibus improbis relictô, foras sese proripuit, quamvis potiùs calumniam, quàm jacturam castitatis subiturus. Irritata juvenis verecundiâ Venus, tantùm exarsit odio, quantùm priùs flagrârat amore: nimirum aut amat, aut odit mulier, nihil est tertium. Et sævissima tunc est, cùm stimulos odio pudor admovet. Primò apud domesticos innocentem infamiâ onerare; deinde ad maritum cum pallio accurrere, cùm lacrimis & questibus famulum in crimen intentatæ turpitudinis vocare, in testimonium defensæ integritatis amiculum, violento pudoris aggressori ereptum, ostendere. Credidit inconsulta temeritas mulieri; reo decem ipsis annis, exploratę probitatis argumentis suffulto, locus purgandi non datur. Innocens in carcerē & vincula abripitur, fiducia bonæ caussæ, etiam in illa fortuna, animum sui securum comitante.

III.
VATICINIA JOSEPHI IN CARCERE. Genes. 40.

Anno Mundi 2317. Ante Christum 1736.

TEnuit igitur custodia vinctum, si teneri vincirique potuit mens conscia recti; aut deprimi calumniâ, quem perpetuus Numinis favor erexit; Gratiam, quam apud Putipharem meritis suis inierat, captivo quoque virtus apud carceris Præfectū conciliavit. Fortè in eodē carcere attinebantur duo, de Pharaonis palatinorū numero, quorū alter pincernis, alter pistoribus præfectus. Utriq; aliquanto pòst tempore, eadē nocte, objectū fuit somniū, cùm officijs, quæ gesserant, tum rerū eventui congruens. Utrumque species oblatæ tristem & futurorū exspectatione suspensum tenebant; nec libertas dabatur conjectores pro gentis illius superstitione consulendi. Obtulit operā Iosephus, spe fretus, DEUM, arcanorum omnium cognitorem, illa visionum abdita *Somnium pincernæ explicatur.*

abdita sibi reseraturum. Somnium pincernæ erat objecta vitis cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ primùm erumpebant, tum paullatim dilatatæ frondescere, fructus minutos emittere, & hi florentes grandescere, ádque maturitatem perduci, à pocillatore in calicem Pharaonis exprimi, regíque porrigi videbantur in potum. Explicavit visum Iosephus, & *tres vitis propagines* totidem dierum intervallum interpretatus, prædixit, hominem elapsô triduô, muneri suo restituendum. Ex ea conjectatione spem melioris fortunæ etiam Pistor concipit, quídq; somniâsset, exponit; visa nimirum tria canistra viminea, capiti suo imposita, in quorum medio & imo panes inerant candidi, è polline confecti; in supremo varij servabantur cibi, arte pistoria confieri soliti, quos advolantes depascerent aves. Neque hîc vel fides interpreti defuit, vel veritas. Prænuntiat misero Vates omnia alia fata & effata exspectanti, fore, ut intra trium dierum intervallum, suspensus de patibulo, cederet in escam corvis. Nec aliter, quàm vaticinatus est, utrique evenit. Inter hæc qui ad regios stabat cyathos, gratiæ, unde exciderat, redditus, & conjectoris oblitus sui, & datæ fidei, quâ receperat, se apud regem libertatem captivo impetraturum, in caussa fuit, quare Iosephus bienniô insuper hæreret in vinculis, DEO famuli sui tolerantiam exercente, & ad majora reservante. Inter illos, quos per somnium viderat, manipulos, spicam diceres, etiam Iosephum fuisse, tantò honorum fertiliorem, quantò ad terram inclinatiorem.

Et pistori.

IV.

IOSEPHUS SIBI REGIS PHARAONIS GRATIAM CONCILIAT VATICINIJS. Gen. 41. A.M. 2319. ante Ch: 1734.

Libertatem, cujus spem explicatio somniorum, jam antè Iosepho fecerat, Vates ferè divinus, à rege Pharaone hunc in modum, cum magno felicitatis incremento, reportavit. Videbatur sibi rex per quietem stare juxta Nilum fluvium; ex hoc cernebantur emergere septem boves pingues, in locis humentibus atque herbidis pascentes, remotiùs à fluminis alveo. Totidem aliæ indidem ascendebant, sed macie confectæ, ínque ipsa amnis ripa tenue carpentes pabulum; quæ tametsi strigosæ & macilentæ, habitiores illas, & corpulentas devorare visæ sunt; quô alludebatur ad fertilitatem & sterilitatem Ægypti. Nam in tenui Nili incremento, sterilescebat ægyptia terra, id quod significabant jumenta in ipsa ripa cibũ quærentia; secùs pinguioribus

accidebat

accidebat bobus,quippe quibus pabulum suppetebant remotiora pascua, & fluminis humore abundantia. Accessit ei somnio alterum, materiâ diversum, significationis eiusdem. Videbantur septem uberes spicæ culmô attolli unô, juxta quas aliæ septem graciles, & uredine afflatæ surgerent, priores absumentes. Terruit ea res Pharaonem jam vigilem; petit à divinatoribus conjecturam somnij; aptam nullus dedit. Hîc pincernarum præpositus, sui memor interpretis, Pharaoni auctor est, Juvenem ut divinandi peritum advocari jubeat è carcere. Vocatur, ritúque attonsus Ægyptio, ac vestitus, in regis conspectum admittitur; geminum ei somnium narrantis. Respondet expeditè Iosephus, ijs somniantis spectris indicari magnam tam copiam, quàm inopiam pecoris ac frumenti, septem annos ubertatis, exceptum iri à totidem annis ingentis sterilitatis; suadet unum aliquem virum sapientiâ & industriâ præditum, summa cum potestate frumentationi præficiendum; frugúmque in annonæ vilitate coëmptarum, maximum commeatum in regis apothecis & horreis condendum, ingruentis subsidio famis. Placuit consiliũ tam regi, quàm optimatibus; præficitur Iosephus (quis enim alius aptior?) universæ rei frumentariæ, & regijs decoratus insignibus, annulo signatorio, purpura, torque, curru, totius prorex Ægypti proclamatur. Palmam diceres Iosephum, quæ pressa resurgit, tantò altior, quantò pressior.

Septem pingues boves, & septem graciles quid significârint.

V.

IOSEPHI IN FRATRES
MITIS AUSTERITAS.

Gen. 42. 43. A. M. 2327. ante Ch: 1726.

Septenniô fertilitatis exactô, sterilitas ingens non Ægyptum modò, sed totam Chananitidem, & vicinas provincias afflixit; quare Iacobus, compertô, frumenta apud Ægyptios esse venalia, denos mittit filios, triticum comparaturos. Qui delati *Memphin*, aut potiùs *Tanin*, non procul inde sitam, tunc urbem regiam; adductíque ad proregem (fratrem non agnitum; multùm enim viginti annorum spatiô & facies erat, & vox immutata) supplici demissione Principem venerantur, & rogant, annonæ sibi coëmendæ fiat copia. Iosephus vultu ad severitatem composito, paullatim eos interrogationibus adducit, genus ut omne suum, familiámque declarent; inde occasione sumpta imperandi, ut *Beniaminus* fratrum minimus ad se adducatur; imperijs terrores addit, hostiles exploratores appellat. De quo crimine cùm ipsi se venerabundi purgarent, noménque parentis,

 & alia

& alia innocentiæ suæ argumenta prætenderent, Iosephus graviores fingens iras, jubet omnes custodiæ tradi, quasi per otium in quæstionem dandos. Triduô pòst eductos è carcere, domum remittit cum tritico, repositâ clàm in ore saccorum frumētariorum pecuniâ, annonæ coëmptæ pretio, additis in viam cibarijs; *Simonem* retinet obsidem, non eximendum vinculis, donec natu minimus, primo quoque tempore sisteretur. Quæ dum fiebant, collatis inter se capitibus fratres, regressi in memoriam veteris delicti, calamitatis caussam referunt in crudelitatem, quâ fraternum in sanguinem olim sæviebant, intelligente (quod non rebantur) sermonem Iosepho, & se cum lacrimis ultro fluentibus, avertente. Non pótuit enim animus tam nobilis diutiùs reprimere humanitatis sensum, & cum invita natura luctari generosus spiritus.

IOSEPHI AGNITIO,
ET FRATRUM, AC PARENTIS LÆTITIA.

Gen. 44. 45. 46. A. M. 2328. Ante Christum. 1725.
Iacobi obitus & Iosephi. A. M. 2345. 2399. ante Ch. 1708. 1654. Gen. 47. Exod. 13.

Quibus rebus domum ad Iacobum renuntiatis, revectâq; quam pro merce debebant, pecuniâ, duo comprimis optimi senis animum afflictabant, alter filiorum (Simeon is erat) captivus; alter dimidium cordis sui, Benjaminus in exteras terras abducendus. Simul fame magis ac magis ubiq; grassante, altera adornatur profectio; adjicitur alterum tantum emptionis pretium: adduntur munera Ægyptio Principi ferenda; ipse quoque Benjaminus non sine maximo mœstissimi parentis dolore, extorquetur itineris socius. Redeunt in Ægyptum; accipiuntur à Iosepho perhumaniter: Benjaminus præsertim, cujus præsentia amoris lacrimas excussit ignoto fratri: adhibéntur epulo: primę lautitiæ Benjamino dantur, iterúmque dimittuntur cum saccis annonarijs, & pecuniâ in ijs absconditâ, scyphóq; argenteô in Benjamini saccum impositô, sed ecce novus actus fabulæ! Dum abeunt, sibi suæque familiæ de humanitate Venditoris gratulantes, subitò missis equitibus retrahuntur ex itinere: reposcitur non pretium tantùm tritici saccis iterum frumentarijs abditum, sed scyphus insuper argenteus, veluti furtô ablatus. Quid multis? aperiuntur sacci; adolescens (pro cujus salute vadem se parenti *Iudas* obtulerat) reus ablati argenti tenetur, & in servitutem deposcitur. Omniū hìc consternatio, nec, quid obtenderent, quídve excusarent,

Scyphus argenteus in sacco Benjamini frumētario absconditur

cusarent, satis habebant. Agnoscunt facinorum quondam patratorum Ultorum DEUM, humíque prostrati, genua Principis amplectuntur, manu ferientes pectora, pérq; parentis miserandam canitiem pro Benjamino deprecantes, caussam imprimis perorante Iuda, & ultro se fratris loco, servituti addicente, ac Benjamino impactam sibi culpam decóris lacrimis diluente. Non potuit ultro se cohibere Iosephus, affectibus & lacrimis inter se certantibus; jubet arbitros è loco facessere, solísque retentis fratribus, in flentis simul, & gestientis vocem erumpens, dat sese agnoscendum, *Ego sum*, inquiens, *Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Nolite pavere animis, DEUS DEUS est, qui vestrum in bonum in has me terras præmisit. Festinate, & patri nunciate, Josephum filium vivere; maturaret igitur cum omni domo sua iter in Ægyptũ; quinquennium superesse famis; & Pharaoni constitutum, non ultrà frumentum extra regni limites divendere. Quibus dictis singulos suavissimè complexus, cum largo fletu in Benjamini collum ruit, lacrimas miscens lacrimis. Fama rei, primò per omnem Pharaonis aulam didita, deinde ad regem perlata, implevit omnes gaudijs. Mox jussu regis expediuntur currus, jumenta, munera, ad subvectionem conjugum, liberorum, omnísque supellectilis. Venit Iacobus cum universa familia & facultatibus suis in Ægyptum; Iosephus acceptô de patris adventu, nuntiô, curru sublimis procedit obviàm in terram *Gessenam*; redditur parens filio, filius parenti postliminiô vivus; itur in lacrimas, amplexus, oscula; regio Gessena assignatur advenis; in qua, rem curantes pastoritiam, adeò numero sunt & divitijs aucti, ut intra quindecim annos & ducentos, quo tempore Hebræi Ægyptum incoluerunt, ex septuaginta capitibus, quæ cum Iacobo immigrârunt, (superadditô Iosephô cum duobus filijs) posteritas succreverit ad virorum millia sexcenta, non putatâ puerorum, mulierum, servitiorum multitudine. Adeò crevit semen, quod olim Abrahamo DEUS inter astra spectandum dedit. Genes. 22.

Iosephus se fratribus aperit.

Iacobus cum omni familia in Ægyptũ migrat.

Cæterùm centum triginta natus erat annos Iacobus, cùm ex Chananitide profectionem in Ægyptum suscepit. Ibi cùm annis decem & septem comoratus, magnas comparâsset opes, in supremam ægritudinem incidit. Ad decumbentem invisit *Iosephus*, tũ temporis Ægyptius prorex, duobus cum filijs, *Ephraimo* & *Manasse*. Senex recreatus filij, nepotúmque præsentiâ, erigit sese in lectulo, demissis in terram pedibus, comodiùs admissurus in amplexus charissima capita. Adduxit utrumque Iosephus ad parentis genua, auspicatas avi preces excepturũ. Manasses (quippe primogenitus) stabat ad dextrâ Iacobi, Ephraimus ad sinistram,

Mors Iacobi

Iacobus cælestibus mysterijs edoctus, natu posteriorem antefert priori, decussatis brachijs, lævam imponit Manassi, dextrâ Ephraimo. Monitus de adolescentum ætate, manibus quoque paternis in alium situm à Iosepho translatis, respondet, id à se factum, haud quaquam futurorum ignarô, nam Manassæam tribum ab Ephraimitica longè superatum iri tam ditionis amplitudine, quàm multitudine colonorum. Invocato deinde super eos non DEI solùm, sed Angeli quoque Custodis sui nomine, copiosam utrique posteritatem est imprecatus. Ipsi autem Iosepho, in grati signum animi, terram *Sichimorum*, belli jure ab Amorrhæis obtentam, dedit muneri. Advocatis sub hæc, cæteris ad se filiis, monita Salutis, & faustam precationem impertit; quæq; seris pòst temporibus essent eventura, prædicit; Iudæ præsertim, nascituri ex ipsius progenie *Messiæ*, Vaticinium edit.

Ad curas postea supremi conversus officij, petit à filijs, (id quod jam antè à Iosepho, religione juramenti interpositâ promissum ei fuerat) ut cadaver suum in Chananitidem revehant, & in agro *Ephronis Hethæi*, non procul urbe *Hebrone*, ubi Abrahamus & Isaacus in spelunca conditi, avito monumento inferant. Quibus dictis, sese in lectulo composuit, & sanctam animam placidè exhalavit, anno ætatis quadragesimo septimo supra centesimũ. Clausit ei oculos filiorum amantissimus Iosephus, largas funeri lacrimas cum osculis impendens. Eam pietatem fratres secuti reliqui. Corpus exanime, jussu Proregis, à pollinctoribus vario condítum est aromate. Luctus ad septuagesimum usq; diem extractus. Quibus peractis Iosephus cum fratribus paternum funus in Chananæam regionem, & desideratum conditorium, magna cum pompa deduxit. Ab eo tempore Iosephus provixit in Principatu quatuor & quinquaginta annos, universim octoginta; vitæ centũ & decem. Ejus lipsana, uti fratres adjuraverat vivens, annis abhinc ampliùs trecentis, à Mose in Chananitidem sunt asportata.

DOCTRINA.

Invidia nolês prodest.

VIrtus Iosephi, & apud parentem gratia, fratrum odium, & invidiam concitavit, quæ dum nocere cogitat, invita prodest. Iosephus nunquam ad Proregis Ægyptij dignitatem ascensurus fuisset; nisi eum invidia fraterna ad illud culmen extulisset. Est enim invidentia testimonium virtutis, signum innocentiæ, argumentum laudis, incitamentum indolis generosæ. Misera fortuna, quæ caret inimico, Virtus agitata crescit, marcet sine hostibus.

Encomia Iosephi.

Quàm multiplex encomium in adolescente Iosepho. 1. admiranda formæ, & pudicitiæ mixtura. 2 servitus libertate nobilior; animô nullis vitijs subjectô. 3. constantia in adversis; quò afflictior,

ctior, hoc DEO conjunctior. 4. Felicitas heri, fidelitas servi. 5. servus exemplar servis, & dominis. 6. arduus in oppugnata castitate triumphus. Fuit enim periculũ à juventute; agebat Iosephus annum vigesimum septimum. Ætate tam florida, non opus oleũ affundere camino, ardet ultro. Aspectus Dominæ quotidianus. Verba dulcissima, admistis forsan lacrimis ponderosa. Diuturnitas sollicitationis & importunitas; decem ipsos annos tenuit oppugnatio castissimi pectoris, eius generis victoriæ exempla ante se non habentis. Munuscula & dona, lautissimis promissis aucta. Fiducia latendi. Terrores ac minæ frequentes. Unde meritò Chrysostomus exclamans, Magis miror, inquit, Iosephum in hoc igne penitus illæsum, quàm tres pueros in fornace Babylonica non combustos. Victori magni Viri acclamant: Vicisti, vicisti Iosephe, quia in igne fuisti, & non arsisti. Quò difficilior hæc pugna, hòc pulchrior victoria. Parem palmam desideras; paribus artibus pugna; trilici pro clypeo, erit *Timor Numinis*; Iosephi verba sunt: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Deinde, *matura fuga*. Iosephus fugiendo vicit, & pro trophæo pallium in manu lenocinantis reliquit. Tertiò *consideratio finis*; priùs expende pœnam, quàm audeas noxam; lætum est libidinis initium, tristis exitus.

Sed innocentia carceri includitur. Quid tum? animus integer vitæ, scelerisq; purus, etiam inter vincula liber est. Egregiè Chrysost. *Hom. de Ioseph vendito, tom. 1.* Intrat, ait, Ioseph Sanctissimus custodiã, visitator magis, (custos enim carceris omnia Iosepho crediderat) quàm reus; provisor, non socius; medicus, non ægrotus. Adeò fit cunctorum præpositus, fit in reorum solatium procurator. Gaude innocentia & exulta; gaude, inquam, quia ubiq; illæsa es, ubique secura. Si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris. Tu in servitute libera es; in periculo tuta; in custodia læta. Te potentes honorant, suspiciunt principes, magnates exquirunt. Tibi boni parent, mali invident, Zelant æmuli, inimici succumbũt. Nec unquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines tibi justus defuerit judex. *Innocẽtia in vinculis est libera.*

Admiranda Divinæ Providentiæ series. 1. Fratrũ invidia. 2. Transitus Ismaëlitarum. 3. servitus extra patriam. 4. accusatio falsa. 5. Utriusq; aulici somnia. 6. Pincernæ liberatio & recordatio conjectoris. Deinde honores injurijs & ærumnis oppositi. 1. Pro odio fratrum, gratia regis & Principũ. 2. Pro exilio, proregia dignitas. 3. pro labore manuum in servitio, annulus aureus. 4. pro pallio ab adultera detracto, amictus stolę byssinę. 5. pro compedib⁹, torques injecta collo. 6. pro ministerio vinctorũ, principatus in populum. *Divinæ Providentiæ series.*

in populum. 7. pro carceris humilitate, sublimitas currûs regij. 8. pro contemptu, omniũ genuflexio. 9. pro nomine servi, nomen Salvatoris Ægypti. 10. pro rejecta adultera, & turpi voluptate, uxor nobilissima, nam duxit *Asenethbam*, filiam Putipharis (diversi ab eo, cui Iosephus erat venditus) Sacerdotis Heliopoli-
„ tani. Hinc pulchrè Chrysost. *hom.64. in persona Ioseph.* Illa, inquit,
„ servitus hunc principatũ mihi conciliavit: illa venditio, in hanc
„ me gloriã evexit: illa afflictio huius mihi occasio honoris fuit:
„ illa invidia hanc mihi claritudinem peperit. Hæc nos non so-
„ lùm audiamus, sed & imitemur, & ita solemur eos, qui nos affli-
„ xerunt, non imputantes eis, quæ in nos admiserunt, & omnia
„ ferentes magnâ benevolentiâ, sicut ille admirandus.

NARRATIO XX.

EXERCITATIO PATIENTIS IOBI IN IACTURA BONORUM FORTUNÆ

lib. Iob. c. 1.

Anno M. 2398. ante Ch: 1655.



Ertamen egregium spectavit DEVS, & se di-gnum, cum dæmone, miseriisque omnibus Iobum compositum. Illustrior hic, quàm ex triumphato Pompeius Orbe, prælio triplici tergeminam confecit palmam. Liberorum inconcussus audivit funera; spectavit tranquillus bonorum jacturã; in cruciatus omnia obtulit membra; ac demum carcinoma fœtidum, vivũ cadaver, è sterquilinio vicit hostem. Spectaculum patientiæ, fortitudinis, constantiæ dedit, omnibus seculis admirandum. Spectemus igitur virum in theatro versatili, jam opibus, jam inopiâ: modò luctu, modò gaudijs: nunc prosperitate, nunc calamitate, in oculos incurrentibus.

Gen 36. Iobus gente Idumæus, *Esavi* prónepos ex patre *Zara*, Princeps regionis *Hus*, seu Idumeę, inter malos bonus in medio nationis pravæ, ut virtutibus, sic opibus eminebat. Felicitatis comes fuit invidia, non tã ab hominibus, quã Orco concitata, qui tantã virtutẽ eversurus, Iobũ velut ad singulare certamẽ à superis depoposcit;

urebat

urebat Acherontem integritas & sanctimonia viri, cujus fama terrâ cœlóque clara. In ejus rei experimentum obtinet à DEO potestatem, quibuscunque posset modis, Iobi vexandi, vis modò vitæ ne inferretur. Alastor in omnes nocendi vias intentus, continuò Sabæos, Hussææ regioni conterminos, excit, & armat; ut in Iobi ditionem (quæ tanta erat, ut inde regium nomen tueretur) irruptione facta, mille quingenta (cum Divino scriptore numeremus) majoris capita pecoris, boum scilicet & asinorum abigerent, custodibus ferrô peremptis, præter eum, qui perferret calamitatis nuntium, quem credibile est fuisse cacodæmonum quempiam, qui concutiendo Iobo, famuli pagani habitu, scissis vestibus, vultu & manibus cruentis, silens, ægro singultiens anhelitu, totus in lamenta compositus, animum excelsum deijcere laborabat, damnô tam repentinô, quàm gravi. Qui frustra cùm esset aries, mox alter superveniens, stupens sensu, vocéque torpente (ut contingere solet, quibus tetrum aliquod prodigium apparuit) Numen inquit, ô Princeps à salute nostra aversum, adversum cœlum; iratus DEUS voracem ignem in tuos ovium (erát septem millia) greges iaculatus, unà cum opilionibus, sævô incendiô delevit, ne ullâ quidem victimâ, quâ DEUM placare possis, relictâ; Me è flammis volitantibus incolumem evasisse, quò tibi hæc nuntiarem, nescio, quo numine factum dicam. Sed in scopulum & hic immotum incidit. Extrema verba secundi, tertius famulus lugubriori nuntiô prosecuturus excepit. Hæret enim in vestigio tertia stygis larva, pavitánsque memorat, Chaldeos equites, gentem raptô vivere assuetam, tres in turmas divisos, tria camelorum millia in prædam abstraxisse, cæsis famulis, extra se unum, tristissimæ stragis testem. Adfuit mox quarta plaga, septem filios, tres filias, eadem in domo convivantes, vehementi turbine concussis à fundamento, quatuor ædium angulis, unâ sepultas esse ruinâ. Potuit hoc ab ictu dejectio sperari, si pectus aliud ferijsset. Iobus tot cladibus acceptis, nec prædones, nec fortunam, nec dæmones ipsos, malorum omnium auctores, accusans, satis habuit vestium dilaceratione dolorem suum testari, capútque, pro more lugentium, radere. Deinde coràm luctuosis nuntijs, intentáque ora tenentibus prostratus in genua, Deóque se flagellanti demississimè subijciens: Nudum, inquit, me nascentem, & venientem in lucem, terrà mater protulit; nudum me hinc euntem, & discedentem eadem me iterum in gremium suum recipiet; è tenebris & angustijs materni uteri, imparatus ab omnibus vitæ præsidijs, prodij in auram vitæ, spoliatus fortunis omnibus, in sepulchri tenebras

Calamitates Iobi multiplices,

concedam

concedam. Nihil hîc fatum, aut fortuna, aut casus egit: DEUS, quod dedit, abstulit; ipse dominus, ego manceps, quæ commodatò accepi, libens reddo; redeant ad fontem, unde manârunt; maximo est solatio, DEO sic placuisse, cui placere injustum nil potest. Fecerint sanè hostes per summam injuriam, quod factum est; meum est æquô perferre animô, quidquid intulerunt illi; DEO debentur hymni, & gratiarum actiones, pro sua æquitate & providentia, præclarè mecum agenti. Ille, quos amat, flagellat; virtutem probat, dum exercet; Ille spectator, ego sum actor; felicem me, si in hoc theatro viri personam probi rectè sustinuerim. Ita dixit, ita fecit; ringente Satana, & ad quatiendam tanti animi constantiam novas machinas moliente.

NARRATIO XXI.
PROBATIO IOBI
IN AERUMNIS CORPORIS, ET ALIIS CALAMITATIBUS
lib. Iob. c. 2. &c.
Recuperatio Prioris felicitatis. c. 42. A. M. 2405. ante Ch. 1648.

HOstis, ubi primo congressu turpiter locô motus, pedem cum ingenti damno, & ignominia ex prælio retulit, novis collectis viribus, novisque artibus, & dolis pugnandi conceptis, de integro bellum apparat, invictum Iobi animum perpetua calamitatum serie dejecturus. Impetratâ igitur à DEO facultate in ipsum Iobi corpus sæviendi, & si non animum, certè linguâ in maledicta adversùs cælum impellendi; lugentem adhuc, & in filiòrum funeribus occupatum invadit, maxima qua potest vi; horrendo mox ulcere totum corpus affligitur, & cum illo, morborum omnium cohors incumbit Iobo, nulla membrorum parte, à calce ad verticem, relicta incolumi. Sunt, qui morborum genera viginti quatuor enumerant, quibus Acheronticus tortor in omne viri patientissimi corpus desævijt; per intervalla tamen; ut qui cupiebat miserum in pœnas diu provivere, & denique in desperationē præcipitari; vitam ne adimeret affligendo.

Morborum cohors excruciavit Iobum

coelesti

cælesti interdictô cautum erat. Initiò, quod dixi ulcus, seu phagedæna maligna, tetra, verminosa, serpens undique, misereque depascens artus, peredebat carnes. Accessit sacer ignis, seu erysipelas, flamma per poplites & tibias maximè grassans; cui adjunctus cancer, totum corpus puri ac tumori objecit. Nec abfuit frequens animi defectio, unde similior exspiranti, quàm viventi crederetur. Lepra ad ipsa descendit ossa, & plumbeum sanguinem, mœrores, somnia terrifica, & angores peperit. Podagra infestavit pedes, ut chiragra manus; arthritis, seu morbus articularis, omnibus in membris horribiles cruciatus excitavit. Ebullierunt hinc inde vermes; innata sunt ulcera, seu tabes purulentæ naribus, auribus, ori, & gingivæ, quas comitabantur vehementissimi capitis & dentium dolores; cum cordis palpitatione, singultu, tremore. Adde putredinem viscerum; nephritin seu exulcerationem renum; malè olentem halitum; saniosum sputum; pleuritidem latus instar gladij transverberantem; asthma, seu respirandi difficultatem; anginam seu phlégmonen, palatum & colli glandulas tumore incendentem, & exasperantē; profluvium alvi; bulimiam seu appetentiam caninam, cibos semper expetentem, sumptos revomentem; marcorem seu corruptionem corporis ex inedia & siccitate ortam, cum febri hectica, insomniâ, mœstitiâ, & atra bile penè ad insaniam excruciante. Quid multis? Spectrum erat, non homo, cuius aspectus oculis, fœtor naribus intolerabilis, mephitim exhalabat, omnia tecta inficientem; unô verbô, pus merum erat & vomica Iobus.

Hinc omnium domesticorum tanquam ab extremo busti cadavere fuga; præsertim cùm integrô septenniô ea lues teneret, & pecunia quamvis copiosa, tot medicinis & medicis adhibitis, dilaberetur omnis, ut adeò princeps nuper opulentissimus, jam ad incitas redigeretur, alijs alia compilantibus, & ut fieri amat, ex aliena miseria suum quæstum facientibus. Desertissimus igitur, metúque contagionis, suis ipse proscriptus ædibus, velut vivum funus, à libitinarijs & vespillonibus in publicum fimetum, extra urbis regiæ (*Denaba* cui nomen) portas effertur, ex omni facultatum copia ne vili quidem centunculô reliquô, quo pus extergeret; pro strophio aut spongia servijt testula, temerè in fimum abjecta, qua vel saniem siccavit, vel eam strigilis loco abrasit. *Iobus ab omnib⁹ desertissimus.*

In tot, támque acerbis malis cùm temporis diuturnitas, morborúmque ac dolorum immanitas nihil viri fortissimi constantiam frangerent, validissimum aliud tormentum instaurat hostis, quô hominem deijciat; atque eò periculosiùs, quò magis molle atque effeminatum, neque verberibus, sed verbis conficiendum. Nam uxorem (quæ ei sola ex tam magna familia, *Uxoris in Iobum insultatio.*

levaminis gratià relicta videbatur) comuni plagâ adversarius exceptam voluit, usurus, non aliô, ad virum expugnandum aptiore instrumentô. Illa igitur, princeps antehac femina & regina, tot támque diuturnis calamitatibus fracta, memor pristinæ fortunæ, & præsentis egestatis, quacum conflictabatur, ut marito unguis esset in ulcere, suggerit amaro cum sarcasmo ultimæ desperationis remedium, ut post ultricia in DEUM convitia, sua sibi manu consciscat necem, sic finem tot malis inventum iri, hanc virtutis ipsius mercedem, hunc pietatis honorem esse. Hîc tum Iobus, qui nullam hactenus in dirissimis cruciatibus vocem ediderat, dolorum indicem, auditô mulieris nefariô consiliô, vultu ad severitatem composito: Quænam, inquit, est stulta hæc & impia suasio? hæccine tu ex mea disciplina & institutione? ita didicisti de Numinis providentia & sentire & loqui? *Si bona suscepimus de manu DOMINI, mala quare non suscipiamus?* An non æquissimum est de præpotenti manu, pari affectu fortunã admittere, sive blandientem, sive sævientem? ille læta mutat tristibus, tristia lætis, nunquam non pater, sive severiùs nobiscum agat, sive mitiùs; nostrum est in utraque sorte ipsum amare timendo, timore amando.

Iobus à cognatis regulis invisitur. Interea tanti Principis, aut regis potiùs calamitas non modò per Hussæam provinciam, sed longè latéque per omnem viciniã, rumore propagata, excivit cognatos, tres regulos, quorũ nomina *Eliphaz*, *Baldad*, *Sophar*; qui suscepto simul itinere, cùm ad mœnia urbis *Denaba* appropinquâssent, ecce tibi, Iobum regio sibi sanguine junctum, conspiciunt in fimeto sedentem, fœdè deformatũ, & ad extremum usque spiritum cum morbis & Orco luctantẽ; spirantis instar cadaveris. Hîc illi miserabundi, ejulatum & lacrimas edere, vestibus discissis, capiti pulverem aspergere, velut in funere luctum testari; mox humi se prosternere, septem ipsos dies calamitoso spectaculo attoniti assidere, reputantes animo, mirificam viri afflictissimi patientiam, & cum voluntate divina conjunctionem; qui ex fecundissima fortuna, ex amplissimis honoribus, quibus nuper affluebat, nunc illo felicitatis gradu deturbatus, fortunis omnibus exutus, liberis spoliatus, fœdissimis morbis oppressus, omníque miseriarum genere cumulatus, cunctorũ ludibrium & purgamentum abjectus esset. Diebus illis tristi silentio evolutis, insistunt disputare magis cum amico, quàm consolationem adhibere misero, eóque collimare argutationibus suis, ut ostendant, improbum omnino atque impium esse, existimare, à DEO longè Optimo Justissimóque, quemquam innocentem suppliciјs affici, adeóque miserias omnes & ærumnas Iobi in vitæ anteactæ pœnas, esse referendas; quibus ille sese opponere, vitę suę innocentiam,

innocentiam, quoniã ita cogerent, pertexere, docere, nequaquam Divinæ sive Sapientiæ, sive benignitati adversum esse, quòd calamitatibus exerceantur innocentes, & supplicia differantur nocentum. Disceptationi DEUS ipse silentium & finem imposuit, excitato turbine, pérque nubem oraculô editô, quô controversiæ sententia pro Iobo pronuntiabatur.

Is verò, Sathanâ in hunc modum turpissimè victô ac profligatô, pristinæ mox, aut meliori etiam valetudini restitutus, & de cœlo ob virtutem comendatus, cùm priore fortuna Amicos recepit; à quibus inter applausus & congratulationes reductus est in regiam, certatim omnibus inopiam eius munerum largitione levantibus, dignitatem ornantibus, atque amplificantibus; tantis quidem incrementis, ut fortunæ amissæ alterô tantô redirent copiosiores; exceptô filiorum & filiarum censu, quos eodem, quô priores, numero suscepit ex uxore, utique jam saniore; & tantò feliciore, quòd posteriores liberi, & pulchritudine præstarent, & indole; nec in terræ modò ampliorem, sed cœli hereditatem geniti; quibuscum parens rerum omnium affluxu, & præteritorum malorum recordatione beatus, centum insuper & quadraginta annos provixit, universim ducentos & septemdecim. Decessit anno Mundi 2544. Ante Ch. 1509. Sepulchrum habuit juxta Iordanem in regione Trachonitide, pyramide insignitum. Fuit is, Patriarcha populi DEUM extra Israëlitas colentis, sive genus ipsius spectes, sive vivendi rationem. Fuit Propheta, qui inter alia arcana, Oraculum de Resurrectione corporum admirabili claritate profudit. Fuit Martyr, non tantùm suppliciorum acerbitate, sed etiam caussâ. Fuit Doctor, & gentium Magister & verbis & factis. Fuit Sacerdos, cujus ipse munus sæpius pro filijs & amicis sacrificando ostendit.

Iobus felicitati restitutur.

Encomia Iobi.

DOCTRINA.

Vir erat in terra Hus. lib. Iob. c. 1. v. 1. Rara virtus est versari „ inter sceleratos sine scelere. Neq; enim, inquit Gregorius „ *moral. initio.* valde laudabile est bonum esse cum bonis; si- „ cut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse; ita „ imensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.

Rara virtus inter malos bonum esse.

Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: „ *Sit nomen Domini benedictum.* Ibid. v. 21. Tuba ductilis erat Iob, in- „ quit Augustin. *in ps. 97.* quando repentè percussus tantis da- „ mnis, tunsione illa tantæ tribulationis, tactus sonuit: Dominus „ dedit &c. ô sonum fortem, ô sonum dulcem! & Origines in *c. 1.* „ *Iob.* Dominus dedit, Dominus abstulit. Dedit sua, & iterum

Iobi conjunctio cum voluntate divina.

„ abstulit sua; ego nihil amisi, nullum passus sum detrimentum.
„ Meritò, postquam usus sum, reddidi mutuanti ea mihi, gratias
„ agens. Omne, quod placuerit DEO, bonum & justum est. Pla-
„ cuit illi, ut daret? benè placuit. Placuit illi itidem, ut auferret?
„ justè placuit. Sic oportet omnes Christianos dicere, facere,
„ cogitare.

Si bona suscepimus de manu DEI, mala quare non suscipiamus? Iob. c. 2. v. 10. Eadem DEI voluntas est, quæ mulcet, & quæ pungit: quæ muneratur, & quæ punit. DEUS æquè pater est, & æquè bonus ac liberalis, cùm negat, & cùm annuit: cùm recreat, & cùm flagellat: cùm vulnerat, & cùm sanat. Origenes *in eundem*
„ *locum* ait: cùm tibi (uxorem Iobus alloquitur) esset honoris
„ sublimitas, cùm gloriâ lætareris, cùm in delicijs degeres, cùm
„ multitudo te antè & retro, de palatio exeuntem, & illò re-
„ vertentem, cum honore exaltans circumdaret: cùm filij ante
„ oculos gaudio te replerent: tunc non dixisti, ô mulier; dic ver-
„ bum, & morere; tunc mortem omnino nec nominari, nec au-
„ diri passa es. Subdit. Nescis, neque credis DEI bonorum pro-
„ missionibus, quæ de longè videt eius æternitas.

Feminarum est maledicentia.

Convitia ab uxore in Iobum sparsa, feminarum supellex sunt, ait noster Pineda *in hunc locum.* Et Aristoteles *lib. 9. de histo-*
„ *ria animalium.* Mulier magis invida, & querula, & maledicentior,
„ & mordacior est; præterea anxia & desperans magis, quàm
„ mas; atq; impudentior, & mendacior, & facilior decipi, memi-
„ nisséque aptior.

Bona malis temperãda.

Si bona suscepimus &c. Hæc est illa bonorum, malorúmque collatio, quam ad animi tranquillitatem, ægritudinem, consolationem Philosophi magnopere commendant. Plutarchus sapien-
„ ter *de tranquill. animi.* Debemus, ait, in animo, sicut in ta-
„ bula picta varijs coloribus res floridas, & splendidas ob ocu-
„ los ponere, atque ita intexere & premere, quando expungere
„ omni ex parte, atque obliterare non licet acerbas. Est enim
„ mundi, ut lyræ concentus, & ut musica sonis gravibus constat
„ & acutis, ita calamitosorum cum prosperis mixtura jun-
„ genda.

In omnibus his non peccavit Iob labijs suis. Iob. c. 2.

Vir fortis est immutabilis.

Quemadmodum amnes, flumina, fontes non mutant saporem maris, ita rerum adversarum impetus, viri fortis non vertit animum. Manet ille in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit. Quid fortius illa Herois huius voce? *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Iob. 13. Tametsi DEUS mecum sic agat, ut desertus, rejectus, omni gratia excussus videar, ego tamen in Domino sperabo. *Si consistant adversùm me castra, si exurgat adversùm me prælium*

me prælium psal. 28. si totus in me malorum ruat exercitus, *ego tamen in Domino sperabo.* Fulminet super caput meum cœlum, aperiantur subtus me profundissimæ abyssi, Orcus suas in me vires exerat, Mors ipsa crudelis me succidat, *Ego tamen in Domino sperabo.* Ut omnia rapiat adversarius, spem tamen non eripiet. Exturbari potest anima, non evelli spes.

NARRATIO XXII.

MOSIS ORTUS, EIUSQUE AD PHARAONEM, ÆGYPTI REGEM LEGATIO.

Exodi 1. 2. 3. 4.

Anno M. 2451. ad Annum 2543. ante Ch: 1570.



ISraëlitæ, postquam in Gessenam, Ægypti regionem descenderunt, annorum centum & decem intervallô, in immensum excrescentes, benevolis semper regibus usi sunt, Iosephi meritorum in Ægypto gratâ memoriâ. Post cuius decessum alius Pharao, propria nuncupatione *Amenophtes* vel *Amenóphis* Ægyptijs imperavit, perinfensus Hebrææ genti, quam pecunijs primùm exsuxit; deinde mutuum sumere coactos, nec tamen solvendo pares, per creditores in nexum, nervum, servitutem traxit. Per operum quoque locatores, mercede justa defraudantes, ad acerbitatem & laboris detrectationem eos perduxit. Detrectantes nihilo feciùs ad opera per exactores & præfectos adegit: ut luto subigendo, látere coquendo, saxis cædendis, calce miscenda, convectando sabulo, corradendis arenis, egerendo limo, glebis effodiendis distinerentur: & quidquid in omni regno sordidi negotij, vel despecti ministerij reperiri posset aut excogitari, manibus id Israëliticis universum tractaretur. Id ni facerent, tergo luerent. Additum crudelius imperium obstetricibus, ut Hebræos masculos omnes, simul àc editi forent, elisis faucibus suffocarent. Quam barbariem cùm obstetrices, pijs fraudibus elusissent, ipsis mandari parentibus cæptum est, inaudita legis immanitate, Parvulos ut mares statim ab ortu, Nilo demergerent: femellas, Ægyptiorum famulitio, libidinique reservarent. Qui secus fecissent,

Pharaonis seu Amenophis in Israëlitas tyrannis.

fecissent, capite luerent. Cùm autem ne sic quidem Hebræa virilitas imminueretur, tyrannus structurarum & ædificiorum omne genus (præter duas urbes *Phithonem* ac *Ramessen*, opum & thesaurorum custodias, eductas) comentus est, in alijs insuper urbibus ac castellis instaurandis, permuniendis, obvallandis, Nilo in multas fossas diducendo, & aggeribus eas cingendo, ad miseros diris modis delassandos; donec uno, trigintáque regiminis expletis annis, infelicem animam Tartaro, vicissim torquendam transmisit.

Pharao Cenchris.

Quem in regno post alios secutus est *Cenchris*, cognomento & ipse Pharao (nam hoc nomen commune omnibus Ægypti regibus) eousque progressus est immanitatis, ut Israëlitæ, qui sub jugo tyrannidis hucusque regum aliquot servierant, sub isto potissimùm gemuisse, tanquã in fornace ferrea, perhibeantur. Quibus ærumnis finem ut DEUS faceret, *Mosen*, *Amrami* & *Iochabedæ* filium, *Levi* nepotem, libertatis vindicem adhibuit Anno M. 2543. Ante Ch. 1510. Eius ortus ita se habet.

Moses infans in fiscella Nilo flumini cõmittitur.

Satellites Ægyptij tertio quoque mense Hebræorum domus scrutantes, curam injecerant parentibus, ut infantem (tunc nominis expertem) ob oris venustatem, sagaci tegerent custodia, ne rumor nati, ne vagitus flentis, ad cujusquam aures exirent. Quando verò ad eam ventum erat necessitatem, ut incertæ morti puerum committere præstaret, quàm illum, totámque familiam tyrannico furori obijcere, mater filiolum in fiscella seu corbula de scirpis contexta clausum, rimis diligenter bitumine & pice óblitis, demittit in Nili, quà tenuissimus tunc amnis ripam lambebat, vadum, & in carecto abscondit, datis filiæ puellæ mandatis, ut, quid illo tandem futurum esset, velut aliud agens, cominus exploraret.

Thermutis Armenopthe filia, jubet tolli infantem.

Fortè sic res, imò cæleste consilium tulit, ut eodem illo, quo puer expositus erat die, *Thermutis*, Armenopthæ regis filia secundùm flumen descenderet, meridiani temporis calorem lavacro temperatura. (Nymphæum ad Nili ripam fuisse videtur, parietibus circumunitum.) Igitur illa cùm in hærentem carici fiscellam incidisset, & aperuisset, vagientem in ea puerum, forma conspicuum invénit, & ex abscecta pellicula, statim Hebræum esse cognovit. Partim autem misericordia stimulante, quam infantis decoræ lacrimæ provocabant; partim, quòd liberis ipsa magnas inter opes, carens, ex adoptione saltem, sterilitatis remedium quæreret, tolli parvulum jussit, ac nutriri. Puellæ sororis accurrentis, & operã suam in adducenda nutrice pollicentis, sedulitate factum est, ut eum non alia lactaret, quàm eadẽ illa, quę pepererat. Hæc à lacte tandẽ depulsum Thermutidi reddidit; quæ

Mosis

Mosis seu Moysis ei nomine (propterea quòd ab undis extractus esset) haustô, filium adoptavit. Septimum deinde ætatis annum ingressum, superinductis instructoribus, Ægyptiorum omni litteraturâ curavit imbuendũ, & liberalibus in Aula disciplinis expoliendum. Qui postquam adolevit, nuntium Aulæ regiæ remisit, & idololatrarum profana cōmercia vitans, Israëlitarum cœtus frequentavit. Unde Sacrificulorum Ægyptiorum indignatione, criminationibúsque labefactatus, regíque delatus, quod Ægyptium quendam, Hebræi percussorem, neci dedisset, ut supplicio se subduceret, ex Ægypto in *Madianitida* regionem profugit, ibíque *Raguelis*, cognomento *Jethronis*, filiâ *Sephóra* in uxorem ductâ, ex eáque duobus susceptis filijs, gregum soceri sui custodẽ & pastorem in solitudine *Pharan* egit. *Moysi unde nomen.* *Ex Aula profugit.*

Nam Moses sibi, Deóque vacaturus, vitæ sese pastoritiæ addixit in regione, ubi minimè nosceretur. Fortè sederat ad puteũ fatigatus, cùm supervenêre septẽ filiæ Sacerdotis Madianitici, Viri Principis, ad hauriendã aquã Mose officiosè earũ operã adjuvante. Cúmq; cuperent greges adaquare suos ex alveis, quos undâ repleverãt, prohibentur à pastoribus, alieno labore per vim fruituris. Moses, qua erat & corporis dignitate, & animi robore, insurgit unus contra plures, fugátque rudem & agrestẽ ferociã. Puellę beneficiô hominis peregrini domũ nuntiatô, jubentur à parente redire ad fontẽ, & invitare in ædes hospitẽ tã humanum. Eius presentia adeò delectavit Jethronẽ, ut filiarũ unam in matrimoniũ ipsi daret; vicissímque à genero veri Numinis cultũ jam tum, ut Salianus vult, acciperet, anno scil. Mundi 2506. Exod. 2. Interea Moses custodẽ pecoris agere perseveravit, annos omnino 40. Donec anno M. 2543. ad radices Horebi montis (qui pars est jugi Sinæi) pascenti, Angelus DEI vices repræsentans, in rubo flagrante quidẽ, nec tamen conflagrante, aspectabilẽ se fecit, denunciavítq;, iret legati munere regẽ ad Ægyptiũ, Israëliticę gentis oppressorẽ: ut illius sive gratijs, sive (quod certiùs futurũ) ingratijs, Hebræos omnes ex Ægypto deduceret in opulentas Palæstinæ regiones. Adversùs id imperium, humili de se ipso sensu, nitentem Mosen, & excusationibus super imperitia sua, varijs tergi versantem, animat gemino, novóque prodigio; primùm quidẽ, virgæ pastoritiæ; quam projici jussam, verti vidit in colubrum, ac de colubro rursus in virgæ naturam, formâque reverti. Deinde manûs in sinum suum immissione mundata: quam Moses primò, leprâ coopertam retraxit; altera mox retractione penitus sibi restitutã, ac sanã recepit; adjecta his pollicitatio, Nili fluminis in sanguinẽ olim transmutandi, & fratris ei Aaraonis eloquentiã valentis *Exod. 2.* *Moses pastor* *Exodi. 3.* *Legatus à DEO ad Pharaonem destinatur.*

valentis (linguæ enim balbutiem excusârat Moses) adjungendi.

Tot ac tam gravibus exstimulatus hortamentis Moses coacto Procerum Hebræorum & Seniorum cætu, expositóque mandato sibi cælitus commisso, baculíque in viperam versi, & manus in sinum immissæ leprâ correptæ, luéque depulsa retractæ; Nili præterea haustæ lymphæ repentino cruore infectæ, specimine edito, cum Araone fratre, omnibus approbantibus, ad Pharaonem regem adit DEI mandata disertis verbis exponit: Israëlitarum omne nomen, itinere triduano, poscit in Arabiæ deserta emitti; DEO cæli victimis illic certis, ac lege præscriptis, sacrificaturum. Ad quæ postulata Tyrannus graviter excandescens, eos non tantùm à se repulit, ejecítque; sed mox diriùs etiam Hebræos haberi jussit, adigíque ad stipulas, paleas, & omnis generis quisquilias undique comportandas, sectásque luto miscendas, & laterum pensum severiùs præstandum; instantibus operum præfectis, quà verberibus, & nudata terga, loris ac flagris scindentibus. Ita furentem Tyrannum, cùm Moses & Aaron, mandatô divinô, rursus convenissent, & populi dimissionem nequicquam ursissent, denique expugnandæ, plectendæque pertinaciæ, ad prodigia & supplicia ventum est. Nam Vindicta divina à mitioribus remedijs ad acriora; & à minoribus supplicijs ad extrema procedit.

Repellit legatos Tyrannus.

DOCTRINA.

SUrrexit interea rex novus, qui nō noverat Ioseph Exodi c.1. v. 8. Citò mortalibus subrepit beneficiorum oblivio. Iosepho servatam in fame Ægyptum debebat rex, & Ægyptij, & quidquid præterea felicitatis sapientissimi Proregis providentia contulerat; sed homines beneficia pulveri, maleficia inscribunt marmori. Humana gratia tardissimè acquiritur, celerrimè perditur. Accepisse quidam putant injuriam, si bene de se merentium jubeantur meminisse. Multum pro beneficio rependit, qui agnovit.

Ingratitudo mortalium.

Sed cur DEUS tam dura & diutina servitute permisit Hebræos opprimi in Ægypto? Primò propter impios mores, quos nonnulli eorum imbiberant apud Ægyptios, quorum *Apin* & idola colebant. 2. Stimulus addebatur hac servitute aversandi idololatras, & ad promissam Chananitidem; desideria convertendi. 3. Ut in longi servitij pretium facultas daretur spoliandi Ægyptum indéque ditescendi. 4. Ut offerretur occasio, plurima & maxima edendi portenta per decem plagas Ægypti, ad patefaciendum toti Orbi Numinis potentiam & vindictam in impios; paternam

Cur DEUS tam dura & diutina servitute opprimi Hebræos permiserit.

paternam clementiam in suos. 5. Ut cresceret Hebræorum virtus rebus adversis. *Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur.* v. 12. 6. Ut hoc quasi felle, mel & deliciæ Canopi redderentur insipidæ Hebræis, ne postliminiò ad eas anhelarent.

Vexatio dat intellectum; Prosperitas januam aperit ad vitia; labor & afflictio acuit mortalia corda.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua comoda mente pati Ovid. lib. 2. de arte

„ Prospera, teste Gregorio *Pastoral p. 1. c. 3.* sæpe per tumorem cor „ inquinant, adversa per dolorem purgant: in prosperis se ani- „ mus erigit; in adversis etiam, quando se erexit, sternit; in „ prosperis homo sui obliviscitur; in adversis, nolens etiam „ coactúsque ad sui memoriam revocatur. In prosperis sæpe „ & anteacta bona depereunt; in illis autem longi quoque tem- „ poris admissa terguntur. Hæc ille.

DEI providentia ergà Mosen infantulum.

Non casu Moses in viminea fiscella expositus, à filia Pharaonis repertus, & adoptatus est, ínque ipsa aula educatus; ut aliquando de parvulis secum in flumen abjectis, vindictam sume- „ ret. Novum miraculum, inquit Augustinus, filia parricidæ „ fecit opus maximum misericordiæ; non est sapientia, non est „ prudentia, non est consilium contra Dominum.

Moses haud injustè occidit Ægyptiũ

Moses virum Ægyptium jure occidit, quippe auctoritatem ex divina inspiratione, & judiciariam potestatem adeptus, quamvis nondum satis evulgatam. *Fecit ultionem*, inquit S. Stephanus Actor. 7. *percussò Ægyptiò; existimabat autem fratres (Israëlitas) intelligere, quoniam DEUS per manum ipsius daret salutem illis.*

DEUS linguam facit esse disertã.

Moses Exodi 4. v. 10. & c. 6. v. 12. honorificæ legationi detrectandæ quinque defectus suæ linguæ accusat. 1. quòd esset dicendi jejunus. 2. quòd inelegans. 3. quòd tardiloquus. 4. quòd exili & gracili voce. 5. quòd linguæ hæsitantis & balbutientis. Hac tamen quantumcunque tardescente lingua omnem Ægyptiorum & facundiam, & sapientiam in ruborem dedit; nam DEO moderante sermonem, quævis infantia, facunda fit & eloquens.

Deus suos exercet duris.

Moses fugiens, moratus est in terra Madian. Exod. 2. v. 15. Mosen egressum aulâ, glomeratim invadunt paupertas, ignominia, contemptus, non ab Ægyptijs tantùm, sed & ab ingratis Israëlitis, insidiæ regis, pericula mortis, fuga, exilium; minimè tamen labefacta est vel pietas, vel constantia. Nimirum DEUS, juxta dictum veteris Anachoretæ, non solet alicui quid magni conferre, nisi prævia calamitate. Et Hugo Victor. *l. 3. Didascal. c. ult.* Delicatus,

„ licatus, inquit, ille eſt adhuc, cui patria dulcis eſt : fortis verò, „ cui omne ſolum patria eſt : perfectus, cui mundus totus exi- „ lium eſt. Ille mundo amorem infixit; iſte ſparſit ; hic extinxit.

Solitudo conjungit cum DEO hominem.

Moſes in deſerto venit ad montem *Horeb*; myſticum vidit rubum ardentem, & non conflagrantem. Cæleſtis Philoſophia ſeceſſum requirit. Quantò quis remotior à Mundi turbis, tantò propinquior eſt DEO, & Divinorum capacior.

Rubus ardens, imago magiſtratûs.

Ignis in rubo, eſt Rector populi : in eo conjunctæ ſint ſapientia ad regendum, ut ignis illuminans ; & Rubus, ſpinis ſeveritatis & juſtitiæ delinquentes coërcens ac puniens.

Demiſſio animi.

Mirificam illam, & thaumaturgam Moſis manum, DEUS leprâ infecit, ut oſtenderet, prodigioſa opera, non hominis viribus, ſed DEI potentiæ tribuenda. Nemo aptior ad efficienda maxima, quàm qui ſentit de ſe minima.

Moſes Deus Pharaonis.

Ecce conſtitui te DEUM Pharaonis. Exod. 7. Quanta poteſtas ſervorum DEI! qui factis mirabilibus, & nomen & vires ſupremi rerum Domini repræſentant. Moſes timuit ante oculos Pharaonis conſiſtere; & ecce cum legationis munere, non verba tantùm, ſed opera tremenda Regi Ægyptio oſtendit; ita ut Numinis inſtar terrorem ſui injiceret puniendo : ideóque ſerviliter timeretur à tyranno barbaro, & demiſsè obſervaretur, plagis ut faceret modum.

NARRATIO XXIII.

DECEM PLAGAE AEGYPTI

Exodi 7. 8. 9. 10.

Anno M. 2543. Ante Chriſtum 1510.



POſteaquam miſſionem deneganti Pharaoni, & inani potiùs cupiditate, quàm obſequendi voluntate, legationis indubitabilem veritatem, jubenti prodigiis obſignari, innoxia primùm ſpectacula exhibita fuerunt, virgâ Moſis paſtoritiâ, ab Aaraone ante Regis oculos projectâ, & in ſerpentem converſâ, colubróſq; magorum incantationibus productos, devorante ; horrendæ tandem plagæ & obſtinato Tyranno, & toti Ægypto incubuerunt, excepta regione Geſſenâ, ab Hebræis inhabitatâ. *Prima* itaque

Nili, mutatio in cruorem.

itaq; *plaga* fuit, Nili virgâ Moseâ percussi mutatio spissum in cruorem; cujus unda, piscibus & crocodilis extinctis, putrefacta, ad potum inhabilis Ægyptijs est effecta. Quæ pœna cæteras etiam aquas, lacustres, fluviales, ac fontanas involvit: ut ad effodiendorum fontium novorum laboriosam necessitudinem adigerentur Ægyptij.

Non multò pòst ijsdē in undis, è quibus primùm cruor eductus fuerat, *Ranarum* imanis protracta multitudo; coaxatione, lue, sordibus, ac saltu, quidquid in Ægypto publicum erat & penetrale, complet; ne cubilibus quidem, lectulorúmque recessibus illi fæditati relictis inaccessis. *Ranarum fæditas.*

Ranas secuti sunt *Cinipbes*, seu culices è terræ puluere producti; genus animalculi minutissimi, pennatum; quod in aëre suspēsum, ingentium instar nubium, sed si singuli volent, oculis indeprehensum, stimulet priùs ac vulneret, quā prævisum caveri queat. Eorum examina, velut extensa nubes, totam obumbrabant Ægyptum, aculeatis corpora stimulis terebrantes, nares etiam auréssque pervadentes, & in oculos involantes. *Cinipbum plaga.*

Ciniphibus *Muscæ* successerunt, omnis generis ac nominis: muscæ, quæ copiâ, volatu, proboscide, maculis, & inquietudine; quin & admorsu, linctúque fœdo gravabant homines, mordebant jumenta, contaminabant mensas, inquinabant vestes ac vasa, pervagabantur omnia: Terram tantumodò Gessenā relinquebant intactam. Quod idem discriminis alio quoq; tempore videre fuit, Ægyptios inter & Gessenos inquilinos. Cùm illos quidem, muscis jam depulsis, pecorum *pestilitas* ac strages; humanorum item corporum *ulcera* turgentia torquerent: Cùm itē magnitudinis inauditæ *grando*, fulminum discursu mixta: grandinísq; succedens *locustarum* innumerabilis multitudo; post locustas verò *tenebræ* triduanæ densissimæ cruciarent. Hebræis autē in Gesseno tractu, suum pecus, sanitas, segetes, horti, lúxque serenissima constarent indemnia. Graves hæ, non antehac mortalibus auditæ cōpertæque plagæ, necdum quidem obstinatum regem, & Ægyptios permoverant: ut æqua mente, quod Israëlitæ petebant, eis concederent; fluctuante Pharaone semper animo, & nunc abitum promittente, mox negante, ac pernegante: nunc portentis territô, ac pertinaciæ pænitente; paulò pòst in veterem pervicaciam relapsô, tanquam ludus quidam ac voluptas esset, *Iratum variè sentire DEUM.* *Muscarum.* *Pestilitatis* *Vlcerum.* *Grandinis.* *Locustarū.* *Tenebrarū.*

Ad insitam Tyranni cruditatem, & moribus sævis irroboratā duritiē, haud parùm momēti attulerunt, consultores mali, pessima regiarum pestis, duo superstitionum Ægyptiarum presides, ac sacrificuli, *Iannes* ac *Mambres* perpetui Mosis ac divinæ Legis oppugnatores. Erant hi præstigiatores ac Magi, simiæq; Mosis & *Magorum Ægyptiorū incantationes.*

Aaronis, conati, quidquid egiſſent illi, Tartareis & ipſi viribus agere: miraculorum verè divinorum eluſione fallaci. Tentârunt hanc eluſionem impoſtores illi, quoad Numinis permiſſu conceſſum eſt: virgarum in viperas mutatione, rivorum in cruorē converſione; ranarum ex undis evocatione: Ciniphum autem è pulvere ſuſcitaturi copias, altiore vi prohibiti, defecerunt: *DEI digitum illic*, non hominis aut Dæmonis operam eſſe, confeſſi. Peſte verò jumentis, & ulceribus immiſſis Ægyptiæ genti, ne conſiſtere quidem coràm Moſe ſano valentéque, nedum incantare Magi ſuſtinuerunt, doloris magnitudine ſubigente.

Iſraëlitę ſpoliant Ægyptios. Has inter DEI Legatorum, ac Regis contentiones atq; certamina, dilapsô jam annô, Moſes Numinis præceptô profectionem indicit ſuis: qui ab Ægyptijs, ad ea, quæ forent in futurum exſequenda ſacrificia, multa vaſorum ſuppellectili, tum ex auro, tum ex argento, veſtibúſq; pretioſis mutuatis, pretioſiſſimis eos rebus ſub ſpecie mutui exſpoliràunt, DEO, Prætore ſummo, jus dicente, cujus eſt terra, terræque plenitudo. Cæterùm atrociſſima prę ceteris plaga hunc in modum inflicta eſt. Agnus ubi præſcriptus in cænam, ex lege ritúque conſumptus ab Hebræis erat, lumborū tenus præcinctis, manu baculos tenentibus; mediô noctis intempeſtæ curſu, ſilentibus omnibus, altúmq; ſtertentibus, Angelorum ſub unius è præcipuis vexillo, repentè de cælo decurrit innumerabilis exercitus. Hic ſomnijs primùm horrendis, Ægyptiorum perturbat quietē. Mox diſtrictis imperij divini romphæis, quid-*Cædes primogenitorū Ægypti.* quid in Ægypto tota *primò natum* aut jumentorum eſſet, aut hominū, inaſpecta trucidat plaga: thalamis ac ſtabulis Hebręorum, quorum poſtes Agni cæſi ſacro cruore erant illiti, cunctis prætermiſsis. In ea ſtrage Pharaonis quoque cecidit filius, in ſpem ac ſucceſſionem imperij deſtinatus. Clamor erat morientium, cum clamore parentum mixtus; & ululatu veſano, planctibúſq; cœlum feriebatur; illętabilis ubiq; queſtus, confusíque luctus ac funera.

Iſraëlitarū ex Ægypto feſtinatus diſceſſus. Primus Pharao cum Optimatibus, mox omnis Ægyptus urgere Hebræorum abitum, rogitaréque, ne cunctarentur; neque venerat in mentem, ut quæ paucis antè diebus pretioſa vaſa cū veſtimentis ac ſupellectili commodatò dederant, ea nunc, ante profectionem repeterent. Haud minori ſtudio, quàm urgebatur, Iſraëlitæ quoque diſceſſum feſtinabant; raptim omnes ac ſinguli, pro ſe quiſque pecora ſua, filios, jumenta, ſarcinas, ac, quæ portari poſſent, fortunas eripere. Quòd verò cocti jam cibi nihil, niſi quod ſale forſan condîtum, & in diuturnitatem ſepoſitum eſſet, ad manum occurreret, farinam conſperſam, & aquâ tantummodò, ſine fermenti mixtura, madefactam pallijs involvere: tum humeris injicere, ſive ſuis, ſive famulorum & ancillarum.

rum. Inter cetera verò, quorum simul efferendorum eos cura stimulabat, non oblitus est Moses ossium, reliquiarúmq; corporis Iosephi, castissimi Patriarchæ, ne voluntatē ipsius supremam præteriret. *Et alioquin vivorum felix comes est, Vir Sanctus, etiam extinctus*: quippe virtute cęlestis hominis in mortuis etiam ossibus, adhuc spirante.

DOCTRINA.

INduravit Dominus cor Pharaonis. Exod. 9. & alibi. Induratur, qui à DEO suæ voluntati permittitur, & gratia subtrahitur, quâ cor emolliretur. Ita sol indurat lutum, exsugendo humorem, qui temperabat, & molliebat. Cornel. in hunc loc. Sicut pueri nequam, & pervicaces verberibus fiunt duriores, ita scelerati flagellis à DEO incussis.

Cordis duritiem depingit D. Bern. *lib. 1. de Consid. ad Eugen.* „ Cor durum, inquit, est, quod nec compunctione scinditur, nec „ pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, quin „ etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad bene„ ficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad „ turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, teme„ rarium ad divina: præteritorum obliviscens, præsentiū negli„ gens, futuorum improvidum; & ut brevi cuncta complectar, „ cor durum est, quod nec DEUM timet, nec homines reveretur. *Cor induratum quid sit*

Obstinata pravitas non audit salutaria monentes; *lætatur, cùm malè fecerit, & exultat in rebus pessimis* Prov. 2. *contemnit, cùm venerit in malitia profundum.* Prov. 18. proscribit pudorem, emendationem nescit, conscientiæ stimulos non sentit, vitiorum catenam è con„ suetudine nectit. Tunc est consumata infelicitas, ait Seneca, ubi „ turpia non solùm delectant, sed etiam placent; & definit esse re„ medio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mores fiunt. Denique fit unus iræ divinæ & peccatorum cumulus.

Hinc, quæ diligentibus DEUM, cooperantur in bonum. Rom. 8. cedunt improbis in supplicium. Sugunt inde venenum, unde probi remedium; hinc malarum libidinum felices successus, caducarum opū affluxus, rerum secundarum inturbati cursus; adulantium palpi, malè suadentium doli, pravorum exempla, bonorum odia; insidiantis Orci frequentes insultus, & validi, quia nullis piorum hominum, vetante DEO, precibus repulsi.

Symbolicè DEUS punit peccatores decem plagis. 1. sanguine, id est, discordiâ: aquę enim potabiles Ægyptijs in sanguinē conversæ signabāt discordiā in intima Reip. viscera ac venas serpentē. 2. Ranis, id est, rixis & tumultibus, qui ex discordia manant. 3. culicibus, id est, curis & sollicitudinibus, quæ peccatores mundo *Decem symbolica peccatoris plaga.*

 & carni

& carni deditos pungunt & discruciant. 4. muscis caninis, id est, ira & odijs, quibus æstuant, & invicem mordent ac laniant. 5. peste animalium, ut scil. in rebus terrenis oblectamenta, quæ quæsierant, non inveniant, sed potiùs in ijs fastidia, damna, dolores, & tormenta sentiant. 6. Ulceribus vesicarum, id est, stimulis consciētiæ, quæ quasi ulcera dolorem simul & pudorē ac horrorem afferunt. 7. Grandine, id est, obstinatione in suis sceleribus. 8. locustis, id est, tyrannide & inquietudine concupiscētiæ. 9. Tenebris, id est, cæcitate mentis. 10. Morte primogenitorum, id est, damnationis animæ. Sicut enim primogenitus in paterna domo, est princeps; sic animus est in homine. Ita Alcazar in Apocal. 11 n. 8.

NARRATIO XXIV.

PHARAONIS AEGYPTII

REGIS CUM EXERCITU SUO, IN MARI rubro submersio; Israelitarum per illud siccus transitus.

Exodi 14. A. M. 2544. Ante Christum 1509.

REstat postrema, omniúmque gravissima Ægyptiorum plaga, & funestissimus tragœdiæ exitus. Cùm jam nihil esset, quod moraretur Hebræos, Ægyptijs insuper impellentibus, dant se in viam. Agmina prima puerorum erant, ac mulierum, & seniò confectorum. Millia deinde plus quàm sexcenta, robustorum in prœlio virorum, qui quini per seriem & ordinem militarem incedebant. In medium agmen impedimenta receperant, in quibus & greges erant & armenta pecorum ac jumentorum. Claudebat expeditionem promiscuæ multitudinis, servitiorum, vernarum, & qui se volones ex Ægyptijs melioribus adjunxerant, exercitus innumerabilis. Ad vicies centena millia, turbam omnem abeuntium ascendisse, non absurdè arbitrantur doctiores. Exibant autem lætissimi, quòd à tergo suo nonaginta trium annorum durissimā servitutem relinquebant; à fronte verò, Libertatis amplissimā sibi januam viderent apertam. Recreabat imprimis oculos, animósque nubes lucidè densa, quam in columnę quoddā altissimæ simulacrum erectā, ac principiò statim profectionis divinitus

Multitudo exeuntium ex Ægypto.

præire

præire jussam, Angelus itinerum moderator insidebat. Hæc de die quidem, lucis ac spissitudinis temperamentô: de nocte verò flammante fulgore, conspicuam se præstabat. Eâ proinde columnâ, sed magis Angelô, Deóque ducibus, non rectâ viâ Palæstinam petebant, cùm nollet DEUS, præliorum minùs, quàm flagellorum scientem populum, Philistæorum bellicosæ gentis occursu proteri, sed eos per ambages, & loca deserta, retrorsum expeditione flexa, circumduxit.

Duces itineris Ignis & Columna nubis.

Tertiô, postquam profectionem iniverant, die, Pharao per exploratores compertô, non id ab Hebræis agi, ut Numini suo litent, sed ut occultâ se fugâ dominis subducant, indignatus suęmet, quâ tam inconsideratè multitudinem tantam dimisisset, indulgentiæ, quidquid virium per summam celeritatẽ contrahere potuit, contraxit, & adversùm fugientes eduxit; In cetero terrore quadrigarũ rotarúmq; fomidabiliũ, erant sexcẽti falcati currus; ex his gladij prominebant & hastę, crudeliter accursantes laceraturæ. Iosepho teste, scutati Ægyptiorum pedites ducenta millia, equites quinquaginta millia impleverunt.

Insecutio Pharaonis.

Sextus ibat à suscepta profectione gentis Hebręę dies; quo die stabant hi quidẽ, Columnâ nubis antistite, supra rubri maris orã, subjectos insani freti fluct⁹, oculis, ac mente futurorũ incertâ, despectantes. Rex autẽ, & Ægyptus armata, cùm in fugitivorũ tergis hærerent; ingénsque omniũ pavor, & adversùm Mosen expostulationes orirentur, Angelus se in Columna nubis, mediũ inter Hebræorũ terga, frontémq; barbarorũ insequentium collocavit; illos quidẽ, longè latéq; fuso lumine antrorsum illustrans, ut certo vestigio graderentur; in hos verò tenebras à columnæ dorso spargẽs, & spissę caliginis interpositu, fulgurúmq; terroribus viã prępediẽs. Ibi tum Moses, cùm priùs ad mittendũ conceptũ pavorẽ, & ponendã in Deo fiduciam suos adhortatus fuisset; manum, quâ solitam sibi virgã tenebat, super Erythræi maris æquor extendit; quod continuò in geminũ latus discedens, utrinq; se, murorum in formam & altitudinẽ erexit, undísq; sublimè suspensis, siccã transeuntibus Israëlitis viã pandit; trepidantẽ multitudinem præeunte *Mose*; mox *Aminadábo* Iudęę tribus principe, cæterísq; horũ exemplô certatim subsequentibus; quos dum caliginosæ nubis protectione munitos insequuntur hostes; & alij Hebręorum in littus evadunt; alij pendentes inter gurgitum montes viribus summis, ne vel à fluctibus coëuntibus, vel ab imminente cervicibus Pharaone intercipiantur, effugium intendunt; alijs, num pergerent fugientes, an potiùs ultro se Pharaoni dederent, ambigentibus; ecce tibi è columna nubis Angelus, medias inter tenebras, quas Ægyptijs opposuerat, terribilem formam, & mortali quacunq; specie venerabiliorem oris majestatem indutus, minacibus primùm ac flam-

Transitus per mare Rubrum.

mantibus oculis perstringere cœpit hostem; mox conglobatis spississimis undequaque nubibus: & infrà quidem frémente mari, superiùs autem æthere tonante, crebri fulminum, ignitorúmque telorum ac lapidum jactus in hostica spargebantur ora, tempestatem horribilem intorquente, castrorum, quem dixi, Angelo mirificæ nubis insessore. Strages erat vnà virorum, equorum, curruum falcatorum, ac militarium quadrigarum. Feriri fulminibus equites, pedites, jumenta, tela: subverti currus, & in frusta dissilire rotæ. Clamor interim, & increpatio, Pharaonis; ringentis victoriam turbari sibi. Clamor invicem & ducum ac bellatorum; Pharaonis irritum imperium esse, vociferantium, & ad fugam potiùs ac receptum, quàm ad pugnam mutuò sese cohortantium, DEUM enim cœli bella gerere pro suis Hebræis. Jámque pergentibus alijs ad imperata regis exsequenda, plerisque verò regressum in littus Ægyptium urgentibus; inter se studijs ac vijs diversis impliciti, nec quid agerent, omitteréntve, nec quorsum viam intenderent, Ægyptij certum habebant: pergentibus interim, ac summa celeritate nitentibus in littus extremum Israëlitarum residuis. Pharaonem, tandem ipsum cœlum, mare, strages exercitûs, ac victoriæ desperatio compulerunt in fugam. Sed hanc interclusurus DEUS, in medio recedendi furore, mandat Mosi; Virgam suam pastoritiam ac manum, super undas explicaret: quàque vià se reciperent Ægyptiarum legionum reliquiæ; fluctibus utrinque stantibus missionem daret, ac reditum in locum suum. Id exsecutus Moses, sub ipsum surgentis solis ortum, Pharaoni cum suis omnibus induxit occasum. Recurrentibus enim, quà fugiebant illi, conjunctísque denuo fluctibus; Cenchres rex, & quotquot tempestas cœlestis reliquos fecerat, cum omnibus bellici furoris instrumentis, apparatúque, sepulti sunt, Arabici sinûs voragine, ne nuntiò quidem tantæ cladis superstite emergente. Hebræi enatantia cadavera læti spoliârunt, armatísque detractis, quæ proxima nocte formidârant, telis, salutem ex inimicis induerunt; loricas illas, & galeas, ac thoraces ferreos in sui tegumenta vertentes, quæ fornaces olim Ægyptiæ procuderant in eorum exitium. Secutum est epinicium, Mose quidem viris, *Mariâ* vero Mosis sorore, suo sexui præcinentibus. Hic finis Cenchræ fuit Pharaonis; Regis quondam Ægyptiorum; exagitatoris Hebræorum; contemptoris magni DEI; ludificatoris divinæ voluntatis; contumacium omnium exempli singularis; & hodie Tartareæ fornacis incolæ; cujus ille sempiternos ad ignes, descendit, Ægypto comite, medias per undas.

Turbatio Ægyptiorum.

Ægyptiorum submersio.

DOCTRINA

DOCTRINA.

S. Bernard. serm. 39. in Cant. comparat Pharaonem cum diabo-
,, lo, Ægyptum cum sæculo, seu Mundo. Ibi, ait, populus e-
,, ductus est de Ægypto; hîc homo de seculo. Ibi prosternitur
,, Pharao; hîc diabolus. Ibi subvertuntur currus Pharaonis; hîc
,, carnalia & secularia desideria, quæ militant adversùs animam,
,, subruuntur. Illi in fluctibus; isti in fletibus. Marini illi; ama-
,, ri isti. Puto & nunc clamare dæmonia, si fortè contingat inci-
,, dere in talem animam: fugiamus Israëlem, quia Dominus pu-
,, gnat pro eo.

Pharao typus diaboli.

Pulchrè Gregorius Nyssenus in vita Mosis, quomodo vitia
,, nobis cum armis suis sint mergenda. Ægyptiorum enim e-
,, quites, inquit, pedites, & currus, sunt animi passiones, quibus
,, servitute homo subijcitur. Quid enim ab illo Ægyptiorum ex-
,, ercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, ava-
,, ritiæ fæditas differt? nónne quasi hasta tremens, iræ impetus
,, est? nónne quasi effrænati equi huc & illuc currum trahentes
,, nimiæ voluptates animum vexant, &c.

Malæ Cupiditates nos persequuntur.

Columna Israëlitas ducens per diem apparebat instar nubis; per noctem, instar ignis. Symbolum. Lux nocte, Umbra die. DEO Duce inter prospera & adversa securus ibis. Sapient. 10. *Deduxit eos in via mirabili & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per no-*
,, *ctem.* Aliter S. Gregorius explicat. *c. 3. lib. 1. Reg.* DEUS, inquiens,
,, Mosi non semper in igne apparuit; sed in igne aliquando, ali-
,, quando in nube; in igne quippe terror judicij est, unde & de se-
,, cundo Redemptoris adventu per Psalmistam dicitur. psal. 96.
,, Ignis ante eum præcedet, & in circuitu tempestas valida. In
,, nube autem protectio miserationis exprimitur, quia eiusdem
,, protectionis suæ blandimentum electis suis promittens Do-
,, minus, ait: *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube.*

Expositio moralis, nubis & ignis praeuntis.

Filij autem Israël ambulaverunt per siccum &c. Exod. 14.
,, Et tu si filius Israël es, potes ambulare per siccum in medio
,, mari. Si fueris in medio nationis pravæ atque perversæ,
,, sicut lumen solis, verbum vitæ continens ad gloriam: potest fie-
,, ri, ut in medio peccatorum incedentem te non confundat hu-
,, mor peccati: potest fieri, ut transeuntem te per hunc mundũ,
,, nulla libidinis aspergat unda. Qui Ægyptius est, & sequitur
,, Pharaonem, ille vitiorum fluctibus mergitur. Qui verò sequi-
,, tur Christum, sicut ille ambulavit, & ipse ambulat. Origen. in
c. 14. Exod.

,, Idem *hom. 5. in Exod.* Jubetur Moses virgâ percutere mare,
,, ut ingredienti populo DEI dehiscat, & cedat, ac voluntati divinę

„ elementorum famulentur obſequia,& aquæ, quæ timebantur,
Obediens DEO, obedientia habet cætera.
„ dextra læváque, famulis DEI murus effectæ non ſolùm perniciem neſciant, ſed munimen exhibeant. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & unda in ſemetipſam repreſſa curvatur: Soliditatem recipit liquor; & ſolum maris areſcit in pulverem, ut ſiccâ plantâ populus DEI tranſiret. Bonitatem DEI creatoris intellige, ſi voluntati eius obtemperes, ſi virtutē facias, ſi legem eius ſequaris, ipſe tibi elementa, etiam contra ſui naturam ſervire compellit.

Dixit inimicus: (Pharao) *Perſequar & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea; evaginabo gladium meum; interficiet eos manus mea.* Exod. 15. *Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis* Ibid. Huc demum reciderunt ſceptra, currus, caſtra, faſtus Pharaonis. Nunc ubi verba tua, thraſo? *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? neſcio dominum, & Iſrael non dimittam.* Exod. 5. v. 2. Enimvero ſentis, qualem laceſſiveris Dominum. Iaces æternùm perditus, tecúmque jacebunt, quicunque putant, ſeſe poſſe illudere Divis.

DEUS ſuperbis reſiſtit.

NARRATIO XXV.

ISRAELITARUM PROFECTIO PER DESERTUM, ET MIRABILIA DEI IN EOS beneficia. Exodi 15. 16. 17. Anno M. 2544. ante Ch. 1509. Anno primo ab exitu ex Ægypto.

Aqua amaræ dulcantur.

POſt ſiccum Maris Erythræi tranſitum, cùm triduô integrô nulla potabilis aquæ fieret copia, venerunt Hebrei ad locum (nomen ei *Mara*) undis quidem divitem, ſed quarum amarities, ſitientiū eluſit deſiderium; unde querulum exortum eſt murmur; cui compeſcendo Moſes certi generis lignum à DEO oſtenſum, immittit in aquas, eáſque momentò reddit dulces, & guſtatu ſuaves; ſive vis ea nativa fuerit ligni, hactenus ignorata, ſive tum primùm ad præſentem uſum à DEO indita.

Murmur adverſus Deū

Unum jam menſem in itinere faciendo, & commeatum abſumpſerant, cùm infelicitatis ſuæ cum priore fortuna, quam ſibi ſtolidè

ſtolidè finxerant, & inopiæ, cum copia contentione, in improbas iterum querelas & minas, adverſus Moſen & Aaronem, duces ſuos, prorumpunt malè domita capita, repoſcunt cum expoſtulationibus ollas carnium in Ægypto relictas, flagellorum & diræ ſervitutis proteruè obliti Apellæ. Quorum murmuratio cùm ipſum pugnaret in DEUM, is tamen quaſi aliquô provocatus obſequiô, non neceſſitati tantùm alimenta, ſed gulæ quoq; delicias ſubminiſtrat, convolante tanta vi coturnícum, ut tertium in menſem omni multitudini ſufficerent. *Coturnicibus pluit.*

Nec eo munere contenta Divina Liberalitas, ſuaviſſimum ex æthere manna effundit, in pruinæ modum, per omnem caſtrorum circuitum latè terram obtegentis, quod ſive elixum cacabis, ſive frixum in furnis; ſive incoctum etiam, ſeu crudum, neq; fractum, ut quemvis deſiderabilem proborum palato ſaporem repræſentabat: ſic impijs murmuratoribus, in pœnam & nauſeam ceſſit, ſiliquas & furfura ſe mandere credentibus; adeò lingua maledica guſtum omnem perdiderat. Concurrebant in eo cibi prodigio complura miranda; nam dimenſum in ſingula quotidie capita, cælitus præſcriptum, (Hebræis *Gomor* Græcis *chœnix*) erat commune viro, pueróque; neq; plus colligere poterat manus avarior; neque minus, parcior; eſca nec ſervanda in diem poſterum, niſi putridam vellent: nec æſtuante ſole relinquenda in agro, quippe calore diffluxura; ſexto quovis die cadebat copioſior, etiam in ſeptimum ſeu Sabbathum ſuffectura; ídque per annos omnino quadraginta; totô nimirum peregrinationis Iſraëliticæ, per deſerta, tempore. Et tamen inventæ ſunt fauces, quæ nauſeabant has delicias. Ægyptio cucumere, peponéque corruptæ. *Manna de cælo cadentis diverſi ſapores.*

Vix ea ſeditione compoſitâ; quis credat, aliæ ſuper alias ſunt exortæ. Nam cùm progreſſi, caſtráq; metati in regione *Raphidin* penuriâ laborarent, aquæ dicam, an hauriendæ è DEO fiduciæ; rurſus ad ſuperba jurgia, & impias adverſùs cæleſte Numen querelas convertuntur; erant in medio beneficiorum divinorum curſu, quibus diu noctúq; fovebantur; erant in clara luce miraculorum, quæ omnium perſtringebat oculos; illi tamen pro eo, demiſſis ut à cælo precibus ſiti remediū efflagitarent, tumultuoſis vocibus Moſi lapidationem intentant, niſi mox aquas unde unde eliceret; inſolentiâ ſuâ, Divinæ quoque præſentiæ ac gubernationis, tot jam prodigijs demonſtratæ experimentū capturi. Meruiſſet hæc linguæ protervia, ſiccas ut intra fauces contabeſceret, niſi cum perduellium contumacia maluiſſet certare DEI clementia, beneficijs odia penſandô. Percutitur igitur Numinis juſſu petra *Horeba*, eâ ipsâ virgâ, quâ Moſes potentiam, cœlo *Seditio Iſraëlitarum propter aquæ penuriam.* *Petra percuſſa dat aquas.*

terræq; dominantem, sæpius jam per prodigia palàm fecit. Et ecce! erumpit latex non minore limpiditate, quàm copiâ, sitímque simul & obmurmurationem extinguit.

Amalecitæ vincuntur. Hanc cæli gratiam statim consecuta est alia, quando in Arabiam Petræam delati, *Amalecitarum* fines attigerunt. Erant ij ab *Amalece*, Esavi nepote, oriundi; quorum rex partim inveteratô in Iacobi posteros odiô, ob præreptam patris *benedictionem*, partim metuens populationem agris; excitâ oppidatim juventute, petentibus transitum, negavit; quòd si armis viam sibi aperire conarentur, sperabat integris viribus, & recenti milite, se fessos itineribus & commeatuum inopiâ, facilè superaturum. Qua re per exploratores Moses cognitâ, fortissimum quemque bellatorum deligit, iísque *Josuen* seu *Jesum* imperatorem præficit, aleámque pugnæ committit. Ipse cum fratre *Aarone*, & *Hure*, Mariæ sororis marito, ascendit collem montis Horebi, procumbit in preces, extentis cælo brachijs. Conferitur interea prælium; mira res! pendet victoria ab inermi. Vincit Hebræus, levante manus in altum Mose; succumbit, succumbente precantis habitu. Aaron igitur & Hur sustentant fatigati Ducis brachia simul, & victoriam; quæ cum die finem habuit, Amalecitis cum suo rege fusis, fugatis, trucidatis, & opimis inde spolijs relatis. DEO victoriæ datori exstructa ara, patrata sacrificia, beneficij memoria dicata; Amalecitarum omnis posteritas, decretô Numinis, diris & cædibus devota. Vsq; adeò severa vindicta incumbit illis, qui in eos, quos DEUS in oculis habet, crudelitatem exercent, quemadmodum Amalecitæ Hebrææ genti innoxium transitum petenti ferrum & furorem obiecerunt.

DOCTRINA.

C*ùm lignum Moyses misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt* Exod. 15. In Cruce Christi, pijs mentibus labor omnis & dolor dulcescit. Augustinus *sermon. 101.* Quid dulcius, quid suavius vel cogitari, vel dici potest, quàm sanctę Crucis mysterium, per quam non solùm ab inferis revocari, sed etiam in cœlos elevari meruimus? Multùm etiam ligni Crucis umbra & figura valuit. Nullum Moyses signum sine ligni Sacramento peregit, ut enim signa & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit à Domino. Si Rubrum mare dividundum, jubetur Moyses elevare virgam, & mare cognoscens venturi ligni figuram mox iter populo pandit insuetum. Si ad aquam amaram venitur in *Mara*, nisi lignum in se susceperit, non dulcescit; quæ res erat indicio, amaritudinem gentium, per lignum Crucis in usum dulcedinis quandoque vertendam. Si autem non habet populus, unde bibat,

Crux Christi edulcat amara

„ bibat, petra ligno percutitur, & dat per gratiam, quod non „ habuerat per naturam. Si Amalech sævus hostis occurrit, Iosue, „ filius Nave virgam tenere manu jubetur, & Moyses brachia sua in „ modum crucis extendere, ac sic per figuram Crucis vincitur in- „ superabilis inimicus.

Quando sedebamus super ollas carnium. Exod. 16. O voracem crassæ plebis ingluviem, quæ, ut pecora herbis, incumbebat cacabis carne bullientibus! Verè Hieron. *in Matth.* Cor habet in „ ventre gulosus; lascivus in libidine; cupidus in lucro. Excordes Hebræi, tot prodigiorum obliti, respiciunt Ægyptum, laturi fla- „ gella & vincula, modò voraturi. Doctè Hugo *in claust.* DEO „ ventri templũ est coquina: altare mensa: ministri coqui: im̃o- „ latæ pecudes, coctæ carnes: fumus incensorum, odor saporũ. *Crassa ingluvies.*

Sed quæ pulchrior præsignatio, quàm Corporis Christi per Manna adumbrati? 1. Idem est color specierum Eucharistiæ, & mannæ. 2. Sapor dulcis utriusq; natura quippe mannæ mellitam dulcedinem referebat. 3. Nonnisi relictis ollis Ægyptiacis & carnis voluptatibus invenitur, aut sapit utrumq; 4. Infidelibus, & avaris in venenum & noxam vertitur utrumq; 5. Ut manna post transitum maris, ita Eucharistia post baptismum datur. 6. Post acceptionem mannæ, pugnatur & vincitur ab Hebræis; sic Eucharistiæ virtute superantur hostes animæ, & vitia. 7. Manna absque semine, confectum ab Angelis; Christi Corpus ex sola Virgine & spiritus S. irroratione. 8. Manna Hebræis omnis saporis varietatẽ dabat. *Sapientiæ* 16. Ita cibus Eucharisticus mors est malis, vita bonis &c. 9. Manna erat minutum; Christus parvâ hostiâ circumscriptus. 10. Manna pilo tusum; Christus pilo crucis, mortalitate exutus est. 11. Fideles admirabundi cum Hebræis exclamant: Manhu. Quid hoc, ut nobiscum DEUS? 12. Omnes de manna æqualem mensuram colligebant; sic totum Christum omnes æqualiter recipiunt. 13. Sex diebus tantùm colligebatur in deserto manna; sic in Sabbato æternitatis, & in terra promissionis velamen Sacramenti cessabit, Christóq; facie ad faciem in summa quiete perfruemur. 14. Sole liquescebat manna; sic resolutis calore speciebus Sacramentum dissolvitur. Cornel. à Lap. in hunc loc. *Manna figura Eucharistiæ.*

Hæc petra significabat Christum, teste Apostolo. 1. Cor. 10. qui pro nobis percussus & vulneratus, *adaquavit nos velut in abysso multa*, meritorum suorum Psal. 77. Ipse ait: *Siquis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ioan. 7. *Et eduxit aquam de petra.* Psal. cit. Potest exponi tropologicè de corde humano, quod licet instar saxi obriguerit, virgâ tamen crucis, id est, meditatione Passionis Dominicæ percussa & compuncta, salutiferas pœnitentiæ lacrimas fundit, juxta illud Christi apud Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, gratiarum scil. & charismatum. *Petra figura Christi.*

NARRA-

NARRATIO XXVI.

LEGISLATIO DECALOGI. ADORATIO VITULI AUREI. ULTRICES GULOSORUM POENÆ; ET MARIÆ, SORORIS MOSIS.

Exodi. 19. 20. 24. 32. 34. Numer. 11. 12. 20. An. M. 2544. & 2545. 2575. Ante Ch. 1507. & 1508. 1478.

MOtis ex Horebo castrìs, ad montem ubi Sinam consederunt Hebræi, Moses interpres & internuntius inter DEUM & populum, ascendit in jugũ, accipítque responsa Numinis, quibus gens Israëlitica in peculiarem favorem deligitur, & adoptatur, magnis adjunctìs promissìs, si vicissim obsequia, fidémque spondeat. Quod omnium mox consensu, verbis magis præstitum, quã factis. Sub hæc constituti per circuitum montis termini, ultra quos, pœnâ mortis propositâ, non progredi, non consistere liceret. Tertia pòst die cœperunt magno fragore sonare tonitrua, micare fulgura, clangere buccinæ, in modum lampadum coruscare nubes, mons contremiscere totus & fumare; in cujus vertice Angelus, DEI legatum agens, igneo splendore circumdatus, omnibus ad terrorem concurrentibus (nam ad contumaciam gentis in officio continendam, erat Numinis reverentia, metu incutienda) Mosen ad se evocat & Aaronem, vocéq; terribili leges Decalogi promulgat; quas deinde, Mosi seorsim accersito, post quadragintadiale jejunium tradidit, geminis tabulis lapideis comprehensas, cælesti scriptas manu. Quo tempore Vates multa cæli arcana didicit, Ritus, Sacrificia, Leges judiciarias, constructionem Arcæ fœderis seu testamenti; in hac quoniam duæ Legis tabulæ continebantur, ideò summa ejus religio & veneratio omnium mentibus insita. Erat ea cista quadrangula, longa duos cubitos cum dimidio, sesqui-cubitum alta, ex ligno Sétino (quod nescit cariem) aurô obtectô. Eam operiebat tabula, seu operculum aureum; quod *Propitiatorium* vocabatur, cui insistebant duo juvenes alati, Angelorum specie, partim alis, partim corpore tabulam tegentes; *Cherubini* in sacris litteris appellantur. Accepit quoque idéam Tabernaculi seu Tentorij Castrensis, tribus parietibus è tabulato ligneo

Promulgatio Decalogi

Arca fœderis Mosi designata à DEO.

ligneo constantis, duobus longioribus, triginta cubitorum singulis; unô versùs Austrum, alterô versus Aquilonem; tertiô breviore, decem cubitorum; qui ab occasu prædictos duos longiores clauderet, parte Orientali apertâ relictâ. Hoc septum quaternis velis operiri jussum, scilicet primo byssino preciosiore, *altero* cilicino, *tertio* de pellibus arietinis, *postremo* de pellibus hyacinthinis (tassorum, ut in Hebræo habetur.) Apellatur verò sacris in Litteris Tabernaculum hoc, sanctuarium, quòd esset Arca fœderis in eo reposita, & Divina Majestas ibi tanquam in Oraculo responsa consulentibus dando, præsentem se, & Præsidem, Tutorémque populi sui præberet, certis solennibúsque diebus, ad preces, sacrificia, laudésque DEI celebrandas, ejúsque legem audiendam, eò convenientis. Præter structuram Arcæ & tabernaculi, Mosi in eo secessu descriptum, designatúmq;, quidquid ad universum sacrorum apparatum pertineret.

Idea Tabernaculi seu sanctuarij Mosi dictata.

Quis non crederet, eô quadraginta dierum intervallô, quo religiosissimus Hebræorum Ductor, DEI consuetudine in *Sinæ* jugo utebatur, populum ad radicem montis, latè tendentem, pari religione, datam cælo fidem culturam fuisse? Alia omnia. Ducis absentia vertitur in occasionem sceleris, & nefandæ superstitionis licentiam. Nihil jam memoria gratiarum, largè cælesti sinu fluentium: nihil fæderis cum DEO initi, pactíq; sacrosancti ratio valet; itur in sacrilegum nefas ab omni multitudine, solis exceptîs Levitîs, neque cunctîs tamen; & siqui alij impietati restiterunt viri boni. Aaron Mosis frater, & imperij consors, religiosi cæteroquin in DEUM animi princeps, sed æquô timidioris, importunis juxtà & nefarijs postulationibus adigi se patitur (cunctabundus tamen, credibile est enim, spem habuisse discutiendi scelesti consilij, tum sui procrastinatione consensûs, tum maturato fratris è monte descensu) ut ex pretiosis aurium ornamentis certatim oblatis, vel vitulum integrum, vel caput certè vitulinum ex auro conflari permitteret. Itaque fabricatur idolum, ad exemplar simulacri Ægyptij, quod bovinâ fictum formâ, *Apidis*, *Serapidis*, *Osiridis* nomine, ei genti colitur; urgente celeritatem operis & adjuvante malo dæmone. Nec mora; erigitur detestabile signum, tenduntur manus bubulo capiti, curvantur genua, ponitur ara (non jam consentiente tantùm, sed manum etiam admovente Aarone) adolentur thura, mactantur victimæ, tanquam libertatis vindici & assertori DEO. O portentosa dementia! ô nefanda scelestissimorum mortalium vecordia! Ab impio sacrificio fit gradus ad cetera flagitia, ad lascivas epulas, choreas, cantus; estur, potatur, luditur; omnia sacrilegis vocibus personant;

Adoratio Vituli.

personant; Novus DEUS, summorum & infimorum gratulatione consalutatur.

Exarsit justissimus DEI furor, non nisi gentis perfidæ excidiò restinguendus; obicem ruenti vindictæ opponit supplex Moses, suo pro aliena salute, capite devotò. Exin de monte descendit, geminas Decalogi tabulas manu gestans, comitante Josua; qui percepto populi vociferantis tumultu, non est, inquit, hic clamor pugnam poscentium, sed tripudia agitantium; id propior jam factus, cùm suis ipse oculis auribúsq; Moses hausisset, in detestationem execrandi facinoris, lapideas, quas à DEO acceperat tabulas, allidit ad saxum, & confringit; simul indignos reputans cœlesti munere nefandos idololatras; simul atrocitatem injuriæ, divinæ majestati, illatæ contestans. Mox accedens ad vitulum aureum, dissolvit igne metallum, redactam inde massam redigit in pulverem; hunc spargit in aquas, jugi miraculo è petra *Horeba* dimanantes; cúmq; alius latex in potum non suppeteret, coguntur vel inviti suum simul scelus, & sceleris pœnam bibere. Innoxia fuit, criminis exortibus lympha; maleficis inflavit corpora, & languida tabe necem attulit. Nec stetit hîc supplicium, Moses acerrimus honoris divini vindex, stans in ingressu castrorum, si quis, inquit, Domini est, jungatur mihi; palàm faciet hæc dies, quo quisq; loco habeat vel ignominiam DEI, vel gloriam. Aliquorum sanguine omnium redimatur exitium. Agite, si viri estis, manum mecum & ferrum in piaculum tanti sceleris stringite. Accendit ea vox, vel Numinis potiùs inspiratio, Levitas; densi conglobantur; & gladijs, ut erant jussi, armati, facto per media castra transitu, obvios quosque, aurium elenchîs destitutos (hoc enim idololatriæ signum erat) sine discrimine trucidant, cæde tantò expeditiore, quantò timidiùs, improvisiúsque in ferrum incurrebant, epulis, ludis, choreis marcentes. Occubuerunt ea strage non minùs viginti tria millia. Ita decuit expiari vitulum, quem impietas sacrilega excogitavit, timiditas ignava procudit, temulentia divinis honoribus affecit, Zelus gloriæ Numinis in pulverem dissipavit.

Moses confringit tabulas Decalogi.

Aqua petræ Horebæ alijs exitiosa, alijs non.

Zelus Mosis & Levitarũ in trucidãdis idololatris,

Territis ea occisione vecordium pectoribus; redit Moses in montem, Actorem simul & reum pro pervicaci populo acturus; denuóque placato per preces & longa jejunia Numine; novas curat confieri tabulas; quas in montem relatas, iterúmq; Decalogo, cælesti digito inscriptas, sancitis denuo DEUM inter & populum fœderibus, reportat in castra, reperítq; novo supplicio consternatos, quos enim ex idoli cultoribus gladius ultor non absumpsit, vindex Numinis ira de medio sustulit, occulta quadam peste afflatos.

Etiam pestis occulta in impios sævit.

Iterum

Iterum ad ſpem erecti animi, deprecatore Moſe, iterum obſequia DEO jurata, & Ductori populi; cui majorem etiam apud omnes venerationem conciliavit facies, à divina collocutione fulgurans, & radios, quaſi duo cornua ab extrema fronte utrinque emittens; cùm ecce, caſtrís tertiîs à monte Sina promotís, tædium prolixi itineris novas turbas concitat. Mittuntur iterum, (ô linguam inferis ignibus torrendam!) atroces in cęlum voces, tanquam ductrice columna produceret æquô longiùs, profectionis ſpatia, cùm unius anni veternoſa quies indulta fuiſſet ad *Horebum* & *Sinam* confidentibus. Quid iterum DEUS? erumpit ignis ſive ex alto, ſive profundo, invaditque extremam caſtrorum partem, quíſque ex omni tribu ignavi ceſſatores reſtitârant, abſumit. Graſſantis incendij furorem iteratæ Moſis preces ſtiterunt; locus à deflagratione nomen obtinuit *Incenſio*.

Murmuratores ob longitudinem viæ, igne puniuntur.

Et verò, quis animum inducat, ſibíque perſuadeat, niſi divinę pro teſtimonio paginæ loquerentur, neque his flam̃is incaluiſſe obſtinata pectora. Ultrices nondum ſatis erant ignes extincti, cùm ad nova obtrectationum arma venitur. Faſtiditur manna cœlo delapſum; eſuriuntur carnes, piſces, allia Memphitica; neque ſine ſeditione depoſcuntur. Irritatus toties DEUS, miniſteriô venti, im̃enſam coturnicum copiam latè per caſtra effundit; quæ volatu fatigatæ, fractæque, nullo negotio converrebantur magis, quàm colligebantur in cumulum. E veſtigio gulam ſecuta eſt pæna, dum ingluvies ſaginatur pennatâ prędâ, mors cum cibo deglutitur, multis mortalium millibus per id, quô vitam guloſiùs conſervatam volebant, è vita exturbatîs; ubi epulum, ibi tumulum habuerunt; quē ne ignorarent poſteri, epitaphiũ Sacer hiſtoricus addidit: Sepulchra Concupiſcentiæ. Populi in Moſen obtrectatiões & pœnas excepit oblocutio ac ſuppliciũ *Mariæ* ſororis; quæ ortô inter ipſam, & *Sephóram*, uxorem Moſis, Madianitidem, jurgiô; (ob honoris, ut credibile eſt, prærogativam) dum altera uxoriô ſe titulô, altera ſororiô præfert; cœpit Maria obterere laudes fraternas, eiúſque culpæ parte aliqua Aaronem quoque, alterum fratrem, aſpergere. DEUS ſimul famuli ſui dignitatem aſſerturus: ſimul improbitatem linguæ caſtigaturus, repentè fædiſſimâ leprâ feminam inficit, & ab hominum conſortio excludit. Elatiores ſpiritus repreſſit morbus & ignominia; gravia mala ei ſexui; quæ ne ultra ſeptiduum adhærerent obmurmuratrici, preces Moſis, hominum mitiſſimi effecêre. Modeſtiùs illa deinceps de ſe ſentire docta, multis virtutibus ornata, extremum diem obijt *Cadibus*, in Idumææ finibus; ætatis anno centeſimo, vigeſimo primo; publico luctu, ſumptúque elata. Aaronis, quia levius in ea re delictum, ideò mitior etiam pœna fuit; Sola DEUS reprehenſione in eum animadvertit.

Carnivori plectuntur.

Maria ſoror Moſis punita.

P DOCTRINA.

DOCTRINA.

Terrores in promulgatione Decalogi.

OCto terribilia comitabantur legem in Sina datam. 1. Totus mons tremebat. 2. igne & fumo ardebat. 3. horrenda tonitrua reboabant, fulgura micabant. 4. caligo densissima montē operiebat. 5. erat pluvia & procella, ut ait Apostol. Heb. 12. 6. mons terræ motu concutiebatur. psal. 67. 7. sonus buccinæ perstrepebat. 8. Angelus voce horrifica Decalogum proclamabat. Omnia hæc eò spectabant, ut Hebræi Sacro quodam horrore, timore, & reverentia tum Numinis, tum legis, quam accepturi erant, observandæ percellerentur.

Quare Legibus divinis accuratè parendum.

Quanta verò accuratione Legibus Divinis parendum sit, docetur Levit. 26. Primò, ob magnitudinem præmiorū promissam. 2. ob supplicia violantibus intentata. 3. ob Legislatoris majestatem, omni reverentia metúque colendam. 4. quia mors ipsa priùs subeunda, quàm vel unum mandatum transgrediendum. 5. quia ne unum quidem, idémq; minimū perfringendum, hîc etiam pilus facit umbram, ut vulgò dicitur. 6. Quia à primo rationis usu, per omnem vitam sanctè observandæ leges DEI. Unde Psal. 118. *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis.*

Discrimen inter legem Veterem & Novam.

Lex Vetus cum terroribus promulgata, lex fuit timoris: Lex nova & Evangelica, lex est amoris; illius jugum grave, hujus leve. Matth. 11. *Venite*, inquit Chirstus, *qui laboratis & onerati estis*, (jugô legis veteris) *& ego reficiam vos.* Ibi servitus, hîc libertas. Grave profectò jugum legum veteris Testamenti cùm multitudine, quia numerantur 613. præcepta, *Affirmantia*: 248. *Negantia* 365. tum gravitate supplicij; in plurimis enim pœna capitis constituta. Lex autem Evangelica, lex gratiæ & charitatis, cui nihil est difficile. Arcta quidem est via, ait Rabanus, quę ducit ad vitam. Sed „ quod angustô initiô incipitur, processu temporis, ineffabili di„ lectionis dulcedine dilatatur.

Terror Magister est obsequij.

Moralem explicationem habet, quòd Hebræi inter tonitrua legem acceperint, séque ad parendum promptos obtulerint. Nimirum ad divinas leges, nunquam attentiores sunt mortales, quàm cùm calamitatum fulmina in eos ruunt, cùm grandine diversarum cladium insternuntur; tum arrectis adstant auribus, séque omnia facturos amplissimè pollicentur.

Amica est Venerigula.

Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere Exod. 32. „ Epulas, inquit Greg. *lib. 1. moral. cap. 5.* comitatur voluptas, nam „ cùm corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane „ gaudiū relaxatur. Est quippe gulę filia, inepta & impura lętitia. Sine Cerere & Libero friget Venus; saturitas est invitamentū libidinis.

Projecit de manu tabulas, & confregit eas. Exod. 32. Basilius, tabu„ las, inquit, DEI digitô scriptas, quas jejunium accepit, ebrietas

„ contrivit

„ contrivit, cùm indignum judicaret Propheta, ebrioso populo le-
„ ges à DEO ferri.

Occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum Ibid. Moses hominum mansuetissimus, irā induit & severitatem, injuriam
„ DEO illatam ulturus. *Moses*, ait Greg. *Pastor. c. 23.* intùs ignibus
„ amoris, foris accensus est Zelo severitatis: utrobique legatus
„ fortis, caussam populi apud DEUM precibus, causam DEI apud
„ populum gladijs allegavit. intùs amans, divinæ iræ supplican-
„ do obstitit; foris sæviens, culpam feriendo consumpsit.

Zelus Mosis amore temperatus.

Mirabile certamen in hoc loco, Genes. 32. describitur DEUM inter & Mosen. Uterque ab eodem orditur classico. Clamat DEUS: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Reclamat Moses: *Aut dimitte eis hanc noxam*, (adorationem vituli) *aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Mira utrinq; violentia! Hinc DEUS, quasi ligatus, ut Bernardus ait. *serm. de S. Magdalena*, feriendi licentiam quærit à Mose, qui Mosen fecit. Quanta vis precum, quando DEUS se ijs ad resistendum velut imparē fatetur? Ita Sodomæos cives puniturus, Lotho secessionem imperans Gen: 19. *Festina*, inquit, & *salvare ibi*: (in oppido Segor) *quia non potero facere quidquam, donec pervenias illuc.* Moses verò ardentissimo animarum Zelô succensus, præeligebat Beatorum potiùs Albo expungi, quā videre populi, quantumvis scelerati & sacrilegi exitiū sempiternum. Idem ardor Paulum Apostolum inflamavit, ut optaret *Anathema esse à Christo pro fratribus.* Rom. 9. hoc est, à Christo propter salutem fratrum separari volebat. In utroque amoris divini summus excessus qui, quò longiùs eos abripiebat, tantò viciniùs DEO conjungebat. De quo excessu idem Apostolus 2. Cor. 5. *Sive mente excedimus, DEO. sive sobrij sumus, vobis.* Quid enim? Paulus separetur à Christo? qui de se ipso Rom: 8. *Certus sum, quia neque mors, neq; vita &c. poterit nos separare à charitate DEI.* Hunc locum S. Thomas explicans, Optabā, ait, si fieri posset, anathema esse, id est, separatus à gloria, vel simpliciter, vel ad tempus, propter honorem Christi, qui est ex conversione Iudæorum. Eleganter & acutè S. Hieron. *q. 9. ad Al-*
„ *gasiam.* Quę est, inquit, ista tanta mutatio, imò inaudita pruden-
„ tia, ut pro charitate Christi, nolit habere Christum? Tam Mosis, quā Pauli Zelus & amor, magis ferebatur in DEUM, & Christum, quàm erga Judæos; uterq; enim prætulit suæ gloriæ & saluti DEI gloriā, quæ major & illustrior erat futura, si totus Judæorum populus salvus fieret, quàm si ipse solus. Et hæc Charitas omnē concupiscentiæ amorem excludit, quæ non quærit, quæ sua sunt. Salmeron in epist. ad Rom. disput. 25

Orationis potentia.

Zelus animarum in Mose & Paulo.

„ *Adhuc carnes erant in dentibus eorum*, & ecce Dominus per-
„ cussit populum plagâ magnâ nimis. Numer. 11. Ecclesiasticus

Gulæ damna.

monet c. 18. v. 30. *Si præstes animæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis* & c. 37. Propter crapulam multi perierunt; juxta Proverb. *Plures occidit crapula quàm gladius.* Sua sibi sepul-„ chrum gula fuit. Paulus minatur gulosis 1. Cor. 6. *Esca ventri, & venter escis: DEUS autem & hunc, & has destruet.* Nam utrumque vertetur in sordes. Chrysostom. *Homil. 10. ad Philipp.* Ventrem ac-„ cepisti, ut nutrias, non ut distendas: ut illi domineris, non ut „ dominum habeas; ut tibi inserviat ad ceteras partes alendas, „ non ut tu illi servias, ut fines transilias. Non tot malorum „ caussa est mare fines supergressum, quot venter corpori, ani-„ mæque nostræ. Et Senec. Vis ciborum voluptatem conte-„ mnere; exitum exspecta. Et alibi: major sum, & ad majora na-„ tus, quàm ut corporis mei sim mancipium. S. Gregor. *in il-„ lum versum psal. 77.* Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira „ DEI ascendit super eos. Majoris, inquit, iracundiæ causa est, „ cùm & hoc tribuitur, quod malè desideratur; quia & hoc quo-„ que obtinuit, quod, DEO nolente concupivit. *15. Moral. c. 10.*

Locutáque est Maria & Aaron contra Mosen propter uxorem eius Æthiopissam, & dixerunt: Num per solum Mosen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter locutus est? Num. 12. Antiqua res est, feminarum inter se æmulatio, ambitio, contentio. Præsertim inter *Socrum* & *nurum*; inter *glorem* (mariti sororem) & *fratriam*, (fratris uxorem) quales Maria & Sephóra fuerunt. Sexus hic quò est infirmior, hòc est inflatior & tumidior; quò inanior, hòc est ventosior. Alias effert forma, alias divitiæ, alias honores; quæ tria si concurrant, nihil est illis impotentius. Sephoram non dignitas formæ, (nam Æthiopum de gente fuit) sed mariti extollebat; Mariæ Spiritus addebant fratres gemini, quorùm alter Hebrææ gentis Princeps; alter Pontifex. Accedebat ad arrogantiæ incitamentum, quòd ipsa quoque afflatus divinos sentiret; & ortum duceret ex Israëliticâ nobilitate; cùm Sephora esset alienigena & adventitia, ex idolorum cultoribus oriunda. Quam ut deprimeret, in fratrem ausa est insurgere, & pro adjutore alterum fratrem adhibere; est enim hoc proprium muliebri genio, ut solus cupiat vincere, sed non solus pugnare. Non tulit autem DEVS hanc superbiam, etsi tulerit Moses. Leprâ horridâ venustatem formæ (quæ in grandiore quoque ætate tum temporis florebat) extinxit; & quam collegit in populo suî admirationem ac venerationem, ejectione extra castra, in probrum & contemptum vertit. Remedium huic tumori præsentissimum.

Feminarum arrogans genius.

NARRATIO XXVII.

NARRATIO XXVII.

EXPLORATIO CHANANITIDIS, ET PVNITIO IMBELLIVM.

Num. 13. 14.

Anno Mundi 2545. Ante Ch. 1508.

DEmersis Arabico sinu, cum ipso Pharaone, turmis Cohortibúsque Pharaonis; Moses, & prae Mose, Ductor Angelus, qui populum, omni sine clade transportârat, ingentem sibi apud Israëlitas fidem, auctoritatémque comparaverunt. Unde factum est, ut, quocunque deinceps locorum, ac regionum traherentur, secuturos se promptis animis, ac pedibus prae se ferrent. Sed ut mobile plerisque mortalium esse solet ingenium; longè verò mobilissimum Hebrææ nationi; promptitudinis illius ac obsequij constantiam non tenuêre diuturnam; multò minus perpetuam. Mutavit eorum mentes mutata loci facies, ab Ægyptiæ terræ culta forma plurimùm abludens. Ducebantur (& hoc, per annos quadraginta) squalidissimis Arabiæ Petrææ solitudinibus; præcipuéque Desertô Pharanicô, cujus longitudo, latitudóque vel ipsi Germaniæ, regionum Europæ spatiosissimæ, certare queat.

DEI beneficia in peregrinantes Israëlitas.

Sed lenivit incommodorum pleraque; multa quoque sustulit, aut emendavit, DEI paterna Providentia: nam Hebræis oberrantibus (ut sæpe jam dictum est) Ductorem dedit Angelum: ambigentibus Directorem Mosen, & Oraculum; Sacrificaturis Pontificem Aaronem; famelicis cœlestem mannæ cibum: siti confectis aquas dulces, & vivos è scopulis fontes: arsuris æstu solis, nubis ingens umbraculum: nuditate laboraturis, vestium inviolatam durationem: destitutis ope medica, corporum firmitatem: domô carentibus, incorrupta pellium tentoria: vagis, in exilio medio, patriæ nonnullam faciem: nihil habentibus

habentibus denique, ſemetipſum impendit, hoc eſt, OMNIA. Quô factum, ut ſi ver[illegible]ſe, ſuáque bona noviſſent æſtimare: deſiderare nihil, niſi modeſtiam, bonámque mentem potuerint.

Eò jam proceſſerant in Deſerto *Pharane*, ut non procul *Cadesbarne*, Moabitarum civitate, caſtra ponerent; ſuſcipitur hîc conſilium de Chananitide, terrarum feliciſſima occupanda; quę cùm juſſu divino, manu eſſet armata invadenda; illi ſuo magis timori, quàm DEI imperio audientes, mittunt, qui regionis illius non fertilitatem modò, ſed militare robur explorent; quâ pœnâ ignaviæ, mox recenſebimus.

Exploratio Chananitidis contra DEI voluntatem.

Conſtitutum erat DEO Populum Hebræum, maximis prodigijs ex Ægypto eductum, in promiſſam Chananitidem, terram lacte, melléque, hoc eſt, rerum omnium ubertate manantem inducere, armis tamen & virtute capiendam. Nec erat difficilis futura pugna, quæ cœlo auſpice committenda. Sed quia contumacia non præter ſolitum capita, diffidentia opis ex alto ferendæ inceſſit, conſultatur de re, quæ citra injuriam Numinis in deliberationem trahi non poterat. Mittuntur viri duodecim, totidem tribuum primarij, in quibus *Joſue* & *Calebus*, cum mandatis, diligenter ut explorent regionem adeò decantatæ felicitatis, cúmque fide referant, quæ viderint, compererintque: & quando regionis illius fœcunditas tantopere prædicaretur, fructus ſecum reportarent beatô ſolô natos, argumentum & ſpecimen exploratæ terræ. Luſtrant illi provinciam diebus admodum quadraginta, omnibúſque exploratè cognitis, referunt diverſiſſimi affectûs nuncium. Cæteros inter fructus apportatur ingentis magnitudinis palmes, recenti cum uva, ſupra Vectem duobus baiulis impoſitum. Ea telluris opimitas quantùm allexit oculos, tantùm abſterruit animos eius potiundæ difficultas. Exploratores quippe cæteri, præter *Joſuam* & *Calebum*, ſuo metu implere populum, malignis verbis in majus attollere regionis munimenta, urbium propugnacula, bellatorum robora, vaſta incolarum corpora, quibus ipſi compoſiti, locuſtæ poſſint videri. Contrà Calebus & Joſue ſuſcipiendæ expeditionis elevare pericula, addere animos timidis, victoriam audentibus polliceri. Cùm verò explorationis ſocij non deſiſterent aggravare diſcrimina; vincente denique ſpem metu, ſolvitur indignatio in querelas & lacrimas. Quid enim? tot menſium & viarum labores fruſtra exantlatos: vanis promiſſis aures impleri; terram oſtentari, cujus poſſeſſionem nunquã ſint adituri: cum gigantibus bellum ſuſcipiendũ; graviora jam ſe perpeti fornacibus Ægyptijs; ſatius eſſe reverti eò, unde ventum, & inter homines ſervitutẽ pati non famelicam, quàm

Exploratorum timiditas, excepto Ioſue & Calebo.

quàm cum liberis & uxoribus miserrimè perire in vasta solitudine. Res proximè seditionem erat; onerantur contumelijs ac convitijs gemini Ductores, Moses & Aaron; jámque nihil restabat, quàm ut manus Iosuæ & Calebo inijcerentur; quod ne fieret, absterruit concitatos insolitus de columna fulgor terrificis radijs supra tabernaculum evibratus. Steterunt aliquamdiu stupefacti eô spectaculô cervicosi homunciones; cùm vox etiam aures de cælo ferijt, cum minis pestiferam luem intentantibus; objecit iterum preces supplex Moses, irásque Numinis hactenus mitigavit, ut jussi redire viâ, quâ venerant, (quid enim aliud murmuratio vesana quærebat?) longis annorum quadraginta ambagibus per deserta vagarentur; neminíque omnium, qui vigesimum ætatis annum superârat, decretoriâ supremi Numinis sententiâ, pateret aditus in fortunatam Chananitidis terram, præterquam Josuæ & Calebo. Primi omnium decem exploratores illi timiditatem suam subita morte luerunt; quô suppliciô ceteri, more suo perculsi, dum aggrediuntur rebellionem ignavam fortibus factis corrigere, ut stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt; præposterâ ruunt audaciâ præcipites, & inconsultô Deô, Moséque dehortante, movent in *Amalecitas* & *Amorrhæos*, alpestres Chananææ regionis incolas; magnáque funduntur clade. Qui hostilem effugerunt gladium, seris lacrimis temerarium damnantes consilium, ad Arabica & inhospita saxa redierunt; mox etiam ad ingenium suum reversuri; id quod in *Coritarum* seditione, de qua statim memorabimus, nimis quàm palàm fecerunt.

Populi seditio contra Mosen & Aaronem.

Seditiosorũ punitio.

DOCTRINA.

IUxta adagium, ex ungue, leo noscitur: ex uva, vinea. Chananitidis opimitas, non è fructibus modò laudanda; sed etiam, si Hebræi fuissent viri, ferrô fuerat vindicanda. Narses sub Justiniano Cæsare, Belisarij successor, Longobardos ex Pannonia in Italiam allexit fructibus submissis. Paulus Diacon. lib. 1. Et Caius Julius Cæsar memorat lib. 1. de bello Gall. Heluetios comperta Galliȩ fertilitate, relicto solo patrio, exustísque sedibus suis vim omnem ad eam invadendam contulisse. *Terra Promissionis*, cælum est; ignaviâ nimiâ torpet animus, quem eius obtinendi desiderium non exstimulat, cùm DEUS in promulsidem delicias suas, etiam in hac vita prægustandas, tot rerum creatarum condimentis propinet.

Cælum vi obtinendum

Et quænã illa vecordia, cogitare reditum in Ægyptum, è cujus ærumnis tanta prodigia ingratum populũ eduxerunt? quomodo superabitur mare, quod interjectũ, & nuper siccis pedib' calcatũ? quis

Vecordia Hebræi populi.

quis commeatum suppeditabit rebellibus, cùm manna haud ampliùs pluet cælo? Ita deseruntur à mente, quoscunque fiducia deserit DEI.

pœna diffidentia. Ex tot centenis hominum millibus, quos DEUS ex Ægypto asseruerat, nemo unus felices terras vel oculis quidem contigit, omnibus ad unum in ipsa solitudine extinctis: nimirum.

Audentes fortuna (imò DEVS) juvat, timidósque repellit. Quidni absumeret mors ignobilis, qui Duce DEO generosè pugnare, gloriosè vincere noluerunt.

Annis quadraginta erraverunt per Deserta, qui diebus quadraginta, indignante DEO, Chananitidem explorârunt. *Annus*, ait Sacra historia, *pro die imputabitur*. Num. 14. v. 34. Cave DEUM offendere; quod citò delinquitur, tardè expiatur.

Pro cælo audendum. Fortitudinis, DEI fiduciâ nixæ, Calebus & Josua illustria sunt exempla. Magnis animis, magna responderunt prœmia. Ad imperium DEI, formidabilia non tantùm sunt spernenda, sed etiam appetenda. Quòd si pro uberiore telluris gleba, & viribus fuit opus, & animo, dextráque præsenti; qua confidentiâ sperant ignavi cœlesti patriâ se potituros, manibus in sinu compressis, cùm tamen asseverante supremo Imperatore, *Regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud*? Matth. 11.

NARRATIO XXVIII.

SEDITIO, ET INTERITUS CORAE, DATHANIS, ABIRONIS, AC SOCIORUM

Num. 16. Anno Mundi 2546. Ante Ch. 1505.



Aronem DEUS supremum Sacrorum Pontificem; Mosen verò, tum Civilium causarum Judicem, tum Divinæ quoque voluntatis Internuntium declarârat. Pungebat ea res *Corem* quendam, de Optimatum numero, Leviticæ virum propaginis, qui ut Aaronem simul & Mosen, (quorum erat consobrinus, quippe *Isaare* genitus, fratre *Amramis*, illorum parentis) exauctoraret, *Dathanem* sibi & *Abironem* adjunxit, homines potentes & factiosos: & per hos, spectatissimum quemque, populóque

Core & sociorum ambitio, & conjuratio

maximè

maximè venerabilem ad partes suas traxit, ut conjuratorum convenirent ducenti, quinquaginta, patritij generis omnes, consiliíque publici Senatores; quorum omnium eò redibat Summa conjurationis, ut Mosen, Aaronémque magistratu depellerent: Huic Coren; illi, quemcunque visum foret, è corpore suo subrogarent: ceteri sortibus inter se jactis, sacerdotia minora caperent, quotquot Leviticæ stirpis essent: Aliarum autem stirpium tribules, populi præturas, præfecturas, tribunatúsque sibi partirentur. Quæ cuncta munia factiosi spe jam devorârant; adeò certâ quidem, ut, qui Sacris obeundis inhiabant, intra tentoria sibi quisque clanculùm acerras, thuribuláque præparanda curarent: uti, cùm primùm tempus postulâsset, ad adolendum accincti, progrederentur.

Jámque satis omnibus compositis, cùm ingenti cuncta motu, tumultúque miscerentur, crescente pessimorum hominum colluvie, conveniunt *Coritæ* pro divini Tabernaculi foribus, cum suis singuli thuribulis æneis; aderant & Aaron, thuribulô Pontificis aureô, Moses autem virgâ Judicis instructus; hic coràm maxima populi frequentia, quæ dixisset, fecisśetque, Divini juxta præceptum Oraculi, non ambitionis suæ comentô, dicta, factáque contestatus, dehiscentis terræ sepulchrum, & ignium inferorum supplicia interminatur rebellibus, linguas impias in DEUMpotiùs ipsum, quàm in se distringentibus; quod impendens perduellib' capitibus Vindicta mox palàm esset factura, & alterutram partem vel crimine absolutura, vel damnatura; orat insuper obsecrat, dehortatur à nefarijs cœptis; illi contrà frendentes explodere, & seditiosa obstinatione in amentia sua persistere. Dictu formidandum! postquam jussu DEI & Mosis, pars populi proximè tendentis, ab impiorum tabernaculis recessit, tum illic, ubi *Dathan* & *Abiron*; tum alibi, quò locô, *Core* cum suis (frequens erat domesticorum atque participum turba) constiterunt, disrupta terra, voragine latè diductâ, præcipites unô temporis articulô deduxit & ipsos, & eos, qui cum ijs constiterant. Hausta simul sunt, discissæ telluris immani cum fragore, ruentiúmq; confuso clamore personante, tentoria, rebellium uxores, liberi, familiæ, pecora, supellex; Omnia denique subsederunt horribili barathro devorata. *Core* tantummodò filios tres, impietatem parentis detestatos, divina vis tantisper in aëre vacuo pendentes sustentavit, quoad in seipsam discissa terra recomponeretur; Num. 26. patris, ac sociorum animæ, vitâ priùs intra viscera terræ extinctâ, ad inferos, eò, quò sua ipsos merita vocabant, raptæ sunt.

Core cum asseclis terrà absorbetur.

Core filii servantur

Exterruit hic interitus omnem, quæ totis circùm castris,

odium; circumtulit inimica Lingua; proflavit conspiratio; dispersit seditio; fovit pertinacia; restinxit *Gehenna.*

Contagium mali exempli.

Recedite à Tabernaculis hominum impiorum Num. 16. Nihil est contagiosius, malis exemplis. *Qui communicaverit superbo,* ait Siracides, Eccli. 13. *induet superbiam*; idem de alijs vitijs sentiendum. Et Paulo teste, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Præstat malorum æstuare odiô, quàm consortiô. Si dextra sit offensioni, monente Servatore, est abscindenda; idem cum amico faciendum; (quod Corę & sociorum perduellium familiares cogitare debuerant) melius est enim jacturam facere amicitiæ, quàm animæ. Habent hoc pravorum consortia; primò trahunt in culpam, mox in pœnam; neque perire se putant, nisi pereant cum multis. Sceleris luem affricant non sentientibus, ut tantò ruant audaciùs in idem præcipitium socij, quantò cæciùs. Ideò recedendum ab ijs, ut nec *tactu* inficere possint; nam *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. nec *visu.* Basiliscus venenum ex oculis evibrat. Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

Amygdalina Aaronis virga, virtutis symbolum.

Invenit germinâsse virgam Aaron. Num. 16. Plura simul in una virga miracula. 1. quòd Arida germinârit baccas. 2. quòd eodem tempore baccæ induerint flores. 3. quòd flores subitò conversi in fructus. Quartum addunt SS. Script. Interpretes, quòd nunquam defloruerit, fructúmve perdiderit. Liceat per hæc naturam sive virtutis, sive indolis ad virtutem factæ intelligere. 1. Amygdalus prima inter arbores floret; ingenuitas primis se prodit ab unguiculis. 2. Eadem postrema inter arbores amittit folia, ut testatur Philo lib. 3. de vita Mosis. Nempe, quô semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. 3. Virga Aaronica baccas simul, & flores, & fructus protulit. Non raró virtus transilit annos, & cum herba exhibet messem. 4. Amygdalus cùm inter arbores floreat prima, necesse est, ut prima, frigora, pluvias; grandines, & ventos excipiat, ac superet. Virtus crescit in adversis, & duratur asperis. 5. Amygdalini fructus duro teguntur cortice; frangat nucem, qui vult esse nucleum. Labor improbus omnia vincit.

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRAEORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUNDIT AQUAS. Æneus serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis obitus. Num. 20. 21. Deuteron. 33. 34. A.M. 2583. Ante Ch. 1470.

ANNO quadragesimo ab exitu ex Ægypto, ventum est ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cæpit iterum sitire populus, iterúmque cœli patientiam querulis vocibus lacessere. Moses & Aaron nihil habuere priùs, quàm ut irritatum Numen supplices propitiarent in Tabernaculo. Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc est à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium sint aquæ proruptura. Moses contrà, quàm mandatum erat (credibile est, perturbatione quadam animi, ob ingratissimi populi querelas concitatum subdubitâsse, an DEUS toties rebellibus & incredulis sit è saxo lympham expressurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam supra diximus in Tabernaculo asservatam) rupem repetita percussione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indignissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incussô fecisse verbere, solo quod verbo effectum dari oportuisset; in neglecti igitur obsequij pœnam ingressu Chananitidis utrique interdicitur; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio post mense Aaronem sustulit, & brevi ex intervallo, Mosen quoque.

Iterata ob penuriam aquæ querimonia.

Mosis & Aaronis delictum in bis percutienda petra.

Urgentibus itaque suis Aaronem fatis, induitur is, jussu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Mose. Ibi cùm in Eleazarum sacræ parentis vestes, munúsque translata fuissent, diem claudit extremū, centum viginti trium annorum senex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps: hòc felicior, quòd dormienti similior, quàm morienti, sine morbo, vitæúe tædio (nam viribus integris montē conscendit) in pręsentia, & quasi in gremio Mosis, germani fratris, & Eleazari filij, exspirârit.

Mors Aaronis.


odium; circumtulit inimica Lingua ; proflavit conspiratio ; dispersit seditio ; fovit pertinacia ; restinxit *Gebenna.*

Contagium mali exempli.

Recedite à Tabernaculis hominum impiorum Num. 16. Nihil est contagiosius, malis exemplis. *Qui communicaverit superbo,* ait Siracides, Eccli. 13. *induet superbiam*; idem de alijs vitijs sentiendum. Et Paulo teste, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Præstat malorum æstuare odiô, quàm consortiô. Si dextra sit offensioni, monente Servatore, est abscindenda; idem cum amico faciendum; (quod Corę & sociorum perduellium familiares cogitare debuerant) melius est enim jacturam facere amicitiæ, quàm animæ. Habent hoc pravorum consortia; primò trahunt in culpam, mox in pœnam; neque perire se putant, nisi pereant cum multis. Sceleris luem affricant non sentientibus, ut tantò ruant audaciùs in idem præcipitium socij, quantò cæciùs. Ideò recedendum ab ijs, ut nec *tactu* inficere possint; nam *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. nec *visu.* Basiliscus venenum ex oculis evibrat. Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

Amygdalina Aaronis virga, virtutis symbolum.

Invenit germinâsse virgam Aaron. Num. 16. Plura simul in una virga miracula. 1. quòd Arida germinârit baccas. 2. quòd eodem tempore baccæ induerint flores. 3. quòd flores subitò conversi in fructus. Quartum addunt SS. Script. Interpretes, quòd nunquam defloruerit, fructúmve perdiderit. Liceat per hæc naturam sive virtutis, sive indolis ad virtutem factæ intelligere. 1. Amygdalus prima inter arbores floret; ingenuitas primis se prodit ab unguiculis. 2. Eadem postrema inter arbores amittit folia, ut testatur Philo lib. 3. de vita Mosis. Nempe, quô semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. 3. Virga Aaronica baccas simul, & flores, & fructus protulit. Non rarò virtus transilit annos, & cum herba exhibet messem. 4. Amygdalus cùm inter arbores floreat prima, necesse est, ut prima, frigora, pluvias, grandines, & ventos excipiat, ac superet. Virtus crescit in adversis, & duratur asperis. 5. Amygdalini fructus duro teguntur cortice; frangat nucem, qui vult esse nucleum. Labor improbus omnia vincit.



NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRAEORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUNDIT AQUAS. Æneus serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis obitus. Num. 20. 21. Deuteron. 33. 34. A.M. 2583. Ante Ch. 1470.

ANNO quadragesimo ab exitu ex Ægypto, ventum est ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cæpit iterum sitire populus, itérumque cœli patientiam querulis vocibus lacessere. Moses & Aaron nihil habuere priùs, quàm ut irritatum Numen supplices propitiarent in Tabernaculo. Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc est à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium sint aquæ prorupturæ. Moses contrà, quàm mandatum erat (credibile est, perturbatione quadam animi, ob ingratissimi populi querelas concitatum subdubitâsse, an DEUS tóties rebellibus & incredulis sit è saxo lympham expressurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam supra diximus in Tabernaculo asservatam) rupem repetita percussione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indignissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incussô fecisse verbere, solo quod verbo effectum dari oportuisset; in neglecti igitur obsequij pœnam ingressu Chananitidis utrique interdicitur; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio pòst mense Aaronem sustulit, & brevi ex intervallo, Mosen quoque.

Iterata ob penuriam aquæ querimonia.

Mosis & Aaronis delictum in bis percutienda petra.

Urgentibus itaque suis Aaronem fatis, induitur is, jussu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Mose. Ibi cùm in Eleazarum sacræ parentis vestes, munúsque translata fuissent, diem claudit extremũ, centum viginti trium annorum senex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps: hòc felicior, quòd dormienti similior, quàm morienti; sine morbo, vitæúe tædio (nam viribus integris montẽ conscendit) in præsentia, & quasi in gremio Mosis, germani fratris, & Eleazari filij, exspirârit.

Mors Aaronis.


odium; circumtulit inimica Lingua; proflavit conspiratio; dispersit seditio; fovit pertinacia; restinxit *Gehenna.*

Contagium mali exempli.

Recedite à Tabernaculis hominum impiorum Num. 16. Nihil est contagiosius, malis exemplis. *Qui communicaverit superbo,* ait Siracides, Eccli. 13. *induet superbiam*; idem de alijs vitijs sentiendum. Et Paulo teste, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Præstat malorum æstuare odiô, quàm consortiô. Si dextra sit offensioni, monente Servatore, est abscindenda; idem cum amico faciendum; (quod Corę & sociorum perduellium familiares cogitare debuerant) melius est enim jacturam facere amicitiæ, quàm animæ. Habent hoc pravorum consortia; primò trahunt in culpam, mox in pœnam; neque perire se putant, nisi pereant cum multis. Sceleris luem affricant non sentientibus, ut tantò ruant audaciùs in idem præcipitium socij, quantò cæciùs. Ideò recedendum ab ijs, ut nec *tactu* inficere possint; nam *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. nec *visu.* Basiliscus venenum ex oculis evibrat. Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

Amygdálina Aaronis virga, virtutis symbolum.

Invenit germinâsse virgam Aaron. Num. 16. Plura simul in una virga miracula. 1. quòd Arida germinârit baccas. 2. quòd eodem tempore baccæ induerint flores. 3. quòd flores subitò conversi in fructus. Quartum addunt SS. Script. Interpretes, quòd nunquam defloruerit, fructúmve perdiderit. Liceat per hæc naturam sive virtutis, sive indolis ad virtutem factæ intelligere. 1. Amygdalus prima inter arbores floret; ingenuitas primis se prodit ab unguiculis. 2. Eadem postrema inter arbores amittit folia, ut testatur Philo lib. 3. de vita Mosis. Nempe, quô semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. 3. Virga Aaronica baccas simul, & flores, & fructus protulit. Non raró virtus transilit annos, & cum herba exhibet messem. 4. Amygdalus cùm inter arbores floreat prima, necesse est, ut prima, frigora, pluvias, grandines, & ventos excipiat, ac superet. Virtus crescit in adversis, & duratur asperis. 5. Amygdalini fructus duro teguntur cortice; frangat nucem, qui vult esse nucleum. Labor improbus omnia vincit.



NARRA-

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRAEORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUNDIT AQUAS. Æneus ſerpens, aſpectu ſalutaris. Aaronis & Moſis obitus. Num. 20. 21. Deuteron. 33. 34. A. M. 2583. Ante Ch. 1470.

ANNO quadrageſimo ab exitu ex Ægypto, ventum eſt ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus ſitam. Ibi cæpit iterum ſitire populus, iterúmque cœli patientiam querulis vocibus laceſſere. Moſes & Aaron nihil habuere priùs, quàm ut irritatum Numen ſupplices propitiarent in Tabernaculo. Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc eſt à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium ſint aquæ proruptura. Moſes contrà, quàm mandatum erat (credibile eſt, perturbatione quadam animi, ob ingratiſſimi populi querelas concitatum ſubdubitâſſe, an DEUS toties rebellibus & incredulis ſit è ſaxo lympham expreſſurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam ſupra diximus in Tabernaculo aſſervatam) rupem repetita percuſſione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna ſe effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indigniſſimè ferentis, ipſos populi Duces, ſuo dicto minùs audientes, incuſsô feciſſe verbere, ſolo quod verbo effectum dari oportuiſſet; in neglecti igitur obſequij pœnam ingreſſu Chananitidis utrique interdicitur; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio poſt menſe Aaronem ſuſtulit, & brevi ex intervallo, Moſen quoque.

Iterata ob penuriam aquæ querimonia.

Moſis & Aaronis delictum in bis percutienda petra.

Urgentibus itaque ſuis Aaronem fatis, induitur is, juſſu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Moſe. Ibi cùm in Eleazarum ſacræ parentis veſtes, munúſque tranſlata fuiſſent, diem claudit extremũ, centum viginti trium annorum ſenex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps: hòc felicior, quòd dormienti ſimilior, quàm morienti; ſine morbo, vitæve tædio (nam viribus integris montẽ conſcendit) in pręſentia, & quaſi in gremio Moſis, germani fratris, & Eleazari filij, exſpirârit.

Mors Aaronis.

odium; circumtulit inimica Lingua; proflavit conspiratio; dispersit seditio; fovit pertinacia; restinxit *Gehenna.*

Contagium mali exempli.

Recedite à Tabernaculis hominum impiorum Num. 16. Nihil est contagiosius, malis exemplis. *Qui communicaverit superbo,* ait Siracides, Eccli. 13. *induet superbiam*; idem de alijs vitijs sentiendum. Et Paulo teste, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Præstat malorum æstuare odiò, quàm consortiò. Si dextra sit offensioni, monente Servatore, est abscindenda; idem cum amico faciendum; (quod Corę & sociorum perduellium familiares cogitare debuerant) melius est enim jacturam facere amicitiæ, quàm animæ. Habent hoc pravorum consortia; primò trahunt in culpam, mox in pœnam; neque perire se putant, nisi pereant cum multis. Sceleris luem affricant non sentientibus, ut tantò ruant audaciùs in idem præcipitium socij, quantò cæciùs. Ideò recedendum ab ijs, ut nec *tactu* inficere possint; nam *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. nec *visu.* Basiliscus venenum ex oculis evibrat. Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

Amygdàlina Aaronis virga, virtutis symbolum.

Invenit germinàsse virgam Aaron. Num. 16. Plura simul in una virga miracula. 1. quòd Arida germinârit baccas. 2. quòd eodem tempore baccæ induerint flores. 3. quòd flores subitò conversi in fructus. Quartum addunt SS. Script. Interpretes, quòd nunquam defloruerit, fructúmve perdiderit. Liceat per hæc naturam sive virtutis, sive indolis ad virtutem factæ intelligere. 1. Amygdalus prima inter arbores floret; ingenuitas primis se prodit ab unguiculis. 2. Eadem postrema inter arbores amittit folia, ut testatur Philo lib. 3. de vita Mosis. Nempe, quò semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu. 3. Virga Aaronica baccas simul, & flores, & fructus protulit. Non raro virtus transilit annos, & cum herba exhibet messem. 4. Amygdalus cùm inter arbores floreat prima, necesse est, ut prima, frigora, pluvias, grandines, & ventos excipiat, ac superet. Virtus crescit in adversis, & duratur asperis. 5. Amygdalini fructus duro teguntur cortice; frangat nucem, qui vult esse nucleum. Labor improbus omnia vincit.

NARRA-

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRAEORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUNDIT AQUAS. Æneus serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis obitus. Num. 20. 21. Deuteron. 33. 34. A. M. 2583. Ante Ch. 1470.

ANNO quadragesimo ab exitu ex Ægypto, ventum est ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cæpit iterum sitire populus, iterúmque cœli patientiam querulis vocibus lacessere. Moses & Aaron nihil habuere priùs, quàm ut irritatum Numen supplices propitiarent in Tabernaculo. Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc est à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium sint aquæ prorupturæ. Moses contrà, quàm mandatum erat (credibile est, perturbatione quadam animi, ob ingratissimi populi querelas concitatum subdubitâsse, an DEUS toties rebellibus & incredulis sit è saxo lympham expressurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam supra diximus in Tabernaculo asservatam) rupem repetita percussione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indignissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incussô fecisse verbere, solo quod verbo effectum dari oportuisset; in neglecti igitur obsequij pœnam ingressu Chananitidis utrique interdicitur; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio pòst mense Aaronem sustulit, & brevi ex intervallo, Mosen quoque.

Iterata ob penuriam aquæ querimonia.

Mosis & Aaronis delictum in hic percutienda petra.

Urgentibus itaque suis Aaronem fatis, induitur is, jussu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Mose. Ibi cùm in Eleazarum sacræ parentis vestes, munúsque translata fuissent, diem claudit extremũ, centum viginti trium annorum senex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps: hòc felicior, quòd dormienti similior, quàm morienti; sine morbo, vitæúe tædio (nam viribus integris montẽ conscendit) in præsentia, & quasi in gremio Mosis, germani fratris, & Eleazari filij, exspirârit.

Mors Aaronis.

 Mortuo

quis commeatum suppeditabit rebellibus, cùm manna haud ampliùs pluet cælo? Ita deseruntur à mente, quoscunque fiducia deserit DEI.

Pœna diffidentia. Ex tot centenis hominum millibus, quos DEUS ex Ægypto asseruerat, nemo unus felices terras vel oculis quidem contigit, omnibus ad unum in ipsa solitudine extinctis: nimirum.

Audentes fortuna (imò DEVS) juvat, timidósque repellit. Quidni absumeret mors ignobilis, qui Duce DEO generosè pugnare, gloriosè vincere noluerunt.

Annis quadraginta erraverunt per Deserta, qui diebus quadraginta, indignante DEO, Chananitidem explorârunt. *Annus*, ait Sacra historia, *pro die imputabitur*. Num. 14. v. 34. Cave DEUM offendere; quod citò delinquitur, tardè expiatur.

Pro cælo audendum. Fortitudinis, DEI fiduciâ nixæ, Calebus & Josua illustria sunt exempla. Magnis animis, magna responderunt prœmia. Ad imperium DEI, formidabilia non tantùm sunt spernenda, sed etiam appetenda. Quòd si pro uberiore telluris gleba, & viribus fuit opus, & animo, dextráque præsenti; qua confidentiâ sperant ignavi cœlesti patriâ se potituros, manibus in sinu compressis, cùm tamen asseverante supremo Imperatore, *Regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud*? Matth. 11.

NARRATIO XXVIII.

SEDITIO ET INTERITUS CORAE,

DATHANIS, ABIRONIS, AC SOCIORUM

Num. 16. Anno Mundi 2546. Ante Ch. 1505.



Aronem DEUS supremum Sacrorum Pontificem; Mosen verò, tum Civilium causarum Judicem, tum Divinæ quoque voluntatis Internuntium declarârat. Pungebat ea res *Corem* quendam, de Optimatum numero, Leviticæ virum propaginis, qui ut Aronem simul & Mosen, (quorum erat consobrinus, quippe *Isaare* genitus, fratre *Amramis*, illorum parentis) exauctoraret, *Dathanem* sibi & *Abironem* adjunxit, homines potentes & factiosos: & per hos, spectatissimum quemque, populóque maximè

Core & sociorum ambitio, & conjuratio

maximè venerabilem ad partes suas traxit, ut conjuratorum convenirent ducenti, quinquaginta, patritij generis omnes, consiliíque publici Senatores; quorum omnium eò redibat Summa conjurationis, ut Mosen, Aaronémque magistratu depellerent: Huic Coren; illi, quemcunque visum foret, è corpore suo subrogarent: ceteri sortibus inter se jactis, sacerdotia minora caperent, quotquot Leviticæ stirpis essent: Aliarum autem stirpium tribules, populi præturas, præfecturas, tribunatúsque sibi partirentur. Quæ cuncta munia factiosi spe jam devorârant; adeò certâ quidem, ut, qui Sacris obeundis inhiabant, intra tentoria sibi quisque clanculùm acerras, thuribuláque præparanda curarent: uti, cùm primùm tempus postulâsset, ad adolendum accincti, progrederentur.

Jámque satis omnibus compositis, cùm ingenti cuncta motu, tumultúque miscerentur, crescente pessimorum hominum colluvie, conveniunt *Coritæ* pro divini Tabernaculi foribus, cum suis singuli thuribulis æneis; aderant & Aaron, thuribulô Pontificis aureô, Moses autem virgâ Judicis instructus; hic coràm maxima populi frequentia, quæ dixisset, fecisśetque, Divini juxta præceptum Oraculi, non ambitionis suæ comentô, dicta, factáque contestatus, dehiscentis terræ sepulchrum, & ignium inferorum supplicia interminatur rebellibus, linguas impias in DEUM potiùs ipsum, quàm in se distringentibus; quod impendens perduellib' capitibus Vindicta mox palàm esset factura, & alterutram partem vel crimine absolutura, vel damnatura; orat insuper obsecrat, dehortatur à nefarijs cœptis; illi contrà frendentes explodere, & seditiosa obstinatione in amentia sua persistere. Dictu formidandum! postquam jussu DEI & Mosis, pars populi proximè tendentis, ab impiorum tabernaculis recessit, tum illic, ubi *Datban* & *Abiron*; tum alibi, quô locô, *Core* cum suis (frequens erat domesticorum atque participum turba) constiterunt, disrupta terra, voragine latè diductâ, præcipites unô temporis articulô deduxit & ipsos, & eos, qui cum ijs constiterant. Hausta simul sunt, discissæ telluris immani cum fragore, ruentiúmq; confuso clamore personante, tentoria, rebellium uxores, liberi, familiæ, pecora, supellex; Omnia denique subsederunt horribili barathro devorata. *Core* tantummodò filios tres, impietatem parentis detestatos, divina vis tantisper in aëre vacuo pendentes sustentavit, quoad in seipsam discissa terra recomponeretur; Num. 26. patris, ac sociorum animæ, vitâ priùs intra viscera terræ extinctâ, ad inferos, eò, quò sua ipsos merita vocabant, raptæ sunt.

Core cum asseclis terrâ absorbetur.

Core filij servantur

Exterruit hic interitus omnem, quæ totis circùm castris,

 maxi-

maximéque cum Mose, steterat, multitudinem. Hæc, & terrę disruptæ tumultibus, & intereuntium miserabili conspectu, vocibúsque consternata, terga fugæ dedit. Sub idem tempus, quô terra contumaces absorbebat, ducentorum illud ac quinquaginta virorum collegium, quod totidem cum acerris ad Tabernaculum Dominicum, Mose jubente, convenerat: dum totum est in Sacerdotij prensatione, totum abit in flam̃as. Forcipibus enim, ab Altari, raptâ prunâ, dum incendere thus, & adolere parant, incenduntur ipsi: flam̃â, vel de cœlo jactâ; vel ab ara prosiliente; vel quod credibilius, ex ipsis singulorum thuribulis in ora succendẽtium provolante. Cúmq; vim ignis, quippe cælestem, opes humanæ nullæ nec evitare valerent, neque restinguere: ceciderũt ad aram ipsam, ad quam adolere cogitarânt, simul omnes: pro Sacerdotibus, quod esse voluerant, facti victimæ, quod esse nolebant. Cæterùm æs thuribulorum, incendio colliquefactum, divino jussu conflatum, ac productum in laminas, altari suffixum est, tam prodigiosi reorum supplicij perenne monumentum.

Pars rebellium flammis absumitur.

Nec stetit hîc vel rebellio, vel rebellionis pæna. Nam ecce! quos aliquis pridie, triũ perduellionis principum favor ac studium infecerat, aut cognatio devinxerat, ij per noctis otium circulos atque cœtus facere, tot procerum, tótq; charorũ capitum mortes lamentari; Mosen, Aaronémque peremptorum invidiâ gravare; DEUM denique ipsum querelis incessere. Castrîs commotîs universîs concursatur ad Sacrũ Tabernaculum, & ad illi vicina Mosis Aaronísque tentoria: per manipulos & agmina inclamantur Interfectores, ac Latrones, & interfecti populi Carnifices; redderent sibi, redderéntque vitæ grandem illam, quam pridie necavissent, multitudinem; quæ DEI fuerit, non homicidarum natio. Fratribus autẽ duobus in hæc placidè responsuris, obsistunt vocibus insanis alij aliud succlamantes. Jámque pugnos intentãtes, & arma, vix manus ab eis, lapides, ferrum abstinebant. Moses & Aaron in Tabernaculum, tanquam in Asylum refugiunt, nebulâ densissimâ, diducente in latum se columna, involutum. Angelus Castrorum in Sacri papilionis culmine formidabilem splendorẽ majestatem expromens, DEUM ipsum adesse, furoris Ultorem, indicavit. Intonuit & vox DEI clarè missa; quæ Mosen juberet, cum fratre tota Castra relinquere; se namq;, quod pridie minatus esset, etiã tum exsecuturũ, omni deleta rebelli gente, supplicium.

Nova seditio contra Mosen & Aaronem.

Nec cassæ volabant minæ; exortus enim repentinus ignis, vastare cœpit ab ipso Tabernaculi Divini vestibulo, quidquid castrorum, ac multudinis inde se porrigebat. Ubique luctus & ejulatus; in uno natabant æstuario, terra, viri, mulieres, jumenta, tabarnacula, facultates; ibâtque morientium, in cœlum clamor: in favillam

Multa millia cælesti incendio pereunt.

favillam corporis artus : in Tartarum scelestorum Spiritus, quippe deprehensus in flagranti tum corpore, tum contumacia. Ululatu, duorum ad Ducum aures perlatô, Aaron correptô thuribulô, vivísque carbonibus ex ara repletô, thus sacrum, per media deportatum castra, celeriter adolendo, residuam castrorum partem ab incendio servavit intactam. Ita spatium pœnitendi concessum factiosis : supplicium, pro malefactis irrogatum obstinatis; quorum uno flamarum cursu, tanquam ventoso fulminum præstére, quatuordecim millia tunc, & septingenti sunt absumpti. Quibus si connumeres, qui pridiana clade, vel terra, vel igne, perierunt, numerô fortasse non inferiores : ad millia, viginti novem, interfectorum sumam facilè perducas.

Grassanti flammæ Aaron occurrit

Finijt tandem Numinis iram, Sacerdotiíque diremit litem, Aaronis virga : quam arentem, juxta duodecim alias, totidem tribuum virgas, itidem siccas, collocatam; divino jussu Moses in Oraculi tentorio per noctem asservârat. Eam enim manè posterô, solam amygdalino vernantem flore, cùm aviti duodecim Principes invenissent; suas è contrario, sicut attulerunt, emortuas, dubitare porrò nequierunt, quin, cujus unius virga flore se vestisset, eiusdem solius & caput, & stirps Infulam deinceps Pontificalem indueret. Ea virga perpetuo virens flore, cum Manna cœlesti in Tabernaculo deinceps asservata est in memoriam rei, & ambitiosæ discordiæ metum.

Aaronis virga floret, & litem Sacerdotij dirimit.

DOCTRINA.

IUvat exclamare, divinis Iacobi verbis: *Ecce, quantus ignis, quā magnam incendit silvam!* Tota planè Castra, gentis Israëlitarum. Et quanam scintilla suscitante? Nimirum eâ, quæ nunc quoq; cœtus, domos, urbes, respublicas, ac regna terrarum inflamat : *Ambitione* videlicet; cum *Invidiæ* livore conjunctâ. Coren, omnium primùm Pontificatûs & Ambitio stimulavit, & Invidia. Secutæ mox cogitationes turbidæ; Principatûs adipiscendi nefaria consilia; clandestina quæsita conciliabula; socij reperti, non disparis pravitatis. Hi fomites erant, hæ scintillæ; conceptrices incendij futuri. Supervénit his, calumniatricis fax linguæ; criminandique fratres duos, & traducendi pestifera licentia, *plena mortifero veneno*; volitans *odiorum ignis*; obtrectationum nocturna diurnáque *rota*; labia maledica; dolosum os impræsentiarum; in absentes autem Infectationes Satyricæ: sub extremum denique, concors tot millium, & hostilis, adversùs legitima capita conjuratio. Donec & in sumam Numinis majestatem, obliquus incedere contemptus cœpit. In quo quidnam erat aliud, quàm *Universitas iniquitatis?* Incendium igitur omne concepit ambitus; peperit invidia; nutrivit

Tantum incendium Ambitio & invidia conflavit.


odium; circumtulit inimica Lingua; proflavit conspiratio; disperſit ſeditio; fovit pertinacia; reſtinxit *Gehenna.*

Contagium mali exempli.

Recedite à Tabernaculis hominum impiorum Num. 16. Nihil eſt contagioſius, malis exemplis. *Qui communicaverit ſuperbo*, ait Siracides, Eccli. 13. *induet ſuperbiam*; idem de alijs vitijs ſentiendum. Et Paulo teſte, *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Præſtat malorum æſtuare odiô, quàm conſortiô. Si dextra ſit offenſioni, monente Servatore, eſt abſcindenda; idem cum amico faciendum; (quod Corę & ſociorum perduellium familiares cogitare debuerant) melius eſt enim jacturam facere amicitiæ, quàm animæ. Habent hoc pravorum conſortia; primò trahunt in culpam, mox in pœnam; neque perire ſe putant, niſi pereant cum multis. Sceleris luem affricant non ſentientibus, ut tantò ruant audaciùs in idem præcipitium ſocij, quantò cæciùs. Ideò recedendum ab ijs, ut nec *tactu* inficere poſſint; nam *qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. nec *viſu*. Baſiliſcus venenum ex oculis evibrat. Uváque conſpecta livorem ducit ab uva.

Amygdálina Aaronis virga, virtutis ſymbolum.

Invenit germinâſſe virgam Aaron. Num. 16. Plura ſimul in una virga miracula. 1. quòd Arida germinârit baccas. 2. quòd eodem tempore baccæ induerint flores. 3. quòd flores ſubitò converſi in fructus. Quartum addunt SS. Script. Interpretes, quòd nunquam defloruerit, fructúmve perdiderit. Liceat per hæc naturam ſive virtutis, ſive indolis ad virtutem factæ intelligere. 1. Amygdalus prima inter arbores floret; ingenuitas primis ſe prodit ab unguiculis. 2. Eadem poſtrema inter arbores amittit folia, ut teſtatur Philo lib. 3. de vita Moſis. Nempe, quò ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu. 3. Virga Aaronica baccas ſimul, & flores, & fructus protulit. Non rarò virtus tranſilit annos, & cum herba exhibet meſſem. 4. Amygdalus cùm inter arbores floreat prima, neceſſe eſt, ut prima, frigora, pluvias, grandines, & ventos excipiat, ac ſuperet. Virtus creſcit in adverſis, & duratur aſperis. 5. Amygdalini fructus duro teguntur cortice; frangat nucem, qui vult eſſe nucleum. Labor improbus omnia vincit.



NARRA-

NARRATIO XXIX.

NOVA HEBRAEORUM SEDITIO, EIUSQUE CASTIGATIO. PETRA PERCUSSA FUNDIT AQUAS.

Æneus serpens, aspectu salutaris. Aaronis & Mosis obitus. Num. 20. 21. Deuteron. 33. 34. A.M. 2583. Ante Ch. 1470.



ANNO quadragesimo ab exitu ex Ægypto, ventum est ad urbem *Cades*, in extremis Idumææ finibus sitam. Ibi cæpit iterum sitire populus, iterúmque cœli patientiam querulis vocibus lacessere. Moses & Aaron nihil habuere priùs, quàm ut irritatum Numen supplices propitiarent in Tabernaculo. Accipitur vox Oraculi, ut imperent petræ, (alia hæc est à Sinæa, Exodi 17.) neque dubitarent, quin ad imperium sint aquæ proruptura. Moses contrà, quàm mandatum erat (credibile est, perturbatione quadam animi, ob ingratissimi populi querelas concitatum subdubitâsse, an DEUS tóties rebellibus & incredulis sit è saxo lympham expressurus) arreptâ Aaronis virgâ (quam supra diximus in Tabernaculo asservatam) rupem repetita percussione verberat. Nec mora; ad alterum ictum, aquarum magna se effundit copia, & cum aquis, ira Numinis; indignissimè ferentis, ipsos populi Duces, suo dicto minùs audientes, incusso fecisse verbere, solo quod verbo effectum dari oportuisset; in neglecti igitur obsequij pœnam ingressu Chananitidis utrique interdicitur; mors proximè vicina denuntiatur. Ea, tertio pòst mense Aaronem sustulit, & brevi ex intervallo, Mosen quoque.

Iterata ob penuriam aquæ querimonia.

Mosis & Aaronis delictum in bis percutienda petra.

Urgentibus itaque suis Aaronem fatis, induitur is, jussu DEI, Pontificijs ornamentis, unàque cum filio *Eleazaro*, natu maximo, in montem *Hor* educitur à Mose. Ibi cùm in Eleazarum sacræ parentis vestes, munúsque translata fuissent, diem claudit extremũ, centum viginti trium annorum senex, omnium fratris peregrinationum, & curarum particeps: hòc felicior, quòd dormienti similior, quàm morienti, sine morbo, vitæve tædio (nam viribus integris montẽ conscendit) in præsentia, & quasi in gremio Mosis, germani fratris, & Eleazari filij, exspirârit.

Mors Aaronis.

 Mortuo

Repetita Judæorum querela.

Mortuo parentatum est triginta dierum luctu; vixque siccatis lacrimis solita de cibo & potu querela, quasi nænia redintegratur; longæq; viæ denuò subeunte fastidio, cumMose expostulatur ab iis, qui ob recentem adversùs *Aradem*, gentis Chananeę & *Ogum* ac *Sebonem* Ammorrhæorum, reges, opimam spolijs Victoriam, DEO felicitatis Datori gratias, quantas maximas poterant, debuerant meminisse. Pro sceleris modo, supplicium fuit; pestilens oris virulentia serpentibus est castigata, quorum morsibus inflamata corpora, & veluti carbunculis usta contabuerunt, non sine magna mortalitatis strage. Saluti denique fuit pereuntibus simulacrum serpentis æneum, longa super pertica in omniũ oculis erecti. Et verò solus hic juvabat aspectus; consanuerunt, quicunque oculos in signum intenderunt. Adeò potens jam tum illius fuit umbra, qui secuturis pòst seculis erat pro nobis exaltandus in crucis stipite, animóq; scelerũ pœnitente contemplandus.

Puniuntur murmuratores serpentûm morsibus.

Jam *Mosen* quoque, tot laboribus & ærumnis mors erat absolutura. Elapsis ab obitu fratris, mensibus non ampliùs octo, jubetur à DEO, comitatus *Eleazaro* novo Pontifice, & *Josua*, filio *Nunis*, fido in omni fortuna ministro, ascendere montem *Abarim*, & ex eo, *Nebonem*, alterum montis jugum; in cujus ubi vertice (*Phasga* nomine) constitit, subrogato sibi Imperatore belli, Josuâ, cum jam ante cum bonorum omnium imprecatione, & repetita Legum promulgatione populo suo valedixisset; circumfert oculos per Chananæam (*PROMISSIONIS* terram) cujus ingrediendę multis annis desideriò unicè tenebatur, sed frustra; DEO diffidentiæ ab ipso in percutienda petra admissæ pœnam exigente; cujus ipse providentiæ suavissimè acquiescens, placidam oppetijt mortem vegetus & validus, anno ætatis vicesimo supra centesimum; funus curârunt Angeli, & in valle *Moab*, seu *Moabitis* confini, terrę mandârunt. Anima in sinum Abrahæ, in quem frater Aaron jam antè fuit receptus, est deportata. Mortuum populus integro deflevit mense.

Mosis obitus

Fuit Moses prodigiorum patrator illustris, naturæ, quam ad nutum regebat, propemodum dominus, & in pertinacissima gente supra fidem humanam mansuetus, DEI charitatis & patientiæ magnum exemplar. Quadraginta primos annos in aula versatus inter principes; medios in Madianitide inter pastores atque cælites; postremos in horrenda, vastáque solitudine, inter Israëlitarum turbas, ærumnásque diuturnas transegit. In prima vitæ periodo castè delicias regum attigit: in altera, corporis labores fortiter pertulit: in tertia, heroicâ virtutis constantiâ tantas animi curas expertus est, quantas patientissimo Rectori improbissimus populus inferre potest.

Encomium Mosis.

DOCTRINA.

Mosis benignitas.


V*Ersi in seditionem, dixerunt: Vtinam perijssemus inter fratres nostros.* Num. 26. Vox ea fuit seditiosorum, odiosam sibi vitam proijcientium. Non ideò tamen excelsus Mosis animus deterreri potuit à studio benefaciendi. Regium est enim, cùm benefeceris, audire malè, dicebat Antisthenes Philosophus. Vicit furorem mansuetudo, vecordiam delinquentium, clementia parentis simul & judicis. *Ingressúsque Tabernaculum fœderis.* Ib. Ad impetum vesanæ multitudinis retundendum, validissima sunt arma, quæ à DEO petuntur; neque efficaciùs contra sceleratam stultitiam pugnatur, quàm consilio è Mente divina hausto. *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejcere?* Hac sola de caussa, inquit Basi-

Parvum Mosis delictum severè punitur.

„lius *in libro Ethicor. tom.* 2. quoties considero, Mosi denuntia-
„tum fuisse, non ingressurum illum in terram Promissionis; quo-
„ties orantem hunc reputo, & nihil exorantem, ut veniam tam
„brevi verbo impetraret, verè, ut est apud Apostolum Rom. 11.
„rigidam DEI severitatem video, veréque illud dictum persuadeo
„mihi: Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi pare-
„bunt? 2. Pet. 4.

Nemo etiam probus, securus à lapsu.

Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coràm filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Num. 21. Triste sanè ac luctuosum in talibus, tantísque viris spectaculum; post tam multa, tàmq; singularia divinę in ipsos benevolentię argmuenta, post tot prodigia in cœlo, in terra, in aquis, in igne, in inferis, in Ægypto, in mari, in deserto, in omnibus locis & elementis, tam constanter, tàmque gloriosè perpetrata, Mosen tamen & Aaronem Numinis offensam incurrisse, spéque terræ toties promissæ excidisse. Nimirum permissi sunt labi, ut meminissent se homines, & frustrato delictū expiarent desiderio. *Qui stat, videat ne cadat. 1. cor. 10.* Nemo, quamdiu vivit, securus est à lapsu. Proximus est ruinæ, qui extra casum se putat positum. Ingredimur in lubrico; nemo sibi firmis blandiatur de vestigijs, antequam absolverit viam.



NARRA-

NARRATIO XXX.

ASINA BALAAMI ARIOLI LOQUITUR; IPSE, QUANQUAM INVITUS, BENE PRE-catur Israëlitis Num. 33. & 34. Anno Mundi 2583. Ante Christum 1470.

DEbellatis & interfectis tribus regibus, *Arâde Chananæorum, Ogo Basanitarum, & Sebone Amorrhæorum*, eorúmq; provinciis à gente Hebræa occupatis, ingens terror vicinas regiones concussit. Iam fulmen belli etiam *Moabitas* afflaverat, in quorum oculis castra fixerunt Israëlitæ. Imperabat tum Moabitis *Balâcus*, qui cùm plus præsidij in magicis incantationibus, quàm in militari classico reponeret, advocat è Mesopotamia *Balaâmum*, Ariolum famosum, & carminibus potentem; si fortè ejus operâ victoriam obtineret incruentam, quam sese reportaturum armis desperabat. Proposita erat Mago per legatos, ampla vis pecuniæ, si execrationibus & detestationibus Hebræos vel deleret, vel certè procul à Moabitis repelleret. Stimulavit auri fames hominem, ut non ægrè sequeretur legatos. In itinere, dum illi plusculùm præcedunt, objicit se Balaamo Spiritus cælestis, ferro stricto viam intercludens. Jumentum, quô Ariolator vehebatur, erat asina; hæc Angelum conspicata exerto gladio minitantem, semel, iterúmq; declinat à via; quam dum insessor repetitis verberibus in semitam reducere laborat, illa redacta in angustias, geminas inter macerias, cùm hinc obstaret fulgurans mucro, inde callis in arctum compelleret, attrivit ad murum, sedentis pedem; ferociùs inde pulsata, sub plagis concidit; hîc herus inclementiùs furere, & fuste latera bestiæ validè tundere. Rupit indignatio vocem asinæ, movente linguam Angelo; & quid est caussæ, inquit, quòd sævias tot ictibus in immerens animal? Ille contrà, nihil motus prodigiô (credibile est talibus assuetum fuisse monstris) convitia in refractariam pecudem ingerere, & jam gladium domandæ contumaciæ poscere. Perrexit asina caussam suam agere, & ingrato homini pristina servitutis obsequia in mentem revocare; semper adhuc se habenis obtem-

obtemperantem, rectoris ductum secutam, recto tramite processisse; molliter, securéque herum suum absque cespitatione vexisse; jam verò pro tot annorum ministerio atrocia verbera reponi, barbara planè sævitie ne bestijs quidem tolerandâ. Non potuit inficias ire fidelem expostulantis jumenti operam vector, neque tamen caussam tergiversationis intelligere. Cùm abstersâ nebulâ, conspicit & ipse minacem formidabilis Genij gladium, territúsq; in genua provolvitur. Cui Angelus, ecquid, ait, furis in insontem bestiam? ego sum, qui tibi viam sceleratam intercepi, ego remoram asinæ tuæ vestigijs objeci, absque cujus declinatione fuisset, tu funus esses, illa viveret incolumis; nunc perge, licet, viam, quam cæpisti; sed cave, quidquam loquaris aliud, quàm ego præcepero tibi. Ita monitis & pecudis, & Angeli instructior Divinator, prosecutus est iter.

Interea temporis avida tenebat exspectatio *Balaacum* advocati Incantatoris; cujus adventu nuntiato, in ipsis occurrit ei regni finibus, & quô potest, lautissimo apparatu hospitem excipit, aureis promissis onerat, carmen ut in execrationem componat, quo nomen omne juguletur Hebræum. Eum in finem excitantur aræ, immolantur victimæ idolo *Baali*, ijs in montibus, unde prospectus patebat, in castra Israëlitarum, latè tendentium infrà. Nihil deerat, nisi, ut diris omnibus devota Hebræa capita, ultimô exitiô involverentur. Intercessit Genius cælestis, & Arioli linguam ac mentem impulit, ut alia omnia, quàm cogitârat, sentiret & loqueretur. Pro malis devotionibus audiuntur imprecationes faustæ, cum vaticinijs à DEO suggestis, de futura gentis Hebraicæ felicitate; déque Christo, stellæ instar Matutinæ, ex ejus posteris orituro; ringente interim suis cum optimatibus rege, & Ariolum cum indignatione à se reijciente. Qui tamen speratis ne muneribus excideret, aliam viam inijt, quâ Hebræis noceret; quibus cùm per auguria, & divinationes maleficium inferre non posset, auctor est Balaaco, per mulieres ut *Moabiticas & Madianitidas*, ut erant eximiâ formâ præstantes, ad amorem eos prius, deinde ad *Beelphegoris* idoli cultum pelliciat, ita futurum, ut suô se laqueô, simul & irâ Numinis induerent, cujus destituti præsidiô, haud dubiè essent sine armis perituri. Quale consilium, talis eventus; utrumque pessimum. quod deinceps referemus,

DOCTRINA.

Quid non mortalia cogis pectora,
Auri sacra fames? auro venalia jura,
auro venalia sacra:

Verè Siracides, Eccli c. 10. *Avaro nihil est scelestius. & v. 11. nihil est iniquius,* *Imitatores Balaami.*

quiùs, quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet. Minatur Iacobus in epistola: *Va illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt.* Via Caini, est DEI contemptus, invidia, homicidium, hæresis, atheismus, vita vaga, desperatio, damnatio. Balaamum sequuntur, qui toti projecti in lucrum; in maledicta pariter; & impia consilia, atque alia se scelera effundunt, ut sacra profanáque permisceant, & perdant.

Balaamus paratam in maledicta linguam gerebat, quæ benedictis ut verteret, altiore vi compulsus est. Egregium Angelicæ adversùs probos argumentum providentiæ, Impiorum execrationes & diras, vertentis in bonum pijs. Credibile est Angelum hunc, fuisse Michaëlem, Judaici protectorem populi, de cujus Internecione agebatur, si magicis incantamentis dementatus, hostium fuisset expositus furori. Apparet quoque, quanta pestis humani sint generis præstigiatores, conjectores, aruspices, augures, incantatores, quibus nunquam deest nocendi voluntas; sæpe, prohibente DEO, facultas. Exod. 22. *Maleficos non patieris vivere.* Et Levit. 20. *Vir sive mulier, in quibus fuerit divinationis spiritus, morte moriatur.* Et juxta Jura Canonica, Omnis inquisitio, curatióque, quæ vel à divinis, magicísq; petitur artibus, vel à dæmonibus ipsis, mors est potiùs, quàm vita dicenda; Quíque ista sectantur, sempiternum ad interitum tendunt. cap. qui sine causs. 26. q. 2.


Magi.

Vsus est DEUS voce asinæ, tum quia congruè bruta mens per brutum docetur; tum ut erudiretur, & castigaretur vanitas auguris, qui ruditum asinæ, & garritum avium, quasi futurorum omina observare solebat.

Asina magistra bruti hominis.

Tropologiè, juxta S. Greg. 3. *Part. Past. admonit.* 13. Asina retardata Angelum videt, quem Balaam necdum videbat: quia plerumque caro tarda, per molestias flagelli indicat menti DEUM, quem ipsa carni præsidens non videbat. Asina ergo, est corpus morbis & incommodis vexatum, quod sæpe Balaamo, hoc est, menti cæcæ & depravatæ, DEUM revelat, & virtutis officium ostendit.

Asina carnis Symbolum.



NARRA-

NARRATIO XXXI.

HEBRAEI DANT POENAS SACRILEGAE LIBIDINIS, CUM MOABITICIS

Et Madianiticis feminis commissæ. Num. 25.

Anno Mundi 2583. Ante Ch. 1470.

PRoximè superiùs diximus, *Balaamum* præstigiatorem, Israëlitis imprecari nefasta conatū, à DEO semper in contraria raptum: necquicquā repetitîs sæpius, &arîs, & Sacrificiîs, ac vaticiniorum carminibus, Hebræo populo fortunatis Numinis afflatu; coactúque, in Mesopotamiam denique suam esse reversum. Eò tamen antequam perveniret, *Balaaco* regi, ne penitus mali nihil homo pessimus patraret, suasorem fuisse, ut Israëlitas, oblatîs, obtrusísque per feminas illecebrîs, in ea præcipitare studeret scelera: propter quæ DEO, Tutori suo, vel maximè fierent exsecrabiles; & ideò, quibusvis deinceps, etiam imbellissimis, superari perfaciles. Gavisus consiliò nefariò *Balacus*, ut cui satis esset, in regno suo pacatas sibi res esse; seu per fas id, nefásve, sive per Inferos, aut Superos, assequeretur: electissimæ formæ mulieres, ex omni, tam *Moabitarum*, quàm *Madianitarum* regno conquirendas curavit, & ad se perducendas: quæ mox, speciē suam, amictûs insuper apparatu, perpolientes, ad Hebræorum extrema castra, *per sacrificandi caussam*, velut pudibundæ, cunctantésq; subreperent. Sacrificio delecta erat, *Setbima*: locus, illius incorrupti ligni nemoribus frondosus: ac valle, quam *Sattim* appellabant, amœnus. DEUS autem, cui litaturas se feminæ profitebantur, *BEELPHEGOR* erat, *Priapus* aliàs, vel ipsa nominatione pudendum simulacrum; vocatur etiam *Phegor, Phogor, Baal, Bel.*

Tales igitur, *Moabitides* illæ, & *Madianitides* consederant in extrema Sethimææ vallis parte: lascivis gestibus, procacibúsque verborum irritamentis: choreis quoque, fractísque in mollitiem „ cantilenis juventuti militari fraudē struentes. Cùm non de- *Lenocinia feminarum gentilium*
„ sint, inquiunt lenocinantes, domi facultates amplæ: nec
„ parentum ac domesticorum affectus; nec corporis formam

 „ huc

,, huc nundinaturæ venerimus; sed ut viros famâ inclytos hospi-
,, tali gratia, obsequióque demereremur, faciliores nos amoribus
,, vestris præbuimus. Nunc verò, cùm vereamur, ne libidine exsa-
,, tiatâ, retrò cum injuria, contumeliáque ablegemur ad parentes,
,, cupimus legitimis vobiscum nuptijs copulari; si tamen, quem-
,, admodum corpora erunt communia, sic etiam eadem esse Sa-
,, cra velitis; neque enim sat fidis junguntur thalamis, qui dif-
,, fident aris; patriam vobis cum dijs patrijs offerimus; per vos
,, stat, diutius errare per alienas terras, an stabilem hîc domici-
liorum, & amorum sedem esse malitis. Quid multa? frons, oculi, vultus, forma feminarum quavis suadâ potentiùs perorârunt. Vicit viros invictos libido, & ex pectoribus animum, avitámque Religionem excussit. Non plebs duntaxat, sed & de nobilitate, numeróque Principum nonnulli meretricijs amoribus sunt implicati; &, quod magis abominandum, ijsdem quoque impurissimis Sacris, ne delicias illas suas aut amitterent, aut contristarent, operari non dubitârunt. Sacrilegis in vestigio supplicium hæsit; pestilitate divinitus immissâ, vastari castra cœpta; punitúmque bubonum, & carbunculorum ardore, quod libidinoso corporum igne peccatum erat. Nec eô contentus suppliciô DEUS: in eos primùm graviùs exarsit, qui præter vetitam corporum inquinationem, insuper & Priapi Sacerdotiū accepissent; turpissimi simulacri cæremonijs initiati. Quos ille cunctos, Procerum habitô per Mosen (nam hæc ante eius mortem contigerunt) conciliô, conquisitos, ac sacrilegij convictos, duci jussit; &, è regione micantis solis, in crucem tolli: quò supplicij fierent, qui sceleris fuerant, plebi spectaculum. Post hos, qui quoquo modo Priapéis se maculâssent, nec tamen adhuc vel lue, vel fune pœnas dedissent; necari ferro præcepit: nullo propinquitatis, aut generis habito, per eos, qui cædis ministerium exsequerentur, discrimine. Quô factum est, ut exiguum intra tempus, nocentium capitum, vel peste, vel reste, vel glagiô sublata sint, quatuor, ac viginti millia. Nimirum in febri tam pestilenti & vulgari plurimis debuit mitti sanguis, ne contagio traheret omnes.

Luxuria & idololatria Hebræorum.

Gravissima Dei vindicta in peccantes.


DOCTRINA.

QUid non facit pellax femineo in corpore forma! quanta est illecebra & vis pulchritudinis! Quod armatorum vigor non potuit, feminarum potuit mollities; vincuntur specie, qui non vincebantur præliô. Pugnatur osculis, non spiculis: delitijs, non tormentis: gratiâ, non terroribus: nectare, non cruore: lenoci-

lenocinijs, non classicis: voluptate, non clade: lepóribus, non machinis: Veneribus, non vulneribus. *Propter speciem mulieris* inquit Siracides, cap. 9. *Multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit.* Dulce venenum, & dolosa fax femina,

Urit enim vultu, visu, risu, cute, cultu.

Pellaciæ formæ accesserunt blanditiæ verborum, & munusculorum lenocinia. Circumferebant secum puellæ Moabitides & Madianitides, idolorum suorum sigilla, nec non idolothyta, hoc est, cibos illis immolatos & consecratos, ad quos comedendos alliciebantur Juvenes Hebræi, tum etiam ad ipsa idóla colenda; ante omnia verò in amplexus, & nefarios concubitus invitabantur, unde pronus in cetera lapsus. Jubet cavere Salomon Prov. 5. *Ne intenderis fallacia mulieris. Favus enim distillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur eius; novissima autem illius amara, quasi Absynthium, & lingua eius acuta, quasi gladius biceps.* Sub melle, fel: absynthium sub oleo; triste gaudium, & mors hilaris; gladius biceps, animum simul & corpus perimens. Femina Sphinx, vultu & manibus puellam refert; medio corpore canem lascivam; alis avem, ob petulantiam & levitatem; unguibus leonem, lacerantem opes & famam; caudâ draconem, perdentem & occidentem; voce hominem, insidiosè blandientem. Appositè
„ Hugo Victorinus *lib. 1. de Carnal. Nupt.* In favo mellis, inquit,
„ duo sunt, scilicet mel & cera. In facie meretricis similiter duo,
„ scilicet decor & gratia, hoc est, pulchritudo oris, & dulcedo
„ sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem.
„ Sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem;
„ blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem; stillat
„ mel ex cera, dum verba mollit & facit dulcia. *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Eccli. c. 42. Potes ab illo tibi cavere, quippe apertè invadente; hæc dum benefacere videtur, id agit, ut decipiat, & illaqueet incautum.



NARRATIO XXXII.
ZELVS PHINEAE
IN VINDICTA FOEDI
Concubitûs ſumenda. Internecio Madianitarum
Num. 25. & 31. Anno Mundi. 2583. ante Ch. 1470.



Tragis, quam memoravimus, tam ingentis, oculis objecta gravitas, nondū ſanavit tamen animos omnium libidine faſcinatorum. Vſqueadeo tenax eſt, ac lentum hominis malum, Laſciva cupiditas: ut, quem ſemel inſederit, eum in furoris curſum pertinaciter propellat; ac ſine præcipitio vix unquam dimittat. Pœnas non videt, dehortamenta non audit; futura non præmeditatur: &, in ſumma, nec oculos cæca, nec aures ſurda, neq; cor fatua circumfert. Ipſa circumfertur interim; quocunque demens eam animi morbus impulerit. Jacebant ecce tot in conſpectu, peſte peremptorum funera; tot crucibus ſuffixorum corpora; tot enſibus trucidatorum cadavera. Flebat eos, ac demonebat ſtratus ante Sacrum Oraculum, dux Moſes. Cum Moſe, populi pars ſanior, & optimus quiſque, ſævientem tum vel maximè, vindicem DEI manum lacrimis propitiabant. Nec adhuc tamen, aut *Madianitides* puellæ cunctæ caſtris abſceſſerant: nec Hebræa juventus univerſa, deſierat ad earum contubernia commeare.

Vecordia laſciva cupiditatis.

Sed ex omnibus, unius imprimis feminæ, ſicut præcipuum genus & forma, ſic contumacior fuit, ad caſtra, deſidia. *Cozbaa* nominabatur; *Suris* Madianitarum quinque Regulorum potentiſſimi filia: quæ Priapæi quoque Sacerdotij partes principes obibat. Hæc tabernaculum ſibi, præ cæteris omnibus conſpicuum, & juvenibus inſidioſum extenderat: in quo ſceleſta, tanquam in lupanari, Venerem ex profeſſo cauponari, ſui muneris gloriam ducebat & palmam. Id nobilioribus præſertim Iuvenum frequentatum ac patulum; comeſſantium, ſcortantiúmq; perpetuis vocibus perſonabat.

Cozbaa proſtibuli Madianitici protervia.

Incendit inter alios *Zambrin*, virum Hebrææ ſtirpis, *Saluæ* Patre, tribúque *Simeonitarum* ortum: &, quod dedecoris caput erat,

Impudentia Zambris, Hebræi principis

erat, illius universæ stirpis principem, ac Ductorem. Hujus tam intemperans fuit in *Cozbæam* amoris ardor: ut luce palàm, omníque castrorũ aspectante multitudine, Mosis in oculis, nulla fronte, verecundiáque, prostibulum peteret. Erat nemo, quem viri tanti tam perspicua nequitia, non aut improbitatis admiratione percelleret, aut indignatione justa commoveret. Tacebant tamen omnes; Mosi, Deóque sceleris, vel vindictam, vel dissimulationem permissuri. Tacebat & Moses ipse; solas ac supplices in lacrimas effusus. Quid enim, ipsis jam Ducibus exemplô turbam trahentibus, Imperator ageret? nisi fortè, deletîs jam tot millibus, insuper & reliquias populi de medio tolleret: aut, quod proclivius erat, novos sibi *Coras, Dathanes, & Abirones* excitaret. *Impudentia Zambris, Hebræi principis.*

At non eâdem, quâ cæteri, patientiâ, Pontificis Eleazari filius, *Phinees*, usus; instinctu Numinis, ac divinæ violatæ legis dolore, stimulatus: primò quidem intimo mentis exarsit sensu. Correpto deinde pugione subalari; neminíq; suorum, qnorsum eruptura consilij sui vis esset, apertô: Zambris vestigia, concitato gradu persequitur: & animum ingentem, sub fulminantibus oculis, ac ferrum latens, sub veste minimè suspectâ gerens; in Cozbææ tentorium usque, cunctis apertum se penetrat. Ibi deprehensos utrumq;, *Zambrin & amicam*, fœdœ jam rei dantes operam, nec præ dementiâ flagitij, quid instaret sibi mali, sentientes: tribus interpellans verbis; Hoc Habete Scelesti! pugione simul utrumque transverberat. Et quidem, ut manum percussoris agnosceres, divina directam manu; perfodit ambos, in ipsa sceleris ministra membra vulnere perlatô. Quibus in hunc modum perfectîs; placato jam Numine, lues est omnis consopita: data venia populi reliquijs; *Phineæq;* Sacerdoti constabilita promissi Pontificatûs æternitas. At, extincti momentô, duo miserabiles amantes, Zambris & Cozbæa, funus jacebant sempiternum. *Phineæ Zelus in libidine ulciscẽda.*

Ne verò *Madianitæ* impunè ferrent (*Moabitis*, qui magna sceleris & cladis pars & caussa fuerant, est parsum ob merita *Loti*, eorum progenitoris; & *Ruthæ* Moabitidis, unde Christus erat originem ducturus) geminum nefas, quòd & devotionibus perdere tentârint Hebræos; & per imissas feminas, eosdem ad Sacrilega Sacra induxerint; DEUS imperavit Mosi expeditionem ultimam; (nam paullò post erat è vitâ migraturus) qui delectis, è quavis tribu, mille militibus, cùm exercitum duodecim millium confecisset, jussit eos, Duce *Josua*, in hostem numerosissimis copijs superbum movere, comitante Arca, eiúsq; Custode Phineâ, Sacerdotúmque, tubâ clangentium Præfectô. Nec difficilis

difficilis erat victoria, auspice DEO. Primo mox congressu tanta Madianitarum est cæsa multitudo, ut numerus cadaverum iniri non posset, ne unô quidem ex Hebræis desideratô; ut agnosceres manum, ex alto dimicantem. Jussu Numinis (penes quod vitæ necísque potestas in omnes) occisi mares omnes, & mulieres virum passæ; quinque Madianitarum reguli, *Eui, Recen*, *Sur* (Cozbææ memoratæ parens) *Hur*, *& Rebe*. Occubuit eô quoq; præliô *Balaamus*, qui ex patria Mesopotamia, quò nuper abierat, reversus, sive ut novô quodam maleficiô affligeret Hebræos, sive divinationis ut suæ lucrum aliquod reportaret; qui dum alienis intendit malis, interitum sibi iminentem priùs non vidit, quàm communi implicitus cladi sensit. Credibile est, ipsum (ut hoc genus hominum ignavissimum, & mortis timidissimum esse solet) inermem, suis confisum artibus cecidisse. Id certum, DEO Iudice; multis degravatum sceleribus caput, in malè agendi pertinacia, præcipitatum in Tartarum.

Madianitarum excidium.

Spolia ex Madianitis.

Fusis hostibus, urbes omnes, vici, castella, jubente DEO, flammis vastata, & solum, in detestationem sceleris, inhabitabile redditum. Præter ingentem vim auri facti, infectíque, quod ultro à milite victore, DEO Servatori dedicatum, capta sunt ovium sexcenta, septuaginta quinque millia; boum septuaginta duo millia; asinorum sexaginta, unum millia; puellarum triginta duo millia; quæ sunt omnino capita octingenta, & quadraginta millia. Sic ferit Vltio Divina, mortalium flagitijs provocata. Quædam ulcera non satis inciduntur, nisi radicitus exscindantur.

DOCTRINA.

Horrenda libidinosorum supplicia.

Horreant ista, pariáque fata mortales illi; quibus vitæ fructus sunt, libidinum oblectamenta. Quot, & quàm miserabiles casus sunt, non modò singularium hominum, sed urbium & regnorum, quos ad interitum animi, corporísque libido rapuit! Hinc Sodomæorum ignes; hinc Sichimorum cædes; hinc Beelphegoritarum clades; hinc Madianitarum strages; hinc Benjaminitarum (de quibus infrà narrabitur) plus quàm viginti quinque millium interfectio; hinc Trojæ, ob Spartanam adulteram, decenniô circumsessæ excidium; hinc Trojanorum sexcentorum septuaginta sex millium exitium; hinc Græcorum octingentorum, sex & octo millium deletio. O latum, ô profundum damnatæ voluptatis barathrum! In hoc descendunt, exactis desideriorum suorum annis *gigantes* (Prov. 9.) & pumiliones; Principes ac plebeij, viri, feminæque; domus privatæ, résque publicæ; Civitates, Insulæ, Regna, Mundus. His omnibus una mors,

Voluptas

Voluptas est; Sepulcrum Gehenna, Libitina Venus; Vespillo Diabolus; Rogus funebris æterna flamma.


Et ecce unus de filijs Israël (Zambri videlicet) *intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem.* Num. 25. Quid turpius? quid ad exempli pravitatem perniciosius? Zambri tribûs suæ Caput & Dux, in ipso castrorum, & Mosis Imperatoris aspectu, subit detestandam gáneam; & quidem in recenti Divinæ punitionis sensu. Vsque adeò, quos illecebris suis cepit Venus, dementat, & cæco furore præcipites agit. Verè Sapiens in Proverbijs cap 7. *Sequitur* (homo libidinosus) *velut bos ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur.* Dum stolida pecus, injectâ collo resti, lascivit, exilit, ad præsepe se duci credit, abstrahitur ad macellum, & mactatur. *Cæca libido.*

Phinees zelatus est pro DEO suo. Ibid. Justissima ira, quâ Numinis „honor vindicatur. In injurijs proprijs, ait Chrysostomus, patien„tem esse, laudabile est; injurias autem DEI patienter ferre ni„mis est impium. Nemo putet amicum, quem DEUS pro hoste habet. *Zelus domus tuæ* (ait Psaltes Psal. 68.) *comedit me,* hoc est, consumpsit, & absorbuit me. Quis comeditur Zelô domûs DEI? „quærit Augustinus ibidem. Qui omnia, quæ fortè videt per„versa, satagit emendare; nec quiescit; si emendare non potest, „tolerat, gemit, & apud se dicit: Tabescere me fecit Zelus meus, „quia obliti sunt verba tua inimici mei. Psal. 118. *Phineæ laudabilis zelus.*

Bonis nocet, qui pepercerit malis. Facilè turba trahitur in furoris societatem, exempli magisteriô, præsertim illustris.

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Juven. Sat. 8.


„ Ambrosij Sententiâ. Melius est, ut unius aut duorum da„ mnatione, plurimi liberentur, quàm duorum absolutione, plures periclitentur.



NARRATIO XXXIII.

RAHABAE MVLIERIS IERICHUNTINAE, FIDES ET OFFICIUM ERGA EXPLORATORES EJUSDEM URBIS, à JOSUA SUBMISSOS; ET RELATUM PROEMIUM. Josue cap. 2.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.



Um impendentem Rebellium cervicibus Justitiam Divinam sæpe sæpius mitigâsset Moses, de quo suprà memoravimus, & ad extremum ipse quoque pœnas aliquas, obsequij minùs accuratè præstiti, dedisset, dum in populi repetita jam tertiùm, quartúmve, ob aquæ penuriam, obmurmuratione, non, ut mandatum erat, *Horebæam* rupem, solô vocis imperiô profundere jussit aquas, sed eas bis incussâ virgâ provocavit, id quod Numini, severa lege exigenti imperata, displicuit adeò, ut & ipse, & frater Aaron desiderijs suis, adeundæ Palæstinæ, quam in conspectu habebant, quámq; annis omnino quadraginta per tot viarum asperitates unicè anhelârant, sint immortui; Mosi in magistratu successit *Josua*, is, qui jam antè arcanorum omnium conscius, familiæ Mosis præerat universæ; qui divinus Poliorcetes, sine machinis urbes expugnavit; qui, ne tardiùs vinceret, solem stare jussit; Israëlitas in Chananæam, promissam olim terram, induxit; ínq; ejus possessionem immisit; Summus Imperator, qui DEO fretus, non rariùs vicit, quàm pugnavit. Ex rebus ejus mirabiliter gestis, quasdam commemorabimus; & primò quidem *Iericbuntis* explorationem, fidémq; in ea re per *Rahabam* præstitam.

Iosue Successor Mosis.

Iosue, ut in ipso sui muneris aditu omnes boni Imperatoris partes obiret, non priùs expeditionem (Numinis jussu decretam) in Chananæam, suscipiendam putavit, quàm per exploratores emissos recognosceret Vires hostium, urbis præsertim *Hiericbuntinæ*, inter primas adoriendæ. Ii tametsi non ignari, quanto discrimini objicerent capita, non dubitârunt tamen, fiduciâ divini præsidij, sese viæ periculosæ committere. Superato Iordane, quà maximè vada aperiebat, veniunt sub occasum solis (nam hoc cum Sacra Scriptura meminisse juvat) ad urbis *Iericbuntis* portas,

& in-

& inter alios plures subeuntes ementito se penetrant habitu; móxq; conjiciunt in ædes, mœnibus vicinas. Inhabitabat eas *Rababa* prostituti corporis femina (Divina pagina meretricem vocat.) Ibi quiete noctis transactâ, postridie urbē dissimulanter obeunt, séq; sub vesperam ad suum referunt hospitium. Non potuerunt esse tam inobservati, quin re ad regem delatâ, mitterentur lictores, qui emissarios comprehenderent, & oneratos vinculis in custodiam darent. Id agi præsentiens callida mulier, abscondit peregrinos in solario, seu parte domicilij superiore, eósque lini stipulis, quas ad solem expansas siccabat, cooperit. Superveniunt interea regij apparitores, & advenas perquirunt. Mulier à mendacio, ut credebat pio, consilium capiens, respondet, viros quosdam ignotos paullò antè apud se cænatos, discessisse; qui si proditionis suspecti sint regi, posse eos negotiô parvô, de via retrahi ab insequentibus; esse tantùm opus celeritate. Illi feminæ verbis circumventi, omissa perscrutatione domûs, ne cunctatione spatium darent fugientibus, excurrunt festinanter per viam, quæ ad *Iordanem* fluvium ducebat, rati, fugam insidiatoribus, undarum, obstaculô interclusum iri. Interea mulier adit hospites, indicat, in quanta mortis vicinia versentur, quos tamen ipsa vel capitis sui periculô servatos cupiat, haud nescia, Chananitidis possessionem jure divino genti Hebrææ concessam; marcere dudum incolarum animos, perterritos famâ rerum mirandarum, quas terra, maríq;, & recenti Amorrhæorum strage supremus omnium Dominus edidisset; id unum se rogare, ut memores, quanto suo discrimine ipsorum saluti consuluisset, urbe per vim occupatâ, sibi suæq; familiæ gratiam rependerent pro beneficio; ejúsq; rei fidem juramentô confirmarent. Illi præsentes ei gratias agunt, & in futurum abunde relaturos jurati pollicentur, porrectô in manum funiculô coccineô, in urbis expugnatione suspendendô pro fenestra, per quam demissi fugam expedierint; agnitô illo tutelari symbolô, domum universam, cum omnibus propinquis, qui in eam se recepturi essent, in tuto fore, & quavis injuriâ liberam. Itaque demittuntur per fenestram, in eodem cum urbis mœnibus pariete apertam; moniti, conscensîs ut montanis, vitarent viam campestrem, perquisitoribus infestam, triduóque laterent, in abdito, donec investigatores in urbem redijssent. Consilium non minùs eventu felix, quàm inventu sagax. Ita dictum, factúmque. Nam insecutoribus ad urbem reversis, quòd crederent Hebræos prima nocte Jordanem trajecisse, descendunt hi de monte, séque ad suos referunt, magnô affectos gaudiô, sive quòd de eorum Salute conclamatum videretur; sive quòd reduces ostenderent, in manu esse victoriam, hostibus timore jam devictîs & prostratis; nam quos fregit metus, nulla servant arma.

Exploratores Chananitidis à Rababa excipiuntur hospitiò.

Pactum exploratorum cum hospita

Exploratores elabuntur.

DOCTRINA.

Pretium hospitalitatis.

RAhaba fuit atavia Davidis, materq; *Boozi*, ex quorum progenie oriundus Christus. Fidem feminæ Paulus laudat ad Heb. 11. *Fide*, inquit, *Rabab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Et quænam illa fides? In Chananitidis possessionem inducendum à DEO populum Israeliticum. Unde factum, ut peregrinos illos homines exciperet, non ut proditores sed ut Dei nuntios, ingenti hospitalitatis pretiô; dum abstersâ turpitudinis simul & idololatriæ labe, meruit Salmonis, Hebræorum nobilissimi connubium, & ex ea stirpe nasciturì felicitatem Messiæ. Chrys. *homil. 5. de pœnit.* Erat Rahab in fornice, velut in volutabro confusa margarita, aurum in lutum abjectum; flos spinis confossus: per fidem verò vivam margarita è volutabro; aurum è luto; flos è spinis emersit. Jacobus quoq; in epistola commendavit Rahabam à charitatis officiis: *Similiter*, ait, *& Rahab meretrix nònne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alià vià ejiciens?* Quod si calix frigidæ sitienti porrectus inter eximia merita in Dei tabulas refertur, quantò magis Numinis in se liberalitatem provocârit, officiosæ quisquis charitatis ita numeros absolveret, ut salutis suæ discrimine, caveat alienæ.

Natalium vilitas non erubescenda

Non puduit Christum prosapiam suam ad *Rahabam* & *Thamarem* profanati pudoris mulierculas referre, ut memineris non erubescere Natalium vilitatem; quandoq; generant aquilas columbæ & è squilla nascitur rosa. Non carnis Successio quæritur, inquit Hieron. *in cap. 3. Matth.* Sed fidei hæreditas. Potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios & filias Abrahæ. Et Chrys. *in eundem locum* Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Melius est enim alicui, ut in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quàm ut ipse in parentibus glorietur. Ille nobilis est, qui suis se metitur factis, nec alienæ incubat gloriæ.

Funiculi coccinei Symbolica significatio.

Funiculus coccineus, juxta Augustinum *homil. 3. in Iosue*, Sanguinem Christi denotat, in quo uno salus hominum. Per domum Rahabæ Ecclesiam intelligit Orthodoxam, cujus ostium qui egressus fuerit, sanguis ipsius erit super caput ejus, quippe æternùm perituri. Rupertus *in eundem lib. cap. 12.* Per funiculum explicat Crucis signaculum, jugiter in fronte pingendum, & in fenestra, tanquam ante oculos habendum, in memoriam Christi Patientis, & vires ejus ab exemplo hauriendas.

NARRA-

NARRATIO XXXIV.

SICCUS ISRAELITARUM PER JORDANEM FLUVIUM TRANSITUS, DUCE DEO AC JOSUA. Lib. Josue. c. 3.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

Posteaquam Josuæ ab Exploratoribus ex Palæstina, quò miserat eos, reversis intellexerat, regionis ejus habitatores, famâ rerum trans Iordanem ab Hebræis gestarum, vehementer esse perterritos; non cunctandum ratus, dum suorum calerent animi, hostium marcerent; movet versus fluvium castra, *Ierichuntem* Chananitidis (seu Palestinæ) firmissimum trans Iordanem munimentum, invasurus. Trajectus fluminis prodigiosus ita se habuit. Ubi ventum est ad amnem, tum temporis (æstas erat) vel maximè exundantem, primi omnium talorum tenus ingressi sunt Sacerdotes, Arcam Sacram humeris impositam præferentes. Et ecce, continuò cœperunt ex una parte à septentrione (ubi ad montem *Libanum* fons Iordanis) undæ fluviales intumescere; deinde paullatim altiùs, altiùsq; consurgere, & montium speciem referre, immotæq; consistere; ex altera verò parte, meridiem versùs & mare mortuum seu lacum *Asphaltiten*, præcipiti fluxu decurrere. Seq; dilabendo consumere, ut alveus humore desiccato nudus, sabulosi campi mare relinqueretur. *Undæ Iordanis fluvij suspensæ.*

Primi omnium Sacerdotes cum sacro ferculo ad medium fluminis progressi, tamdiù substiterunt, donec populus omnis per arentem transiret alveum. Ibi tum quidquid Hebrææ penè fuit gentis (nam aliquot millia citra Iordanem consederant) armatum & inerme, validum, imbelleq;, prohibente nemine, sicco pede in ulteriorem ripam, Ierichuntem versùs evasit, eo quidem ordine, ut qui priores tenuerant littus adversum, exspectarent posteriores, donec signô ab Imperatore datô, Arca divina, quæ postrema efferebatur in ripam, in fronte agminis constituta, universam multitudinem, bis mille cubitorum intervallô post se relictam, velut dux itineris, populi præsidium, hostium terror anteiret, vicésq; præstaret columnæ, antehac nubis & ignis specie, errantes per deserta Hebræos ducentis. *Ordo transeuntium.*

Prius

Monumentum in sicco alveo erectum.

Priùs tamen, quàm undas sublimè suspensas exportatio Arcæ, in cursum suum remitteret, constituuntur à Josua valentissimi quiq; de singulis tribubus viri singuli, qui totidem Saxa ex alveo Jordanis sublata, in proximum castrorum locum, (sex millibus passuum, & ampliùs à Jordane distabat) cui deinde nomen inditum *Galgala*, à resectis inibi gentis Hebrææ præputijs, deportarent, statuerêntque in tanti monumentum Prodigij; in ipso, quoq; fluminis umbilico, alia duodena saxa ab ijsdem erecta, quæ vel visu, decrescentibus undis; vel auditu, circumstrepente aquarum vi, memoriam mirabilium DEI ingererent Posteris.

Quibus omnibus peractis, Jordanis, velut suis in Arcam obsequijs defunctus, sensim ad pristinam molem fluctus revocavit; Hebræi verò, regionem ubi Chananæam pede contigerunt, quidni gaudiô exultantes, terram tot antè seculis promissam, tot & tam ardentibus votis optatam, tot jam annis, tantis erroribus, molestiis & ambagibus quæsitam, nunc verò tandem inventam, & aditam consalutârint; quidni hymnos & grates DEO persolverint, cùm argumentum tam illustre, támque recens erga ipsos bonitatis divinæ, támq; prodigiosum miraculum ab omni oblivione animos avocaret, ipsáq; sui admirabilitate, gratissimáq; novitate, invitaret ac exsuscitaret. Ipsum equidem Josuen, nihil dubitem, vel in genua procidentem, vel stantem ad cœlum manus & oculos sustulisse, séq; ad fæderis Arcam, divinæ præsentiæ testem, ac sedem, venerabundum convertisse, sanctissimóq; Numini toto animo, gestu religiosissimo, castissimísq; vocibus gratulatum. In eo, quem dixi, castrorum loco, cùm iam manna ningere desüsset, cæperunt agi prædæ, segetes Chananæorum maturæ demeti; rerum omnium affluere copia, Hebræi circumcidi, Paschatísq; Solennia celebrari. Neq; enim dignus est beneficiô posteriore, qui grates & laudes non refundit in beneficij Datorem prioris. Josue, ut DEO duce, transivit aquas sicco pede; sic immotâ manu dejecit hostium mœnia. Cujus rei narratio proximè sequetur.

DOCTRINA.

Duce JESV, felix ex hac vita transitus.

JOsue, seu JESUS, Hebræos per Jordanem in terram lacte, melléque manantem traduxit; Christus verior Josue, & JESUS, suis militantes sub signis inducit in æternæ patriam felicitatis. Et verò, quid aliud vita nostra, quàm jugis per varias mundi huius solitudines peregrinatio? quâ confectâ, devenitur ad Jordanis ripas, ad extremum vitæ tempus, & mortem ipsam. Exundat in hoc transitu Jordanis; surgunt ingentes tentationum fluctus,


hôc

hôc maximè rerum articulô, à Cacodæmone excitati. Natura ipsa horret corporis & animi dissolutionem; accedit vis ægritudinis, dolorum acerbitas; quæ sunt veluti magnæ moles aquarum; stant angorum, molestiarum, mæstitudinum dextrà, lævâq; gurgites. Quis per has procellas incolumis, & sicco vestigio pervadat? Equidem punctum est temporis, quô transeundum; Scriptura de Hebræis Jos. 4. *Festinavitq; populus & transiit.* Subitò enim aquæ istæ diffinduntur, & festinanter trajiciuntur. Quantulum est hoc, spiritum bis, térve efflare? Quantula mora inter hanc, & alteram ripam, inter *Vigilat* & *dormit*, inter *vivit*, & *vixit*? Felix tamen transitus præeunte IESU, comitante cœlesti Arca (Cibo Eucharistico, Matréq; DEI) & Angelis, quod in Iordanis aquis fecerunt, intumescentes fluctus velut fræno cohibentibus, viámque siccam sternentibus. Sic delati Pij in regionem Paradisi, *inebriabuntur, ô DEVS, ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35.

Sacerdotes autem, qui portabant Arcam, stabant in Iordanis medio, donec omnia complerentur, quæ præceperat Dominus. Iof. 4. Meminerint, qui Sacerdotali funguntur officio, pericula subire, difficultates, labores; juvare subjectos, non verbis tantùm, sed exemplis. Sunt qui linguâ interdum Arcam (Evangelium) portant, Operum manus non admovent; aut manum quidem movent, sed eam à terra vix efferunt, dum vita nihil sublime prævulgo habet. *Sacerdotum officium.*

Defecitq; manna, postquam comederunt de frugibus Terræ. Iof. 5. DEUS Hebræis ob inopiam alimenti largitus fuerat manna; hoc, oblata alterius cibi copiâ, subtraxit; perinde ut aves afferunt cibum pullis, dum in nido sunt teneri; at cùm crescendo validiores facti, sibi sufficere possunt, eos sibi relinquunt, ut suo volatu annonam parent. Divina quippe Bonitas, ut non deest in necessarijs, sic nec redundat in superfluis.

Qui voluptates terræ ambiunt, & gustant, privantur cœlestibus; gustato spiritu, desipit caro; & vice versa, cui sapit caro, „desipit Spiritus. Audi S. Hieronymum *Epist. 34 ad Iulian.* Dif-„ficile, imò impossibile est, ut præsentibus quis, & futuris frua-„tur bonis; ut hîc ventrem, & ibi mentem expleat; ut de deli-„cijs transeat ad delicias; ut in utroque seculo primus „sit, ut in cælo & terra appareat „gloriosus. *Quare manna defecerit plures.*



NARRA-

NARRATIO XXXV.

MIRA IERICHUNTIS URBIS EVERSIO.

Jos. 6.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.



Rajecto in eum, quem diximus modum, Jordane, progressus in agrum Josue, è castris, vix dimidiâ leucâ Jerichunte distantibus, dum intentus in curam urbis jussu Numinis excidendæ, locum expugnationi opportunum circumspicit, spectabilem habet Angelum, viri armati specie: acinace districto terribilem, bellíque simulacra cientem (Michaël is erat, Tutelaris gentis Hebrææ præses) auxiliatorem cœlô submissum; quem principiò haud agnitum; deinde, quisnam esset, professum, veneratione, quæ Cœlestes decet, affecit. Ab eo (quod exitus postea docuit) capiendæ Jerichuntis omnem didicit rationem: non armis profectò, nec machinis, aut scalis, aut incursu militari; sed sacrâ quadam pompâ, cæremoniisque constaturam. Præmiserat enim tum in omnes universim Chananæos, tum in Hierichuntinos præcipuè, terrorem quendam insolitum Deus. Quo terrore consternati Rex, optimates, cives, & quotquot ex suburbijs undique Jerichuntem confluxerant; militare nihil nec pectore retinebant, nec foris præ se ferebant. Nulli Jordanis ad ripam defensores, non miles pro portis; non excubiæ vel stationes in vallis; non propugnatores in mœnibus, atque munimentis. Tanquam enim fortiùs lapides ac feræ, quàm homines, bellarent; obicibus sese portarum, & erectis in cœlum muris circumcluserant: & in eo salutis suæ summam constituerant: nihil super eruptione, super torquendis in hostem telis, aut missilibus spargendis solliciti. Infregerat animos rerum ab Hebræis trans Jordanem gestarum, sparsa latè fama; tum novissimè Jordanes, alveô per miraculum apertô, transmissus.

Angelus armatus Josue fit spectabilis.

Imbellia Ierichuntinorum.

Inter hæc Josue quid ageret, partim ab Angelo; mox ab ipso Numinis oraculô, pleniùs ex Arca præmonitus, septiduum indicit exercitui; quô, semel quotidie digressi castris, Jerichuntis mœnia circumirent. Pompæ series hæc erat. Antecedebant armatorum

Septiduo cum tubarum clangore circumeuntur Ierichuntis mœnia.

matorum plusquam ſexcenta millia; formidabile ſine dubio, Jerichuntinis clauſis, palpitantibúſq; ſpectaculum. Sequebatur Arca, Sedes Oraculi, Sacerdotum humeris geſtata: ponè quam Sacerdotes alij, numero ſeptem, ſuas ſinguli buccinas, quas *Iubilæus* appellant, inflabant. Claudebat agmen promiſcua multitudo reliqua; cornibus & ipſa, tubíſq; militaribus perſtrepens. Iſte quotidianus fuit, per ſex continuos dies circumeuntium habitus & ordo: nemine vel vocem interim aliam (præterquam claſſicorum) vel clamorem tollente; quòd id Ioſue vetuiſſet. Die ſeptimo, pro concione præmonitis, quid fieri præterea vellet, ſimul ac buccinarum ſonitum, ſolitò productiorem, conciſiorémque cæpiſſent accipere: captum iri Ierichuntem prædixit. Adebat autem, ut urbis captæ prædam auream, argenteam, æneam ac ferream, in *Sacrarium* inferre *Dominicum* meminiſſent. cæterorū nec abriperet quiſquam quidquam, nec attingeret: ſed ut à Numine Diris, & excidio devota tractarent. Ferrô viros, feminas; armatos, inermes; Senectutem & infantiam; puberes, impuberéſq; cum brutis ajumentis; delerent. Urbem reliquam incendio darent, ac cineris *ſempiternum tumulum* efficerent. Proceſſum ſub hæc, ut alijs diebus omnibus, è caſtris, Hierichuntem verſùs. *Edictum Ioſue circa prædam, & internecionem hoſtium.*

Urbs exſpectatione futurorum animi pendens; cúm jam antehac, ſingulos ad circuitus, ſtupido metu trepidâſſet; eô poſtremô, fluitare formidine, multò majoribus ex cauſis, cæpit: ac, cùm ſpiſſari negotium, crebriúſque repeti viderent incolæ, quòd antea ſemel duntaxat, unum in diem, acciderat, atrociora meritò ſuſpicabantur. Septies enim luce ſeptimâ (præcipiente Ioſua, Numinéque) circumobita *Ierichus eſt*: indefeſſô tot millium ſtudiô; Sacrorúmque rituum, triumphô verius, quàm inceſſu, vel pompâ: buccinarum præterea, cornuúmq; ululatu nunquam intermiſſo; trementibus interim intùs incolis, ac quorſum erupturus hic eſſet rerum anfractus, attonitè præſtolantibus. Timebant igitur hi, terrebant iſti: cùm repentè, datô per Ioſuen ſignô, ſub ipſum ſeptimum Arcæ circumductum, horrendus tot millium Hebræorum tam armatorum, quàm inermium, tollitur adverſus urbem, in cœlum clamor, circumjectis undiq; montibus repercuſſus. Muríq; ſimul ex omnibus circumquáq; partibus, non arietibus impulſi, néq; balliſtis verberati bellicis; ſed Angelorum occultis viribus afflicti, ſubſidunt in exterioris pomærij foſſas. Quibus æqualiter undequàq;, per corruentium ſaxorum congeriem, impletis, facilis fit in urbem, unô momentô temporis, ab Hebræis irruptio. Simul urbis captæ confuſus clamor exoritur: parvulorum, ac mulierum lamenta; cædes (ut imperatum fuerat) pecorum, hominúmq; promiſcua. Non ætatis, non

formæ; non conditionis, aut deprecationis, ulla miseratio. Nec tamen hæc ipsa, laude sua carebat, immisericordia. Nam, quam DEUS jussit, implacabilitas, ea demum gloriosa sola crudelitas est. Passim itaque preces; nec venia: fuga; nec effugium: vulnera, cruor, mortes, cadaverum acervi; cæsorum in alto sanguine, natatio. Non infans, non puella virgo, non senex decrepitus, ac ne canis quidem, ostij custodia, relictus. Omnia ferro populante funus unum; flamma depascente, bustum unum; exstirpante Josua, Deóque, rudus unum ac ruina fiunt. Rahàbæ scorti solius, domus muro cohærens non est subruta; quámque ab exploratoribus fuerat, per dominam suam, stipulata fidem: eam imperiô Josuæ servatam sibi sensit. Funiculi quippe coccinei, quem ex compacto de fenestra suspenderat exteriore mulier, indiciô notata, cognitáque tamdiu stetit inexqugnata; quoad educta materfamilias, cum parentibus ac propinquis, & omni familia, facultatibúsque, consistere cæpit in tuto. Post hæc enim in cumulum Jerichuntis ruentis etiam has ædium accessisse reliquas, extra controversiam est. Superadjecit urbis excidio, tristissimum Josue Dux epitaphium, & impropitium omne cœlum ei; quicunque Jerichuntem posteris ausus esset ætatibus instaurare. Tropæum præterea victoriæ super urbis excisæ squalentem tumulum defixit, *Patibulum*, in quod Jerichuntis captum regem compingi jussit, ac necari: dignam publicæ calamitatis coronidem, ob scelera; quæ tyrannus patrârat: ut, qui civibus nequam, exempli nequiorem facem fuisset præferre solitus; regibus quoque secuturis, ad supplicij paritatem præluceret. Ut adeò, verùm si fateri velimus, Jerichuntem, & reliquam Chananitidem everterint Scelera sua, simulacrorum fictilium adoratio, veneficiorum & incantationum præstigiæ, ac crudelitas; dum parentes liberos, vel per sacrilegas flammas lentè traducerent; vel, quod immanius, in statuarum ex ære fusili candentibus brachijs torrendos darent; præterea libidinum nec finis, nec limes, aut modus, aut reverentia. Pœnas igitur extremas jam olim merebantur; eas divina Justitia suis de causis in longum dilatas, evoluto tandem dissimulationis circulô, flagitiorúmque numeris omnibus impletîs; ingenti cum fænore tarditatis, inflixit.

Excidium urbis.

Rahaba pariter.

Jericho anathemati subjecta à Josue.

Causa excidij.

DOCTRINA.

Misique ante vos crabrones, & ejeci eos (Reges Amorrhæorum) *de loco suo.* Jos. 24. Exod. 23. Sap. 12. DEUS Chananitidem in manus Hebræas traditurus, præmisit crabrorum & vesparum (velut levioris armaturæ, sagittariorúmque) copias, quibus attritos

Deus per crabrones, Hebræorum hostes afflixit

attritos Amorrhæos Hebræorum gladijs, & Sagittis conficiendos objecit. Usq; adeò nullum est tam exiguum animal, quod non possit hominis superbiam compescere, Conditore DEO, robur illi addente. frænúmve laxante. Innumera DEUS habet instrumenta suas quibus injurias de nobis ulciscatur. Quid te jactás Thraso? crabronem aut vespam non potes pati circa aures sonantem, quomodo fremitus averni, & avernales sustinebis in orco belluas?

In Regionem Chananitidis melleam, lacteámque DEUS ejectis consceleratis incolis, Hebræos induxit, illis in scelerum pœnam; his in virtutis præmium; quos & ipsos exturbabit impietas sua, & Benefactoris oblivio. *Mensura scelerum.*


Jerichus excisa funditus, tanqùam Primitiæ, Iræ Divinæ immolandæ. Deinde mensura scelerum impleta hoc repoposcit. Auctâ in immensum peccandi licentiâ, vindicantem deníque gladium provocavit. Christus minatur Matth. 23. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

Septiésq; circuibitis urbem. Jos. 6. Concessit improbis pœnitendi spatium Divina Clementia, ut si vellent, excidium evaderent. Sed obbrutuerunt mentes conscientiâ simul malefactorum, & instantis metu supplicij stupefactæ. *Dei clementia, peccatoris stupiditas.*

Armati præcedant Arcam Domini. Ibid. Quid opus armatis, erant si muri flatu casuri? Laboribus sua vendunt. Superi; cum homine DEUS movet manum, & conantem adjuvat.

Clangentibus tubis muri corruerunt. Ib. Jericho (id est, Luna) typus Mundi mutabilis. Quàm vana gloria, quàm fragilis potentia, quæ solis tubarum flatibus ruit? *Vana Mundi gloria.*

Augustinus Serm. 106. de tempre, per clangores buccinarum intelligit Sacerdotum voces, *annuntiantium populo Scelera eorum.* Isa. 58. Cadit hoc sonitu suis cum turribus Superbia; cum concupiscentiis Avaritia; cum libidinibus Luxuria. *Exaltanda* vox hæc, instar tubæ, quæ non solùm peccantium aures penetret, sed cor concutiat; nec delectet cantu, sed castiget auditu. *Sacerdotum voces sint tubæ.*



NARRATIO XXXVI.

ACHEN SACRILEGUS LAPIDATUR.

Josue 7.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.



Versâ Jerichunte, non quievit ira Dei vindex, vel vindictæ minister, bellicosus Iosuæ gladius; victoriarum tamen cursum aliquantùm interrupit hominis unius culpa, plurium sanguine expianda. Tam Numinis, quàm Iosuæ interminatione severè fuerat interdictum, ne quis de urbe, anathemati subjecta, funditúsque delenda quidquam sublegeret, aut sibi usurparet. Infregit mandatum cujusdam avaritia militis, cui nomen Achan, de tribu Iudæ, hic in direptione Ierichuntis conspicatus inter spolia chlamydem purpuream, auro contextam; laminam insuper auream (vulgata Latina *Regulam*: Hebraica *Linguam* vocat, nimirum in linguæ formam, fusam vel extensam) quinquaginta siclorum, scilicet aureorum. (Nostrate monetâ, trecentis, viginti florenis Rhenanis æstimandam) Hæsit in vestigio Ultio Divina Sacrilegio. Miserat Iosue ad expugnandam *Haiam* (pulcherrimam ijs temporibus, ac montanam urbem, non perinde civibus, ut opibus copiosam.) tria pugnatorum millia; negârunt enim pluribus opus esse, qui locum explorârant; hi dum aggressionẽ moliuntur, prorumpit ex urbe subitò miles, perterritos in fugam vertit, pérq; prona fugientibus iminens, triginta tres ex eis cædit. Cladis acceptæ nuntius ut in castra pervenit, majorem, quàm pro cæsorum numero, mæstitiam attulit. Rati namque ea se regione jam potitos, & exercitum, uti promiserat DEUS, habituros illæsum, cùm viderent eo successu hostium animos vehementer elatos, luctui sese, lacrimísq; dediderunt.

Achan abscondit furtivam prædam.

Ideò cæduntur & fugantur Hebræi.

„ Josuen ea maximè calamitas affecit; quare coràm Arca „ prostratus, cum fiducia DEUM alloquens, Nos, inquit, ô Domine, non nostra temeritate, sed tuis promissis, & prodigijs adducti sumus, ad terram hanc armis subigendam; nunc verò, „ contrà quàm sperabamus, clade, casúq; territi; post talia belli „ exordia, quos nobis progressus polliceamur? Non nostrum, sed „ tuum Nomen agitur. Quid enim sit inexspectatum, perire homunciones, è terra prodeuntes, in terram redituros; sed tua

Iosue cum Deo amica querela.

gloria,

„ gloria, tuus honor vindicandus ab opprobrijs, & ludibriis gen-„ tium. Quis enim te colet; tibi quis genua ponet, adolebit thu-„ ra, patrabit Sacrificia, si perdis eos, quos tuis Sacris imbuisti, „ tuo Cultui consecrasti? Quòd si nostum supplicium merentur „ scelera; Magnum certè Nomen tuum non meretur ignominio-„ sè traduci, & conculcari; huic consule, hoc tuere. Hæc ille. Nec cassæ fuere preces. Responsum enim ab Oraculo accepit, surgeret, Sacrilegio pollutum exercitum lustraret: præsentis calamitatis caussam esse, religionem violatam. Itaq; recurritur ad sortes; nomina Tribuum per familias & domos jaciuntur in urnam; deprehenditur rea Tribus Judæ; & in ea, familia *Zabdi*; in hac, *Achan*, occultô furtô devinctus. Hic quà sorte, quâ suamet confessione convictus, cùm locum ostendisset in tentorio, ubi Sacrilegam prædam defoderat, jussu Numinis, Josuæ; ducitur in vallem *Achorem*, & ab universo populo, tanquam catharma & communis pernicies lapidibus obruitur; deinde in rogum conjectus, cum uxore, liberis, omni supellectile, gregibúsq; comburitur, DEO, absoluto vitæ necísq; Domino, etiam innocentûm morte in scelus unius, ad aliorum terrorem, & exemplum sæviente. *Achan lapidatus cum suis comburitur*

DOCTRINA.

VNius delictum omnia castra contagione sceleris involuit, & iræ ac vindictæ divinæ subjecit. Tantùm valet seu bona, seu mala societas, in qua perinde virtutū ac vitiorum, quàm vitæ & conditionis est comunio. Augustinus *in quæst. 8. hic.* Sic, inquit, „ disciplina sancitur, ut non se solum quisq; curet in populo, sed „ invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquā unius corporis, & „ unius hominis, alia pro aliis sint membra sollicita. Deinde ostendi-„ tur, quanta connexio societatis, ut non in seipsis singuli, sed eti-„ am tanquam partes in toto existimentur. Præterea significatum „ est, quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccâsset, „ quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo possent ce-„ teri esse securi. *Vnius culpa redundat in plurium pœnam.*

Quantum malum sit effrænis Avaritia, Ambros. audi *lib 2. offic.* „ *cap. 26.* Jesus Nave, inquit, qui potuit solē sistere ne procederet; a-„ varitiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem e-„ jus sol stetit, avaritia non stetit. Sole igitur stante confecit Jesus „ victoriam; avaritia procedente penè amisit triumphum. *Avaritia*

Sed quo jure, peccante patre, cum eo plectuntur filij & filiæ? Nam Deus Ezech. 18. sanxit. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Verisimile est filios, & filias Achanis grandiores paterno furto consensisse, & cooperatos fuisse. Sin liberi fuerunt parvuli, & criminis immunes, venerunt in pœnæ societatem pro jure supremi rerum Domini. Adde, non luere liberos culpam parentum, fato functorum sed superstitum; ut in filiis quoque *Cur puniti cum parente liberi.*

puniti

puniti tantò graviùs sentiant supplicium, quantò plus doloris inde hauriunt.

Quando licitè adhibeantur sortes

Ad sortis arbitrium non temerè deveniendum. Sors juxtà D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 8. triplex est. *Divisoria*, quâ res aliqua, vg. hereditas dividitur. *Consultoria*, cùm per illam, quid in dubijs faciendum deciditur. *Divinatoria*, quâ quæritur veritas rei arcanæ, vel futuræ. Duæ primæ licitæ; tertia illicita & superstitiosa; nisi DEO palàm jubente, vel interius instigante, uti hîc factum. Nam Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

NARRATIO XXXVII.

VRBS HAIA AB HEBRAEIS EXCISA

Josue 8.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.

DIes aderat, qua *Haitæ* quoque, recenti victoriâ insolentiores, ultrici Nemesi pœnas darent. Iosue Numinis Oraculo de ratione urbis capiendæ commonefactus, didicit, hostem industriâ magis & arte, quàm viribus esse vincendum. Id hunc in modum contigit. Ex omni Hebræorum exercitu triginta millia fortissimorum virorum delecta, Iosue adversùs *Haiam* ducit præmissis quinque millibus, qui non procul urbe locum caperent insidijs; se quippe prolecturum oppidanos in certamen; illísque fugæ simulatione longiùs à mœnibus, abstractis, suis daturum urbis invadendæ spatium; quam ubi occupâssent, indicium facerent fumô altiùs excitatô; ipsum cum reliquo exercitu post juga montium subsessurum, ne hostium audaciam reprimeret conspecta obsidentium multitudo. Successit è sententia strategema Haitæ contempta Hebræorum paucitate, erumpunt ex urbe; fugam simulant Israëlitæ; instant illi magnis clamoribus; & tanquam in manu gestarent victoriam, non tam ad periculum, quàm ad cædem & prædam evocant, quotquot armati tenebant urbem præsidiô. Quæ res ubi Iosuen advertit, sublatô in altum clypeô, dat signum suis, quos diximus, quinque millium numerô proximè urbem in insidijs collocatos, ut per neglectas portas,

Haitæ ex urbe prolecti, per insidias caeduntur.

tas, in vacuum. Defensoribus oppidum, irrumpăt. Illi ex ea parte, quæ ab hostili milite aversa sese urbi infundunt; atq; ut jussi erant ædibus igne succensis latè fumum spargunt. Tum verò Josue in hostem persequentem conversus, omnia permiscet cædibus; Simùlque, qui ceperant urbem à tergo coorti, undique cinctos, impunè trecidant, ne uno quidem suorum desiderato, hostium nullô, ne *stragis* quidem nuntio relictô. Quâ clade editâ, victor miles in urbem irrumpit; nulli ætati nec sexui parcit, (duodecim millia cæsa traduntur) locúmque flammis vastatum, æquat solo; rege in furcam actô. Jumentorum, pecorum, & auri præda dives egesta, militi, tum qui præsens dimicaverat; tum qui jussus ad castra *Galgalea* remanserat, universa permittitur; nec, ut in Jerichuntis excisione, ferrô flammísve corrumpitur. Captis exinde montibus *Hebale* & *Garizi*, nihil habuit antiquius Imperator, quàm ut in Hebale, arâ Numini dedicatâ, victimas immolaret, ínque lapidibus Lege Decalogi perscriptâ, veterem Religionem novo fædere Sanciret cum DEO. Nam sine pietate nullum est pondus armis; & qui victoriam religione coronat, auspicium novis triumphis præmittit. *Urbis occupatur.*

DOCTRINA.

Dixit Dominus ad Iosue: *leva Clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai.* Iof. 8. v. 18. Et versu 26. *Iosue non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Quidni jam antè potuerit dici Imperatori Iosuæ, quod postea Constantino, fulgentem è cœlo crucem spectanti: IN HOC SIGNO VINCES. Sunt enim, qui asserant, Clypeum hastæ suffixum fuisse, ut ab insidijs, à tergo urbis dispositis, conspici posset. Verissimè de Cruce Christi illud Prov. 30. asseritur: *Clypeus omnibus sperantibus in se.* Et 2. Reg. 22. *Dedisti mihi clypeum salutis*; Christi nimirum Patientis merita, in quibus pugnandum, & vincendum. *Clypeus Iosue, crux Christi.*

„ Armatur pro nobis DEUS, inquit Augustin. *in Psal. 34.* ut „ nos armemur pro DEO. Hinc Psal. 5. *Scuto bonæ voluntatis* (benevolentiæ & protectionis tuæ) *coronâsti nos*, hoc est, undique circumdedisti, nulli ut ictui essemus expositi. Et hic auxiliator nobis est cum Regio Psalte invocandus. Psal. 34. *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.*


Militia est vita hominis super terrā. Iob. 7. nemo vincit, *nemo coronatur, nisi qui legitimè* (constanter) *certaverit.* 2. Tim. 2. Iosue nō contraxit manum, non remisit brachium, non inclinavit clypeum, ut constantiā doceret

„ doceret pugnandi. Ad eam nos exhortans Hieronymus *Epist.* „ *1. ad Heliod.* Erras Frater, inquit, erras, si putas nunquam „ Christianum persecutionem pati. Tunc maximè oppugnaris, „ cùm te oppugnari nescis. Adversarius noster insidiatur in „ occulto; sicut leo in spelunca sua; insidiatur, ut rapiat paupe- „ rem, & tu frondosæ arboris tectus umbraculô, molles somnos, „ futurus præda, carpis? Inde me persequitur luxuria, in- „ de avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi „ DEUS esse pro Christo: Compellit libido, ut habitantem in „ me spiritum sanctum fugem, ut templum ejus violem: per- „ sequitur, inquam, me hostis, cui nomina mille, mille no- „ cendi artes: & ego infelix victorem me putabo, dum capior? Ad hanc pugnam arma si requiris, suppetitat ea Paulus in Epist. ad Ephes. cap. 6.

Christiano homini semper pugnandum.

Josue robur in clypeo.

Mirum sanè est, Josuen stragem edidisse clypeô, qui defensionem magis, quam pugnam spectat; hinc scipio objectavit militi de clypei ornamentis sollicito: plus illum præsidij collocare in clypeo quàm gladio. ut Pier. l. 42. Tanta vis est in armis, quæ non humanis, sed divinis reguntur consilijs. Et quid causæ est; quòd gens Christiana, haud paullò DEO dilectior, quàm olim Hebræa, tot atteratur cladibus; nisi quia Duces belli nec animum attollunt cœlo, nec arma? Clypeus Josuæ quò sublimior à terra, hoc validior: tegit, & ferit.




NARRA-

NARRATIO XXXVIII.

GABAONITAE FOEDUS AB HEBRAEIS DOLOSE IMPETRANT.

Josue 9.

Anno Mundi 2584. Ante Ch. 1469.



Erichuntinorum & Haitarum clades latè rumore nuntio propagata, ingentem ubiq; terrorem sparsit. Itaq; *Gabaonitæ* (ab urbe Regia *Gabaône* dicti, quam tum *Hevæi* tenebant, gens una de septem *Chananæis*) non communi solùm omnium Chananæorum timore, sed proprio etiam, vicini periculi causâ, commoti, sibi quoquo modo consulere studuerunt. Cùm enim neq; armis quidquam (quamquam Scriptura teste, bellatores fortissimi habebantur) DEO pro Hebræis pugnante, neq; precibus se effecturos sperarent, ad fraudem animos intenderunt, compositis in eam rem Legatis, cibariis, vestibus, ceterísque ad fucum mendacio illinendum accommodatis. Veniunt igitur, qui missi erant à Gabaonitis, ad Josuen, in Galgalis tum stativa habentem, aiunt se famâ rerum admirandarum non humana virtute gestarum, ipsiúsq; comprimis Imperatoris fortibus factis excitos, advenisse, cùm ut gratularentur victorias de regibus Amorrhæorum partas; (de excidio *Iericbuntis* & *Haiæ* tacuerunt, quia illud novum & recens erat, nec poterat ad longinquos, quales se fingebant, tam citò pervolare) tum ut in societatem fæderis, & communia Sacra admitterentur; neq; enim religionem ullam sibi potiorem esse, quàm ejus gentis, à qua ceterorum Numinum omnium Cultores profligarentur. Haud quibat dolus tam adornari callidè, quin suspicio quædam tangeret sagaciores Israëlitarum; quare non omittunt sciscitari, missíne gentis Oratores adessent, longiùs à Chananitide remotæ, an regionis ferro suo devotæ incolæ; non enim fas esse per leges suas amicitiam cum iis inire, quos Numinis effata funditus perditos vellent, & excisos. Hîc illi negando persistere, natale sibi solum inter Chananæos esse; sed prodigiis ab Hebræorum DEO patratis evocatos, è terra longinqua profectos, non dubitâsse se, sa-

Gabaonitarum callida simulatio.

lutémq; ſuam Iſraëlitis credere. Atq; ut de fide dictorum ſuſpicio nulla relinqueretur, oſtendebant panes, quos recentes itineris commeatum ſumpſiſſent, mucore conſumptos; utres vini novos, ruptos & ſolutos; veſtes & calceamenta longitudine viæ pertuſa & detrita; indicio hæc eſſe, ſe nihil ex vano referre. Cæterùm tam cibaria, quàm veſtimenta de induſtria jam domi ad fallendum (non procul enim Hieroſolymis diſtabant) præparata, fraudi conciliârunt fidem.

Gabaonitæ recipiuntur in amicitiam.

Joſue, qui ceteros ſuo metiebatur affectu, vera dixiſſe ratus (adeò ſancta temporibus illis erat fides) explorato præſertim Legatorum habitu, commeatúq; , & adhibitis in conſilium proceribus, recipit in deditionem, & amicitiam Gabaonitas. Vix triduum interceſſit, cùm intellectum eſt (fortè à pabulatoribus) *Gabaonem*, urbem inclitam, civibus & copijs affluentem, in vicino ſitam, ab *Hevæis*, viris bello claris habitari. Quare reclamare quidam è Ducibus Hebræis, mortíſq; victimas pronuntiare ſimulatores perfidos; non tamen immutavit animum Joſuæ deprehenſa fraus; ne, dum alienam perfidiam arguit, ſuam ipſe fidem ſolveret; tantúmq; valuit juramenti reverentia apud animos religione tactos, ut fidem etiã hoſti mentienti, datam nollent infringere. Donantur vitâ Gabaonitæ; damnantur ſervitute (nam fraude jusjurandum extorſerant) jubentur ligna cædere, & aquas ferre ad publicos omnium uſus, præſertim Tabernaculi & Altaris, tam parentes, quàm Nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Et ideò *Nathinæi* ſunt dicti, quaſi in perpetuum Templi (quod poſtea Salomon exſtruxit) famulatum donati. Ita fieri amat; decipit ſeipſum, quisquis decipit alios. Fallacem linguam luêre mancipatæ manus & ſcapulæ. Mendaciô redempta vita, empta longa ſervitus. Potuiſſet hanc avertere, & illam ſervare ſupplex veritas:

Etiam mentientibus data fides ſervatur.

DOCTRINA.

Fraudulenta lingua.

FRaudulentæ ſunt imago linguæ, Gabaonitæ, cujus eſt axioma:

Doli non ſunt doli, niſi aſtu colas.

Lyſander Rex Spartanus, cavillator vaferrimus fuit; cui cùm quidam probro daret, quòd pleraq; dolo & fraude gereret, ſubridens dixiſſe fertur: Ubi quis, quod vellet, non aſſequeretur leonis exuviis, vulpis eſſe aſſuendas; arbitratus, quod honeſtis rationibus non poſſet effici, fallacibus id efficiendum.


Triplex Iſraëlitarum error in præpropera credulitate.

Tripliciter peccârunt Iſraelitæ. 1. Quòd in re tam gravi DEUM non conſuluerunt, nam Joſ. 9. *Os Domini non interrogaverunt.* 2. Quòd nimis facilè dictis crediderunt. 3. Quòd nimiùm ſua quapiam laude viſi ſunt capi, & oblectari, dum ex tanto intervallo diſ-

ſitis

ſitis regionibus , ad ſe legatos deſtinatos audiunt,præſertim tam demiſſè agentes, & pacem poſtulantes. Totidem hinc monita I. *Innocens*, ait Salomon Proverb. 14. *credit omni verbo: aſtutus conſiderat greſſus ſuos.* Nimirum innocens, ſimplex, & candidus fuit Joſue, adhuc ignarus locorum, atque incolarum inſcius. Quia „ ſicut non fallebat ipſe, ita nec ipſe putabat alios poſſe fallere. Ambros. *lib. 3. de offic. c. 10.* Aſtutus verò, cautus & prudens prævidet pœnitenda, dicítque præſcius: tanti pœnitere non emo. Nimiæ credulitatis comes eſt pœnitentia. Siracides c. 19. *Quicitò credit, levis eſt corde.* Rectè tamen Seneca: Et omnibus, inquit, „ & nemini credere, vitium eſt; alterum honeſtius dixerim vitium, alterum tutius. *Secundum* Monitum. Nihil ordiri rerum, ope divinâ priùs non imploratâ. A Jove principium. Prudentis eſt, nihil aggredi temerè, hoc eſt, neô per preces non conſultô,; *Sunt enim cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ.* Sap. 9. nempe conſilia multis fallacijs obnoxia. *Tertium* Monitum. Laudis titillatio, Hebræorum oculis glaucoma objecit, hinc parùm habuere penſi, unde, & quinam eſſent laudatores ſui; ultimò omnium vincitur vana gloria; è virtutibus creſcit, & vires acquirit è proſperis ſucceſſibus. Rara avis, magna facere, & magnum ſe neſcire.

Venerunt ſervi tui in nomine Domini Dei tui. Joſ. 9. Timor, Gabaonitis magiſter virtutis fuit; metu perculſi, majeſtatem Veri Numinis, potentiam, divinitatem agnoſcunt; & merentur, præ cæteris ut Chananæis, in ſuperſtitione ſua obſtinatis, ſervarentur, fierentque inter Iſraelitas proſelyti, quorum Sacra non tantùm ſuſciperent, ſed quotidianis etiam miniſterijs adjuvarent. Bene „ Auguſtinus *Epiſt. 50 ad Bonifacium.* Sicut, inquit, meliores ſunt, quos dirigit amor; ita plures ſunt, „ quos corrigit timor. *Timor virtutis magiſter.*




NARRATIO XXXIX.

PLVRIVM CHANAANITIDIS REGUM EXSTIRPATIO VICTORE JOSUA, COELO, SOLE, LUNA JUVANTIBUS.

Lib. Jos. cap. 10. 11. 12.

Anno Mundi 2584. 2585. 2586. &c. Ante Christum. 1469. 1468. 1467. &c.



Conjuratio regum adversus Israëlitas.

Abaonis amicitia cum Hebræis inita, quantùm novis fœderatis, ex securitate salutaris; tantùm vicinos apud reges ac populos, ex transfugio, fuit invidiæ. Quare concitante totam latè viciniam, *Adonisedeco*, Jerosolymorum rege; (aberat namq; Hierosolyma Gabaone haud ampliùs duabus leucis, seu horis) priusquam communi consilio, copiisque, Chananitis universa, quæ conjurârat in Josuen, conveniret; Ohas interim, Hebrónis *Pharas*, *Jerimotha*; *Japhias*, *Lachis*; *Dabir*, Eglonis, reges, stirpis Amorrhææ posteritas, belli facere principium instituunt. Peditatûs igitur & equitatûs ingenti collecta manu, primùm Adonisedeco se jungunt. Deinde concordibus & copiis, & animis ad Gabaonem castra locant. Gabaonitis ab hoste tam multiplici circumsessis, & in arcto jam positis; Josue laturus opem, è castris Galgalæis properat in hostem. Validissimam ducebat, alacrémque manum, & ideò nihil neque laboris, neque periculi detrectantem. Quò factum est; ut nocte tota strenuè profectus, & indefessè; priùs, quàm matutina lux allatum subsidium aperiret, & amicis pariter inexspectatus, & hostibus improvisus superveniret. Sopitos adhuc & semisomnes, ac partim arma contrà parentes, partim per trepidationem omittentes, immani cæde vastat, ac disturbat. Auditô, quod foris gerebatur, circumclusi castris ab hostilibus Gabaonitæ, portis etiam ipsi erumpunt, ac cædem adjutant.

Adonisedecus rex funditur.

Vincendi quinque reges erant, cum totidem exercitibus, quibus tamen cùm res Hebræa, locis omnibus, superior esset, pro-

profligati tandem, dare terga fugæ cæperunt. Sed quantùm illi celeritatis in fuga; tantùm in ijsdem insectandis Josue ponebat, qui terga trepidantium assiduè cædendo, vias omnes cadaveribus implebat. Juvabat autem cladis magnitudinem, è Cœlo DEUS, Josuæ commilito. Cùm enim fugæ principium, (ut fieri suevit) ardentissimum, Amorrhæos *Bethorónem* celeriter pertulisset; priùs, quàm oppidi fines, in arduo siti, declivi collium descensu, post se relinquerent: ecce tibi, nubes insolenti repentè tempestatis procella, caloréque conglomeratæ, vim lapidum ingentem ac densam, grandinis prodigiosa magnitudine, super fugientes effundunt. Horum, plerosque cùm nec scuta tegerent, (quippe cursûs expeditioris, ac studiô fugæ celerioris, abjecta) nec cæteros hostis insequens, feriendo, vulnerandóque sternere cessaret: saxa cœlestia cooperuêre, funere longè numerosiore deletos, quàm quos in acie fugáque ferrum hostile sustulerat. Quantum *Bethorónem* inter & *Azécam* interiacet spatij, quod ferè decem millium est passuum: trucidatorum corporibus omne completum, natabat sanguine, grandinéq; sensim liquescente. *Prodigiosa grando in hostes sævit.*

Sed nihilosecius eorum, qui grandinem, & furentem Hebræum evaserant, tanta superfuit sparsa per agros, viásque copia; victoribus ut admirationi pariter essent, ac dolori. Sollicitudinem enim ac metum injecerant, ne tam ingens ex omni penè *Chanaanitide Superiore*, suis excita sedibus, barbarorum vis, si cladem evasisset, denuò conflueret: ac cæterorum addita regum copijs, laborem Josuæis in immensum augeret. Lucis ac diei perexiguum erat futurum reliquum: tametsi prælium cœptum ante diluculum in vesperam usq; productum esset. Josue Dux igitur, mentem impellente Numine, dum est in medio victoriæ cursu, versus primùm ad Solem (qui tunc, ut in æstivo solstitio, Gabaonem affulgebat ab Cyprio mari) mox ad Lunam quoq; quæ contra vallem *Ajaloniam*, jam jam albescebat: & hanc stare jubet, & illum. *Solem* quidem, ne properaret ad occubitum; Lunam, ne pleniore radio noctem inchoaret antè, quàm Amorrhæorum quinq; regum universus esset exstirpatus exercitus. Et imperio paruit utrumq; Sidus: ab eo præcepti momento, prorogato splendore Solis, quantum unius æstivæ lucis esse spatium consuevit: quod quindecim, ut minimùm, & aliquantò plus, horarum est. Quô tam longô, Solis ac Numinis, usus beneficiô miles; DEO fatigatis suppediante vires novas: cædendi, sternendíq; finem non antè fecit, quàm ad internecionem funderetur Amorrhæus, & Sol tum demum, ubi nullam vidit, Hebræo gladio debitam, restare victimam, lumen suum, diémq; clausit. *Sol & Luna stant ad imperium Josue.*

At effugerant Adonisedecus, Ohas. Pharas, Jáphias, ac Dabir, reges,

reges. Hos fuga sociata, Macédam usque pavitantes abstulerat. Ibi ex fuga in speluncam se conjiciunt, asylum ac latebras, uti sperabant, reperturi. Quò Iosue compertô, mox jubet obstrui specûs os, immanibus advolutîs petrîs; appositîs, qui cum cura, ne fortè per astum elaberentur, excubias agerent. Ipse verò reversus Macédam cum omnibus copiis, revolutîs saxîs, imperat produci latitantes; exsangues metu, supplices, & conditione quavis incolumitatem pacisci paratos. Sed nullam merebantur clementiam, quos Dei severum imperium, & sua, correctionis impatiens, pravitas, Iosuæ puniendos, delegaverat. Hic ergo surdis ad tyrannorum ploratus auribus, humi primùm eos sterni: deinde principum ac tribunorum, proteri pedibus stratorum colla, præcepit. Ad extremum, frustra Deorum, quos impios impiè coluerunt, opem inclamantes, defixis, pro numero reorum, stipitibus, in suam quemq; crucem tolli jubet, ac mori. Post suspendium autem, ac mortem detractorum, ad Solis occubitum corpora, reddita speluncæ sunt: quam occludi Iosue mandavit; saxis grandibus in monimentum ignominiæ sempiternum, ad os specûs aggestis. Perfectô suppliciô regum, ac legionibus ad Macédam, eodem adhuc die, raptîs; impetu primo capit urbem: captam, interfectis incolis omnibus, ferro, flammâ, direptionibus exhaurit.

Quinq; reges suspendiò necantur.

Post hæc, urbes *Lebnam, Lachin, Eglonem, Hebrôna, Dabiram*, seu *Cariath-Sephêram*, Chananæorum Academiam adoritur: eásque cum regibus suis, & incolis, capit ac evastat. Novas interim turbas & bella serit, adversùs Iosuen, *Jabinus*, rex *Asoris*; urbis, & regni omnium potentissimi. Is inferioris, seu Aquilonaris Chanaitidis reges, & regna omnia concitârat in Hebræos: coràm & per legatos. Dum lustrantur copiæ ad aquas *Merom*, seu Lacum Samachoniten, improvidis supervenit Iosue, consternatósque Hebræorum vocibus, armis, insultu quaquaversùm horribili, DEO præsertim territis terrorem superaddente, fundit, fugat, cædit. Ac ne curribus quidem falcatis, imperiô Numinis, illius belli ministris, & comitibus data venia: quò minùs, & hi, cultris varices incidentibus, ad gressum redderentur inhabiles; & illi, cum harpis simul suis, incendio pabulum, rogúsq; fierent. Præda ingens, quantam in castra portare tot myriadum hominum potuêre manus, ac jumenta, capta, & in Galgala avecta. Sed priùs quæsiti reges & tyranni, qui cædi superfuerant: ac mactati sunt. Iabinus imprimis cum regia simul urbe, captus tandem; urbs incensa, incolæ omnes trucitati, rex gladiô necatus est. Ita sexennij circuitu tota ferè subacta, divisáque victoribus est, Chanaanitis regio;

Jabinus Rex cum auxiliaribus copiis cæditur.

Chana-

Chananæum autem nomen omne sic accisum, ut censeri quodammodo posset eradicatum. Quô factum est, ut in castra Galgalorum redeunti Josuæ, defigi, jure quàm optimo potuerit, *Unius, ac triginta Regum* superatorum, memorabile tropæum: qui partim ipsi, Mosique; partim Josuæ soli, sine bellorum collega, procubuêre victi, sublatíque. Recenset eos omnes ac singulos, nominatq; sacer Josuæ libellus. Ubi velim, intelligas, *Reges* ad eum ritum, ac potenitæ modulum appellari solitos esse, reipsáq; fuisse: quicunq; regio more, juréq;, locis haud in celebribus, (ab urbe principe plerumq; regium nomen capiebant) dominationem obtinerent; alienis arbitrijs aut penitùs non obnoxiam; aut, si multùm, non nisi stipendiariam, fiduciariámve. Cæterum laudem omnibus Imperatoribus invidendam, duo continent verba: JOSUE STATOR SOLIS. *Josue tropæum.*

DOCTRINA.

STetit Sol in medio cæli &c. obediente Deo voci hominis Jos. 10. O prodi-„ gium, ô stupor, ô dignatio (exclamat Bernardus) nunquam „ in cælis vel terris audita, quòd Creator Creaturæ, DEUS „ obediat homini. Erubesce cinis, DEUS se humiliat, & tu te „ exaltas. Erubesce pulvis, DEUS obedit homini, & tu nec homini, „ nec DEO obedis. *Deus obtemperat homini, & non Deo homo?*

Vis ut DEUS te exaudiat; audi tu DEUM; scriptum est enim: *Voluntatem timentium se faciet.* Psal. 144. Josue imperat cœlo, quia sibi priùs imperavit ipsi; habet ad jussa obsequentem Solem & Lunam, quia morigerum is se præbuit DEO.

Disce, quanta vis sit precum, si fiducia sit in precante, sed non vana, verùm meritis bonæ vitæ nixa. Jacob ex lucta cum Angelo, vocatus est, Israël, hoc est, dominans DEO Josue, ea voce, quâ DEUM supplex in vota vocare suevit, suum ad imperium sidera habuit præstò. *Vis precum.*

Ad perennem tanti miraculi memoriam, solis est imago insculpta Josuæ sepulchro. Pulcherrimum Boni Principis monumentum. Omnibus idem.

Sol terrigenis, Princeps Subditis.
Sine labe micat.
Sol clarus in cœlo, Princeps in terra.
Illuminat Orbem.
Sol radijs, favore Princeps.
Nubila vincit.
Sol tempestatis, invidiæ Princeps.
In motu semper.
Sol cœlum, Princeps obeundo regni negotia.
Vigili stant bella magistro.

Cùm

Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit gentes multas coràm te, Hethaeum, Gergezaeum, Amorrhaeum, Chananaeum, & Pherezaeum, & Hevaeum, & Jebusaeum, & septem gentes multò majoris numeri, quàm tu es, tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usq; ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neq; Sociabis cum eis conjugia. Deut. cap. 7. & cap. 20. *Ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis; & peccetis in Dominum Deum vestrum.* Septem populi ab Hebræis exterminandi, sunt septem vitia capitalia. *Gergezaeus* dicitur COLONUM EIICIENS, nempe Adamum Paradiso, ob factum: *Eritis sicut Dij.* Superbiæ typum gerit. *Chananaeus* possessorem vel negotiatorem sonat, denotátq; lucrionem, seu hominem lucri avidum, nempe Avarum. *Pherezaeus* dicitur terram disseminans, indicat Libidinem latè per orbem diffusam. *Amorrhaeus* ab amaritie nomen habet, & Invidiam refert. *Jebusaeus* Latinis præsepe vertitur, Gulæ comparatur, tanquam jumento ad pabulum stanti. *Hevaeus* quasi lapides colligens, Iracundum significat. *Hethaeus* idem quod stupor seu formido, quid aliud quàm inertiam & pigritiam, labores formidantem designat? Omnes hi hostes sunt nobis stirpitus eradicandi, si exoptatam illam Chananitidem, terram lactis & mellis; hoc est, cœlestem felicitatum omnium patriam possidere desideramus.

Septem Chananitidis populi, septem peccata capitalia.

Cur tam atrociter in has gentes sævitum.

Sed cur tam atrociter in has gentes sævitum est? Superiùs ex Scriptura Sacra indicavimus. 1. Ne consortiô & còmmerciô malorum corrumperentur boni. 2. Ut scelerum pœnas darent impij, & in bella obstinati.

Cur non omnes reliquiæ potuerint exscindi.

Non ita tamen exscindi potuêre hostes à Josua, quin aliquæ Chananitidis reliquiæ superessent. Inde Judic. 2. v. 21. 22. loquitur *DEVS. Et ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue, & mortuus est, ut in ipsis experiar Israël, utrùm custodiant viam Domini.* Nempe adversarius eos est virtutis, & ignaviæ remedium; Ad Hebræos in officio continendos acer stimulus, metus hostium. Et si omnia in pace summa fluerent ad votum, ubi cura demerendi precibus Dei? Ubi exercitium fiduciæ & perfugij?

Chananitidis quondam terrarum felicissimæ Cultores, urbes, oppida, regna, reges perierunt (ô fata!) ab stirpe, ferro, facibus, ruinis, ac vastitate. Populorum ista sunt, & celeberrimarum urbium ac ingentium regnorum funera, quoties præsertim æquô licentiùs vivitur, & agitur. Regnum inquit Sacer Ecclesiasticus c. 10. *à gente transfertur, in gentem; propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. Intelligite,* vos quoque capita populorum, ista, & erudimini, *qui judicatis terram. Servite Domino: Disciplinã* (morum) *apprehendite.* Ne quando fit, qui rapat; & non sit, qui raptos eripiat. Psal. 2. & 49. Pavete Tonantem: formidate ferientem.

Regna propter scelera transferuntur à gente in gentem.

NARRA-

NARRATIO XL.

ADONIBEZECI TYRANNIS LAISARUM IDOLOLATRIA, GABAITARVM LIBIDO VINDICATA.

Judic. I.

Anno Mundi. 2601. Ante Christum 1452.

Et Judic. 19. 20. 21.

Anno Mundi 2622. Ante Ch. 1431.



Ezecam Adonibezecus obtinebat: regiam, & opere, situque firmam imprimis urbem Palæstinæ. Ingens erat viri fama, quippe qui bello, quoscunq; libuisset, aggressus, nullo juris & iniqui discrimine, semper jus totum in armis habuisset. Reges enim, quales tum errant, septuaginta, alium ex alio lacessens, nunquam non discedebat superior. Victos autem non ut victor ingenuus, sed ut crudelis ac superbus tyrannus habuerat. Namq; bello subactos, summis manuum ac pedum articulis truncavit, quò prælijs pariter, & fugæ prœliorum deinceps inhabiles; ac belli simul, pacisque tractandis armis penitùs inutiles redderentur. Quæ cùm tyrannidi non sufficerent, miserè deartuatos, tanquam canes sub mensam retrusit, solis epularum retrimentis, in famelicos projectis. Sed Vindex DEUS eadem lege *Talionis* regessit in caput crudele mala. *Othoniel* quippe, Josue successor, & *Calebus*, frater ejus Hebraicarum copiarum, maximè tribuum Judæ & Simeonis, Duces, tyrannum decem millibus suorum amissis, in fugam actum, *Bezeca* obsederunt; unde cùm profugisset, Hebræi insecuti, retraxerunt è fuga, inq; castra perduxerunt. Ibi totius exercitûs in conspectu, regem supinum humi stratum, ac religatum, cultris immanibus incessunt ij, quibus id imperatum erat: & manuum, pedúmq; supremis digitis minuunt, atq; mutilant: ejulantem, ac multis fortunarum suarum versas conditiones deplorantem; Numinis æquissima lege, quod quisq; nefandè fecerit in alium, id ut in seipsum experiatur, pérq; ea, quæ peccat, torqueatur.

Tyrannis Adonibezi.

Captus dirè excarnificatur tyrannus.

Hoc fupplicium crudelitas tulit; quod jam narrabo. Idololatria Civium urbis *Laifa* fubijt; Jud. 18. 19. Anno Mundi. 2622. Habitabat id loci *Michas* quidam, Ephraimita; is matris viduæ peffimis exemplis inductus, idolum fibi cònflavit ex argento hæreditario, illúdque civibus infuper fuis colendum propofuit, præfectô Sacris deteftandis filiorum unô, & *Jonathâ*, homine Levitico, vagabundo, egeno, impio. Cujus rei famâ ad *Daniticam* fortè Tribum, perlatâ, fexcenti viri bellatores corripunt arma, idolum pariter & Sacrificulum Jónatham, non invitum rapiunt, incolas occidunt, urbem incendunt. Quam deinde refufcitatam ex ruderibus, & *Danem* à fua Tribu appellatam inhabitant; haud fanè meliores prioribus incolis, quorum nefanda Sacra idolo Michæo inftituta, usq; ad captivitatem Affyriam (quando Theglatphalafa Rex Affyriæ fubita irruptione Galilæam invafit, & tres ac dimidiam Tribus abduxit) hoc eft in annos 657. propagârunt.

Michæum idolum.

Laifa urbs exfcinditur.

Non minùs luctuofum eft relatu, quod circa eadem tempora contigit; Jud. 19. 20. 21. quando Tribus Beniamina à cæteris tantùm non occifione deleta eft; occafio capiebatur ex Gabaitarum libidine; apud quos Levita hofpes diverterat; Bellum id erat civile primum Judaicum; DEO, ut fit, incontinentiæ fædiffimæ maculas, balneo Sanguinis eluente.

Gabaitarum libido, & Benjamitarum excidium.

Cùm enim juvenis quidam de genere Levitico, Sichemô oriundus, domum ex oppido Bethlemo reverfurus, de via divertiffet in urbe Gabaa; & ab ejus loci incolis flagitiofiffimè illufum effet uxoris corpori, etiam vitâ per libidinem infatiabilem ereptâ, ftatuit atrociffimæ turpitudinis vindictam à communi duodecim Tribuum petere tribunali. Defert igitur & flagitium, & ejus teftes; Secta conjugis membra in totidem, quot erant tribunalia, frufta. Atrocitas injuriæ vehementer commovit Judices; quare de confilio Tribuum publico, mittuntur legati ad Benjamitas (horum enim ditioni Gabaa fuberat) qui poftulent, dedi fibi ad fupplicium nefandi criminis non tantùm autores fed etiam fautores. Fruftra fuit legatio. Sufcipiunt fceleris execrandi patrocinium Benjamitæ, & numero viginti millia Gabaan movent, ad eam armata vi propugnandam. Irritavit magis hæc contumacia cæteras Tribus. Igitur conveniunt *Mapha*, féq; juramentô obftingunt, neq; connubia cum Benjamitis fociaturos, néq; fuorum quemquam, fancitâ capitis pœnâ, abeffe pafluros à bello, perduellibus inferendo. Conftituitur Imperator fummus *Othoniel*; è Tribu Judæ delectus. Concurritur adverfis prælijs femel, iterúmq; vincunt Benjamitæ, tantâ editâ ftrage, ut priore pugna viginti duo Ifraëlitarum millia, pofteriore decem & octo millia ceciderint. Premiffit id DEUS, tametfi in Tabernaculo Siluntico

Infelices Ifraëlitarum pugna.

luntico consultus, autor belli suscipiendi fuisset, ob culpam idololatriæ Laisensium lentiùs castigatæ. Ad extremum tamen conciliant victoriam repetitæ preces, Sacrificia, cæteráq; pœnitentium animorum præsidia. Cæduntur propè Gabaam, Benjamitarum octodecim millia. In fuga septem millia pereunt. Ex toto exercitu vix evaserunt sexcenti in Petram *Remmonem*. Non Gabaa modò, sed tota Benjamitarum regio ferrô, flammáq; exscinditur; nulli sexui nec ætati parsum. Exinde gratijs Numini ob victoriam persolutis, inquisitum in eos, qui Sacram militiam vel deseruerant, vel non adierant. Deprehensi *Galaadita*, *Jabessam* urbem trans *Jordanem* incolentes. Etiam in hos sævitum, nullo discrimine. Urbs funditus diruta; servatis duntaxat quadringintis puellis, totidem viris in matrimonium tradendæ. Nam, ut fieri solet, ubi exsatiato furori misericordia successit, bárbarum videbatur, Benjaminèam Tribum penitùs delere. Ergo Galaadinæ Virgines illæ despondentur Benjamitarum reliquijs, quas ad sexcentas fuga servârat. Ducentis quoq; sponsæ quærebantur apud Siluntinos, quas cùm per religionem jurisjurandi non viderentur à parentibus impetraturi, suasu Principum Israëliticorum, adoriuntur Benjamitæ puellas, fortè choros ducentes, & in uxores rapiunt, felici successu, & novæ Sobolis incrementô. Hunc finem habuit bellum Benjamiticum, quod paucorum vesana libido incendit, multorum millium sanguis extinxit.

Benjamitarum excisio.

Et Jabessorum Civium.

Reparatio Tribûs Benjamiticæ.

DOCTRINA.

Fuit documento mortalium secundis rebus, hic Adonibezecus, de se modicè; de cæteris non contemptim sentiendi. Primùm quidem in victorijs; nequid insolenter, ac per arrogantiam in debellatos, aut dicant victores, aut gerant: memores, *Aquilam* felicitatis alas habere; quibus volare de castris in castra queat; ac dominos mutare. Nostra quidem esse recordemur, quæ capiuntur ex hostibus; sed interim, & nos olim hostium fieri posse, cogitemus: quódq; prudenter Publius, in Iambis, postea monuit: *Cuivis accidere posse, quod cuiquam potest.*

Victores ne insolentiùs se gerant in victos.

Deinde præclarum, & in hoc, audaciæ nostræ, quævis ad scelera prosilienti, dehortamentum; Rex iste detruncatus, in theatrum producit; *Sicut fecisset, ita reddidisse sibi Deum* Judic. 1. confessus. Nimirùm omnis delicti mensuram, talionis mensurà compensat Divinæ justitiæ statera. Hoc est sibi malam rem arcescere jumentô suô; & gestare compedes fabrum, quas ipsus fecit; & incidere in foveam, quam fodit alij. Ovidius canit;

Talionis pœna.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit Author opus.

Laisense Idolum docet, quàm citò propagentur scelera, & unius è noxâ inficiatur populus. Origo mali, femina, superstitioni dedita, quæ Michæ filio mille & centum argenteos (coronatos Gallicos circiter quingentos) in sculptile simulacrum destinârat ex testamento, multorum in animarum millium perniciem cessuro. Benjamitarum clades documento est, quàm funestos exitus Libido habeat. Sed de hac alibi recurrit agendi locus. Israëlitarum detestanda est crudelitas, nullo discrimine in sontes & insontes Jabesenos effusa. Zelus præposterus juramenti servandi; cùm in malè promissis sit rescindenda fides, & in turpi voto mutandum decretum.

NARRATIO XLI.

AODUS INTERFECTO EGLONE MOABITARUM TYRANNO, HEBRÆOS E SERVITUTE IN LIBERTATEM ASSERIT.

Judic. 3.

Anno Mundi 2669. Ante Christum. 1384.

Hebrææ Reipubl. sub judicibus variatio.



SI quando verum ullâ fuit in Republica, quod de singulis hominibus proverbiò circumfertur; Unumquemq; fortunæ suæ, seu secundæ, seu lævæ, certissimum esse fabrum: id de populo sine dubio verum fuit Israëlitico, post Mosis ac Josuæ tempora; sub Prætoribus, quos *Judices* nominabant. Cùm enim Ducibus illis mortalitate functis, paullatim adversùs interdictum Numinis, exterarum se connubijs implicarent Hebræi: móxq; nuptarum persuasionibus illecti Dijs earum, Deabúsq; se dedicare cæpissent: in DEI veri justissimam indignationem prolapsi premebantur ijs à populis, quorum ipsi religiones, suæ religioni prætulerant; rerum civilium statu, unà cum variatione sacrorum, variante; ad Regum usq; tempora, Saulis ac Davidis, annis paullò minùs quadringentis.

Judicum primus *Othoniel* fuit. Is annis quidem, post Josuen, quadraginta, vitam; sed non nisi decem postremis, Judicis nomen ac jus, reipsa, magnáq; cum laude sustinuit. Othonieli successit Aodus, generosissimus juvenis ex tribu Benjaminis, ambidexter,

bidexter, Romanô ſcævolâ fortunatior, Eglonem Moabitam Judæos vexantem, cultro interemit, pingui abdomine hauriente mortem cum ferro. Huic occaſio liberandi ſui populi à jugo octodecenni Moabitarum, oblata fuit ex legatione, quam unà cum aliis ſuſcipere cogebatur ad tributa & munera, Egloni Moabitico tyranno perferenda. Fortè is ex Moabitide ſeceſſerat in agrum Jerichuntinum, ubi validum imprimis, ac permunitum propugnaculum ex ruderibus Jerichuntis conſtituerat; Voluptatis pariter domicilium & Hebræorum terror; (Sacer ſcriptor, Urbem *Palmarum* vocat.) Venit eódem Aodus, populi nomine legatus, cum ſociorum, ac familiari comitatu; quæq; publicè mittebantur ſeu tributa, ſeu dona, procerum in conventu, regi tradit. Perfunctus officiô, regiq; jam, novis de cauſis, multò, quàm antè commendatior, præſidij munitiones diligenter perluſtrat, admirantis potiùs, quàm explorantis fronte. *Aodus interfector Eglonis, & vindex libertatis.*

Remenſus iter cum ſocijs, ubi pervenit in *Galgala*, Urbem ut religione olim inclytam; ita nunc Deorum ſculptilium ſimulacris publicis impletam; tum ſuapte pietate, tum incitamentô Numinis incenſus, ſtatuit nefas illud evertere. Cunctîs igitur, qui comitabantur, dimiſsîs, vel ſolus, vel non niſi cum puero pediſſequo, Jerichuntis in caſtellum, ádque regem Eglonem revertitur, gladiolum ſecùm conſuetum, & inſidiarum vetus propoſitum; occultè portans. Poſtulat intromitti, tanquam *ſecreti magni* bajulus; cuius cum rege communicandi, neceſſitas eum ab itineris mediò revocâſſet curſu. Reperit haud difficilem aditum, remotîs cunctîs arbitrîs. Non optimates modò, ſed & corporis ſoliti cuſtodes, ſeſe longiùs, quàm pro conſuetudine ſegregârant: & incuſtoditum regem, ſub *hoſtis* quondam, & tunc *ſervi* manu, reliquerant; fatuâ, ſine dubio, tum regis ipſius, tum prócerum ac ſatellitum incolumitatis fiduciâ. *Aodus inſidias ſtruit Egloni.*

Introductus igitur Aodus: ac, reductis poſt ſe foribus, adoratóque rege, profeſſus, à Galgalorum delubris, ad quæ divertiſſet ex via, redeuntem, efferre ſe Divinum, & ingens, & ad regis caput pertinens, arcanum; permovit virum ſuperſtitioſum, ut tanquam Deorum ſuorum excepturus Oraculum, eorum honoribus aſſurgeret: qui ſedens hucuſq; de ſolio legatum excepiſſet. Eum igitur, hoc corporis erectiore ſitu nactus Aodus votis ſuis opportuniorem, ac ſtare jam incipientem, inobſervatus adoritur: & unô ſimul temporis articulô, *craſſum* alloquens, allevans, percutiens; raptam è femore dextro ſicam lævâ manu, ventri ſurgentis infigit, impetu tam valido vulneris: ut, præter morem non mucro tantùm extremus, ac media ferri lamina, ſed planè capulus ipſe, pinguiſſimam alvum intraret, cum parte ferientis manûs. Confeſtim *Interfectio Eglonis.*

diffluxit

diffluxit anima; Aodus, relictô ferrô in vulnere quamprimùm in pedes se conjecit, obseratis cœnaculi foribus. Elapsus, mox belli Moabitici classicum insonat; ingentem populi Hebræi collectam multitudinem, in Moabitas ducit; omniúmq; primò in locum, ubi cædes regis erat facta. Interim Eglonis satellites, & consiliarij diutissimè foris exspectantes, & aliud quidpiam eum agere suspicantes, tandem insertâ clavi, cœnaculi fores aperiunt; Eglonis interitum inveniunt, ac deplorant; Aodus improvisò cum suis eos opprimit: & reliquos ad Jordanem usq; persequitur. Ibi nova, & atrocior pugna cum Moabitis, qui transire Jordanem amnem conabantur, ijs locis, quibus erat siccissimus. Sed cædente terga fugientium Aodo; vada verò tentaturos barbaros, Ephræmita milite, custode fluminis, prohibente, hostium decem millia concisa sunt. Ita pacata Palæstina, soluta servitus Moabitica: *Judex*, ac Tribuum Hebræarum Prætor, Aodus declaratus: ut idem, qui bellorum fuisset, etiam Æquitatis esset, Vindex, in utramq; lancem *ambidexter*.

Moabitarum clades.

DOCTRINA.

Pinguis venter non gignit mentem tenuem.

E*Glon*, sive nomen, sive personam spectemus, est imago hominis ventri dediti. Nomen enim hoc Palæstinis idem, quod nobis *Vitulus*, hoc est, lascivus & petulans, sempérq; ingluvie demersus. *Erat autem Eglon crassus nimis.* Judic. 3. Ut obesus & adipatus corpore, ita hebes animo. Ventribus enim ingenia, tametsi non semper, plerúmq; tamen respondent; & qui toti vel in patinis sunt, vel in cyathis, ac saginâ, cum Marte vix aliquid: cum Minerva nihilomnino gerent, nisi valde pingui. Un-
„ de Hieron. *Epist. 2. ad Nepotian.* Pulchrè dicitur apud Græcos, &
„ nescio an apud nos æquè resonet: *Pinguis venter non gignit men-*
„ *tem tenuem.*

Zelus Aodi pro honore DEI.

Conspecta multitudo idolorum in Galgalis excitavit in Aodo fervorem vindicandi honoris divini; cui asserendo non dubitavit, vitæ sese periculo involvere; suúmq; pro totius Reipublicæ salute caput in discrimen dare; altiore videlicet, nempe DEI impulsus spiritu, Hostem Numinis, hominúmq; publicum ac promulgatum interfecit. Nimirùm ut DEUS tyranno Egloni potestatem permisit gentem sibi dilectam invadendi, sic deniq; suas ipse quoq; pœnas, aliorum carnifex pependit. Prov. 22. *Qui seminat iniquitatem, metet mala; & virgâ iræ suæ consummabitur.* Revertetur in caput sævitia, sentiétq; plagas, qui plagarum fuerat instrumentum. Tales posteris temporibus fuêre Attila, Totila, Tamerlanes, qui se *flagella* DEI appellabant.

Sed quid est hoc, quod Scriptura asserat Jud. 3. v. 12. *DEUS confortavit adversus eos (Judæos) Eglon, Regem Moab.* Ergóne DEUS excitavit

excitavit Eglonem ad bellum injustum contra Hebræos, suscipiendum, ut tyrannicè eos opprimeret; adeóq; ad peccatum & tyrannidem? Minimè gentium. Sunt enim duo *malorum* genera, culpæ & pænæ; quod in doctrina Narrationis LXVIII. indicavimus. Priora illa verè vult DEUS, aut ad pœnam impijs, aut ad disciplinam pijs; Posteriora nequaquam *vult*, sed *permittit*. Boni enim exercentur ad præmium: lapsi aut lapsuri castigantur ad profectum: improbi puniuntur ad supplicum. Addidit DEUS Egloni vires, animos, consilium, dexteritatem præliandi; item socios fæderatos, milites, arma; Hebræis contrà pavorem immisit & terrorem; Prævidit quidem DEUS Eglonem Regem ex mala sua voluntate, imperij ambitu, dominandi cupidine, malè usurum victoriâ, id tamen permittere decrevit ad Hebræos castigandos. Et utiq; mirandum est meritò, hominem, tam inutile terræ pondus insultare per ipsos octodecim annos Hebrææ genti bellorum jam sensim experientissimæ, potuisse. Sed videlicet; *Leonum* cervicibus, jugum *Vitulus* injecerat, & injectum adstringebat, nullo suo, sed altioris potestatis robore formidabilis.

Cur permissus Eglon Hebraeos multis annis opprimere.

NARRATIO XLII.

FORTISSIMUM FACINUS SAMGARIS, TERTII HEBRÆORUM JUDICIS.

Judic. 3.

Anno Mundi 2709. Ante Ch. 1344.



On est nobis silentiô prætereundum, roboris insigne specimen, quod Samgar Hebræus Agricola dedit. Ubi vicinas apud gentes, perpetuô Israëlitarum odiô flagrantes, rumor increbuit, vitâ decessisse fortissimum Principem Aodum, multarum palmarum Ducem, Philisthæi (quos septuaginta Interpretes *Allophylos* seu alienigenas appellant) incolæ regionis, Phœnicio mari adsitæ (unde Palæstinis origo nominis) excurrerunt in terram Israëlitarum, more latrocinantium, ad prædes abigendas, hominésque in servitutem abducendos. Quæ si processissent ex voto initia, haud dubium relinquebatur, quin in apertum bellum erat

eruptu.

eruptura hostilitas. Nemo tum securè faciebat iter, passim vias insidentibus prædatoribus, & omnia intuta reddentibus. Unde Judic. 5. *In diebus Sangar, &c. quieverunt semitæ, & qui ingrediuntur per eas ambulaverunt colles devios*; omissis quippe viis publicis, passim infestatis, cogebat periculum sectari semitas invias & occultas.

Prædatores cæduntur à Samgare.

Agrum fortè colebat *Samgar*, junctis aratro bobus; cùm derepentè prædatoria Philisthinorum manus, sese in conspectum dat; exspoliat villas & pagos; ínq; Sámgarem facto impetu, conatur boves eripere, ipsum in servitutem abstrahere. Vim & iram suscitavit injuria; ministravit arma furor; cùm enim telum aliud ad manum non esset, arrepto dentali, cum vomere, quo terram proscindebat, prosilit in pugnam, strenuéq; circumductô partem in omnem ferrô, plagas, vulnera, funera dividit; nec antè cædendo absistit, quàm Philisthæorum omnino sexcentos straverit; utiq; facinore memorando, Samsoniæq; maxillæ præludente. Ita repressa latrunculorum audacia: restituta viarum libertas: commeantibus securitas: urbibus, & agris quies.

Iterum Chananæi in Hebræos insurgunt.

Fama facti mox latiùs cum terrore propagata, latrunculorum audaciam aliquamdiu compescuit; donec laxatis iterum impietati frenis (Mors namq; tam Aodi, quàm Samgaris, præturam anno non integro tenentis, obicem in scelus ruentibus removerat) DEUS, in Hebræos ad vomitum redeuntes, Vindicem immisit, *Jabinum* Chananæum, Regem Asoris, unum ex illius Jabini posteris, qui maximum, contra Jousem, bellum annos antè centum, & quadraginta conflaverat. Hic sive angustos imperij fines prolaturus, sive avitam ignominiam deleturus, continuatis viginti annorum cladibus contumaces Iudæorum cervices attrivit, uti mox narrabimus.

DOCTRINA.

Viro forti obvium quidvis pro telo est.

SAmgaris vomer docet, nihil esse tam vile ac simplex, quod non ad magna quæq; possit instrumentum esse, si DEI concurrat manus. Quid enim ad bellum vomis? quid ad tantam hostium stragem unus, & solo armatus aratri dente? Hic hastæ, gladij, armorum omnium vicem præstitit. Nimirum animus in corpore præsens, & bona Caussa ex Aratore bellatorem reddiderunt, & Victorem. Qui cum tám fortiter pro patria, & popularium salute staret, dignus est, ut Camillos inter, & Curios, Cincinnatos, Fabricios, Romanorum heroës, ab Aratro ad Dictaturum vocatos *Laureatos* Fasces & vomerem omni posteritati ostentet.

Possis etiam Vomerem hunc, manu apprehensum, aptare Symbolo non uni. Nam primò denotat, victoriam sæpe magis *robori*, quàm *arti* deberi. Adscribe lemma: MARTE, NON ARTE:

Vel:

Vel: ICTUS AB ARATRO. Quò seruit id, quod Pausanias narrat in Eliacis, lib. poster. *Glaucus*, puer Bæotius, cùm Agriculturæ daret operam cum patre, vomerémq; dilapsum, manu pro malleo usus restituisset, conjecit parens ex eo, fortem fore; & duxit in Olympia, in quibus certavit: cúmq; ab adversario, ut certaminis imperitus, graviter urgeretur, exclamavit è multitudine, pa-„ ter: O puer istum ab aratro, scilicet ictum inflige: hac voce inflammatus adolescens, ingenti plagâ adversarium percussit & vicit.

Deinde, cùm vomer splendens, pacis significet tempus, & Samgari fuerit pro telo; indicabit virum fortem, ad utrumque paratum. Adscribe: PACE, BELLÓQUE.

Tertiò, non in armis, sed in modo tractandi arma, victoriam esse positam, docebis per epigraphen: NON TELUM, SED MANUS.

NARRATIO XLIII.

SISARAE CHANANAEI DUCIS, FATALIS HAUSTUS, ET SOMNUS.

Judic. 4.

Anno Mundi 2741. Ante Ch. 1312.



Barácus quartus Hebræorum Prætor, luculentam, de *Sisara* Philisthæo victoriam reportavit; cujus susceptæ, & perfectæ laus omnis, penes mulieres fuit. Nam & *Debbóra* Prophetis, ad castra profecta, Baracum in hostem immisit; & *Jahel* fugientem Sisaram, haustu lactis consopitum, trabali clavo transfixit. Quippe feminæ, quocunq; se vertant, semper immodicæ, vel extrema vitia, vel virtutes summas persequuntur. Historiæ narrationem hanc accipe.

Vigesimum jam annum ingemiscebant Hebræi, sub *Jabini*, quod suprà, indicavi, *Asoraeorum* in Chananitide, regis, supremíq; copiarum ejus Ducis *Sisaræ*, duris imperijs, & acerba servitute. Libertatis pristinæ vindicem enixè flagitantibus à cœlo, DEUS salutem per feminas tulit. Erat eâ tempestate divinitus afflari sueta, Debbora vidua, (juxta mentem D. Ambrosij) post virum è vivis sublatum, tota Numini mancipata; quam DEUS Prophetidem repentè suscitavit, jam non ad responsa tantùm, & jura; sed

Debbóra Prophetis exstimulatrix belli.

ſed etiam adverſùs tyrannum, arma danda, præſentíq; ductu tractanda. Et quia, poſtquam *Sacris* exciderant Hebræi, robur quóque gentis collapſum erat; plácatum ſuppliciis Numen, exſtimulavit præcipuo quodam impetu tribuum quorundam Duces, præſertim *Barácum*; qui hortatrice *Debbora*, comparato decem millium exercitu in hoſtem movit, adjunctáque ſibi expeditionis comite Prophetide, montem *Tháborem* cum copijs inſedit, exciturus ad bellum Siſaram, ſummum rei militaris, apud Jabinum regem, præfectum. Ad quem ubi perlata eſt fama defectionis Baráci, & montis Thaboris manu non maxima occupati; quanta potuit feſtinatione contraxit ingentem militum manum, cum nongentis curribus falcatis, & maximo belli apparatu; montémque Tháborem circumſedit. Non fefellit Barácum, ejúſque militem, inſtantis magnitudo periculi: quippe quibus Thaboris è vertice deſpectantibus, hoſtium eſſet omnis in conſpectu multitudo. Formidinem tamen eis Debboræ Prophetidis eximebat, non oratio tantùm, ſed & omni facundior eloquiô, comitatus. Nonminùs *Siſara* Dux, curru ſublimis, aurô gemmíſque conſpicuô, agminibus obvolitans, inſtigabat omnes ad conflictûs audaciam.

Pro Hebræis contra Chananeos è cœlo pugnatur.

Cæterùm Baracus victoriæ minimè dubius, cunctorum militum animos, novo quodam ſubeunte robore, inſtructa cum acie, receptâ in medium agminis Debborâ, ſe demittit ex altiore loco, in Chananæos, tempeſtatis ritu, ferociter invehitur, ſibíque per obſtantes, latè viam ferrô patefacit; ſtrenuè Ducem ſequente milite, & cœlo quoque, nimbô, grandine, dejectis flammarum globis ac facibus; Angelóque diſtricti gladij fulmine, vultúsq; formidabili ſplendore, terribiliorem hoſtibus Baracum reddente. Jámque perruptis hoſtium cuneis, & agminum, turmarúmq; diſjectis ordinibus, fluctuare barbarorum acies: turbari ſigna, diſſolvi pedeſtres ordines, & æqueſtres alæ; diſperſæque per incertum volitare paventium hoſtium legiones: & implicari, mutuò ſe turbantium agmina bellatorum; ſimul tellure contremiſcente, nutante ſolo, ſilvis ac rupibus horrendùm ſonantibus, fremente *Ciſone* flumene; cœlo tonante, miſtíſque flammæ fulguribus auram incendente: punctô penè temporis omnia procella fiebant. corporúmque ſtrages una. Ruere milites, duces, equi, viríq;, falcigeríq; currus; quos incuſſus cœlo terror, lymphatis, attonitíſq; ſimiles, cum jumentis, & inſeſſoribus & quadrigarũ agitatoribus; partim per plana retro; partim per præceps in flumen; alios in obvia rupium, valliúmq; ſurſum ac deorſum raptabat: diffractis falcium ac telorum cuſpidibus, & immani cum ſonitu, rotis in fruſta diſſultantibus.

Siſara cùm fruſtra turbatam aciem reſtituere conatus eſſet; ſurdas

surdas enim aures habet pavor; desperatis omnibus, fugæ Consilium ipse quoq; cepit; ne verò noscitaretur, aureo desilit curru, abjctóq; paludamentô, cum ceteris imperatoris insignibus, pedestrem init, & incomitatam fugam, nulli facilè nisi se familiariter olim uso, deprehendendus. In ea fugiendi festinatione, defertur ad tentorium cujusdam *Habèri*, natione *Cinæi*; (qui sub pellibus habitare solebant) cujus uxor *Iahel* (maritus cùm servis aberat domô) currentium pedum excita sonitu, cùm Sisaram conspexisset, suspicata, quod res erat, eum è malè pugnato prælio fugere, metum omnem jubet ac diffidentiam ponere, ínq; tentorium blandissimis verbis invitat. Qui partim suavitate sermonis demulsus, partim confisus amicitiâ & fædere, contracto Jabinum inter & Cinæos, (Jethronis posteros, Mosis cognatos, Aradæa deserta sparsim sub papilionibus incolentes) succedit tabernaculo; & ut lateret tutiùs, in abstrusiorem seductus locum, operitur stragulô, excubias semetipsam ante tentorij fores obituram esse, Jahele promittente. Priùs tamen, quàm is in somnum se componeret, longissimæ viæ cursibus exhaustus, sitíq; per fugæ laborem confectus, potionem flagitat frigidæ; illa indulgentior, quàm petitum erat, ex utre coriaceo, lac recenter expressum, in phiala præbet. Inde sopore altissimo captum, conspicata; sumptis animis, ultura communem Numinis, gentísq; Hebrææ hostem; clavum ferreum prælongum, quô tabernaculorum tensi funes solô depanguntur, tollit humô: alteráq; manu correpto fabrili malleo, suspensóq; molliter incessu, per summum oris ac pedum silentium, accedit ad Sisaræ sopitum caput; vulneríq; designans locum, paxillô ferreô validissimè per tempora transadactô, terræ caput affigit. Hoc Habet. Adversus injustam tyrannorum vim, dolô justô pugnatum est, clavúsq; (quod in adagijs fertur) clavô pulsus. Supervenienti deinde Baraco Duci, Tragædiam actam, dimotô sipariô, per compendium Jahel aperit: eúmq;, quem is tot laboribus, per montes, vallésque quæsisset hostem; monstrat in plano jacentem, & quasi per otium, infelici sempiternóq; somno stratum. Ita virago generosa, verborum nullâ jactantiâ, factô nudô probavit; prophetidem docuisse vincere: Barácum vicisse: se verò, victoriam, in corpore Sisaræ defixo trophæo, coronavisse.

Sisara fugatur.

Sisara lacte sopitus, clavô terræ affigitur.

DOCTRINA.

SEd quid est hoc? Licuit ne Jaheli Sisaram occidere, hominem fæderatum, amicum, hospitem, gravissima calamitate oppressum, dormientem; & quidem, ultro comiter invitanti, datáq; fide securitatem promittenti? Nonne hoc erat jus gentium infringere; pacta, conventa, jurata violare? Respondetur; pactum inter Jabinum & Cinæos initum, vel fuisse metu extortum; vel in-

An Sisara justè per insidias occisus?

validum eo tempore, quò à Cinæis Hebrææ genti sanguinitate junctis, tanquam à Reipubl. membro, communis & publicus hostis; imò reipsa invasor, proclamatus & proscriptus, erat arcendus & tollendus, seu per Martem apertum, seu per insidias, & artem occultam. Et quidni dicamus, qualecunq; fædus illud extiterit, fuisse à DEO dissolutum; idq; per prophetidem Debbóram declaratum, Jahelíq; divina inspiratione insinuatum. Cur enim, DEUM Impulsorem, Jussorémq; cædis non confiteamur, in justissimis exigendis pœnis de Sisara, jurato Religionis hoste; superstitionum, & impietatis propagatore sacrilego; Jabinicæ tyrannidis stimulo; bellicæ flamæ folle; expeditionum cruentarum classico; tot injustarum cædium & magisterio, & instrumento? Cujus ductu, tot Israëlitis illatæ fastitates sint; tot impleti diris prælijs, & inundati campi; tot pulsi sedibus suis cives & coloni? Cujus atroci ferro, divisi mortales in armis; dissecti matrum ventres inermes; elisi pueri, puellæq; sine numero; tot passim excisæ Numinis aræ?

Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum Judic. 5. v. 24. lactis nimirum florem & pinguedinem propinavit in pretiosa phiala. Quàm multa hîc discenda, cavendáq;! Primò, quàm stolidè creditur improbæ mulieri virilis salus; cùm ea tunc, vel sub optima, perniciem adierit. Deinde, quàm noxia sunt feminarum blandimenta: ore lac, & mollitiem butyri porrigere videntur, sed tegunt arma, quibus afferant mortē. Ps. 54. *Molliti sunt sermones ejus sicut oleum, & ipsi sunt jacula.* Qualia vibravit, blandum quidem, sed exitiale pomum *Fenellæ* (de quo Cardanus lib. 12. c. 56. de rerum varietate) quot gemmis, tot insidijs fuisse refertum. Tetigisse, fuit perijsse; erumpentibus enim subitò jaculis curiosus inspector, qualis fuit *Rennethus* Scotorum Rex, perijt. Habet hoc Voluptas & Libido; toxicato philtro lactat, consopit, perimit; unde Poëta:

Femina non fidendum.

Nec Voluptati.

Hostis Voluptas dulcis est,
Et carnifex amicus;
Figit labellis oscula,
Nectítq; fune colla.

Threnorum 4. *Lamiæ* (mali socij, & sociæ) *nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.* In fabulis Lamiæ sunt monstra, umbilicò tenùs muliebris specie; deorsum ferinâ; mammis lactantium more protuberantibus; sed eos, qui lambebant allecti, devorantia. Egregium malè blandientis feminæ, aut Voluptatis Symbolum. Prov. 1. v. 10. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.*

Execratio improborum.

Sic pereant omnes inimici tui, Domine; qui autem diligunt te; sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent Jud. 5. v. 31. in Epinicio Debboræ. Votum & precatio gravissima, duobus constans contrarijs. Sisara, cum sui similibus, DEI perduellibus, execratione devovetur. Quod etiam David fecit Ps. 52. *Fac illis, sicut Madian, & Sisaræ, sicut Jabin in*

torrente

torrente Cison. Nec bruto fulmine vibrantur illæ ejusdem minaciæ, Ps.67. *Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus; & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus, Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera à facie* (præsentia) *ignis, sic pereant peccatores.* Verè enim execrandus est, qui propter amicitiam rei creatæ, contemnit amicitiam Creatoris.

E contrario Dilectores Numinis, instar orientis amæno jubare solis fulgent, continuóq; virtutum motu profecti, splendorem augent & lucem, donec stent in meridie, in summo perfectionis vertice. Hinc Prov.4.v.18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens, & crescit usq; ad perfectam diem.* Et Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur* (donec videatur) *Deus Deorum in Sion, in Olympo, beatitudinis æternæ clarissima sede.* *Proborum felix progressus.*

NARRATIO XLIV.

INAUDITA GEDEONIS DE MADIANITIS VICTORIA.

Judic.6. 7.

Anno Mundi 2768. Ante Christum. 1285.

POst Debbóræ, Baracíq; mortem, gens Hebræa more suo ad sacrilegam Deorum superstitionem est revoluta, erectis Jovi Belo passim aris, lucis, simulacris. Offensus populi perfidiâ DEUS, instrumentum vindictæ facillimum reperit, & immisit è propinquo Madianitas, Ammonitas, Moabitas, Amalecitas, ac cæteros ad Orientem incolentes populos; qui transito Jordane, maxima peditum, equitum, jumentorum assumpta multitudine, brevi omnem Hebræorum regionem, sui juris fecerunt, impunè cuncta ferentes, agentésque. *Orientis populi iterum Judæam vastant.*

Ibat calamitas hæc in orbem, ac redibat; cùm, simul ac frugum ac vinearum maturitas anniversaria revertisset: revertebantur & hostes: demessísque vitæ subsidijs, & oleô, vinóque collectis, cætera camelorum & hominum equorúmque pedibus proculcarent. Ita locustis & numero similes, & ingluvie, campis ac collibus evastatis, unde venerant, eódem revolabant. Cùm interim mortalium omnium timidissimi, (robur quippe animorum, cum DEI veri cultu amiserant) rerum domini; delitescentes in speluncis ac scopulis, & silvarum editiorum recessibus ad

ſui diſpoliationem ne hiſcere quidem auderent. Deniq; defeſſi tot vaſtitatis malis, ſeptenniô continuatis, ſerò tandem, ac ſerijs cum lacrimis amicitiam ac favorem ambire inſtiterunt Numinis, cujus toties antè cultum proculcârant. Poſt aliquantum temporis, ubi DEO viſum eſt, haud ultrà differendas eſſe ſuppetias, cœlo demiſſus Angelus (*Michaël* fuiſſe creditur) juvenilem induit ſpeciem, bacul úmque geſtans viatorium, *Gedeonem* in torculari ſuburbano excutiendô fortè & repurgandô frumentô occupatum, humaniter allocutus, virum *fortiſſimum* compellando, ſalvere juſſit; ſpem & animum concipere meliorem rebus in afflictis, quippe qui populi dirè vexati futurus eſſet *liberator*. Cunctantem, tergiverſantémq;, confirmat tergeminô cœleſtium operum oſtentô. Nam & prandium (carnes erant hœdinæ cum azymis panibus) apportatum à Gedeone ſibi, ſupérq; ſcopulum vicinum, appoſitum, baculi ſupremi contactu vertit in ſacrificium: erumpente de ſaxo, ſubitâ flammâ, cibóſque conſumente.

Michaël Archangelus Gedeonem in hoſtes animat prodigiis.

Prandium cælitus inflammatur.

Tum præter hæc Gedeon, & vellus ovillum in area ſubdiali, duabus continuis expanſum noctibus; conditionibus mutatis, alterâ quidem *roſcidum* invenit, omni circumquaq; reliquo campo retinente ſiccitatem: alterâ verò, *Siccum* ſuſtulit; terrâ reliquâ cunctâ rore tinctâ. Sed inter hæc Gedeon, priuſquam cum Madianitis manus confereret; bellum ſimulacris Deorum inferre juſſus: expugnâdi principium ab Idolis patris ſui *Joaſi* ſumpſit. Horum aram, nocturni temporis uſus commoditate, ſubvertit: nemus aræ circumpoſitum, decem ſervorum adjutus operâ, ſuccidit. E diverſo autem, ſuper eandem petram illam, in cujus vertice prodigioſa flamã cibos in ſacrificium, atq; cinerem, converterat, Aram Numini vero ſuſcitavit. In ea patris ſui tauros duos immolat; frendentibus quidem, cum patre, domeſticis: & ad necem depoſcentibus autorem facinoris oppidanis, *Ephram* inhabitantibus; quippe qui diluculò ſtratum Idolum, everſam Baalis aram, exciſum lucum, & bovem alterum ſuper altari novo ſemiuſtum inveniſſent. Sed nihil indignatione ſua proficiebant; nam qui ſuperſtitionis illius ſtragem Gedeoni mandârat, DEUS: idem & ora, minásq; querulorum, injecto mentibus eorum metu, compeſcebat, ne quam ei vim adferrent.

Prodigioſa velleris humiditas & ſiccitas.

Gedeon aras idolorum paternorum evertit.

Igitur & oderant eum pariter, & reverebantur Ephræi cives: donec tempus incidit, cujus iniquitate per Gedeonem fortiter expediti, vertere metum in amorem, odium in virtutis admirationem cœperunt. Id tempus, belli fuit Madianitici; more ſuo recurrentibus in Palæſtinam evaſtatoribus illius, populis, trans Jordanem amnem colentibus. Centum ac triginta millia bellatorum erant, ex omnium barbarorum delectu conglobata. Ductores ſuorum quiſque populorum, & agminum, *Oribus* ac

Bellum Madianiticum.

Zebus,

Zebus, reguli Madianitidis: & *Zibeus*, *Salmanasárque*, gentis ejusdem Principes, sed nomine, dignitatéque regali præ cæteris eminebant. Gedeon evulgatô velleris prodigiô, tanquam omine victoriæ secundo, Hebræorum triginta duo millia contraxit, quos latè circùm *Arádi* fontis crepidinem collocavit: diverso tamen in exspectationem prælij, animorum habitu comparatos.

Displicuit DEO, qui gaudet in paucis ostendere potentiæ suæ vim, tot millium accincta multitudo; Qui propterea Gedeoni præcepit, ut per universa castra circummisso præcone, trepidis, & animi fluctuantibus, militiam remitteret, eósque Sacramentô relaxaret. Quâ discessionis copiâ cunctis factâ, castris, excessêre viginti duo millia militum, quos Gedeoni submiserant *Gaditæ*, Regionis Galaaditidis, transamnant incolæ. Post discessum Galaaditarum, cùm decem sola millia Gedeoni superessent, quæ centum ac triginta hostium millibus opponerentur: & jam hæc ipsa paucitas, nimia DEO visa, redigi jubetur ad numerum multò contractiorem. Experimentum autem, quinam Madianitis delendis idonei, capitur è diverso bibendi (quis non admiraretur?) ritu. Ducuntur, quo tempore cœli calor corpora militum, ac sitim imprimis accenderat, sub meridiē, ad Aradum fontem universi. Plerorumq; tam effrænis bibendi cupiditas fuit, ut poplitibus inflexis, & in fontem ore, corporéq; toto proni, frigidam intemperanter haurirent. Trecentorum verò solorum ea fuit sitis sedandæ moderatio, ut haustam volâ fontanam applicantes ori, canina potiùs consuetudine lambere, quàm more boū glutire deprehenderentur. Et hos trecentos solos pronuntiavit DEUS, usui sibi, Gedeoníq; futuros ad victoriam patrandam.

Gedeon jubetur copias imminuere.

Dimissis ergô reliquis, id solum ab eis belli subsidium postulavit Imperator, ut retentis ad incerta periculorum armis, partem utensilium, lagenas fictiles, tædas cerâ compactas, cornicinum tubas sibi relinquerent. Idquod ab eis, nullo negotio, impetravit. Copiam facularum ac hydiarum nactus, singulas singulis, è trecentis suis, cum tubis corneis ferendas dedit; quos insuper animavit omine, quod clàm de nocte captavit cum armigero suo *Phara* cum proximus stationibus hostium audiit narrari somnium à quodā excubitorum de massa panis hordeacei è monte *Gelbonæo* in castra Madianitarum, devoluta, cum strage tabernaculi prætoriani, cujus ruinâ hostilis exercitus clades, fuga, interitus pertendebatur.

Ex 30000. militum tantùm 300. Gedeon retinet.

Cum eo quem dixi manipulo, in tres centurias diviso, de nocte adversùs hostem profectus est; omissis, ut imperatum erat, gladiis, suam quolibet lagenam Semi apertam, cum face flagrante, manu læva: tubam altera manu capiente, ac præeunte Gedeone. Qui nocte intempesta, dispositis tribus circa hostium castra, à lateribus tergóq; centuriis, ubi silentium passim altum, & tam suorum

quàm

quàm hostium quietem immotam Dux animadvertit, primus ipse buccinâ pro fronte castrorum, classicum inchoat, & obliquè, luridèq; rutilantem ex hydria facem, Madianitis obvertit. Sequuntur vestigiô temporis trecenti, per omnem castrorum ambitum, tubis horrendùm clangentes: tædas semitectas hostilibus oculis ingerentes; ac vocibus indefessis tumultuando, *Gladium Domini, Gladiùmq; Gedeonis* ingeminantes. Excitati re subitâ Madianitæ, cùm densas inter tenebras, maligno tamen undiq; lumine tabernaculis intermicante, nemini de Gedeone pugnam ausuro, veniret in mentem: instantibus sine fine, modóq; tubis, clamoribus, tædis; nullâ non castrorum parte, tanquam ad formidabiles hostium copias, ex Arabia erumpentes, trepidabatur. Semisomnes igitur, semíq; nudi discurrunt; pars ad arma, jumentáq;; pars ad imperia capienda; quæ tamen nemo dabat; nemo, si darentur, præ tumultuoso tubarum sonitu, audiebat. Pleriq; quidnam agerent, aut omitterent incerti, nec stare sustinebant, nec fugam expediebant, non cessantibus inter hæc Hebræis formidinem barbarorum augere: præter ululatum tubarum, concussionémq; luminum, ac minaces conclamationes, etiam lagenas inter se mutuò complodentibus, non sine rauco è testis sonitu, & auribus ignorantibus horrifico ac funesto.

Madianitarum consternatio ex sonitu tubarum & concussione testarum.

Postquam autem & hydriæ singulorum, ad Gedeonis exemplum, sub unum temporis articulum, toto castrorum ambitu confringi sunt cæptæ: tum enimverò, tenebris horrorem densantibus, Madianitæ, ruere castra simul ac tabernacula, cùm machinis unà, cúmq; quadrigis, & utensilibus, & apparatu belli cuncto suspicati, trepidatione fatiscebant. Mox in lugubrem ululatum, ac fugam effusi, portâ, quâ cuiq; visum esset, proximâ, sese castris ejiciunt. In ipsa multitudine festinantium, inter se compressi, ad certamen tandem, & arma versi, quæ debuerant in Hebræos, hæc in seipsos tela, vulneráque, Numinis impulsu, densant: alternáq; se cæde, medijs adhuc in castris, conficere non cunctantur. Qui fugâ evaserant, inciderunt in manus eorum, qui nuper à Gedeone missionem acceperant; nam & canes timidi fugientibus instant; & Gedeon cum suis, hostium obviis instructus armis, fugientium cædere dorsa cæpit ac persequi. Ita factum, ut quidquid obvium esset Madianitarum, contrucidaretur. Inter quos fuerunt *Orebus* & *Zebus*; quorum alter in petra latitans: alter in torculari deprehensus, sine mora, clementiáq; jugulati; *Zebeus* quoq; & *Salmanasar* devia petentes, Gedeon assecutus, fratrum suorum, præteritis annis, intra Thaboris montis latibula se tenentium, interfectores, præcisis latronum suo gladio cervicibus, & publico satisfecit, & privato dolori nemine suorum amisso, nemine

Horrenda clades.

so nemine hostium servato. Tam immensa nimirum strage contuderunt Orientis opes, trecentæ confractæ testæ.

DOCTRINA.

FErax est salutarium monitorum, Gedeonis historia. E pluribus, quædam delibabimus. *Addideruntq; filij Israël facere malum in conspectu Domini, post mortem Aod &c.* Jud. 4. & Judic. 6. *Fecerunt autem filij Israël malum in conspectu Domini &c.* Et Psal. 106. *Clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur &c.* Et Psal. 105. *Citò fecerunt, obliti sunt operum ejus &c.* Euripo similes fuêre Judæi, fluebant, & refluebant; jam DEUM, jam DEOS colebant; toties bello castigandi, quoties emendandi. Et tam bonus est DEUS, ut calamitatum toties perfidorum miseratus, jam Baracum, jam Gedeonem daret, qui rebelles, & nihil tale meritos è manu hostium liberaret. Nos quoq; lusum hunc quoties ludimus? quoties ad ingenium & perfidiam redimus? Juvenal. Satyr. 13. *Israëlitarum in DEUM ingratus animus, & inconstans.*

Peccandi finem posuit sibi? Quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte pudorem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno
flagitio?

In flagellis infirmitas nostra teritur, & iniquitas non mutatur; Si DEUS exspectat, non corrigimur: Si vindicat, non duramus; Si ferit, clamamus ut parcat: Si pepercerit, iterum provocamus, ut feriat.

Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, &c. Jud. 6. Fuerunt apud gentiles celebratissimæ virgæ tres. 1. *Palladia*, seu Divina homines felicitans, de qua Homerus & Cic. lib. 1. officior. Altera *Mercurialis*, legationum & eloquentiæ Symbolum. Tertia *Circæa*, quarum contactu fingebantur consopiri homines, è juvenibus reddi senes, è senibus juvenes, ex hominibus pecudes, è pecudibus homines. Utinam Angelica hæc virga cordis nostri petram tangat, indéq; Zeli, charitatisq; flammam eliciat, quæ *carnales concupiscentias* consumat. *Angelicæ virgæ vis.*

Virgâ quoq; seu flagello Gedeon ex aristis excussit grana; ut intelligas, rebus duris animum ad virtutem: corpus ad militare robur informari. Nescio enim quomodo minùs mortem timet, qui minus deliciarum novit in vita Veget. 1. cap. 3. Symbolum conflabis è flagello Gedeonis & gladio, cum epigraphe: Hoc Excutit, hic percutit. *Symbolicum Gedeonis flagellum & gladius.*

Atq; purgaret frumentum. Quisquis in conscientiam suam diligenter inquirit, bonum à malo, triticum à paleis secernit; deniq; fiet *Gedeon*, hoc est, *Succisor iniquitatis*; qui & *Jerobaal* dictus, id est, *certans cum Baal*, cujus lucos succidit, aras evertit, idola commi-

 nuit;

nuit; quod fit per discussionem sui, quâ destruuntur idola, quæ quisque sibi in mente pingit, fingit, erigit; noxiæ scilicet cupiditates.

Vellus Symbolicè.

Expresso vellere, concham rore implevit. Iudic. 6. Ros in vellere, est Christus in Virgine. *Descendet sicut pluvia in* vellus. Psal. 71. Et Isa. 45. *Rorate cæli*, &c. Deinde Vellus Gedeoniticum, Symbolum est fortitudinis heroicæ. Hinc Iasonis, & Ordinis Equitum, auctore Philippo Bono, Burgundiæ Duce anno 1430. vellus aureum, epigraphe, *pretium non vile laboris.* Obtinendum quippe nec finè sudore, cujus imago: phiala rore plena; nec sine ope, gratiáq; divina; ros enim de cœlo depluit.

Cur DEUS paucis ad victoriam utitur.

Ne glorietur contra me Israël, & dicat, meis viribus liberatus sum. Ibid. Valet hoc ad contundendam mortalium superbiam, quorum bona magis voluntate DEUS utitur, quàm manu. *Quia non est difficile Domino, salvare vel in multis, vel in paucis.* 1. Reg. 14. *Elegit infirma Mundi, ut confundat fortia.* 2. Cor. 1. Per rudes Piscatores Orbem convertendo. Usurpares hîc illud Virgilianum.

Nos numero pauci, sed bello vivida virtus.

Non numerus sed animus in milite probatur.

Qui formidolosus & timidus est, revertatur Iudic. 7. Ne scilicet formidinem suam alijs affricet. Deut. 20. *Quis est homo formidolosus, & corde pavido? Vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.*

Audentes fortuna (imò DEUS) juvat, timidósq; repellit.
Æneid. 10. Et Luc. lib. 6.

Degeneres animos timor arguit.

Miles timidus, lepus est galeatus, cui nec in victoria decus est, nec in fuga flagitium. *Fuit itaque numerus, qui manu ad os projiciente, lambuerant aquas, trecenti.* Iudic. 6. „ Multitudo vires non habet, sed „ pondus. Senec. Et Quint. lib. 8. cap. ult. In agmine interdum „ duplex numerus, non duplex virium. Scitè monuit Synesius Epist. 79. Manibus opus est bello, non multis nominibus. Leonides cum trecentis Lacedæmonijs sese Xerxi objecit ad Thermophylas, vicítque. Mira probatio virorum fortium; quippe non timiditatem modò, sed mollitiem quoq; corporísq; indulgentiam, & intemperantiam abesse à bellatoribus oportet. Rectè Tacitus „ 2. hist. Degenerat à robore, ac virtute miles assuetudine volu„ ptatum. Si quid ardoris ac ferociæ habuit, popinis & comessationibus deteritur. Hoc maximè dicitur militi sub signis Christi, crucē præferentis, stipendia facienti. Disce præterea temperantiam; tanquam ignavi repudiati, qui totos se in aquam inclinârunt; animi cura *ergon* est: corporis verò, *paregon*.

Facta, non verba.

Quod me facere videritis, hoc, facite Iudic. 7. Brevi, sed efficax, adhortatio, quæ fit factis. Gedeon exemplis præivit. Facta, non dicta, vos milites sequi volo: nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à me petere. Lucan. 9. lit. de Catore. Ipse

Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes, monstrat tolerare labores,
Non jubet.

Et Actor. 1. *Primò cæpit JESUS facere,* deinde *docere.*

Dedit tubas in manibus eorum. Judic.7. Allegoricè,(factæ lagenæ, sunt facta, inq; cinerem) redacta fictilia corpora nostra nempe mortis meditatio; tubæ, memoria Judicij extremi; lampades, consideratio ignis tartarei; his superatur, criminum, mundi, dæmonúmq; exercitus.

Lagenæ, tubæ, faces Symbolicè.

NARRATIO XLV.

ABIMELECHI GEDEONIS FILII, CRUDELITAS ET INTERITUS.

Judic. 9.

Anno Mundi 2801. Ante Christum. 1252.

GEdeon optimi per omnia Judicis, seu Prætoris Hebræi, ac Ducis, functus officio, posteaquam & DEO constanter, & populi commodis utilissimè servisset: annis in prætura gentis quadraginta decursis, abijt è vitæ stadio. Quô vivis exemptô, Tribus omnes Israëliticæ desciscentes, unà cum filijs Gedeonis, quorum erant septuaginta, ad impura Jovis *Beli* seu *Baalis*, ceterorúmq; Deorum Sacra relabantur. Digni proinde, quibus Justitia DEI Vindex, peccati supplicium, suismet è visceribus excitaret: hoc est, Tyrannum, non jam alienigenam, sed domesticum & consanguineum.

Filiorum Gedeonis & Hebræorum impietas.

Erat inter filios Gedeonis *Abimelechus*, è matre *Sichimitide* genitus: & ob illipsum, quod mater conditionis inferioris uxor; (Gedeon enim erat polygamus, pro illorum temporum ratione) nec inter primarias fuisset habita, cæteris fratrum plerísq; posthabitus, utpote qui patris, matrúmq; nobilitate gloriari possent ex æquo. Quæ res homini, cæteroquin non ambitioso modò, sed etiam feroci, offensionúmq; tenaci, caussa fuit ad ultionem, decessu genitoris, explendam, & altiùs sese efferendum. Post justa igitur Patri soluta, simulat ad fratres cæteros, pietatis, officiíque caussâ, visendam sibi maternam esse domum: & *Ephrâ* (natali sede) *Sichimam*, præcipuam Ephrææ Tribus urbem, proficiscendum. Quò ubi pervenit, con-

Abimelechi vafra machinatio.

 ceptum

ceptum animo facinus invadendi regni, non dissimulanter effundit; haud multò post etiam vindictæ cruentam cupiditatem profusurus. Adjutores ei se præbuerunt, magno numero, materni sanguinis propinqui, homines factiosi, & novis rebus studentes. Horum consiliô, & operâ, depromitur pecunia ex fano Baalis, in conductionem, stipendiúmq; militis; nemine tamen ingenuo, aut viro forti, suíq; laris, nomen dante. Illecti nummis, ac spe prædandi lurcones, obærati, latrones, fures; quiq; rem domesticam luxu profligârunt: ac propter flagitia, patrijs expulsi terris, vitam inopem, vagámq; mendicitatem, ad incerta fortunæ circumferebant.

Abimelechus exercitum ex fæce populi contrahit.

Cum hac hominum fæce, suis armis instructa, è Sichimis Ephram versus movet; urbem nihil tunc minùs, quàm belli cogitationes alentem; ac potissimùm ab alumno, civéq; nil metuentem invadit. Quâ celeriter captâ, in domum paternam irrumpit, fratres rerum omnium securos, ac periculorum incogitantes comprehendit: & exceptô Joathamô solô (quem latebræ tantisper, Deíq; cura discrimini subtraxerant) in custodiam, catenásq; compingit. Deinde die dicta, productos in forum, dicere caussam ex vinculis cogit; varijs, iisq; potissimùm criminibus oppressos, quæ Sichimis nuper in eos per calumniam concinnârat, atq; congesserat: videlicet Jerobaalis, hoc est, vastatoris *Beli*, filios, fratres suos, quantumcúnq; nunc *Ephôdo* suo (Epomidi Sacrificali, artis raræ, pretiíq; à Gedeone, victoriæ, religionisq; monumento hæredibus relicto) Belóque, studere videantur: ipsa paterni nominis recordatione perpetua stimulatos; simulac dominari cœperint, in *Baalis*, ac simulacrorum excidium tota mente incubituros; eo ipso nomine se exosum ijs; effecturum se, si rei summa sibi à Sichimitis deferatur, ut non focis tantùm, sed aris, lucisq; optimè sit consultum; neq; verò salvam esse posse Rempublicam, quam totidem reguli, quot Gedeonis filij, in factiones distrahant; remotis æmulis, imperium uni tutò committi.

Abimelechi, adversùs fratres criminatio.

Illi miseri, cùm nec seipsos adversùs potentiam armatam, defendere satis possent; nec ab alijs, hostilitate perterritis, auderent defendi, capitis damnantur omnes: diéq; constituta, miserandô crudelitatis spectaculô trahuntur ad supplicium, à fratre fratres duodeseptuaginta. Supplicio locus deligitur (ô theatrum acerbum!) scopulus urbis Ephræ publicus, in summo plus latitudinis habens, quàm fastigij. Feriuntur securi post alium alius, in oculis civitatis illius, quæ patri Præturæ sedes, ac patria fuerat, Gedeonis omnes filij: nemine contrà vel manum; vel, quod minimum fuerat, os saltem ac linguam comovente. Adeò nec Ephræorũ quidem, nedum reliquorum ex Hebræis, ad patrocinij misericordiam

Abimelechus 68 fratres securi ferit.

ſericordiam, fraternus à fratre fundendus cruor quemquam inflexit. Non DEI memoria; cujus ope Gedeon, pater eorum, gentem univerſam in libertatem aſſerverat: non ipſius Gedeonis grata recordatio; cujus tuba, gladius, victoria, triumphus, & annorum quadraginta clementiſſima prætura, bonis omnibus Iſraëlem cumulârat. Cæde tam atroci perfectâ, Abimelechus Ephrâ Sichiman recurrit, & in Regem, reipſa Tyrannum, non ſine cæremonijs inauguratur. Exortâ brevi ſeditione civium, odiô tyranni corripientium arma; confligitur ante urbem; cæduntur magna ſtrage conjurati, Duce *Gaal*. Abimelechus urbem oppugnat, & fraude *Zebulis*, urbis præfecti, captam incendit: quódque incolarum in ea repertum eſt, nullo ſexûs, ætatísve diſcrimine trucidat; Salem per omnes paſſim urbis ruinas ac rudera ſpargendum mandat: ut Sichima, ne fundus quidem aliquando arabilis fieri poſſet. Confugerat magna vis hominum in arcem mœnibus conſertam, turritam & propugnaculis permunitam; cui Tyrannus circumpoſitis in orbem ingentium frondium acervis, primus ipſe ſubdere cæpit facem; exemplum Imperatoris ſtrenuè ſequentibus cæteris omnibus; humidâ ramorum materiæ, quantò maligniùs primò flammam concipiente, tantò ſpiſſiùs, copioſiùsq; flammarum fumum evolvente: donec ſpatio moræ, ventorùmq; flatu, convaleſcens tandem incendium, & ab imò volutum ad ſuperiora, arcem comprehendit, & abſumpſit. *Abimelechi crudelitas in Sichimitas.*

Hunc in modum Sichimitæ meritas DEO, & Gedeoni pependerunt pænas; nec ſua diu Tyrannum fata morata ſunt. Nam annô pòſt tertiô, *Theben* oppidum, Sichimitarum fugientium receptaculum oppugnare adortus; occupavit, ac diripuit. Urbe in poteſtatem redactâ, plurimi mortalium in turrim ſe receperant, ſitam in medio civitatis, & propter egregias ædificationes ac propugnacula, Arcis nomine inſignitam. Eodem non armorum modò, ſed miſiljum, ac fortuiti generis inſtrumentorum vim ingentem apportârant, quibus ſubeuntes oppugnatores arcerent. Certabatur igitur, hinc quidem telis & fundis, ac per catabultas adactis, pérq; tormenta molibus: inde verò regeſtis jaculis, ac devolutis in oppugnantes ſaxis; arborum truncis, ædium trabibus, aqua, glareáq; fervente: deniq;, quodcunq; defendendi ſui cauſſâ, telum ſors dediſſet in manum, aut deſperationi proximus furor oſtẽdiſſet. Fervebat æſtus certaminis: & inter certantes fortiſſimus, ac virtutis oſtentator Abimelechus, quærebat omnem capiendæ turris aditum. Poſtremò, cùm nihil ſuccederet, ad incendiarias ſuas cõverſus artes, propiùs portæ ſuccedit arcis, aggeſtíſq; virgultis, ſubdere facẽ conatur, ad Turrim unà cùm inſeſſoribus inflãmandam. Hæc molientẽ, una ex propugnatricibus conſpicata, fragmen *Abimelechus à femina, lapide ſternitur.*

molæ

molæ lapideum deijcit? hominémq; craniô confractô prosternit. Ille cerebro defluente, mistum sanguinis rivum advertens, nec auctorem vulneris ignorans, in ea mortis necessitate, mandat ex armigeris uni, proximè stanti, ut se ferrô conficiat, mortémq; jam cæptam absolvat, ne cædis gloria manui muliebri tribueretur. Ita mortis dedecus parricidiô propriô geminavit, & fædam animam Tartaro transmisit.

DOCTRINA.

Lapis Abimelechum opprimens, talionem rependit.

MEritò sic cecidit, qui dum viveret, turpissimis vitiorũ monstris subjacuit; nimirum furori mentis, simulationi pietatis, fallaciæ, dolis, criminationibus, ambitioni, mendacijs, immanitati, sitíq; fraterni sanguinis; adhæc oblivioni cæli, desiderio rerum fluxarum, violentiæ, rapinis, & summæ scelerum, idololatriæ. Tot jam pridem animi propudijs subactus, erubescere non debuit, à lapide, feminæ manu jacto, semel occumbere. Saxum, quod olim utiliter in molis trivit fruges, utiliùs longè, cúmque Boni Publici commodis obtrivit hominem, non frugi; Suíq; jactu sapiens ac justus lapis, ultus est erectos Dijs profanis lapides in impias aras, atq; victimas: ultus est altarium *DEI Veri* subversa Saxa: & feralem illum lapidem, in cujus theatro nefarius parricida fratrum duodeseptuaginta lanienam instituit. Lapis igitur *talionem* rependit: ut agnosceres, JUSTITIÆ DIVINÆ, non mulieris, fuisse dextram illam, quæ jactu tam perito caput noxium elisit.

Fecitq; ex eo (aurô, ex inauribus ceterísq; hostium ornamentis conflatô) *Gedeon Ephod* (amiculum humerale pro Sacrificijs cum reliquo Sacrorum apparatu) &c. Judic. 8. *Et factum est ei, et omni domui ejus in ruinam.* Nam cùm eum ornatum Legitimo Numini dedicatum, filij verterent in Baalis & idolorum cultum; eam ob culpam tota Gedeonis posteritas excisa est. Adeò exitiale est, res DEO Sacratas, in profanos usus transferre. Deinde, multa nos sæpe rectè sentimus; nec perperam agimus: quæ postea tamen, alienâ malitiâ, rapiuntur in transversum. Præterea, salubriter destinata, malum exitum sortiri possunt, si in pravam voluntatem detorqueantur: haud minùs, ac dulci de flore sugi pro melle, virus solet, postquam api depulsæ, succedere cæpit araneus.

Abusus rerum Sacrarum.

Quàm vana spes & gloria parentum in liberis! Et septuaginta Gedeonis filijs, nemo patri successit in principatu. Et quoties, heroum filij sunt noxæ! Religiosissimus parens, filios post se reliquit: Idola sectantes. Reputanti mihi ait in Severo, Spartianus, neminem propè magnorum virorum optimum ,, & utilem filium reliquisse, satis claret. Deniq; aut sine liberis ,, viri interierunt, aut tales habuerunt plerìq;, ut melius fuerit,

Heroum filij noxæ.

de

., de rebus humanis sine posteritate discedere. Idq; exemplis confirmat. Sed hæc pœna idololatriæ fuit.

Superbiæ & Ambitionis genius, exemplum sui in Abimelecho dedit; est enim præceps, amens, audax, novarum rerum cupidus, veterem exosus Religionem, novos amplectitur ritus, novósq; DEOS; sceleri virtutem prætexens; in proprium etiam sanguinem crudelis. *Genius superbia & ambitionis.*

Habes etiam in hoc fratrum, & civium parricida, imaginem Tyranni; sub quo fuit sanguinarium initium, processus atrox, feralis exitus. Ingressus est in dominatum, ut vulpes, regnavit, ut leo, mortuus, ut canis, non baculo, sed lapide percussus. ô quàm *Tyrannorum supplicium.*

Multos timere debet, quem multi timent!

Ad generum Cereris, sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni. Juven. Sat. 10.

Et verissimum illud: Nullum violentum, diuturnum. Triennium tenuit Abimelechi tyrannis. Quàm rectè Thales; rogatus, quid rarum in humanis vidisset, respondit: *Tyrannum senem.*

Misitq; DEUS spiritum pessimum inter Abimelech, & Habitatores Sichem. Judic. 9. Ita est. Virtus ut ipsa sibi, merces est, ita scelus, pœna. Sichimitas ubi puduit, pœnituítq;, se, rémq; suam plublicam parricidæ permisisse, torquente reos conscientiâ, mutuis odijs, & discordiâ conflictati, ferrum in se Tyranni verterunt. Nam quæ pax sit impijs? aut quæ fides, Gedeonis & religionis proditoribus? Videlicet ad extremum nequitia seipsam perdit & magnam veneni sui partem bibit. *Merces perfidia.*

Tyrannidis indolem eleganti apologo expressit *Joathamus*, (quem diximus, ex omnibus Gedeonis filijs, unicum, crudelem Abimelechi manum effugisse) quô Sichimitis exitium intentat, ac pronuntiat, quod Tyranno imperium commiserint. Non secus, ac si olea, fico, vite, lignis fructiferis (id est, viris bonis) principatum recusantibus, Rhamno, seu rubo summa rei crederetur, qui cum sit spinosus frutex, & sentibus plenus, tenet quidquid attigerit, & retentum vulnerat, quasíq; delectatur vulneratorum sanguine. Et is tamen umbrã, protectionem, securitatem polliceri non veretur; cùm sub eo confidentibus, nec brachium porrigere liceat, nec corpus commovere, quin spinarum aculeis compungaris, quod tyrañorum ingenium est; qui si non fiant omnia promptè, quæ præcipiunt, excandescunt, & iram non in vulgares tantùm homines, sed in primores etiam, qui per cedros libani significantur expromunt. Vide c. Jud. 9. Symbolum igitur tyrañidis est, rhamnus, in speciem arbusculæ, aculeis horrentis, dilatata, in apice flamam spargens, sub eo homo sedens complicatis brachijs. Cùm lemate: *Cave umbram* vel: *quos protego, lacero.* vel: *quos inumbro, comburo,* vel: *Si te moveris.*

NARRA-

NARRATIO XLVI.

RVTHAE MOABITIDIS AD CULTUM DIVINUM TRADUCTIO, ET FELICES NUPTIÆ.

Lib. Ruth

Anno Mundi 2810. Ante Christum. 1243.



AEquum est Divinæ manum exosculari Providentiæ, sive mitiorem se nobis præbeat, sive austeriorem. Meruerunt Abimelechi, & Sichimitarum, præ alijs, flagitia, omnem ut Chananitidem novum flagellum, fames scilicet, castigaret. Quia tamen multorum innocentia, calida mittebat in cœlum suspiria; ita Justitia Divina strinxit virgam, ut ei frondem olivæ innecteret Misericordia. Sterilis Palæstinæ squalor, felicitatum omnium Copiæ Cornu, Messiam, acceleravit.* Ejus rei narratio hæc est.

Fames Elimelechum cum familia in Moabitidem expulit.

Terram nuper melle, lactéq;, & rerum omnium ubertate manantem, immissa cœlitus fames afflixit adeò, ut multis, si vitam vellent conservatam, non modò solum natale vertendum, sed dum Saluti corporis consulitur, animi discrimen esset subeundum, apud gentes à vera Religione alienas. Inter eos, civis quidam fuit Oppidi Bethlemij; (quod tametsi ob agrorum fertilitatem Domus Panis appellaretur, adeò tamen exhaustum erat frugibus, ut necessitas incolas adigeret ad alias sedes quærendas) nomen ei *Elimelechus*; vir lautis, dum terra favebat, opibus; nunc communi pressus malô, cum uxore *Noëma*, geminisq; filijs, *Mahalone* & *Chelione*, in Moabitidem concedere coactus; non diu pòst, extremum peregrè diem obijt. Filij cùm non incommodè habitarent inter Moabitas, fixerunt domicilium in Arabiæ (cujus pars est Moabitis) urbe principe, quæ *Petra* dicebatur, ob loci Situm, circumquaq; rupibus ac præcipitijs munitum; (Sunt, qui opinentur, esse hodiernam Turcarum *Mecham*, ubi detestandum Mahometi sepulchrum visitur) ibi duxerunt uxores, gentilitatis tenebris involutas, quarum alteri nomen *Orpha*, alteri *Rutha*

Intra decennium mors utriusq; maritum extinxit; uni tamen nuruum, religionem & salutem dedit, socrui patriam reddidit.

dit Noëma quippe, cùm nihil esset, quod ipsam ultra extorrem à patria retineret, non filij, non maritus, non frugum inopia, desideriô natalis soli, & avitæ religionis, destinat revisere Chananitidem; offerunt se viæ comites, nurus. Illa, cùm nesciret, quô locô res essent domi suæ, suadet, ut remaneant in patria, neque incertum in eventum, miseram socrum cupiant sequi; distringebat nimirum animum piæ matronæ, religio, quæ vetabat alienigenas feminas, superstitionis irritamenta, in fines Hebræos, thalamósq; inducere; quòd si verò melior de cœlo mens eis injecta esset, putabat constantiam difficultate admissionis experiendam. Quare benè precata ambabus, osculum benevolentiæ impertit, & collaudatas ob fidem & amorem erga maritos, abs se dimittit. Quò suavior valedictio, hòc ægrior accidebat divulsio; quare ne mutuò disjungerentur, multis lacrimis institerunt. Sed ut feminarum mutabiles sunt in utramq; partem impetus, cessit *Orpha* Noëmæ hortatui, & patrijs in laribus, superstitionéq; à qua socrus eam abductam mallet, permansit. *Rutha* verò, certa Noëmam non deserere, negat ab ea se recessuram, sed communem potiùs patriam, comunemq; DEUM habituram.

Altera nurum cum Noëma in Judæam se confert, altera remanet in patria.

Reditur igitur tempore, quô Thola præturam gerebat, in Chananitidem, ínq; *Bethlemum* oppidum, patriam Noëmæ sedem; (quæ *Ephrata* quoq; appellatur) excipiuntur perhumaniter, cum vicinarum gratulatione mulierum, quam tamen haud parùm temperavit Noëmæ luctus, marito, filijs, fortunis in decennali exilio viduatæ. Cogebat itaq; paupertas Rutham, jam Sacris Judaicis initiatam, deciduas post demessam segetem spicas colligere. Et ecce, non tam fortuna, quàm DEI voluntas tulit, ut spicilegium institueret, in agro cujusdam viri opulenti, appellatione *Boozi* Bethleemitæ civis, & Elimelecho consanguinitate juncti. Qui animadversa puellæ sedulitate & diligentiâ in colligendis spicis hordeaceis, blandiùs cum illa agere cæpit, factáq; non legendi tantùm, sed metendi quoq; gratiâ, insuper ad messorum prandium advenam invitare. Tantæ comitatis argumentô, magis accensa puellæ modestia, verbis, factísq; gratæ, demissæq; mentis specimen, reponere; uti liberalitate viri, interq; ancillas metentes quotidiana consuetudine discumbere. Ingenuus puellæ, quamquam peregrinæ, pudor, omnium sibi animos demerebatur, ut bona eorum veniâ non modô cibi, (polentæ seu farris tosti,) reliquias seu apophoreta, quotidie domum ad Socrum; sed hordeaceum quoq; manipulum reportaret; quem vesperi cùm excuteret virgâ, tres omnino modios extrivit, quinorum pro utráq;, dierum annonam.

Rutha apud Boozum ejusq; messores gratia.

Messe peracta, Noëma nurui suæ, cujus virtutem abundè

probârat, de honesto conjugio prospectura, auctor est ei, ut cultiore (quantum ferebat fortunarum tenuitas) ornata vestitu, ad dormientem in area, sub dio, Boozum, clàm per tenebras adreperet, séq; ad pedes hominis abijceret. Esse virum illum sibi propinquum, esse provectum ætate, sine uxore, sine liberis. Rutha pro simplicitate ejus ævi, proq; obsequendi studio, morigeram se præbet consilio. Boozus de Somno experrectus, ubi mulierem nocte sublustri conspexit, didicítq;, quænam esset, quídq; peteret; tacuit ille tum quidem, & se iterum sopori permisit. Manè summô, priusquam famuli ad opes surgerent, excitatam, jussit hordei, quantum ferre posset, capere, & ad socrum reverti, spe facta conjugij, nisi esset, qui pro jure propinquitatis arctioris, eam ex lege duceret, & Sobolem defuncto Mahaloni marito suscitaret. Cùm verò Boozo, & possessio agrorum Elimelechi, & Ruthæ matrimonium legitimè cederetur; publica contestatione & congratulatione omnium contractæ sunt nuptiæ; quarum nobilissimus fructus annô pôst extitit, natus filius, nomine *Obedus* ex Obedo prognatus *Jesse*, ex hoc *David*: ex Davide, per Successionem Progenitorum, CHRISTUS JESUS, MESSIAS, perditæque salutis REPARATOR. Sic paupertas non bonas tantùm artes, sed seculorum omnium felicitatem éxtudit.

Boozus Rutham sibi matrimonio jungit.

DOCTRINA.

Exemplum Prædestinationis Ruth: reprobationis Orphæ.

ORpha osculata est Socrum ac reversa est, cap. 1. lib. Ruth. In hac historia (inquit noster Ludovicus de Ponte, initio Tractatûs primi cap. 1. de perfectione hominis Christiani) abyssus continetur *Prædestinationis*, *Vocationis*, & *Justificationis* Ruth; *Reprobationis*, verò, damnationísque Sociæ ejus Orphæ, culpâ suâ. In qua re locum habuit, quod dixit ipse Salvator noster. Matth. 24. *erunt duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur*; in mola enim infidelitatis erant hæ duæ mulieres, quarum altera assumpta est, & electa ad cœlum; altera relicta, ut iret ad infernum. Id jam antè cecinit Prudentius, in Hamartigenia seu Origine Peccati:

En tibi signatum libertatis documentum,
Quod voluit nos scire DEUS, quodcunq; sequendum est,
Sub nostra ditione situm: passímq; remissum
Alterutram calcare viam.
Aspice Ruth generis Moabitidis, & semel Orphem,
Illa socrum Noëmin fido comitatur amore,
Deserit hæc &c.

Virtutes Noëmæ.

Io Noëma elucet multiplex virtus. 1. Constantia in vero DEI cultu, etiam cùm in idolatrarum regionem extrusa. 2. Zelus, dum

dum ad eundem cultum, nurum suam Ruth adduxit. 3. Prudentia, dum tam peritè hujus exploravit animum, & confirmavit. 4. In adversis, asperísq; rebus tolerantia, maximè in fame, egestate, & quodam quasi exilio. 5. Patriæ amor: dum ad illam vetula jam, & decrepita redire voluit. 6. Sapientia in Rutha conservanda, dirigenda, & ad felicissimum tandem connubium provehenda, è quo Salus Mundi, Terræ gaudium, cœlorum lætitia, Christus JESUS prognatus est.

Multarum quoque laudum est Rutha speculum. 1. amoris observantiæ, fidelitatis erga socrum, quâ patriam cum extera regione, domesticam religionem cum peregrina commutare non dubitavit. 2. Demissionis animi, laboris, industriæ in colligendis hordei spicis. Nimirum labore non opes tantùm, sed & virtutes parantur. Verè Salomon Prov. cap. 12. *Melior est pauper sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane.* Multi namq; malunt domi esurire, foris splendere; unde splendida paupertas. 3. Frugalitatis, & abstinentiæ, dum parvo contēta, naturæ desiderijs, polentâ, messorum cibô, satisfecit. 4. Officiosæ Charitatis erga socrum, cui quotidie apophoreta tenuis mensæ in cænulam afferebat. 5. Modestiæ & prudentiæ in benevolentia Boozi concilianda. 6. Constantiæ, nam Ruth cap. 2. *Collegit in agro usq; ad vesperam, & quæ collegerat; virga cædens & excutiens.* Constantiæ monet pertinax hic labor, & exigendæ ab animo actionis sub serum vesperum. Dicta, cogitata, facta diei sunt in manipulum colligenda, & collecta diligenter excutienda. Matrimonialis pudicitiæ, & conjugalis fidei; dum non tantùm pia fuit in virum viventem, sed etiam in mortuum, allaborando ut sine liberis defuncto Successor familiæ suscitaretur per matrimonium cum propinquo, quanquam imparis ætatis; cùm domi suæ potuisset Juvenibus nubere. Hinc. cap. 3. *Benedicta es à Domino filia &c. quia non es secuta Juvenes pauperes, sive divites.* Propter has aliásq; virtutes, meritis eam laudibus afficiens Boozus, Ruth. c. 3. ait: *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Viraginem scilicet strenuam, sedulam, laboriosam, industriam. Ecce quid virtus possit, quæ puellam peregrinam, advenam, tam citò omni populo comendavit. *Virtutes Ruthæ.*

Boozi laudes. Jam Boozus quoq; varia meretur encomia. 1. Ob curam rei æconomicæ, dum sua ipse prædia, & operas revisit 1. Plin. lib. 8. c. 6. Majores, ait, fertilissimum in agro oculum ,, domini esse dixerunt. Et Aristot. lib. Oeconom. Optimum agro- ,, rum stercus inquit, sunt domini vestigia 2. Ob liberalitatem & humilitatem in pauperem, & peregrinam puellam. 3. Ob frugalitatem & duritiem vitæ, dum vir potens & locuples sub Jove fri-

gido, substratô hordei manipulô, somnum capit. 4. Ob insignem castitatem, qui Rutham ætatis floridæ puellam, ad pedes cubantem, contingere non sustinuerit. 5. Ob legis divinæ observantiam, qui uxorem duxit alienigenam, pauperculam, non libidini, sed fidei: non delectationi, sed religioni: non voluptati, sed justitiæ & charitati, ad suscitandum semen cognato sanguini.

Unde malitia liberorum.

Et verò, quales parentes, talis erat partus, id est, optimus, & parentibus aliquando obsequijs suis, baculus senectutis futurus, nam *Obed* idem est, quod serviens, sustentans, sublevans. S. Chrysost. homil. 1. in Matth. subditum interpretatur. Audiamus Sanctum Patrem: Talis, inquit, Booz ex tali conjuge Ruth, „ qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur, subditus. „ Nunc autem qui divitias eligunt, & non mores: pulchritu„ dinem, & non fidem; & quod in meretricibus solet quæri, hoc „ in conjugibus optant: propterea non generant filios subditos „ vel sibi, vel DEO, sed contumaces & contra se, & contra DE„ UM; ut filij eorum, non sint fructus justæ conjunctionis eorum, „ sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum. O felicem igitur „ Rutham! de qua Abulensis illud Isaiæ 16. explicat: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion.* Nimirum intelligebatur de Messia, qui futurus erat de filijs David: & ipse David futurus erat de stirpe Ruth, quæ oriunda ex urbe Moabitidis, quæ vocatur *Petra Deserti.*


Felicitas Ruthæ.

NARRATIO XLVII.
IEPHTES HEBRAEORUM PRAETOR IX. UNIGENAM FILIAM SACRIFICAT

Judic. cap. 11.

Anno Mundi 2850. Ante Christum 1203.

Hebræorum inveterata malitia, & repetita clades.



Contrita sæpius bellorum calamitatibus Hebræorum idololatria, identidem vitiosa de radice, velut herba mala repullulavit. Cùm DEUS extenderet manum, facienda promittebant: cùm suspenderet gladium, promissa non solvebant. Iterum iterum Ammonitarum armis vicenniô totô oppressi, ultima quæque exspectabant. Ubiq; luctus & clamor, DEUM in auxilium, rebus

rebus afflictissimis, vocantium. Certamen videbatur susceptum, nunc Justitiam Numinis detestandis defectionibus provocando: nunc Clementiam, coactis tot calamitatum tempestate lacrimis, sollicitando. Supplices igitur prostrati humi coram Fœderis Arca, exterminatis idolis *Baalis* (seu Jovis Beli) & *Astaroth* (seu Astartes sive Veneris) non antè desistunt pulsare cœlum precibus, quàm misericordiam everberarent, toties *Confitentes Rei*.

Reconciliatô per supplicia Numine, cæptum est humanis de auxilijs consultari. Deliberantibus igitur de strenuo belli Duce, nemo omnium visus est potior *Jephtâ*, Galaadite, è tribu *Gad*, quem fratres, quòd è Concubina susceptus esset, hæreditate paterna, domòq; depulerunt. Eum tamen virtus reddidit illustrem, & frequentes de Ammonitis & Philisthæis relatæ prædæ, quos cum armata militum, eandem Fortunam sequentium manu acriter infestabat. Is ergò cùm crebris jam antè velitationibus incursantes Ammonitarum latrunculos ita compescuisset, majoribus ut copijs, & auctoritate videretur muniendus, summæ, rei militaris præficitur. Cùm verò nollet nisi vim vi pulsurus ad arma venire, missis ad hostes legatis, sperabat litem, quæ Ammonitas inter & Galaaditas ob confinia intercedebat, sine sanguine componi posse. At illis mitiora spernentib' consilia, suúmq; jus in ferro ferentibus, Jephtes pro Bono publico, patriæq; libertate, justas in iras surgit: animos addente non tam insita alacritate, quàm altiore, de cælo, virtute. Ante alios Hebræorum, Galaaditas, populares suos, ad arma vocat; quorum cùm validam contraxisset manum, bellum translaturus in hosticum, movet in Ammonitidem; conceptô priùs votô, se, si victoriâ contingeret potiri, hostiam DEO mactaturum, quod animalium victori sibi, lares domesticos repetenti, primum occurrisset. O mentes hominum futuri improvidas! erit, cùm volet, sapientiùs optâsse, & vovisse Jephtes. Itur in hostem, pugnatur acerrimè, funditur, fugatúrq; Ammonitarum exercitus, manubiæ hostiles, & urbes complures capiuntur; jacent ingenti postrati clade, & jam de dominatu desperant suo, qui libertatem perditum ibant alienam,

Iterum DEUS propitiatur.

Jephtes in Ducem eligitur.

Votum Jephte.

Sternuntur hostes.

Lauros Victori & libertatis Vindici, gratulantium voces ubiq; personant. Patria se Patri suo effundit in occursum; jo triumphe! debellatori hostium occinitur; in plausum victoriæ sexús omnis & ætas venit. Dux ipse Jephtes jactata per ora populi vota, gratus DEO, tanti gaudij Datori remittit. Iámq; triumphali pompâ in urbem *Masphan* invehebatur; cùm ecce; ô triste spectaculum! tecta subituro parenti, obviam se primò omnium fert filia, in qua virtutes cum forma certabant, spes una, & lux familiæ; dux ipsa virginei

Occursus unigenæ filiæ.

chori, festo tympanorum sonitu, Patri, Libertatis Hebrææ Assertori victoriam gratulatur; Dianam diceres inter comites, velut Lunam inter sidera minora gradientem:

natat ignis in ore
Purpureus, fulvóq; nitet coma gratior auro.

Ad occursum tam insperatum quò se verteret afflictissimus genitor? utrius magis pœniteret illum, victoriæ, an voti? triumphus abit in luctum; epinicium in næniam. Atonitus primùm crudelitatem voti sui damnabat; exin revocatô in mentem Abrahæ filium immolantis exemplô, in ejus imitationem æstuabat; rursus impiam pietatem abhorrebat; mox, quid DEO deberet, recurrebat; sed reclamabat natura. Ita secum ipse luctans, & altos pectore gemitus premens, tandem collecto fortiùs spiritu; Vicimus, inquit, vicimus filia, sed tuo sanguine, & cum dicto, vestem in geminas scindit partes. Nec moratus, niceteria canenti, funus indicit: nuncupati religionem voti exponit, non alio, unicæ nisi filiæ Capite exsolvendam. Hîc puella, nescio, promptior an obsequiô; an durior imperiô pater; contra nihil obtendere, nihil errori voventis opponere, nihil deprecari. Hoc unum petere, lessum ut liceat prævertere; indulgeret parens bimestre non ampliùs spatium, quo juga montium cum Sodalium choris obeundo, & suæ virginitati sine prole morituræ, & parentis orbitati, hærede cariturì, vivo funere parentaret. Obtinuit, quod rogabat; neq; enim decebat, statim, quasi amentem in arenam descendere, in gladium ruere, in flammas insilire; sed temporis & judicij maturitate in scenam tam insolitæ tragœdiæ prodire.

Affectus in parente.

Filiæ fortitudo.

Interea dum in luctu duo menses abeunt motus Ephraimitarum, unius è duodenis Hebræorum tribubus, intervenit; nimia gloriæ cupiditas, & rerum à *Galaaditis* gestarum invidia stimulabat animos, ut superbè expostularent cum Jephte, quòd ad belli Societatem vocati non essent. Cujus mollibus responsis cùm convitia & atroces minas illi reponerent, res ad manus venit. Victi sunt *Ephraimitæ*, qui transito Iordane bellum ultro intulerant. In fuga repetentes eadem littora, ignoratio tesseræ militaris prodidit, & perdidit; à Galaaditis quippe intercepti, sese *Ephrataos* metu mortis negabant. Unica Syllaba fraudem aperuit; *Scibboleth* (Latinis spicam) aspiratè pronuntiare nequibant; sed blæsa voce *Sibboleth* dicebant; quare mox apprehensi, jugulati, ínq; profluentē abjecti, mentis elatæ, & intemperantis linguæ pœnas dederunt, cæsis non minùs quadraginta duobus hominum millibus.

Ephraimitarum seditio gravi clade repressa.

Cæterùm elapsô, quod dixi, temporis spatiô, Iephtias (quam *Seilam* vocatam aiunt) pari fortitudine, quâ nuntium subeundæ mortis acceperat, è montibus ad urbem revertitur,

ad

ad patrem filia, ad aram victima; quam nec fletus æqualium movit, nec dolor inflexit, nec gemitus retardavit, nec fefellit hora. Procumbit in genua, devota Numini hostia, vultúq; in hilarem mortem composito, dat accipítq; supremum â patre osculum, nudat virgineum collum, præbet cervicem interrita: excipit ferrum in pietate crudele. Decusso vertice, saliens è vulnere sanguis stridet, facundus sine lingua testis & orator, quousq; se expórrigat obsequium patri, patriæ, DEO debitum. Inde corpus exanime, recompositum cum capite, collocatur in rogo, ad id exstructo, & in holocaustum concrematur, cinere in urnam illato. Exinde mos inolevi, ut puellæ Galaadinæ non tam tristissimi funeris, quàm præclarissimi facinoris memoriam quotannis iterarent, lugubres nænias, & carmen exequiale quadriduò canentes, mixtis planctui encomijs Jephtiadis imolatæ. Sunt, qui votum hoc Jephtæ, factúmq;, impietatis & crudelitatis damnent. Sunt, qui præposteram viri militaris religionem, ob ignorantiam absolvant. Sunt deniq;, qui laudibus efferant Sacrificium, à DEO inspiratum, in prototypon illius, qui olim, non pro aliquo terræ angulo, qualis Palestina fuit, sed pro totius salute Mundi, vitam erat, sanguinémq; daturus. Certè potuit Jephtæ obijci illud: Turpe est in re militari dicere: NON PUTARAM. Et fortuna (imò DEUS) plerúmq; eos, quos pluribus beneficijs ornavit, ad duriorem casum reservat.

Jephtiadis excelsus animus.

DOCTRINA.

VErosimilius, inquit noster Cornelius à Lapide in cap. 11. Judic. est, votum Jephtæ fuisse illicitum, & impium, quod contra jus omne, naturæ, divinum, humanum, mactârit hominem, imò filia Potest tamen excusari. 1. Ob ignorantiam & ex inconsultum Religionis Zelum. 2. Sperabat, ut indicat Augustinus, si Sacrificium DEO gratum non esset, id impeditum iri, exemplô Abrahamici. 3. Credebat bonæ Virginis animam Piorum sedibus receptum iri. 4. Putabat, nisi votum expleret, ejus rei supplicium toti reipublicæ, cujus erat peramans, luendum fore. 5. Voti sanctitatem metiebatur eventu; nam si Displicuisset DEO, victoriam relaturus non fuisset. Quidquid sit, verè pronuntiavit Ecclesiastes cap. 5. *Displicet DEO infidelis, & stulta promissio*. Huc pertinet illud Mercurij Trismegisti ad Statium „ apud Stobæum, sermon. 11. de veritate. Siquidem, inquit, „ inter homines, tres extant caussæ, propter quas pollicita vio- „ lant, & mentiuntur. Aut enim statim à principio quispiam ali- „ quid per fraudem dicit: aut ejus, quod dixit, postea ipsum pœ- „ nitet: aut ad perficiendum invalidus est factus. Ex his primum „ est pravæ voluntatis; alterum imbellicis judicij; tertium infir- „ mæ facultatis.

Votum Jephtæ aliis probatur, aliis improbatur.

Sed

Cur permissa à DEO cædes Jephtiadis.

Sed cur DEUS permisit mortem Jephtiadis? 1. Ut esset figura clarissima Christi, pro nobis necem subituri. 2. Ut splendesceret magis Jephtæ fides, & summa erga DEUM religio. 3. Ut pariter virgunculæ tenerrimæ, in patrem, patriam, Deúmq; pietas, & animi magnitudo, velut speculum Orbi terrarum prælucceret. 4. Ut omnes intelligerent, quàm accuratè, diligenter, inviolatè, quæcunq; vel consiliô bonô, vel divino monitu & instinctu essent vota, DEO reddenda.

NARRATIO XLVIII.

SAMSONIS DECIMI TERTII HEBRAEORUM JUDICIS SEU PRÆTORIS, MIRA FACINORA.


Samson ad profligandos Philisthæos natus, ætatis anno vicesimo, in fortitudinis rudimentum, leonem inermis discerpsit; ac postea, asini maxillâ, quasi Herucles clavâ, mille hostes mactavit: *Gazæ* obsessus, portas urbis non modò repagulis emovit, sed & humeris, quasi victoriæ ferculum detulit. At vir tantus impingens in scopulum, amatâ Dalilâ, prostituti corporis feminâ, (adeò difficilius est continentem esse, quàm fortem) atq; arcanô, de crine, detectô, captus, illusus, excæcatus à Philisthæis, in pistrinum vilissimi bruti instar adactus, pænas amoris impuri dependit. Morte tandem suas, divinásq; ultus injurias, excussîs columnîs, dejectô tectô, contrivit omnes hostium principes, quadragesimô ætatis annô. Vidit licet cæcus, se gloriosiùs mori non posse. Hæc de heroë, compendiô. Mox Robur, Captivitatem, Interitum, tribus narratioibus distinctiùs referemus.

ROBUR

ROBUR SAMSONIS

Judic. 13. 14. 15.

Annis Mundi 2880. 2881. 2882. 2884. Ante Christum 1173. 1172. 1171. 1169.



Sraëlitæ legum ac beneficiorum DEI, sicut sæpius ante hac, rursus obliti annos admodum quadraginta, postquam à Jephta, hostili oppressione liberati sunt, vectigales Philisthæis, idolorum, & Palæstinæ (regionis, quæ secundùm littus maris Phænicij extenditur, quinq; insignioribus urbibus inclytæ, nempe *Gethâ, Accarone, Azoto, Ascalone, Gazâ,*) cultoribus, Assertorem libertatis suspirabant; quem DEUS nullis populi mali bonîs meritîs, sed suapte benignitate provocatus, submisit. Fuit is Samson, natus Patre *Manuë* viro de Tribu *Dan* qui à puero Nazaræorum instituta, Angeli monitu, sectatus, vino, & quavis alia inebriante potione, juxta legem abstinebat, intonsilémque cæsariem alebat, in qua roboris à DEO concessi erat innexa gratia.

Adultioris jam ætatis, nactus annos, multa, memorandæque Fortitudinis suæ documenta præbuit. Primùm enim omnium ad vineas oppidi Philistinorum *Thamnâta*, catulum leonis, jam prævalidum, &. insano rugitu, ferociam suam professum; obvium prior occupavit: rictúq; comprehensum, frustatim discerpsit: ídque nudis, & armorum omni præsidiô destitutis lacertis. Cujus ipsius feræ palatô, jam exanimatô, paucis pôst diebus, examen apum insedisse, casû deprehendent: favum mellis inde raptum partim absumpsit ipse: partim parentibus, viæ comitibus, impertijt. Inter epulas deinde nuptiales, quas Thamanatæa cive ductâ (nam inter Judæos, & Philisthæos, tributaria servitute contentos, commercia miscebantur) coævis suis apparârat, ænigma triginta convivis proposuit in hæc verba: *De comedente exivit cibus, & de forti* (leone scilicet) *egressa est dulcedo* (mellis) Solutionis pactô, totidem ut eis subuculas lineas, & tunicas superiores deberet. Sin', ipsi eadem conditione pactionis tenerentur. Cùm quatriduô frustra in eo nodo solvendo laborâssent, jámque dies septimus illuceret, & nuptiarum festivitati, & Oediporum moræ finem impositurus, Samson importunis novæ nuptæ blanditijs, & querelis victus, arcanum ei problematis aperit; illa pro genio muliebri convivis, minaciter id exigentibus patefacit; explicatur œnigma; Samson fit reus promissi præmij; quod ut dependeret, inicitante spiritu descendit Ascalonem, maritimam Philisthinorum urbem. Ibi, seu provocans ipse prior,

Fortia facinora Samsonis.

Catulum leonis interficit.

Problema de interempto leone.

Triginta Philisthæos necat.

seu (quod vero similius) à barbaris per contemptum servitutis provocatus: triginta Philisthæos interficit; ac spoliatorum vestimentis, Thamnatæo contubernio debiti sui fidem exsolvit. Cùm autem nuptijs jam perfectis, Samson cum parentibus, negotiorum caussâ, domum paternam repetiisset: & socer, seu perfidiâ barbaricâ, seu pœnitentiâ, detestationéq; generi circumcisi; sive deniq; cum sponso, pariter etiam sponsæ memoriam abijsse ratus, alij filiam suam collocâsset: gravissimè Samson hâc irritatus injuriâ, minas genti Philisthinorum, & clades, undecunq; sibi facultas offerretur, indixit; indictásq; multis & mirandis modis præstitit. Nam segetes, vineas, oliveta barbarorum incendit; illigatis ad caudas vulpium trecentarum facibus; quas ille captas in spelæis montium Modinæorum, & binas inter se colligatas, sparsim in agros, hortósq; cum incendijs immittebat. Auctore mox tantæ cladis cognito: Socer Samsonis, ac filiæ Soceri, cum ædibus, & omni familia, decretô Procerum Philisthinorum exuruntur.

Vulpes cum facibus in segetes Philisthinorum immittit.

Nec tamen hâc vindictâ contentus Samson; obvios quosq; Palæstinorum invadit; ac maximo numero trucidatos, per agros, atque suburbia dispergit: mæstô barbarorum spectaculô; quódque consiliorum incertis, & stuporem pariter, & animorum consternationem injiceret. Quibus perfectis, Samson aliquantùm respiraturus, in Judæam, seu regionem Tribûs Judæ abit, ac viaticô secum deportatô, se recipit in altissimum *Ethâma* petræ recessum. Hebræi cùm viderent se peti, Philisthinorum armis, nisi profugum, è latebris ultro protraherent; polliciti Philisthæis legatis, se vivum eum tradituros, ter mille fortissimorum hominum, ad Samsonem in specu delitescentem, mittunt, qui vel precibus, vel vi & armis in hostium potestatem adducant. Samson, fide data ne trucidaretur, prodit è specu, vinciendúmq; gemino fune recèns plexo, se suis permittit, à petra deportandum in castra Philisthæa. Barbari lætitiâ successûs, oblatæque vindictæ, in clamores elati, certatim in occursum, & gratulationes mutuas effunduntur. At multitudinis hostilis conspectu, tantùm abfuit, ut animo frangeretur; magis ut etiam, quàm unquam antehac, exardesceret, ac spiritu roboris in eum, insolitis quibusdam stimulis illabente, dirumperet ambabus manibus utrúmq; funem: vincula proijceret, in campi medium prosiliret: ac fortuitò conspectam asini maxillam, jam carne nudam, ac dentibus adhuc armatam, tanquam ensem sustolleret. Iis instructus armis, in confertos hostium cuneos irrumpit: ac sævi leonis more, partes ad omnes, imperterritum corpus circumagens; dextrorsum lævorsúmque cædebat, sternebátque, quidquid usquam infestum obstaret. Ita mille

Rumpit funes.

mille viros, vir unus, jumenti maxillâ confecit; nescias, duellóne potiùs, an prælio dixeris? an utroq;? Philisthæorum exercitu in fugam verso, ipse labore confectus, ac siti cruciari cæptus, cùm fontariam circumspiceret, nec in propinquo tamen reperiret, fontem precibus è dente molari maxillæ elicuit. Victoriæ porrò præmium fuit *Judiciariæ potestatis*, quam exercere jam antè cœperat, confirmata *S*amsoni possessio, suæ gentis publicô decretô. Qua tamen ille potestate, non, ut ante se cæteri Prætorum, eductis in aciem exercitibus, sed privatis potiùs viribus, ac dimicationibus uti consuêrat, manente in Philisthæis odij veteris æterno semine, vindictæq; cupiditate.

Maxillâ asinina mille Philisthæos trucidat.

Fons è maxilla asini prosilit.

Confirmatur Samsoni pratoria potestas.

Fortè negotij rationes sic ferebant, ut Samson fiduciâ fæderis, quod inter Philisthæos & Hebræos, illorum stipendiarios intercedebat, intraret *Gazam*, urbem inter Palæstinas claritate nobilem. Ibi feminæ cujusdam impudicæ aspectu captum, amoribus & technis utentem, Gazæi positis ad urbis portas excubijs, feram in reti credunt implicitam tenere. Expergefactus de medio noctis Heros, insidias divinitus edoctus, surgit, ac repletus ingenti vi roboris, ad portam ab ea, quâ pridie Gazam intrârat, aversam ultro pergit, stationem, excubiásque fugat, utramque portæ forem cum Seris simul & postibus, atque cardinibus evellit; mox humeris ambas sublatas aufert, nemine Gazensium persequi discedentem ausô nec deponit onus, quoad in jugum evadat montis, urbem *Hebronem* è propinquo respicientis, septem ut minimùm millibaribus Germanicis inde distantis. Ibi tum demum laboris finem, & Gazensium illusioni monimentum posuit: *Saraam*, urbem ac domum suam reversurus.

Portas Gazæ urbis aufert.

DOCTRINA.

D*ilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens* Jud. 14. Vulgatum est illud:

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara. Idem alijs verbis Plato: *difficilia quæ pulchra.* Amarus labor, dulcis fructus, juxta Poëtam Senec. Herc. Fur.

Per amara ad dulcia.

Quod fuit durum pati
Meminisse dulce est.

Et Plaut. in Curcul.

Qui è nuce nucleum esse vult, frangit nucem finis spectandus rerum difficilium, non initium.

Non terruit Samsonem, etiamnum adolescentem, ferocia, & rugitus leonini catuli, quippe qui sciebat, virtutem rebus arduis exerceri, probaríq;. Mel in rictu leonis docet, virum fortem nec adversis (leonis occursu) frangi: nec prosperis (favo mellis) enervari. *Mel invenisti*, ait Salom. Prov. 25. *comede, quod sufficit tibi.*

Vir fortis

tibi. Samson solus leonem occidit: fructum laboris dimidium, favum mellis, cum parentibus communicavit.

„ *Leo nullius pavet ad occursum*; Virtus, nec ad leonis. Opus est „ ad notitiam sui, experimento, ait Senec. lib. 2. de Provid. Quid „ quisque posset, nisi tentando non didicit; DEUS illis, quos esse „ quàm honestissimos cupit, materiam præbet aliquid animosè, „ fortitérque faciendi. Contrà quàm solet piger, cuius vox est Prov. 21. *Leo est in via, & leana in itineribus.* Terretur non leonibus, sed leonum larvis.

Samson cum vulpibus vulpinatus est.

Cepit trecentas vulpes, caudásque earum junxit ad caudas Judic. 15. Vulpes, juxta Isidorum, dicitur, quasi volupes, est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus: fraudulentum animal, insidijsque decipiens. Imago hominis aliud in corde conditum, aliud in lingua promptum habentis. Qualem describit, Persius Satyricus:

Astutam vafro servat sub pectore vulpem.

Tales erant Philisthæi, fortissimo Samsoni, quà insidijs occultis, quà odijs apertis perniciem struentes. Sed vulpina ingenia sunt elusa vulpibus, juxta adagium: cum vulpibus vulpinari.

Vulpes Samsoniæ sunt hæretici.

Per vulpes significantur hæretici, quorum religiosa sunt in speciem principia: in fine seu caudâ, fax incendiaria alligata. Dissociantur capitibus, ut vulpes Samsoniæ, quot enim capita, tot illis sententiæ; sociantur caudis, conspirationibus ad impugnandam Ecclesiam Orthodoxam, omniáque litibus, bellis, cædibus, incendijs devastanda. Hinc Cant. 2. hortatur Ecclesia, Christi sponsa: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Quid, quod juxta D. Bernard. Serm. 63. in Cant. Quilibet „ homo bonus bona est vinea: cujus virtus, vitis: cujus actio „ palmes: Cui vinum, testimonium conscientiæ. Vulpes par„ vulæ, sunt affectiones pravæ, quæ primis in fibris elidendæ.

Sunt pravæ affectiones.

Interfecit in ea (maxilla asini) *mille viros.* Judic. 15. Samson maxillam asini vertit in clavam Herculis; Philisthæi, homines stolidè feroces, & in brutas voluptates abjecti, quo telo meliùs castigarentur, quàm asinino?

Asino castigantur asini.

Deinde, quid nobilius hoc fonte? sitim Herois extinxit, pulverem athleticum abstersit, saniem cruoris hostilis abluit. Sed quid ignobilius origine? è putri maxillæ asininæ dente scaturijt. Disce non superbire stemmate; ex asinis quandoq; leones prode„ unt, ex leonibus asini. *Satius est* (inquit Cicero orat, contra „ Sallustium, generis sibi ignobilitatem objicientem) meis gestis „ florere, quàm majorum opinione uti: & ita vivere, ut sim po„ steris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Et Poëta Juvenal.

Non superbiendum stemmate.


Et

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra voco.

Aliena laudat, qui genus laudat suum. Et Solon, apud Ausonium: Pulchrius multò paratur, quàm creatur nobilis.

Præterea, quid vetat è putrescente scatebra limpidum doctrinæ fontem haurire; Cum Virgilio ex Ennij stercore aurum colligere; è scriptis Gentilium, variæ doctrinæ succum haurire! Nam & Moses Ægyptiorum, & Daniel Chaldeorum sapientiâ imbutus est. Imitandæ nobis sunt apes, quæ nec omnibus insident floribus, nec ex his, ad quos advolant, omnia auferunt. Et mel, herbis etiam de amaris elaborant. Eleganter Basilius Magnus: Ut plantæ propria virtus est fructum producere, afferunt tamen aliquem ornatum & frondes ipsæ, circa ramos diffusæ: Ita profectò & animæ præcipuus quidem fructus est veritas; non inamænum tamen est, hanc extraneâ circumdari sapientiâ, quæ tanquam frondes quædam & fructui tegmen præbeat, & speciem intuentibus lætiorem ostendat. *Ex malis bona elicienda.*

Vir quid possit; vel unus strenuus; & suprà in Samgaris vomere mirati sumus, & nunc in Samsonis asinina maxilla stupemus; Tanti refert, non quibus armis, sed quibus pectoribus sive vis hosti inferatur, sive illata propulsetur. Unus, solúsque erat Horatius *Cocles*, qui contra Porsennam, in ponte sublicio toti exercitui se opposuit, magna suâque gloriâ, suorúmque bonô. *Quintus Mutius Scævola*, unus solúsque & primus è trecentis conjuratis, Hetruscum regem à Romano Capitolio avertit. Unus, ac penè solus *Camillus* fuit, qui Romam, jam propè bustum factam de manu *Brenni*, & Gallorum ferro liberavit. Unus, solúsque *Hercules* fuit, qui monstris Orbem inauditis repurgavit. Ergo sive speres, sive metuas virtus in consilio habenda, quæ sæpius una, rem leviorem quàm multæ reddunt manus. *Unius viri virtus pro pluribus est.*



NARRATIO XLIX.

SAMSONIS CAPTIVITAS.

Judic. 16. cap.

Anno Mundi 2894. Ante Christum 1169.

PORtiarum urbis, cum seris, postibúsque sublatarum furtum inultum: opprobrij sempiterni stigma, manebat Gazæorum animis infossum, insculptúmque memoriæ mærenti. Quod illi proinde dedecus, quibusnam artibus, aut quibus vindictæ compendijs, expungerent, obliterarentve, sedulò secum; sempérque volutabant. Et cogitantibus, neque consilium tandem, neque successus longè fuit. IMPUDICA mulier, uti Tartari, sic omnium ceteri generis malorum, JANUA, quærentibus occasionem, aperuit aditum, ac stravit accessum in hunc, quem dicam, modum. In amænissima valle, cui nomen *Soreca*; non procul urbe *Ascalone*, sedem ac domum defixerat *Dalila* quædam, natione Philisthæa, prostituti corporis femina. In hujus flammas æquè, quàm in Gazææ nuper meretriculæ cupidinem, Samson incidit. Ad quam, cùm ex urbe sua prætoria, *Saraa* sæpius commearet; Philisthæi cognitò, mulierem esse gentis suæ, cæperunt cum ea, grandis pecuniæ promisso depacisci, quò captum tandem insidijs, Hebræum illum Herculem, pertraheret in perniciem. Mulier non avara minùs, quàm libidinosa, sive verè Samsonem amârit aliquando, muliebri levitate fidem mutans; sive potiùs amorem simulârit, scelestâ perfidiâ grassans: caput ejus Philisthæis Proceribus addicit, Samsoni sceleratas insidias tendit; sed non penitùs per omnia vel improvido, vel suspicionis experti. Nam is blandimentis fallacibus, ac sciscitationibus astutis, aliquoties aggressam se, responsis alienissimis lactavit: ac dolo dolum repellens, ludere se per lenocinia fingentem, ipse verè ludificavit.

Samson Dalilæ amoribus capitur.

Insidiæ Dalilæ in Samsonem.

Philisthæi Principes, ad prædam evocati, nunciò mulieris; & intra parietes Dalilæ domûs, in insidijs delitescentes, quoties cum pecunia promissa venerant, toties decepti, cúmq; sui ludibrio recesserunt. Dixerat enim Samson, imbellem ad resistendum se fore, si septem vinculis, nervo crudo, recentíq; plenis, & adhuc humidis necteretur; quos tamen, superveniente hostium manu

Eluduntur insidiæ à Samsone.

manu tanquam imbecille lini filum disrupit; quod iterum fecit, cùm restibus recentissimis, & adhuc ligaminum intactis, adstringeretur. Idem tertiùm repetijt, cùm septem capillorum discreti cincinni, liciò colligati, & in nodum redacti, circumvolutóque clavô, pavimento cubilis infigerentur; nam irruentibus Philisthæis, tanquam ad signum pugnæ, à fraudulenta amica datum, subitò evigilans, emicánsq;, caput cum clavo, crinibus, & nodo de terra retraxit. *Samson rumpit vincula sæpius.*

Mulier metuens periculi, quod toties deceptîs Philisthinorum Satrapîs, impendére posset capiti, meretricijs lacrimis importuna Samsoni, non antè destitit esse, quàm in quonam *Firmitatis* ejus lateret vis, pro compertissimo didicisset. Ad lacrimas accedebant aurium blanditiæ: risus inter & epulas canuntur à Sirene, Herois Hebræi, Delicij sui, præclara facinora, maxillæ strages, venatus vulpium, disruptæ leonis fauces; versatur partem in omnem amantis animus, suspirat, hæret, luctatur; non eluctatur tamen; cùm enim & corporis sensim, & mentis viribus fatisceret Samson, nec jam sibi perferendam duceret importunitatem rogatricis; tandem amoris impatientiæ manus dedit: aperit, à puero, cunabulísque Nazaræum esse se, Deóque conceptis verbis consecratum: ideóq; religione voti, quod parentes nuncupârunt, & Angelus dictavit, adhuc primigeniam, novaculæque nesciam se gestare comam, cui vis omnis roboris sui divinitus innexa sit. *Lenociniis expugnatur Samsonis animus.*

Dalilæ facile fuit, orationem animò concordem deprehendere; revocat igitur Philisthinos Satrapas, & latebras veteres insidere jubet. Exinde Samsonem amore, somnóque demersum alto, quem papaveribus ac mulso conciliaret, genibus excipit, & dormienti, tonsoris ministeriò, septem illos cincinnos, & quidquid crinitum fuerat, resecat; móxque incipit à gremio; déque genibus miserum aspellere. Nec ille reluctatur, dum DEO vires pristinas subtrahente languidus, debilis, & ad quemvis etiam femineæ manus motum ac nutum, impulsu facillimus, vix pedibus consistit; illa ad veteres suas reversa voces: Perijmus, exclamat, ô Samson: perijmus! Philisthæus nobis hostis in cervicibus est. Tum è latebris subitò prosilientes cum funibus, & catenis Philisthini Proceres, Samsonem, nequicquam veteres pugnas spirantem, aggrediuntur; comprehensum arctissimè, tumultuosè vinciunt: constrictúmque, nec jam ulla sui parte repugnare validum, crudelibus cultris exoculant: ac pretiò perfidiæ muliebri persolutô, (quinque millia & quingenti erant argentei, seu sicli, quorum singuli sedecim sestertijs æstimantur) captivum in triumpho, *Gazam* urbem perducunt. *Samsoni raduntur septem cincinni ab amica.* *Samson comprehenditur.*

Ibi

Ibi retrusus in carcerem, & duabus revinctus catenis, trusatilem versare molam cogitur, adjunctô puerô, qui mancipium ad assiduum laborem Sannis, dicterijs, amaris exprobrationibus; flagris etiam, & verberibus adigebat, victum ac fontanam arctè, tenuitérque præbens. Samson Numinis vindictam agnoscens, & admissorum pœnitens, cùm oculis jam non posset, animo lacrimabatur: quare Divina liberalitate, in gratiam recepto, cum coma sensim crescente, redijt & *gratuitum* roboris antiqui donum, cujus periculum faciendi non ita multò pòst, præclara se obtulit opportunitas.

Samsonis servitus.

DOCTRINA.

Periculum à feminis.

IMproba quid possit femina, recurrit locus, & quia luculentus, pluribus tractandus. Ecquis enim, inquit Salianus noster, in annum Mundi 2899. Sine gemitu, hominem tot DEI donis illustrem, vilis mulierculæ captivum contempletur; & cum ea turpiter conspurcatum, quæ digna sit, ut juxta Ecclesiasticum c. 9. *quâsi stercus in via conculcetur.*

Verè Ecclesiastes c. 7. *Inveni amariorem morte mulierem; quæ laqueus Venatorum est* (sicut Dalila Philisthinis ad capiendum Samsonem:) *& Sagena cor ejus. Vincula, sunt manus illius. Qui placet DEO, effugiet illam. Qui autem peccator est, capietur ab illa.*

Cùmque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, (Dalila Samsoni) *spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus* (Samsonis) *& ad mortem usq; lassata est.* Judic. 16. Nervosè Bisselius noster in Decade 2. Ruinarum Illustrium, in Ruina Gazensium. Ibi tum Samson experiri seriò cæpit; quanta regni muliebris, in amatores, tyrannis; quantum mulierosæ servitutis, & quàm intolerabile jugum esset: ubi, nec ab amore discedere perditis scordatoribus concessum sit; nec ab odio sibi temperare fœdæ consuetudinis, tot malefactis procos suos cruciantis. Ibi miser didicit; Non absinthium ullum amarius; non taxum, non cicutam, non aconitum, aut venenum ullum nocentius esse: quàm Feminam, & malam simul, & indeclinabilem; cujus in contubernio, quod exuere nequeat infelicissimus amator, & lupum (quod aiunt) auribus, & lupam teneat, necessitate convictus. Sed hæc culpâ fiunt virorum, animi mollitiem femineâ circumferentium; & obviàm ire libidinis violentiæ tergiversantium: cùm hujus vitij catenam, non, ut alios animi morbos, longa mora vel dies, tanquam rubigo ferrum consumere soleat; sed virilis suî victoria profligare debeat. In articulo temporis rumpendus est amoris nexus, non lentè friandus. Quod consilium si locum

invenisset

invenisset in Samsonis animo: profectò multis ille partibus, & suæ consuluisset rei meliùs, & publicæ. Nam hic populi Dei Prætor, auctoritate sua, cæterorum plerísque factus est offendiculo, quibus esse debuerat ad continentiam documento. Hæc ille.

Idem ibidem, Samson autem, Abrahæ sinu feliciter receptus, documento posteris æterno sit; Nequid cuiquam bono cum muliere mala commercij sit. *Jahel* etiam optima, Sisaram tamen evertit. *Thebæa* mulier, qualiscunque; tamen Abimelechum stravit. *Bacchæ* furiosæ, laceraverunt Orpheum. Quem eundem amor etiam legitimæ conjugis, transversum tamen egit malas in artes. *Cozbea* pessima *Zambrin*, exitio secum pari, detraxit in Tartarum. *Helena* Græciam: Troiam, & Asiam unà secum evertit. Et quis omnia, terris invecta per scelestas mulieres, excidia colligat; cùm in una satis sit, quod Orbi perdendo sufficiat. ,, Quid est enim, (ut cum Ephræmo, viro sanctissimo loquar tom. 1. ,, operum Serm. in mulieres improbas) quid est Imbroba mulier? ,, Naufragium terrarum, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ, ,, repositorium malitiæ, pernicies oculorum, animarum exitium, ,, cordis spiculum, Juvenum charybdis, virorum scopulus. ,, Quid est femina nequam? Amor flagitiosus, impudens bellua, ,, præceps & incontinens impetus, Os effræne rerum arcana- ,, rum, insatiabilis cupiditas, procella domûs, quotidiana cala- ,, mitas, voluntaria rixa, diversorum adulterorum, vipera vesti- ,, ta, requies inferi serpentis, caminus successus, expedita rabi- ,, es arma Diaboli, Dæmonum officina, mors exornata: deniq; ,, malitia; præ qua, cætera cuncta, nulla sit malitia. Declamavit ,, hæc, & his, plura divinus Ephræmus in Thaidas, Dalilas, He- ,, rodiadas. Quibus si quis offenditur: adversùs illum injuriarum agat; non nobiscum. Quod namque Cælitibus laude fuit *scribere*; Nobis vitio, religionísque non fuerit, *exscripsisse*. Hæc Bisselius.

,, Graviter S. Ambros. Apologia 2. David c. 3. Samson, in- ,, quit, validus & fortis leonem suffocavit: sed amorem suum ,, suffocare non potuit. Vincula solvit hostium; sed suarum non sol- ,, vit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas: & unius ipse ,, mulieris incensus igniculô, messem suæ virtutis amisit. Unde Poëta quidam acutè. Qui leones straverat, à lupa sternitur. Et noster Cornel. in cap. 16. Jud. Vide quàm perniciosa sit mulier. Quid fortius Samsone? quid Sanctius Davide? quid Sapientius Salomone? Et hos viros perdidit mulier; æque ac Eva Adamum, & omnes ejus posteros.

Non possum non huc apponere elegantissimum Carmen,

(quibusdam omiſſis, brevitatis cauſsâ) noſtri Jacobi Balde, qui Lyricorum lib. 1. ode 10. reſipiſcentem Samſonem ita inducit:

Per fretum Scyllæ, Libicáſque Syrtes,
Fide fallaci, fugitive, vento,
Fide, quantumvis fremat unda: ſed ne
Fide puellæ.

Illa non uno ſinuoſa tractu,
Mille natura variante fraudes
Circinat retro, totidémque in orbem
Damna retorquet.

Larga verborum, ſed avara veri,
Emicat quovis dubitanda nictu.
Vultus ut mendax, ita quæ ſequuntur
Gaudia vultum.

Supplicem formam fuge, quæ capillos
Sparſa procumbit. Tenero peritur
Flentis à queſtu, lacrimæque pondus
Fortius addunt.

Hîc labant turres. Etiam virile
Pectus his tandem precibus liqueſcit.
Hîc ſuas vires, ſua novit arma
Sexus inermis.

Dum tacet, clamat facies venuſta:
Dum negat, poſcit. dolor eſt disertus.
Ah! loqui fruſtra prohibebis ullam:
Muta perorat.

Mollior cera Mulier fluente:
Durior ſaxis eadem marinis,
Flectit aut frangit: violenta durum,
Lubrica mollem.

Donec optatâ potiatur horâ,
Donec arcanum penetret mariti;
Nec ſibi parcit, nec in Orbe quidquam
Linquit inauſum.

Ni vetes tangi, moriere cæcus.
Quot tibi crines male ſana demit;
Fila tot vitæ, gemina tot annos
Forfice tondet.

Feminæ certum ſinus eſt pheretrum,
Funis, amplexus; tumulus, cubile:
Verba ſunt Leſſus; glaciale letum
Inſana voluptas


Teſtor

Testor expertus mala. Testis horum
Nostra *Thamnitis.* Properate Diræ
Vindices : SAMSO, geme! testis, eheu!
Dalila nostra.

NARRATIO L.

SAMSONIS GLORIOSUS OCCASUS.

Anno Mundi 2899. Ante Christum 1154.



Um Samson aliquammultum jam temporis in ferro, vinculísq;, solis ac lucis expers ageret, & calamitatis illius ac molæ fama latè sparsa esset; Philisthinos optimates cum Populo, cupido incessit, fructum aliquem, ac voluptatem ex hostium suorum Ductore cæco, molentéque capiendi. Incidit igitur, ipso temporis procursu Solemnior Sacrorum dies, á Gazæis victimarum, ludorúmq; cæremonijs anniversarijs, magnificentiùs exigendus. Is autem dies, & ea celebritas *Dagonis* honori, Philisthæorum Idolo, debebatur; in cujus Fani, amplitudine, structura, capacitate cultorum magnificentissimi, solô tectô, more Syrorum planô, (unde liber in interiora templi despectus) tria circiter mortalium millia, stationes ac loca ad spectaculum habebant, Tanta hominum multitudine gravata moles ædificij superior, ne deduceretur in præceps, duæ faciebant potissimum è marmore columnæ, quæ mediô basilicæ spatiô non ita magno distantes, firmitate sua Fani totius pondus sustinebant: At inferiùs per templi subsellia, quinq; Philisthinorum Satrapæ cum suis familijs & comitatu; per reliquum autem loci spatium, Sacrificuli, Popæ, Sacrorum Ministri, cives, advenæ considebant. Omnes hi victimis intenti, Dagonísq; superstitioso cultui: confusis in unum vocibus, atq; carminibus Dagonem, Ter optimum Maximúmq; Numen suum laudibus efferebant; & inter ea mactabant, adolebant, libabant; ac cyathis operam, lancibúsq; dabant.

In delubro Dagonis idoli multitudo Philisthinorum.

Jámq; finem mensis saturitas ac vinolentia fecerant; cùm primò Princeps, mox temulentissimus quisq; Samsonem postulant accersiri, qui ludat, deliciásq; saltatione faciat. Adducitur

exsolutis tantisper catenâ manibus ac pedibus ; & medio duntaxat corpore, lumborum tenus, revinctus; pueri ductu, qui cæcum nunc agens ante se, mulionis more ; nunc post se trahens à crasso fune : spatia deambulationis aliàs laxabat in libertatem; aliàs arctabat in servitutis recordationem. Ad Summam ! tanquam passerem è funiculo lascivientes adolescentuli ; Sic mediastinus iste tractabat hominem, Heroëm illum, jam muscâ contemptiorem.

Samson à puero exagitatur.

Ut primùm igitur in conspectum theatri, templúmque venit Samson : multitudo, quæ Fanum repleverat, ex omnibus undíque loci partibus strepere pedibus: complodere manus; ore sibilos & clamores in altum tollere ; denique signis omnibus effusæ gratulationis habitum , ac lætitiæ declarare magnitudinem, quam ex hostis sui præsentibus ærumnis haurirent. Simul imperiô Magistratûs, ac præconis voce , sielntiô factô; consistere Samson inter duas illas columnas jubetur: & Senatui, Populóque Gazensium, omníque nomini Philisthino ludos atque delicias facere. Quæ cùm invictissimâ patientiâ Samson devoraret; ac pœnam etiam istam erroribus suis irrogari meritò, persuasum haberet: injecit ei mentem DEUS, quibus modis tandem, & se malis suis expediret, & gentem nequam debitis cladibus implicaret. Animum adverterat, cùm inter saltandum, contumelijs, labore manuum, motu pedum, ac totius corporis agitatione fatigatus, in pilas marmoreas aliquoties, ingenti cum cachinno spectantium, impingeret, pilas eas inter se, pedes admodum paucos distare, quas proinde contracturum se brachijs simul ambobus non desperaret. Incitatus igitur non tam sui, quàm honoris divini, suæque gentis in libertatem vindicandæ cupidine gloriosa; sentiénsque pristinam fortitudinem cum renatis sibi capillis renatam esse, utrique columnarum manus fessas, & caput applicat, permittente puero, nec invitis spectatoribus. In auxilium inde DEO vocatô, dum creditur ad ludicrum cæptum rediturus,manuum ambarum,& humerorum, ac totius corporis omni conatu,columnas aggressus, succussione ter quatérq; repetita, terribiles inter fragores, columnas, tabulata,tectum,Solarium,omnèmq; templi molem,in vestigio temporis trahit in ruinam. Simul & quidquid Gazæorum Spectatorum aderat: Populus, Proceres, viri,feminæq; cum clamoribus horrendis, confusæ, pereuntísq; multitudinis, unum omnes in cumulum sternuntur,oppresśiq; jacent. Cum his & Samson, benè secum felicitérq; ratus actum : quod,quantô nullus veterum Heroum,sepulchrô tectus esset, tantô constratus ipse requiesceret : quippe totius Palæstinæ ruinâ contumulatus. Sunt, qui præter illa tria millia,de suprema templi parte devoluta,asserunt vigesies mille

Samsonis ludificatio.

Samson subductis columnis ingentem hominum multitudinem secum ruinâ involuit.

mille homines per inferiora subsellia & stationes fani dispositos, ea strage occubuisse. Potuerunt tum Judæi, si viri fuissent, & jugum servitutis Philisthinæ à se excutere, & armata manu hostium metu consternatorum provinciam occupare. Cæterùm cùm Samson ab Apostolo ad Heb. 11. inter Cœlites memoretur, minimè dubitandum est, heroëm eo fâcinore, ipsi à DEO, inspirato, mortis pro salute publica, Numinísq; honore fortiter contemptæ, virtutis arduæ strenuè probatæ, vindictæ de hostibus justissimè sumptæ, gloriosam æternámq; memoriam promeritū, suô, ut Ambrosius loquitur, triumphô tectum, tumulatúmq; fuisse. Occidit ætatis anno trigesimo nono, Præturę vicesimo. Corpus à cognatis; cum bona Gazæorum, graviora metuentium, veniâ, avito sepulchro illatum est.

DOCTRINA.

Certum est, multas Poëtarum, Gentiliúmque fabulas è veris historijs, & sacris etiā Literis originem ducere. Hinc fabula Titanum, ex historia gigantū Gen. 6. monstrositate flagitiorum, bellum cœlo inferentium. Hinc diluvium Deucalionis ex diluvio Noë Gen. 7. 8. Hinc incendium Phaëthontis ex conflagratione Sodomæ & Gomorrhæ. Gen. 19. Hinc campi, hortíq; Elysij ex paradyso terrestri. Gen. 2. Hinc fabula de Nisi Megarorū regis fatali coma, quâ servatâ, nec vinci, nec regno pelli posset; eâ resectâ per Scyllam, *Nisi* filiā, victus, regnóq; deturbatus est. Quô comento nónne Samsonis & Dalilæ historia clarè indicatur? Et verò, quis alius fuit fabulosus ille Gentilium Hercules, quàm verus Samson, qui robore corporis, & fortitudine animi præstans, ambitioso Græcorum mendacio suum ipsis fingendi Herculem locum fecit?

Comparatio inter Herculem & Samsonem.

Nam 1. Hercules in ipsis cunis, documenta fortitudinis edidit, duos angues arctato gutture, elidendo. Et Samsonem à prima ætate *Spiritus Domini* implevit robore, atq; ad ardua molienda agitavit. A teneris assuescere multū est. 2. Hercules in servitutē Eurystheo datus, pro se in libertatē vindicando labores ingentes exantlare debuit. Non minùs Samsoni, pro asserenda populi sui libertate difficillima cū Philisthæis certamina subeunda fuerunt. Nimirùm Heroës non nascuntur sibi, sed Patriæ. 3. Hercules stravit leonē Nemeæum; Samson Thamnathæū; ille pro spolio exuvias leoninas: hic ex leonis ore mellitā dapē retulit. Nempe virtutis prœmium, vel sunt honores (quod per Leonis pellē significatur) vel opes; quod mellis favus designat. 4. Hercules non gladiô, non hastâ, sed clavâ armatus domuit hostes; Samson pro telo maxillam asini vibravit in hostes. Tanti refert, qualis sit manus, unde veniat ictus; Et quis clavam Herculi, quis asininam maxillam extorqueat Samsoni? 5. Hercules

Hydram, Harpyias, aliáque monstra superavit. Pariter Samson feroces Philisthinorum impetus fregit; quos Hydram diceres, sæpius ab Hebræis cæsos, sæpius in arma resurgentes. Harpyis quoq; similes, ex aliena terra prædam agere suetos. Senec in Herc, Fur.

Virtutis est domare, quæ cuncti pavent.

6. Hercules apud Omphalem feminam, fædam servitutem serviens adeò effæminatus est, ut etiam fila duceret. Non secus Samson, in gremio Dalilæ virum exuit, feminam induit.

Notúmq; furens quid femina possit. 5. Ænid. Virg.

7. Hercules adamantinas inferorum portas effregit, Cerberum, tricipitem canem, vinctum catenis in auras extraxit. Samson Gazensium portas, in dissitum montem asportavit. Invia Virtuti nulla est via. 8. Hercules pro laborum suorum termino geminas in mari Gaditano columnas ex ære posuit; cum inscriptione: *Non plus ultra.* Samson in laborum suorum meta duas columnas cum superimposito tecto evertit, séque unà cum oppressis hostibus tumulavit. Dulce periculum est, sequi Deum. Horat. lib. 3. od 25. vel spectaculum perimit Spectatores. vel Samson odijs felicior, quàm amoribus; Veneris (Dagonis) idolum moriendo comminuit, eámque perdidit, quâ perijt. vel: Impavidum feriunt ruinæ. Horat. libr. 3. Od. 3. 9. Hercules averruncator malorum dictus, quod rebus pro communi salute gestis, Orbem tyrannis, & monstris liberârit. Idem Samson fecit Philisthæorum tyrannide, non una clade, repressâ, & jugô servitutis à cervicibus Hebræorum amotô. Viri fortes suô periculo pugnant, alienô bonô vincunt.

Samson typus Christi. Maxima autem Samsonis laus est, Christi Servatoris imaginem Actis suis prætulisse? Ex Sanctorum Patrum sensu Dalila naturam adumbravit Humanam, cuius amore captus *Gigas ille (qui exultavit ad currendam viam; à summo cælo egressio ejus* Psal. 18.) usque adeò robur Divinitatis suæ exuisse videtur, ut exclamârit in cruce: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Samsonem Dalila quinque millibus & quingentis nummis argenteis; Christum Judas triginta vendidit. Dalila blandimentis insidiosis Samsonem in manus hostium tradidit; Christum Judâs osculo, dolosô amoris signô, prodidit. Samsonem crinito robore spoliatum, Philisthæi tumultuosè comprehensum, funibúsq; ligatum exoculârunt, fannísq; & ludibrijs affece-

affecerunt. Christum crudelitatis satellites,vinculis dirissimè constrictum, traxêre captivum, eique velantes oculos, & capillos non tam detundentes,quàm evellentes, spineáque coronâ lacerântes, totáque nocte illudentes, varias contumelias intulerunt. Samsonem in pistrino molere Philisthæi coëgerunt; Christus totâ vitâ ærumnarum molam circumegit; in ultimis præsertim tormentis, quibus initium in horto Oliveti Sudor sanguineus dedit. Samson duas columnas ambabus manibus apprehendens,fanum Dagonis subruit,magnámq; hostium multitudinem delevit. Christus moriens,manúsq; ad duo crucis extrema extendens, regnum Dæmonis, Peccati, Mortis evertit; suáq; nece nobis vitam, suis vinculis libertatem peperit; verissiméque *plures interfecit moriens*, (quod de Samsone Sacra pagina asserit) quàm vivus occiderat. *Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus?* 1. Cor. 15. Samson Gazensium portas humeris sublatas de nocte, in montem Hebroni vicinum abstulit; Christus post mediam noctem è sepulchro resurgens, amoto monumenti lapide, nequicquam excubantibus custodibus; mortis insuper portas,& inferorum claustra disjecit, veterésq; Patres cum triumpho eduxit. Denique Samson à cognatis, Majorum suorum sepulcro honorificè illatus est; Christus à suis discipulis, Nicodemo & Josepho, in monumento novo gloriosè conditus est.

Audiamus super hoc S. Chrysostomum hom. 4. ex varijs in
„ Matthæum. Is explicans,de Christo Domino illa verba: *Quo-*
„ *niam Nazaræus vocabitur* Matth. 2. ait. Dictus est Samson Naza-
„ ræus, vir potens in spiritu roboris, & virtute; cujus gesta si
„ consideremus, in eo quoque exempla Domini præfigurata co-
„ gnoscimus. Ille septem crines habuit; huic septiformis spi-
„ ritus est; Illi omnis virtus in capite fuit: huic omnis virtus in
„ DEO est, quia caput Christi DEUS est. 1. Corinth. 11. in illo vir-
„ tus non obscura: in hoc celata Divinitas; Samson iter faci-
„ ens, leonem manibus enecavit; Dominus ac Salvator noster
„ per suscepti corporis Sacramentum, leonem diabolum exten-
„ sis in cruce manibus interemit. Samson de ore leonis favum
„ mellis abstraxit; Dominus de faucibus diaboli plebem suam,
„ quæ sibi per viam facta est dulcis, eripuit. Samson popu-
„ lum Israël debellatis hostibus; Dominus extinctis dæmoni-
„ bus, populum suum de morte perpetua liberavit; Samson
„ obseratis portis clauditur in civitate; Dominus obsignatô
„ clauditur monumentô. Samson fractis seris, subtractísque
„ portis securus evadit; Dominus ruptis infernæ sedis obicibus,
„ apertô Sepulchrô, recepto corpore liber egreditur. Postremô

Samson

rum ministerijs debuisset, id quod ei per Samuelem etiamnum adolescentem, (de quo postea) jussu DEI, graviter exprobratum, adjunctæq; cladium minæ, ad aurium usq; tinnitum formidandæ. Nec diu pòst Divinæ rigor sententiæ Philisthinos excitavit, ut collatîs, cum Hebræis signis, Israëlitarum quatuor circiter millia ceciderint, reliquo se exercitu trepidè recipiente in castra. Habitô deinde militari consiliô, quidnam esset insolitæ rei, quòd plus valuisset eo die, divinis in oculis impietas Philisthina, quàm Hebræa caussa, decernitur mittendum esse Siluntem: accersendam cum custodibus suis *Arcam*; & hac in medium acceptâ, prælij denuò tentandam fortunam. Helî quamvis multùm invitô, déque capiendæ periculis sollicitô, deniq; tamen permittente, devehitur in Hebræa castra, Mosis Arca. Mittuntur unà, qui deducant ac tueántur duo Sacerdotes impuri, Pontificis filij: gladijs & ipsi suis, armísq; cincti; sed longè pluribus animi vitijs, ac Tartareis satellitibus stipati. Cæterùm, Arcâ Hebræi conspectâ, mox clamoribus animorum testari lætitiam; Philisthæi contrà, repercusso vicinis è montibus, ac nemoribus, Hebræi clamoris sonitu, labare, concideréq; mentibus: pavidéq;, tam effusæ lætitiæ sciscitari causam: Arcæq; præsentiâ intellectâ, malè de rebus suis ominari. *Cædes Israëlitarum.* *Arca in castra deducitur.*

Recollectîs ex ea trepidatione animîs, ac viribus, statuunt aleam prælij subire; quippe medium esse nihil, sive Judæis, sive Philisthæis. Aut vincendum alterutris, aut esse serviendum. Iterum igitur in aciem utrinq; descenditur. Ab Hebræis in medium agmen *Arca* recipitur: & ad *Arcæ* latera Sacerdotes ambo fortissimè pugnam cient. Post multùm certaminis laborem, insistentibus vi summa Philisthæis, succumbunt Israëlitæ; *Arca* capitur, &, ex hujus captivitate, cunctos desperatione subeunte, deficiunt animis Hebræi, remittunt de pristina contentione; turpitérq; tandem in fugam effusi, pars in conflictu, pars sparsim per agros, cadunt; triginta millia pedestrium copiarum. *Clades Hebræorum.*

Pontifex cùm audisset infelix prælium, populi numerosam stragem, fugam multitudinis, geminæ prolis interitum, & super hæc omnia, captam *Arcam*, animo simul ac vitali spiritu linquente, cum sella pariter, corporísq; decrepiti fragili mole, retrorsum lapsus, ad fores ac postes seu Tabernaculi, seu Urbis Siluntis (in portis enim sedebant Judices) impacto capite, cervices fregit, ac finijt. *Helis lapsu cervicem frangit.*

Ejus victoriæ brevis lætitia fuit Philisthæis, nam dum *Arcam* per oppida, & delubra sua circumductam ostentant, & in Fano Azotio ante statuam Idoli *Dagonis* (erat Simulacrum, superiore parte mulierem referens; inferiore desinens in piscem, specie

Nereidum & Sirenum) tanquam victam in oculis victoris constituunt, majorem ab ea captiva, Septimestri spatio cladem acceperunt, quàm à liberâ plurimis annis antè. Dejectum namq; loco suo Dagonis Simulacrum: nunc in faciem effigie stratâ: nunc capite, manuúmq; palmîs abscissîs, portendit, quantô suô, cultorúmq; suorum malô, illa Hebræi sedes Oraculi, in prædam, ínq; viciniam venisset. *Azotij* quippe, & accolæ pessimis, pudendísque morbis sunt afflicti; posticæ corporis partes, ulcerum doloribus cruciatæ (ficos & mariscas vocant:) tabefacta viscerum intestina; agri, villæ, penates, murium multitudine repleti, segetes, fruges, fructus depascentium: pestilitate sævissima, pagi, civitates, regiones exhaustæ. Adde his stragem populossimam *Betsamitarum* (erant hi de gente Hebræa) ac finitimorum; qui fortè metentes in agro triticum, quòd prætervehentem Arcam, & ex captivitate Philisthæa, cum donarijs, morborum ac calamitatum piaculis, redeuntem, operimentis renudâssent suîs, inspicere curiosius ausi; repentina percussi internecione perierunt septuaginta de viris eminentioribus; quinquaginta verò millia de fæce vulgi. In una clade quot clades involutæ! Has unius Helis perniciosus in liberos amor inchoavit: protrusit filiorum eius improbitas; præcipitavit in Hebræos juxtà, Philisteósque justissimus DEI dolor, & indignatio.

Ex Arca capta calamitates Philisthaeorum.

Betsamitarum curiositas quanti steterit.

DOCTRINA.

Liberi à teneris unguiculis domandi.

Nimiam Helis in filios indulgentiam Sacer Historicus indicat hisce verbis, 1. Reg. 3. *Propter iniquitatem, eò quòd noverit (Heli) indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Locus illustris de educatione, & disciplina Liberorum. Sapienter Siracides c. 7. *Filij tibi sunt? erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* Ut enim plantæ cùm teneræ sunt, facilè hinc atque hinc quaquaversum flectuntur; sic animi puerorũ; qui si obduruerint, & jacuerint, nulla superest spes eos deinceps erigendi. Idem c. 30. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit praeceps.* Equus ut tractabilis efficiatur, frenis & calcaribus opus est; adolescens in vitiorum præcipitiũ ne devolvatur, disciplina & castigatione est coërcendus. Virgil 3. Georg. monet.

Viámque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

„ Verè Quintilianus: Mollis, inquit, illa educatio, quã indulgentiã „ vocamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit. Hinc tritus versiculus.

Planda patrum segnes facit indulgentia natos.

Aquila pullos alis flagellat, adversi solis radijs exponit, rostro ad sangui-

nem pungit, ut excitet ad volandum, vegetósque reddat ac validos. Consentit Salomon Provb. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur, & animam ejus ab inferno liberabis.* Licentior educatio, & disciplinæ neglectus parentes facit auctores non vitæ, sed mortis: non cœli sed orci; nimia Helis lenitas & Patrem, & filios perdidit. Audiamus Chysostomum hom. 9. in 1. Timoth. 3. „Heli propter „filios perijt: illos quippe cùm acriùs coërcere debuisset, ver„bis tantùm lenibus monuit, dicendo: *Nolite filij mei: non est enim „bona fama, quam ego audio.* Neque enim ideò, quòd malos habe„ret filios, puniebatur, sed quia ultra debitum, increpationi pe„percerat, ut cùm DEI leges violarentur, severiùs in illis ultus „non est. Sanctissimi parentes quandoque perversos habuêre filios, ut Jacob, Samuel, David, &c. nec ideò pœnas alienæ nequitiæ dederunt; sed qui malos malè tolerârunt.

Helem nimia indulgentia perdidit.

Est tamen in liberorum castigatione miscenda lenitas cum severitate, nam ut Plato lib 7. de legibus docet, in educatione filiorum duo vitanda extrema, scil. delitiæ, & nimia severitas; quòd il„lis dissolvatur animus, hâc fiat servilis: Hæc inquit Plato, nostra „est sententia, delicias, puerorum mores reddere difficiles, mo„rosos, iracundos, & qui levibus occasionibus, vehementer „percellantur. Contrà verò nimiam, & feram severitatem, mo„res reddere humiles, illiberales, ab Humanæ societatis comer„cijs abhorrentes. Et Apostolus Coloss. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Nimirum laxiores fides in cithara absonū reddunt sonum; æquô contentiores rumpuntur. In Arca Fæderis cum tabulis Decalogi asservabatur Manna, & Aaronis virga. Per Leges Informatio morum intelligitur; per Manna præmia: per virgam pœnæ denotantur; quorum temperatione disciplina Constat.

Moderata disciplina adhibenda.

Cæterùm lib. 1. Reg. c. 2. taxantur quatuor scelera filiorum Helis, ex gula manantia. 1 Ignorantia officij Sacerdotalis. 2. Rapina victimarum, nam cùm ex victima, tantùm pectusculum & armus dexter Sacerdoti deberetur. Levit. 7. ipsi quaslibet victimę partes, præsertim pinguiores & delicatiores sibi usurparunt. 3. Quòd id facerent vi, rapientes eas, invitis offerentibûs. 4. Quòd id facerent, antequā victima DEO per cremationem ab ipsis esset immolata, & caro cocta, lixáque: Primùm enim debebat DEO hostia pacifica offerri, coquíque; deinde pectusculum & armus dexter dabatur Sacerdoti; reliqua caro offerenti. Adde his inexpiabilem Sacrorum Despectum, Religionis detrimentum, publicam omnium offensam, execrabilem Sacrilegi concubitûs turpitudinem.

Scelera filiorum Helis.

Vellem hîc (exclamat Illustrium Ruinarum Scriptor, Ioannes Bisselius) Sacer ut Ordo, Prophetarum Ezechielis, Oseæ, Ieremiæ, Malachiæ clamorem ad aures admitteret. *Audite Sacerdotes! & attendite; quia vobis Judicium est: quoniam laqueus vos estis facti: reteq́ super Thaborem* (Ecclesiæ montem) *expansum ad intricandas animas: & victimas declinâstis in profundum. Vos de via recessistis; & in lapsum provocâstis quàmplurimos. Vos irritum fecistis pactum Leviticum. Propter quod & ego contemptui vos exposui; populis omnibus viles, ac despectos:* Ac meritò quidem. *Nam & ipsi contempsistis legem meam*; ut Phineas & Ophnis: *Polluistis sacraria mea*; sicut Phineas & Ophnis: *inter sacrum & profanum non distinxistis*; ut Ophnis & Phineas: *inter pollutum & mundum discriminis nihil statuistis*; sicut nec Phineas, nec Ophnis. Oseæ, c. 5. Malach. 2. Ezechiel: 22. Unde tandem & ego post longam pœnæ dilationem, sicut interfeci Phineam & Ophnin, sic interficiam & vestrûm unumquemque; cùm supremum ei diem suum immisero, sedebitisque, vos Sacerdotes, talium rei, quo loco Phineas Ophnísque nunc sedent, quorum inter mortuos, spes est & conclamata salus. Hic meritò tinniant aures illis Sacerdotibus, qui non verentur (quod Divus Claræ vallensis Abbas deplo-
,, rat) ijsdem manibus & filium Virginis in altaribus; & victi-
,, mam tenere Veneris, in cubilibus. Hæc ille Scriptor.

Sint Sacerdotes, quod Siracides monet. Eccl. 51. à v. 5. *Quasi stella matutina, medias inter nebulas; & quasi Luna plena radians nitor. Quasi sol refulgens, in templo DEI. Quasi cœlestis arcus, renidens inter nebulas gloria. Quasi flos Rosarum, diebus Vernis; & quasi Lilia, juxta præterfluentes rivos: ac sicut thus redolens diebus æstivis, inter campos Sabæos. Quasi vas auri solidum, exornatum omni genere lapidum pretiosorum. Tanquam oliva pullulantes, viroréque suo delectantes: & tanquam in ardua surgentes Cedri montium Libani.*

Et si hoc de Sacerdotibus Veteris Test. tanquam in umbra;
,, quid in Luce Evangelica? Quô non, exclamat Chrysost. *Hom.*
,, *60. ad populum*, oportet esse puriorem, tali fruentem sacrificio?
,, quô solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc (Chri-
,, sti in Eucharistia) dividentem? os, quod igne spiritali repletur?
,, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Consonat Autor sermonum ad fratres in Eremo, Serm. 22. & 36. Si ani-
,, ma justi, sedes est DEI, multò magis vos Sacerdotes esse debe-
,, tis sedes & thronus eius, mundus & sine macula. Si sepul-
,, chrum, ubi corpus eius mortuum positum fuit, debuit esse
,, gloriosum, ac novum, in quo nullum aliud priùs positum fuis-
,, set: magis gloriosa & renovata debent esse corpora vestra, &
,, animæ vestræ, in quibus eiusdem Domini Corpus vivum &
,, glorificatum esse debet. Si beatus fuit venter, qui per no-
,, ve.n

„ vem menses illum portavit: æquum est, ut corda vestra beata „ sint, quæ Filius DEI elegit in suam quotidianam habitationem. „ Et si beata sunt ubera, quæ infans suxit: etiam os debet esse „ beatum, quod comedit eius carnem, eiúsque sanguinem su„ git tanquam lac.

Tragicum sacrilegi concubitûs exemplum narrant Trithemius in Chronico Hirsaugiensis Monasterij, & Nauclerus, generat. 34. in annum Christi 985. de Udone, Episcopo Magdeburgensi, cujus aures terribilis vox è cœlo ferijt: *Cessa de ludo, satis lusisti Udo.*

NARRATIO LII.

SAMVELIS PROPHETAE, ET ULTIMI HEBRÆORUN IUDICIS ORTVS, EDVCATIO, GESTA.

Lib. 1. Reg. c. 1. 2. 3. 7. 8.

Anno Mundi 2900. & seq. Ante Christum. 1153.

HElì Pontifice simul ac Iudice populi, rebus mortalibus, in eum, quem superiore narratione retulimus, modum exemptô; subrogatus in divinis Achitóbus est, Helis ex *Phinea* filio, nepos; in profanis autem, ac civili republica Samuel, qui tamen præter Iudiciariæ dignitatis Ordinariam provinciam, privilegiô beneficij, functus extraordinario Sacerdotiô, Sacris nonnunquam operabatur. Parentem is habuit *Elcanam*, urbis *Ramáthe* incolam, virum nobilem & opulentum. Hic cùm pro anniversaria religione, Paschalia, unà cum familia celebraret in *Silunte*, ubi tum Oraculi Divini constitutum erat Tabernaculum; accidit, ut Annæ uxori, tam virtutibus diviti, quàm liberis inopi, altera conjunx, eáque secundaria, *Phenenna* nomine (polygamis enim id temporis esse licebat) sterilitatis probrum obijceret; séque cum filijs inter epulas sacrificales superbè circumspiciens (nam ex mactatis victimis dapes pro numero capitum distribuebantur) fæcunditate sua gloriaretur; Annâ simul quidem, sed quia sine prole, ideò sine honore, discumbente.

Anna, Samuelis postea matris, afflictio.

Excussit ea res lacrimas afflictissimæ matronæ; præsertim cùm non tam epulas, quàm opprobria sibi videret apponi. Maritus non minùs Sapientiâ, quàm pietate præstans; haud ignarus, decus matrimonij magis animi, quàm fortunæ bonîs esse metiendum, testari suos amores Annæ: docere felicitatem conjugalis consortij, non ex numerosa tantùm prole, sed maximè, nobilitate & virtute conjugum æstimari oportere; mœstitiam uxori multîs verborum officiis abstergere; denique mentem in epularem hilaritatem erigere. Illa cibo, maritíque contestatis affectibus recreata, finitis mensîs, se confert ad Oraculi sedem, fiduciæ plena; mixtísque fletu suspirijs, efflictim instat apud DEUM, matrem ut se faciat; promittítque, se prolem, si masculam esset genitura, religioso eius famulatui, perpetuò mancipaturam. Valuêre preces. Conceptô Votô, concipitur fætus; annô pòst nascitur filius, nomen cui parentes, *Samuelis* hausêre. Puer etiamnum trimus, in Tabernaculo Divino cum sacrificijs sistitur, curæque Sacerdotum, imprimis Pontificis Helis committitur; cujus fausta precatio, Annæ trium insuper filiorũ, duarúmque filiarum fructum contulit, quintuplici fœnore, unius *Oblationem* filij pensante, qui septennis admodum, sacris admotus ministerijs, præclaram indolem ac pietatem mirè omnibus probavit. Adolescentem deinde vatidicus spiritus afflavit, rerúmque arcanarum cognitorem effecit; cujus illustre cumprimis documentum fuit, prænuntiatiò cladis, Pontificiæ familiæ impendentis.

Anna fit quinque liberorum mater.

Fortè noctu somnũ intra Tabernaculi septa prò more capiebat; cùm à cœlesti genio, vocem Pontificis Helis assimilante expergefit; nihil cunctatus adolescens, sopore confestim excusso, advolat ad Pontificem, seniô, curísque confectum; séque vocatum adesse indicat. Id cùm tertiùm jam factum esset; neque tamen senex, ullô verbô Samuelis Somnum interpellâsset; suspicatus id, quod erat, jubet puerum in lectulum se recipere: denuóque excitatum, compellantis voluntatem exquirere. Redit aspectabili specie Angelus, aperit minas à Divina Justitia cùm Helianæ Domui privatim, tùm Israëlitis omnibus incubituras; nam & *Arcam* Sacram à Philisthæis capiendam: & præter publicam populi stragem, extremas omni familiæ Pontificiæ calamitates superventuras; caussam earum cladium esse, nimiam Helis in sceleratos filios lenitatem. Quibus ad Pontificem à Samuele renuntiatis, præclaram vocem edidit, quâ præparatum in divinam animadversionem animum declarabat, religiosa mentis æquitate, sese, futuras in clades componens.

Samueli puero futura Helis clades prænuntiatur ab Angelo.

Cæte-

Cæterùm Samuelis virilem ætatem ingreſſi gloria, magnis apud populum incrementis augebatur ; reverentiam quippe & obſervantiam inſignē conciliabant ſecretorum divinitus præmonſtratorum enuntiationes, eventîs ipſis confirmatæ, adeò, ut à Moſis uſque temporibus, nemo Samueli, ne comparandus quidem, poſt Samuelem verò, oppidò pauci ſuperiores illô fuiſſe, videantur. Quare Præturę gubernaculis admotus illicò, ſub Helis exceſſum, eam Reipublicæ tractandæ rationem ſequi cœpit, ut meritò *Juris* omnis ac legum, & æquitatis, dici *Sacerdos* meruerit: munerum omnium, quæ vulgò corrumpere tribunalia ſolent, oſor ac deteſtator ; præſertim verò idolorum cultum, aliáque vitia, Helis negligentiâ vel exorta, vel roborata, mirâ facundiâ, conſtantiáque ex Hebræorum manibus, animíſque extorſit. *Samuel præclarus propheta.*

Subinde comitiîs omnium Tribuū convocatîs, eiuſdem Prætoris auctoritate, conventum eſt *Maspham, Benjamiticæ* Tribûs urbē. Quô locô, cùm & aquæ cæremoniâ, ſitulis ac hydrijs effuſæ, ſuas animas effundere ſe totas DEO, & idolomaniam eliminare pectoribus, teſtarentur: & precibus, jejunijs, impietatíſque confeſſæ deteſtatione, clamoribus magnis, cum Numine fœdus integrarent; Non potuit latere Philiſthæos ille Hebræorum conventus, quorum rebelles, ut falsò opinabantur, molitiones disjecturi, mox valido cum exercitu ſuperveniunt, rati, ſeſe ad pugnam imparatos, nullô negotiô oppreſſuros. Conſternati re ſubita Judæi, ad Samuelē, tanquam ad cōmunem parentem trepidè, concurrunt, conſilium rebus dubijs petunt, eiúſque, pro ſalute publica preces, & auxilium implorant. Samuel ad divinam converſus opem, arripit properè lactentem agnum, integrúmque ſacrificat ſuper aram, in holocauſtum. Dum ardet victima, trepitátque metu populus, ecce tibi; hoſtis in conſpectu aciem explicat, præſentémque ſtragem omnibus intentat. Tum verò DEUS repentè pro ſuis arma expedit; nam conglobatis, momentô, denſis totô cœlô nubibus; ac fragore tonitruum aures, fulguribus oculos, ignéque cœleſti barbarorum capita ferientibus, terráque ſub pedibus intremente, hoſtes in terrorem dati, ſpem omnem in fuga poſuêre. Inſequitur cum ſuis Samuel, & dorſa fugientium cædit. Nec cædendi finem facit, quoad *Bethcharis* ad campos, eos longô ſpatiô profligaret; eum videlicet ad vicum, in quo cæſus, cum filijs Helis, Iſraëlites, ſtrage noviſsiſſima, Philiſthæis & Arcam ceſſerat, & victoriam

Precibus Samuelis magna clades è cœlo Philiſthæis infertur.

& victoriam. Loco in memoriam accepti beneficij perennem *Lapis* est impositus, *Adjutorij* nomine; à Samuele insignitus. Philisthæi post eam cladem, instaurare bellum non ausi, se fines intra suos ex eo tempore continuêre; Hebræi vexatione tributi liberati, civitates amissas recuperârunt, alias vi capiendo; alias in deditionem accipiendo.

Quibus rebus gestis, Samuel conventibus Juri dicundo, per certas urbes institutis, ipse quotannis eas obibat, & judicia tractabat; donec senio gravante, filijs *Joëli* & *Abiæ*, aliquem in finibus regni principatum, & Reipublicæ curam tradidit; qui relictîs paternîs institutîs, diversissimam ingressi viam, muneribus corrupti, jus non dicebant, sed vendebant: solutíq; in luxum ac delicias, tum DEI jussa; tum patris (cujus absentiâ, quippe in urbe Ramátha habitantis, ad scelera sua abutebantur) contemnere, graviterq; apud populum offendere; tanta tamen dissimulatione, ut ea filiorum labes ad aures Samuelis non penetraret; tantum familiæ suæ dedecus minimè laturi, si compertum habuisset; cùm innocens esse nemo possit, qui suos tolerat nocentes. Non latuit tamen multitudinem popularem; unde digna visa res est Tribuum optimatibus; cujus expostulatio deferretur ad Samuelem: Sed præter hanc caussam, aliunde quoq; cupidè, tam populus quàm Primores, eam querelæ publicæ, tam votis suis opportunam occasionem amplexabantur: quòd hoc ingressu videbant, sibi pariter & Judicum abolendorum, & Regis efflagitandi, præclarissimam ansam offerri. Importunis igitur vocibus à Samuele contendunt, ut, quoniam ipsi per senium deesset facultas: filijs autem voluntas benè gerendæ Reipublicæ, subrogaret aliquem, qui nomine regio, toti genti cum imperio præesset, togæq; muneribus & militiæ moderaretur.

Filij Samuelis degeneres.

Hebræi à Samuele petunt regem.

Samuel etsi jure poterat ferre graviùs & suam de re communi optimè meriti exauctorationem; & filiorum, præter juris ordinem, nullóque concesso emendationis tempore, repudiationem; neq; enim ab extremo continuò veniendum ad aliud extremum: sed media prætentanda; nullum tamen durius sibi verbum elabi passus, id unum respondit, se super ea re Divinum Oraculum consulturum. Responsô Numinis acceptô, cùm enarratis, regij dominatûs acerbitatibus, populum à perficaci rerum novarum studio dimovere nequiret; pollicitus sese petitores, malè rei privatæ, publicæq; consulentes, voti facturum compotes, discessit. Nec multò pôst Comitiîs, in Masphám indictîs, regem eis, quem jam antè, divinitus edoctus, secretò inunxerat, per sortitionem dedit, *Saulem*, filium *Cisi* de Tribu Benjamitide; de quo mox infrà; ubi reliqua quoq; Samuelis gesta persequemur.

DOCTRI-

DOCTRINA.

DE Elcana Samuelis parente S. Scriptura ait: *Fuit vir unus de Ramathaimsophin.* 1. Reg. 1. Præclarè Origines in hæc verba. Fuit vir unus, inquit; Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere; quia unusquisque nostrûm non est *unus*, sed multi. Intuere namque alicuius vultum, nunc irati, nunc iterum tristis: paullò pòst iterũ gaudentis, & iterum turbati, & rursum levis. Vides, quomodo qui putatur UNUS ESSE, NON EST UNUS; sed tot personæ in eo videntur, quot mores.

Porrò illa (Anna) *flebat, & non capiebat cibum.* 1. Reg. c. 1. Anna Phenennæ æmulæ calumnianti, & irridenti, nihil respondit, sed flebat, egregiô modestiæ documentô; cujus iteratò rarum specimen edidit, cùm labiis fervore precum crebriùs motis, & oculis fletu rubentibus, nimij potûs argueretur à Pontifice Heli; quod illa convicium, sexui suo maximè pudendum, mira verborum demissione & mansuetudine à se removit, meruítque bonam à Pontifice precationem: à DEO autem filium: præclaram apud omnes, feminas præsertim, cōmendationem. Quarum in convicijs & maledictis inferendis quantò exercitatior est lingua: tantò est imparatior in ijs perferendis animus. Eleganter in hanc „ rem S. Chrys. *hom. 11. in 1. ad Thessal.* Non vides, inquit, in ædi- „ bus quando ex adverso, & directè steterunt duæ januæ, sítque „ ventus vehemens; si alteram clauseris, nihil potest ventus, sed „ magna pars eius virium præciditur. Ita nunc quoque duæ „ sunt januæ, os tuum, & eius qui te contumelijs afficit & con- „ vitijs. Si tuam clauseris, extinguis totum Spiritum; sin' au- „ tem aperueris, non post cohiberi. *Annæ modestia.*

Puer autem erat adhuc infantulus, id est, triennis Samuel, Dei servitio dedicabatur. *Bonum est enim viro*, ait Ierem Thren. 3. *cùm portaverit jugum ab adolescentia sua: Sedebit solitarius, & tacebit.* Quem „ locum exponens S. Ambros. *in psal. 118, ait.* Qui à juventute ju- „ gum portaverit, & habenis maturi moderaminis, teneriora „ volens colla subdiderit; sedebit singulariter remotus à strepitu „ interpellantium permotionum, & quietus silebit: cui necesse „ jam non est jurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus. Pulchrè in hanc rem Hugo de S. Victore *lib. de claustro* „ *animæ.* In illa, inquit, ætate, quando crines flavescunt, caro ni- „ tescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur, va- „ letudo corporis vires subministrat, & ætas juvenilis longioris „ vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam „ corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus *A teneris virtuti studendum.*

,, rectior, vultus jucundior: qui in hac ætate se domant, & ,, DEO sociant, præmium Ioannis Baptistæ exspectant. Tales ,, enim offerunt hostiam viventem, DEO placentem, & imma- ,, culatam, non aure, non oculo, non pede, non linguâ caren- ,, tem. Et Chrysost. *in psal. 14.* Si nullus, inquit, vestrum vult pos- ,, sidere servum senem; quantò magis DEVS vult adolescentiam, ,, & tanquam intactam virginem eam sibi jungit: ut eius vitæ ,, primitias ambiat; ne quis, cùm juventutem peccato exhause- ,, rit, languidam & enervatam senectutem virtuti reservet: & ,, vitæ fæcem.

Ex studijs suis ait Salomon Prov. 22. *intelligitur puer, si munda & rectà sint opera eius.* Sicut venæ auri & argenti, à peritis investigantur; sic adolescentes signa virtutis in prima pueritia edunt; est enim hæc aurora totius vitæ, similem plerumque (si recta institutio accedat) secum vehens vesperum. Et ut aqua in areola digitum sequitur præcedentẽ: Sic ætas mollis & tenera in utramq; partem flexilis est, & quocunque duxeris, sequitur. Molli materiæ facilè sigillum imprimitur; non item, si durescat. Doctè Plutarh. in Moral. Nulla ferè est arbor, quę non sterilescat, ac tortuosa fiat, si cultura desit: Ita, nullum tam felix ingenium, quòd non degeneret citra rectam educationem. Multum igitur situm ,, est in vitæ primordijs. Difficile enim, ait S. Hieron. *epist ad Letam,* eraditur, quod rudes animi perbiberunt: neque lanarum ,, conchylia ad pristinum candorem revocari possunt.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. Reg. 3. Religiosi vox animi, & pœnitentis signũ; hinc credibile est, Helin, cladibus temporaneis castigatũ, æquitate sua meruisse, ne pœnis æternis addiceretur; ita sapienter necessitas, in rationẽ & virtutẽ vertitur.

Samuel idea boni Principis.

Et ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala, & Masphat. 1. Reg. 7. Ideam hîc perfecti Judicis & Principis exhibet Samuel, circumeundo urbes Israëlis, totúmque se subditorũ commodis impendendo. Nervosè quidã Politicus: Curet, inquit, Princeps, ut in foro sit fides, in civitate justitia, æquitas in judicijs, auctoritas in magistratibus; in senatu majestas, & in judicibus gravitas. Discordiam à curia submoveat; omnibus rectè faciendi aut incutiat volutatẽ, aut imponat necessitatem; dominium à latrociniorum metu servet immune, fortuita non civium tantummodò, sed urbiũ damna munificentiâ vindicet; honor dignis paratissimus sit.

Et boni Judicis.

Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: & contemnã illud hodie, restituámq; vobis. 1. Reg. 12. Verba sunt Samuelis, & facta. Discant hîc Judices, Præsidésque cuncti generis, multitudinem subjectam, non ut duri

exactores

exactores, sed ut mitissimi patres tractare. Secùs, quàm faciunt illi, qui cùm publicum esse debeant inopiæ remedium, plebis publica fiunt calamitas: & gregem improbè tonsum, improbiùs deglubunt.

Acceperunt (filij Samuelis) *munera, & perverterunt judicium.* 1. Reg. c. 8. Iterum boni patris, mali filij. Sed de hoc alibi. Hic Iudices monendi, ne muneribus se corrumpi sinant, nam Horatio teste, Satyr. 2. lib. 2.

—— malè verum examinat omnis
Corruptus Iudex.

Munerum fallax, sed suavis est eloquentia. Aurum est occultus tyrannus, vim affert cupidis. Est offa medicata; latratum aufert Cerbero, Severitatem Iudici. Vnde Veteres pingebant Iudicum imagines, truncas manibus, ut ostenderent Iudiciorum innocentiam, & integritatem à munerum corruptela alienam esse oportere. Nam juxta Salomonem. Prov. 17. *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas Iudicis.* Præclarè beatus Petrus Damiani lib. 2. epist. 2. Filij, ait, Samuelis, nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt: & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israëliticæ principatum. Et notandum, quod Scriptura dicat: DECLINAVERUNT POST AVARITIAM, ACCEPERUNT MUNERA; protinus intulit: PERVERTERUNT IUDICIUM. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat judicialis censuræ vigorem; reprimit muta eloquentia libertatem. Accedit B. Greg. Nazianz. in Distichis. Auro loquente, iners est omnis oratio; persuadet enim illud, etiamsi nullam edat vocem. Unde Exod. 23. *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Et Tatianus: Munera sunt hami cibis illiti: & laquei prædâ operti. *Munerum corruptela.*



NARRA-

NARRATIO LIII.

SAVLIS IN REGEM HEBRAEORUM ELECTIO. 1. Reg. 9. 10.11.12.

Anno Mundi 2962. Ante Christum. 1091.



SAulem producimus, exordiô suî lætum; mediô varium, exitu lacrimabilem, & exsecrandum. Israëlitæ, ut suprà memoravi, cùm nollent ampliùs per ora *Iudicum* sibi jura dari, Samuelem, qui Prætoriam Præfecturam ultimus administrârat, adeunt, & *Regem*, cæterarum more gentium sibi præfici postulant. Quem dum ille circumspicit; fatorum tunc ignaro, non tam *Casus*, quàm mirifica *Providentia* cælestis manus obtulit. Erant *Ciso*, Saulis parenti, *Gabaa* civi, complures ad fæturam, & vectūras asinæ, quarum, ut saltuosis in locis fit, per incuriam pastoris, numerosa pars aberrârat ab armento. Saules comite servorum uno, requisitîs necquicquam per varia loca jumentîs, in Samuelem Vatem incidit, ac super asinarum statu consulit. Hic jubet eum securum esse pecudum, & animum ad potiora destinata, repositáque Palæstinæ bona porrigere; quippe mox futurum Regem. Simúlque DEI tam in eum benefici timorem ac reverentiam ingentem iterum iterúmque comendat, & inculcat. Exin Saulem, arbitrô jam nullô, in secessu quodã suburbij *Ramàtha*, regem sciscit, & inaugurat, super capitis verticem aliquot effusis olei guttis, addens, DEI se, non suis auspicijs agere, quidquid eorum ageret. Post impensum genis illius osculum, cùm erexisset humô trementem, ac rei novitate palpitantem, vaticinijs diversissimorum eventuum animat, monétque graviter, ut meminerit, quantocunque premeretur hostilitatis articulô, ne *Sacra* pecudis, aut aræ, sacrificiíque quidquam, nisi se præsente, sacrificandíque ritum præscribente, rex attingeret; vel ipsa religionis omissione, religiosiùs esse litaturum. Ita vale dicto Ramátham ipse; Saules Gabaam, repetituri, viæ se dabant.

Saul Rex inungitur clàm à Samuele.

Saul repentinus Propheta.

Dictu mirandum! Vix à Samuele digressus erat Saules, cùm rus omne pectoris, ac morum, excuti momentò, dilabíque; regios è diverso

è diverso spiritus & indolem, in se intrare sensit. In reditu domũ versùs, fortuitò offendit in Cantorum *Propheticum* agmen, quibus se associans, repentè mirum psaltem inter psallentes egit. Inde comitiis à Samuele *Masphام* urbem indictis, & sortibus super eligendo Rege ductis ex urna, sors Tribus Benjaminææ, & in ea ante omnes, nomen Saulis, divina temperatione emersit. Is non ignarus, regnorum securiorem aditum nullum esse, quàm qui fieret per regni fugam, in pedes & latebras se conjecit; ex quibus extractus, & in populi medium productus; cùm procceritate corporis, humerorum, capitéque tenus, omnium altitudinem superaret: primò confestim suî aspectu, cunctis speciem approbavit suam, præjudiciò futuræ majestatis, etiam è corporis magnifica forma plebeios animos, & opiniones occupante. Solutis Masphæ comitiis, & sortitione Regis, Saules, qui necdum omnis populi sibi conjunctos & obnoxios animos experiebatur, ad privatæ fortunæ conditionem tantisper se recepit; nec eum puduit ad pristinam agriculturam reverti, exemplo posteris seculis imitabili. *Saul Rex eligitur publicè.*

Interea subitæ tempestatis more Rex Ammonitarũ *Naases*, ingenti cum exercitu in Galaaditidem regionem effusus, *Iabessam* urbem, operibus, sitúque loci munitã, tanta vi oppugnat, ut deditionẽ paciscentibus, non alia fuerit conditio proposita, quàm ut singuli civium, dextrum oculum præbeant exsculpendũ. *Iabessitæ* impetratis septem dierum induciis, Legatos *Gabaam* ad regẽ novum dimittunt, suppetias rebus in arctis rogaturos. Fortè Saules ab aratro domũ redibat, boves ante se geminos agens; qui intellecta Iabessitarum calamitate, confestim ex Aratore, fortissimum se populi sui Ducem, gentisq; Regẽ ostendit; irruente in eum Spiritu cœlesti, qui veteres gentis illius heroas stimulavit, nam protinus, universo Civium adstante, spectantéque cœtu; arrepto, quẽ casus obtulerat, acinace militari, boum suorum utrumque mactat, dissecátque complures in partes; quas totidem ad ministerium illud delectis baiulis partitur, per omnẽ circumquaq; Palæstinam circumferendas; additâ denuntiatione cladis, ac vastationis domesticę, si quis decreto adversus Ammonitas bello, pręlióq; defuisset. Convenêre mox ad imperiũ Regis trecenta triginta pugnatorum millia. Pridie, quàm septiduũ induciarũ exierat, Saules Ammonitarũ adoritur castra; prorumpunt è portis quoq; ac mœnibus animosè Jabessitæ. Fit in hostes, partim sopitos, partim semisomnes & incompositos, atrox ex omnibus undiq; partibus prœlium: ora fodiuntur & oculi (id quod minati fuerant Hebræis) si qui congredi sustinuissent ex adverso. Sed paucis hostium tantum animi fuit ad resistendum; pleriq; ne primo quidẽ Israëlitarũ impetu sustentato, vel prælij tentatâ fortunâ, paventes, & inermes fugæ se *Saules ordi-tur regnum à victoria Ammonitarum.*

 mandare,

mandare; vel, si qui cum armis venissent, ijs abjectis, ad salutem in latibulis ac saltibus quærendam, omnes in partes, incerti dispergi: deviáq; petere, cùm pervia nusquam invenirent, ut jam non prælij, vel certaminis, sed lanienæ facies in castris esset, ne uno quidem, qui gladium levaret, in acie superstite, aut fugâ.

Hoste debellato, Samuel Vates, & Saules Rex, lætas inter acclamationes, & triumphales plausus, cum populo *Galgalam* urbem ad ineunda nova regni auspicia se conferunt. Ibi de novo Rex inungitur, regníq; insignibus induitur; populus sacrificijs, & epulis dat operā Samuel ingratis exprobrat divina beneficia, nimis quàm sæpe maleficijs repensa. in eo, quantū cœlestis indignationis promeruerint, demonstrat prodigiosa, repentináq;, sudô cœlô concitata tempestas, suscitatis enim momentò procellis, omne cæli lumen extinguitur; nubibus & caligine densissimâ, dies in faciem noctis inhorrescit, tonitruis insoliti tumultûs, atq; fulgetris insuetæ formidinis, sævit aër: mistæq; fulminum jactibus, imanes pluviæ, spissaq; grando, tecta domuū, strataq; platearum persultant; unóq; temporis articulô, Galgalorum urbs, locáq; finitima diu prius sicca, latissimè diffusis undis, tanquàm maris æstu stagnant. Tenduntur supplices Samueli manus; hic satis formidinis salutaris pertinaci genti injectum ratus, quibus precibus concitaverat tempestatem, ijsdem serenitatem cælo, & perculsis terrore mortalibus tranquillitatem reduxit. Post quæ, nunquam Regi se neq; multitudini, vel suis ad DEUM votis, vel fideli consilio defuturum, quoad in officio permanerent ipsi, contestatus, universos, ne recederent ab incorrupto, synceróq; DEI cultu: nisi *Regem* pariter atq; *Regnum* pessum ire vellent, novissimè, gravissiméq; cohortatus est. Id promittentibus omnibus, quod erant præstituri pauci: Ramatham Samuel; Gabaān Rex Saules; populus suam quisque domum repetunt: omnes non minùs belli gloriâ, quàm spolijs, ovantes & opulenti. Saules primô imperij bienniô charus mortalibus, charior longè DEO, quippe qui mentis innocentiam, animíque demissionem, fraudis ac fastûs ignarus, Divinæque Legi per omnia morem gerens, egregiam præ se tulerit; felicissimus Principum, si quo pede cœpit, eodem progressurus fuisset. Sed quia benè inchoatis constantia defuit, se, familiámq; suam in exitium præcipitavit. Id quâ ratione contigerit, sequenti narratione expediemus. Nunc discendum.

Saul prodigiosa tempestate Judæos officij admonet.

Saulis initia bona.

DOCTRINA.

QUę adhuc de Saule memoravimus, multarū feracia laudū sunt. Enumeremus quasdam cū Scriptore sacro. Is 1. Reg. c. 9. v. 2. *Et non erat de filiis Israël melior illò.* Vide virtutē viri, & miserere lapsum.

Hinc

Hinc cap. 13. verſ. 1. dicit idem divinus Hiſtoricus : *Filius unius anni erat Saul , Cùm regnare cœpiſſet , duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël.* Ecce innocentiam Regis , tanquam pueri unius anni , fraudis & faſtûs ignari. In qua innocentia non ampliùs biennio perſtitit , ut adeò viginti duobus, quibus regnavit annis , non niſi duo fuerint , quibus officium Regis & viri boni præſtiterit. Quæ Saulis defectio , commonefacit nos incredibilis humanarum voluntatum inconſtantiæ , volubiliſque mutabilitatis : Quæ mortalium omnium , ex æquo , ſtatum , ac conditionem percurrit , evertitque. *Inconſtantia hominis*

Omen Regis Sauli fuit , aſinarum inquiſitio. Diſce Nobilitas, ex agaſonibus reges fieri ; & ad proavos regrediendo, viliorũ ne ſperne lacernas, nepotum inflatus purpurâ. Memineris, quod legimus in lib. Jud. cap. 10. & 12. *Filios Principum vehi ſuper aſinas* ; ut ex ijs conſcendant equos. *Non innitendũ ſtemmati.*

Saul monitus à ſervo, Samuelẽ inquiſivit. Magna laus, quod conſilio famuli inductus, quem aſpernari poterat, Vatis congreſſum appetierit. Inde plurimi Principum ad altũ decus enixi, tum verè cœperunt imperare, cùm ſapientum monitis parêre didicerunt. *Virtutes Saulis.*

Alterum decus eſt, quòd monentem Samuelem attentiſſimè audierit, ſéque in omnibus morigerum præſtiterit, non incredulus ad ſtupenda ; & ignobilitatem generis faſſus ingenuè , nec deſperabat ardua, nec ambiebat injuſſa ; ſpes premebat optimas, nec tamen præcipitabat.

Deinde capeſſit imperium, ſimilis fugienti, & acceptum demiſsiùs gerit, ruſticanæ adhuc affixus vitæ ; aratrum laureis conſecrat. Nolebat inſuetos populorum animos terrore magnitudinis obruere ; ſecuriùs ſe regnaturum æſtimans , ſi pro illis magis , quàm ſupra illos poſitus videretur.

Et prophetavit in medio eorum. cap. 10. verſ. 10. Saul inter Prophetas Prophetam egit , id eſt , Pſalten. Bonæ hic fructus Societatis eſt. Ortum exinde adagium : *Num & Saul inter Prophetas?* Quaſi anſer inter olores. Acutè Epictetus : philoſophari deſideras ? para te ipſum , quaſi irridendus ſis , & audire debeas : unde novo huic ſupercilium philoſopho ? *Bona Societas.*

Cæterùm

Cæterùm, viri illi, qui Prophetæ vocantur, futura non prædicebant; sed erant viri Religiosi, qui à turba secedentes vacabant DEO, illíque hymnos & laudes concinebant, tum voce, tum instrumentis musicis, quos Samuel instituisse videtur. Hinc igitur primi quasi Religiosi, quos in S. Scriptura invenimus. Pro quibus postea David psalmos composuit. *Cornel. à Lapide (in hunc locum.)* Eos Chaldæus vocat *scribas*, quippe Sacræ Scripturæ describendæ, legendæ, discendæ, meditandæ vacantes.

Unde primi Religiosi.

Saul altior fuit universò populò, ab humero, & sursum. c. 10. v. 23. Multum confert ad regiam majestatem dignitas corporis, & proceritas staturæ. Sic Anchises à Marone celebratur *Æneid.* 8. *cunctis altior ibat.* & Turnus *lib. 7. toto vertice supra est.* & Traianum ,, suū laudat Plinius (*in Panegyrico*) Quòd non humeris hominum, ,, ut alij superbi Imperatores veheretur: sed sola corporis pro- ,, ceritate elatior & excelsior, non de patientia civium, sed de ,, superbia Principum triumphâsset. Et Latinus Pacatus ad Theodosium Magnum *in Paneg.* quem animo & corpore magnum prædicat, ubi inter alia: Non frustra, inquit, opinione ,, sapientum augustissima quæque species, plurimum creditur ,, trahere de cælo. Sive enim divinus ille animus, venturus in ,, corpus dignum priùs metatur hospitium; sive, cùm venerit, ,, fingit habitaculum pro habitu suo; sive aliud ex altro crescit: ,, & cùm se paria junxerunt, utraque majora sunt. Et subdit: ,, Virtus tua meruit imperium: sed virtuti addidit forma suffra- ,, gium; illa præstitit, ut opporteret te Principem fieri; hæc, ut ,, deceret. Et Euripides ait: præstantissima forma digna est imperiò. Et hæc caussa est, quare proceritatem corporis Veteribus heroibus affinxerint Poëtæ; est enim ea sedes animæ dignior, & ad obeundas operationes insignes congruentior.

Dignitas staturæ.

Filij verò Belial (homines rebelles) *dixerunt: num salvare nos poterit iste? Ille verò dissimulabat se audire.* c. 10. v. 27. Egregiè Seneca ,, *lib. 1. de Clementia*: Regibus, ait, certior est ex mansuetudine se- ,, curitas: quia frequens vindicta, paucorum odium reprimit, omnium irritat. Et quare Reges unctione consecrantur, nisi ut meminerint, lenitatem cum majestate miscere. nam Seneca teste: ,, Qui vult amari, languida regnet manu. Quis enim invisa imperia retinuit diu? Vsurpandus amor apud populares, metus apud hostes. Et S. Bernard *ad Eugenium Pont.* Pauca, inquit, ca- ,, stiges, multa dissimules.

Laus Saulis à clementia

Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta. 1. Reg. 11. v. 7. In re subita, opus est animo heroïco, & excelso. Vrgebant novum Regem, milite destitutum, hostium vis, & angustia temporis. Itaque

Consilium in re subita.

Itaque subditorum animos ut ad celerem vindictam accenderet, pro face, terrorem admovit; juxta veterem Trochaicum.

Ad bonum, quos non traducit ratio, permovet metus.

NARRATIO LIV.
SAVLES A DEO REPROBATUS, MALE PERIT.

1. Reg. cap. 13. 14. 28. 31.

Annis Mundi. 2968. &c. & 2979. Qui fuit ultimus Sauli.

Ante Christum 1085. &c. & 1048.



Uantam obsequii promptitudine exigant, & constantiam, quæcunque vel apertè, divinitus; vel humanitus quidem, sed tamen sic quoque DEI jubentur auctoritate, luctuoso non minùs documento, quàm perpetuo monumento Saules est, primus gentis Hebrææ Rex, cujus caussam, modúmque *Reprobationis* exponemus.

Philisthini, jurati Israëlitarum hostes, illatam, per *Jonatham* Saulis filium, cladem ulturi, *Galaaditidem* regionem valido cum exercitu invaserant, latéque formidine circumlatâ, etiam urbi *Galgalis* iminentes, Saulem, qui tum ibi morabatur, magnas in angustias conjecere, dilabentibus plerisque per summam ignominiam, Israëlitarum non modô copijs, sed etiam viritim in singulos dies militibus. Perstitit tamen Rex, præceptorum Samuelis memor, sex ipsos dies. Restabat septimus, quem Samuel disertè, signatéque præfinierat. In quo mandato, quoniam DEI fuerat, non hominis; quærendum non erat: cúrnam dies sex exspectationi tam periculosæ, non sufficerent? sed septimus insuper requireretur, ad populi trepitationem, ac periculi magnitudinem augendam? cum enim quidpiam à DEO præcipitur, vetatúrve: tota præcipiendi, vetandíque ratio, ipse sibi DEVS est: qui leges & jura dat; legum autem caussas, & demonstrationes dare neque solet, neque debet. Illuxerat dies septimus, & verò magnis jam passibus procedebat. Nondum præstò Samuel erat. A tergo, lateribúsque Philisthæus instabat hostis: & qui pellendo hosti collectus miles Hebræus erat, adhuc in singula momenta, tanquam autumni frigore folia, divolabat. Neque tamen adhuc id, cujus causâ Galgala Rex petierat, & ibidem tot dierum

moram devorârat, perfectum erat Sacrificium, destinatum ad DEI favorem & gratiam, bello tam duro, præmolliendam. Tot igitur ac tantis gerendæ rei difficultatibus circumvallatus Saules, Sacrificium aggressus; non suismet quidem (quod aliqui volunt,) fortasse manibus (quippe Regno, non Sacerdotio consecratis) sed Pontificis *Achiæ* operâ, quem in castra secum adduxerat: litavit quidem, & perfecit hostiæ flammam atque cineres. Sed quantùm victimam, tantùm Numinis indignationem accendit: cujus testis & interpres statim factus est Samuel. Is namque Sacrificio jam consummato superveniens, cùm obviam egressum, honoris ac reverentiæ causâ Saulem interrogasset, idque succensentis, non ignorantis, stomachô: QUIDNAM FECISSET? cum nequaquam, pro spe regis excepit. Nam ipsum purgare se, necessitatis extremæ legibus conantem, graviter increpare, severéque cæpit: quippe qui non exspectando septidui novissimam lineam, haud inobsequentem duntaxat præcepto Numinis, sed planè rebus quoque suismet malè consulentem, ac stultum sese præbuisset. Obtemperandum fuisse DEO, tametsi morte quoque sua, residuæq; multitudinis internecione, cælestis imperij staturum fuisset obsequium. Ac potuisse DEI potentiam non modò vivos in tutum, & libertatem: Sed etiam interfectos, in vitam, aciémq; revocare. Quanquam minimè gentium id in fatis fuerit, ut à Philisthæis tunc delerentur: quorum gladios, sicut à cervicibus Hebræorum, divinæ manûs præsidium sex antecedentibus suspendisset diebus; ita cohibere potuisse, reipsáque cohibiturum esse, sub septimæ quoq; lucis finem atq; fugam. Potius id destinatum (cum exceptione tamen) fuisse; sub idem hoc tempus, & populi sui securitatem, hostium occidione, præstare tranquillam: & Saulis domũ atque stirpem æternitate regni constabilire. Nunc autem vitiô regis (quippe DEO suo nec innitentis, in rebus arctis, nec ad præscriptum obtemperantis) neque radices porrò, neque ramos aut frondes trusurum esse Saulææ familiæ sceptrum: sed exarescente propagine dominatûs, in ipsis suî principijs, habiturum finem. Jam enim alio de rege subrogando cogitari, qui rex, spretum à priore Numinis imperium, obsequendi promptitudine resarciret. Idque non tantummodò deliberatum in cœli curia, sed penitus etiã conclusum esse: decretúmque jam factum irrevocabile.

Saul graviter delinquit Sacrificando intempestivè.

Pœna Peccati Saulis.

Samuelis tam vehemens, támq; inexspectata regijs auribus increpatio, divinationi conjuncta, quantos in animo Saulis cogitationum fluctus excitârit: tametsi perscriptũ Sacris in Voluminib⁹ non sit, conjecturæ tamen difficultatẽ, apud humanarũ affectionũ intelligentes, nullam habet. Sauli quidẽ certè, tam multis antehac nominibus probato regi, brevissimã unius dieculæ morã non pertulisse,

tulisse, gradus fuit primus, ad omnes deinceps reliquæ vitæ luctuosos dies. Nimirum nihil unquam censeri parvum debet; quod mandat ille, cui sua minimis etiam in rebus, summa semper majestas constat.

Samuel cùm tristi illa denuntiatione perculsum Saulem reliquisset, concessit in urbem Gabaam, ubi tū cum præsidio mille virorum Ionathas, Saulis filius, agebat, ad Philisthæorū, vicina loca insidentium, excursiones prohibendas. Fortissimū Regij Iuvenis facinus, cum pari gloria conjunctū, non possumus non hoc loco, ita ferente historiæ serie, commemorare. Philisthæorū castra stabant medio, inter *Machmas* (urbem tribûs Ephraimææ australē) loco, prærupto, & pænè inaccessô; ideóq; minùs custoditô. Ea re animadversa Ionathas, cui & sua dignitas, & ætas, & conscia virtus, & quod caput est, singularis Numinis afflatus animos faciebant; circumspicit opportunitatē egregij alicuius facinoris perpetrandi; communicat consilium cū adolescente armigero suo, ad Principis mores ac voluntatem facto, fictóque. Adrepunt duo soli per asperrimas cautes ad Philisthinorum stativa: invadunt excubitores, iísque proximos; nec pauciores, viginti prosternunt. Injicitur trepidatio totis castris, terrorem augente inusitato terræ motu, & hostiū animos ita perturbante, ut, dum in fuga alij alios aut retrahunt, aut implicant, in se ipsos arma converterent (quod etiam tempore Gedeonis factum) & mutua se cæde trucidarent. Saules quoq; recollecto exercitu facit impetū in territos, magnámque cladem edit. Sed quia copiarū hostilium multitudo non uno in loco erat vincenda: Saules prosequendæ victoriæ cupiditate incensus, juramento suū, & uniuscujusque caput obstringit, vitę propositô suppliciô, si quis ex omni militū numero cibum antè sumpsisset, quàm universum hostilē exercitum rex delevisset. Victoriâ partâ, consultum Oraculum, num ea strage satis litatum esset Vindictæ bellicæ; cùm responsum nullū redderet, per sortes inquisitum est, in caussam silentij; compertúsque *Jonathas*, & propria confessione deprehensus mel linxisse silvestre, summitate virgæ ad favū extenta, ignarus tamen adjurationis paternę, & gravis inediæ necessitate adactus. Fuerat tamen ille linctus capite staturus, nobilissimo & fortissimo Juveni, nisi populi deprecatio intercessisset, negantis victoriæ suæ principem, & auctorem, fieri victimā oportere. Quod quidem Saulis edictum, eíque pœnam adjunctā dum alij nimiæ severitatis damnant, alij absolvunt, nos in medio relinquemus; & alterā *Reprobrationis* miseri regis caussam referemus; quæ fuit alterius mandati neglectus.

Fortissimum facinus Ionathæ, Filij Saulis.

Jussus quippe à DEO Saules erat, *Amalecitas*, gentē Palæstinę, cujus scelera mensuram expleverant, radicitus excindere: non sexûs ullâ, non ætatis, aut formæ misericordiâ; neque gregum

& armentorũ, ceterſq; pecoris ullo reſpectu: neq; rerum ac fortunarum hoſtilium, aut ſpoliorum ulla cupiditate; ſiquis hoſtili jugulo pepercifſet, hunc in proprium caput crudelẽ fore: daturúmque pœnas, quia pœnas non ſumpſiſſet. *S*aules, proſtratis magna cæde Amalecitis, regnóq; devaſtatô, cùm omnia, quæ viva, juſſu DEI trucidanda; quæ capta, ferro, flam̃áque deſtruenda fuiſſent; cùm ipſe, tum milites regem Amalecitarũ ***Agágum***, è fuga retractum, conſervandũ ſibi ſumpſerunt pro triumpho; veſtimentorum inſuper pretioſiora: gregum & armentorum pinguiſſima quæque: denique ſupellectilium, & opum potiora, magiſque ſpecioſa ſibi quiſque, vel regi ſuo reſervarunt. Nec aberat improbitati titulus, opimior DEI cultus, & pinguiores in Sacrificia victimæ: donariáq; Tabernaculi, captivum aurum, ac veſtes. Quâ re intellectâ *S*amuel, irati Numinis vindictã iterum Sauli denuntiat, ob contumacẽ arrogantiã. *S*imúlq; bobus omnibus obeſiorẽ ***Agágum***, graviter ob tyrannidis crudelitatẽ increpitum, ac mortis propinquitate contremiſcentẽ, ſupérque acerbitate vicini fati quiritantẽ, ad arã trahit; impellentéque DEO, gratiſſimam cœlo victimã facit, ſuápte dextra conciſum in fruſta. Quô peractô, ***Ramátham*** ipſe, relictô perpetuò *S*aulis conſortiô, ſe refert. Ibi multùm, ſed incaſſum, deplorato *S*aulis caſu; à DEO Bethlehemum, oppidum Iudææ Tribûs, ablegatur, Ieſſæque filium Davidẽ, novendecim tunc annos natum Sauli ſubſtituit, ac Regẽ inungit, ſeptẽ eius fratribus, ætate majoribus, neglectis. Ex quo temporis puncto Saules, tametſi pro rege ſe gereret, ad extremum uſque vitæ ſpiritum: mortalibus quidẽ pleriſque Rex; Samueli verò, Deóque regni tantum̃odò procurator eſſe cœpit, Davidis vices obiturus.

Ob inobedientiã Saulis, regnum in Davidem transfertur

Hanc autẽ rerum, ac functionum mutationẽ invexerat repentina Saulis è viro bono, degenerẽ in virum, tranſmutatio: potiſſimùm cognitæ divinæ Voluntatis, nec tamen operibus expletæ, culpa. Spiritu dehinc privatus eſt illo, qui Regibus ad idoneã gubernationẽ perneceſſarius eſt; & in vicem nefariô bilis atræ Geniô inſeſſus, in alia ſuper alia delicta præceps ruit, ingens mortalibus omnibus exemplũ, ſuópte damnô, primos ut poſt lapſus, quàm maturrimè reſipiſcant, niſi triſtiùs perire velint. Nam & ***Davidem*** optimè de ſe, déque regno ſuo meritum, generũ inſuper ſuum, ſæpius lanceâ transverberare, alióve mortis genere, de medio tollere conatus eſt; & ***Abimelechum*** Pontificem, cũ octoginta quinque *S*acerdotibus, quòd fugienti Davidi receptaculum conceſſerant, cũ univerſis Nobæ urbis incolis contrucidavit, tectáque ſuccendit. Ad artes denique magicas confugit, Samuelẽ è tumulo excitaturus; cujus minax ſpiritus ultro ſe aſpectabilem reddens,

Saulis ſcelera.

reddens, postridianam cladẽ interminatus est. Saul enim tribus cum filijs, à Philisthæorum exercitu cæsus, ac profligatus est. In fuga, spe salutis abjecta, furijs agitatus conscientiæ, timénsq;, ne hostium insequentium in manus incideret (à quorum sagittis jã vulnus acceperat) consilium interficiendi sui concipit; direptum vaginâ gladium pronus in medium defigit corpus; quẽ continuò, furoris eodẽ genere sectatus armiger, & ipse necem infert sibi. Hostes in promiscua strage, Saulis & filiorũ corpora deprehendunt; illum regijs ornamentis exuunt; cadavera fœdè truncata, denudatáque, ex mœnibus urbis Betsamis suspendunt; quæ de nocte à Iabesitis civibus ablata, publico civitatis luctu, terræ mandata sunt. Caput verò Saulis præcisum, in templo Dagonis idoli, tanquã anathéma suspensum à Philisthæis. *Et scelerum supplicia.*

Sed quid juvant Saulem honores tumuli, si anima sepulta sit in Tartaro? Itaque filiorũ (quod mireris) optimi quique, fortissimíque prœlio sunt cæsi: deteriores reservati, non ad gloriam Saulis, sed ad opprobrium. *Isbosethus* enim, animi nequaquã militaris, à latronibus, meridians, dormiénsque trucidatus; de quo postea. Ionathæ verò filius, *Mipbibosethus*, patris optimi, natus non malus; DEO tamen *Avi* scelera, vel in nepotibus castigante, captus pedibus fuit: &, fortunâ sæpe magis, quã pede claudicans, alienò vivere coactus est arbitriò, cibo, tribunali. Filij præterea, quos è *Respha* concubina suscepit Saules, carnificũ manibus transmissi, in crucem sunt acti. Patruelis *Abner*, à *Ioabo* copiarum Davidis duce, turpi, fœdóque vulnere missus est ad plures; ne superaret, qui Saulis familiam, in regni propagandi spem, excitaret unquam, aut fulciret. *Michóli*, Saulis filiæ, ne liberos quidem unquã, è Davide marito, largiri DEVS dignatus est: ut nec femina quidem ulla, Saulææ stirpis aliqua favilla superesset.

DOCTRINA.

Pravitates Saulis enumerantur.

IN Saule eluxerunt virtutes aliquæ, quas supra indicavimus, sed eas vitia longè plura obtenebrarunt. Prima illi labes, *animus anceps, & bifidus*, qui DEO non erat affixus, sed pendulus, sua circumspiciens, nec divina satis æstimans, Regni magis cupidus, quàm Regnanti DEO subjectus; Religionis non expers, sed præposterè curiosus. Cùm omnia illi à DEO per Samuelem obtigissent, hunc spectare, hunc colere, hunc sequi, nisi læva mens fuisset, oportuit. Et dum nimis pius esse studet, fit impius, & de sacrificio sumit pœnam, qui de obsequio debuit auspicari decus.

Altera labes, *contumacia obsequendi.* Amalecitas funditus

 delere

delere jussus, parcit Regi, & opimis gregibus, perficaci misericordiâ, & avaritiâ clemente, servans in suum exitium, quod perdere in DEI honorem debuit. Quod ei exprobrans Samuel, ait 1. Reg. c. 15. *Nunquid vult Dominus Holocausta & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ.* Quia, „ inquit S. Gregorius, per victimas aliena caro, per obedien-„ tiam propria voluntas mactatur. Et Salom. Proverb. 21. v. 28. *Vir obediens loquetur victorias*, & triumphos canet de hostibus victis. Vicit Saul, dum jussus pugnat; victus est, dum injussus, imò contra jussum, parcit:

Tertia malorum radix, feralis in Davidem *invidentia*; quam ingens viri celebritas in dies accendebat, imbecillitatis suæ conscio. Hinc odia manifesta, & cædes Sacerdotum tragicæ. Præ-„ clarè Seneca *lib. de Clementia*: Principibus quidē, inquit, invi-„ deri, & invidere cognita mala sunt: sed invidere majus malum „ est: invideri enim virtutis est; invidere infirmitatis & in-„ saniæ.

Quarta exitij caussa, *Magia.* Ubi Superos flectere non potuit, Acheronta movit, Pythonissam consuluit, hoc est, anum divinatricem, necromanticam, Sagam. Hic apex scelerum, & malorum omnium cumulus in hominibus, ubi per artes illicitas tentant scire, quæ Numen voluit ignorari. In qua re tantò Saules detestabilior fuit, quantò laudabilior antè, cùm regni initiò, magos, ariolos, pythones, mulieréſque pythonissas ex Israëlis omni regione eradicavit.

Quinta perditionis, & quidem æternæ, caussa, *sui ipsius interfectio.* Deliquerat Saules, & graviter, & frequenter: milliésque mortem commeritus erat. Hanc igitur eum DEUS opperiri voluit, interprete Samuele: moréque *Rei*, capitis damnati, cervicem hosti, tanquam immisso carnifici præbere. Non erat ergo sumenda mors capiti nocenti; sed acceptanda: nec præripienda, sed pacatè toleranda. Delevisset sanguine, quidquid improbâ vitâ maculârat. Nunc, quoniam sibi ipse violentas manus intulit, priusquam tumulum corpus in terris acciperet, anima sepulta fuit in Tartaro. *Solus enim DEUS vitæ & necis potestatem habet.* „ Sapient. 16. Et agnovit Tullius, *Tuscul. 1.* Vetat, inquit, domi-„ nans ille in nobis DEUS, injussu hinc nos suo demigrare. Et Se-„ neca, *Epist. 24.* Vir fortis & sapiens non fugere debet è vita, sed „ exire. Et Curtius *lib. 5.* Fortium virorum est, magis mortem „ contemnere, quàm odisse vitam. Et Plato *in Phædone* censet, majori supplicio afficiendum desertorem vitæ, quàm desertorem militiæ. Convenit in Saulem eppigramma Martialis lib. 2.

Hostem

Hoſtem cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

Ad extremum diſcant Reges & Principes, Homines eſſe ſe, non hominum DEOS, ſciántque, quàm ipſi jus dicunt populis, tam, de ſe quoque judicium à Numine factum iri. Proptereáque quàm reverenter haberi volunt ipſi à ſuis clientibus in terra, tam ipſi DEUM habeant in cœlo: nec agant ex Arbitrio cuncta, ſed è Legibus. Fit enim ut plurimùm; ut, qui plus ſibi licere putat, quàm par eſt; plus quoque velit, quàm liceat. Id quod in Saule res ipſa docuit: qui parvis ab initijs, ſimulac indulgere cæpit animo ſuo; prorumpere paullatim auſus eſt in fanda pariter, infandáque: Sacra, profanáque, victimas atque cædes, humana denique divináq; permiſcendo; donec is tandem, qui ſine fræno dominari voluit, nec ad præſcriptas à DEO, regni leges tractare regnum; licentiæ ſuæ neque curſum potuit, neque metam, tenere. *Saulis periculo Sapiant reges.*

NARRATIO LV.

DAVIDIS DVELLUM CUM GOLIATHO GIGANTE.

1. Reg. 17.

Anno Mundi 2971. Ante Chriſtum. 1082.



Bethlemiô David oriundus oppidô, Tribûs Judæ, patrem habuit *Iſai* ſeu *Jeſſe*, virum ruſticanum, ſed agri divitem, & copioſum. E ſeptem fratribus, natu minimus, paſcendis gregibus erat admotus. Comendabat adoleſcentem præ cæteris, formæ dignitas, peritia tractandæ citharæ vocíſque ſuavitas ſingularis; quâ jam tum inter ſilvas ac paſcua compoſitos à ſe, diverſis carminum menſuris, pſalmos modulabatur. Ac plectro quidem ad barbiti chordas: manibus autem ipſis, quoties caſus & res exigerent; ad pugnas utebatur. Prima certaminum ei rudimenta, ſilveſtres adverſùm feras, ovilium vaſtatrices, inciderunt. Quibus cum adeò non operoſa fuit ei luctæ moles; ut (quod Siracides feſtivè dixit) *cùm leonibus, quaſi cum agnis, & cum urſis, quaſi cũ oviculis, victor luderet.* Ferociſſimas quasq; beſtias, aut caulis iminentes, aut inde cum præda revertentes, ultro prior ipſe velo- *Davidis paſtorculi præludia fortitudinis.*

ciſſimo

cissimo persequebatur cursu; comprehensas manibus nudis, arreptô mentô, jugulóve conficiebat. Hæc certamina præludium fuerunt, illius periculosissimi cum Philisthæo *Goliatho* duelli: quod in ætatem *Davidis*, vicenniô paullô majorem incidit. Ea pugna ita se habuit.

Goliathi terror.

Turbantibus iterum pro inveterato odio Philisthæis, & arma movētibus in Hebræos, David ex aula regia Saulis, ubi psalten egerat, ad pascua sua remissus est, haud inter se conveniente, cytharæ, tympanorúmq; sonitu. Vicina locârant inter se castra Hebræi, Philisthæíq;, hinc & hinc in colle, parati ad pugnam, si fortè hostis in vallem interjectam, certamen conserturus descenderet, quod mutuis clamoribus sæpius poscebant. Quadragesimum jam diem, ducebatur magis bellum, quàm gerebatur, neutris aleam tentantibus; quo tempore, *Goliathus* quidam, gigantæâ staturâ, & armis robori paribus ferox, in medium progressus, truculenta voce provocabat ad pugnam, si quis ex omni Hebræorum numero prodire contrà, secúmque componi sustineat, déque imperio gentis utriusque dimicare. Quæ minæ, & convitia, cùm arrogantiâ, fastúq; barbaro quotidie jactarentur, neminem tamen Hebræorum excitârunt, ut vel publico dedecore, vel privatâ gloriâ, vel promissis à Saule divitijs, & tributorum immunitate, vel regiæ filiæ conjugiô, ad ineundum singulare certamen se permoveri pateretur. Tantum omnium animis incusserat terrorem oris truculentia, & corporis in hostili provocatore vastitas.

Sub idem ferè tempus venit in castra David, admodum, ut dictū, adolescens, missus à parente cum commeatu ad fratres, & munusculis ruris, ad tribunum perferendis; cùm more suo procedit gigas, consuetáque ferocia, & insultatione lacessit, si quis esset, qui secū cominus congrederetur, suæque genti vel æternam servitutem victus, vel imperium afferret victor. Vbique rursus trepidatio, & fuga inter Hebræos; ut idcirco suam illis timiditatem quotidianis contumelijs exprobraret barbarus, qui in tot bellatorum millibus non inveniant vel unum, totius qui gentis abstergat dedecus: & periculô suô, ceterorum pudori consulat. ubi nunc cum suis armigeris Ionathæ, qui nuper Philisthæis castris tantas trepidationes intulissent: ubi Saulis gloriosæ de Ammonitis & Amalecitis victoriæ? ubi ceteri heroës circumcisi, tot egregijs bellorum facinoribus clari? Hîc *David* non magis ferocem hostis superbiam, quàm imbellem suorum consternationem miratus, intellectis, quæ victori promissa erant, prœmijs, spiritus concepit DEO plenos, & ad dimicationē paratos. Quod advertens *Eliabus*, fratrum natu maximus, jussit eum cū objurgatione ad sua se pascua referre, & inconsultam fero-

Davidis animus contra gigantē pugnandi

ferociam in tuendis gregibus ad cæteros opiliones oſtentare; linqueret arma viris; quæ puerorum eſſent, tractaret ipſe puer. Non ideò tamen ab incœpto deſtitit juvenis, vires & animos ſuggerente Numine. Res defertur ad aures Regis: ſiſtitur coràm adoleſcens: imparitas ei certaminis objicitur, & inexperta adverſus veteranum bellatorem militia; quibus ipſe reponit victorias à ſe de belluis relatas, haud ſanè formidabiliorem ijs eſſe thraſonem illum allophylum, Martem in lingua magis, quàm manu geſtantem. Delectatus ea Rex animi magnitudine, pugnâ poſcenti permittit; útque humana cum divinis præſidia conjungeret, armis ex armamentario ſuo depromptis jubet indui adoleſcentem, magis id patientem, quàm optantem, quippe, quem fiducia Numinis, omni firmior chalybe obarmârat. Sed cùm ijs corporis munimentis plus impedimenti, quàm ineſſe ſubſidij videret, exutâ cataphractâ, ad arma ruris, baculum, peram, fundam, & lapides, quos fortè de torrente ſelegerat, convertitur, atque in pugnam procedit.

Graditur ex adverſo Philiſthæus, magna ſe mole ferens, qui juvenculum intuitus inermem, nullóque dimicationis apparatu formidabilem, in quo debellando plus pudoris, quàm gloriæ colligeret, indignabundus juſſit è conſpectu faceſſere imbellem canem, niſi portinus mallet proteri pedibus, & corvis fieri pabulum; conjectîs etiam in Hebræorum DEUM contumelijs, miníſque cœlo intentatîs. Non minus animi, ac linguæ Davidi fuit in repellendis minacijs, quàm Philiſthæo in inferendis, præſertim cùm ſpiraret iras, non ab humano robore, ſed à præſenti Numinis auxilio metuendas. Poſt velitationem verborum, ad decretorium certamen venitur, ſpectantium mentibus varia exſpectatione ſuſpensîs; Philiſthæi certa jam ſpe victoriam devorârant; Judæorum alij temeritatem adoleſcentis damnabant: alij rem incertæ fortunæ committebant. Jam Goliatus toto corpore cataphractus, obviàm ſe tulerat, ingentem manu haſtâ vibrans; cùm David, ocyus emicat, ſilicem rapit è pera, imponit fundæ, librátque ictu tam deſtinato, ut excuſſus, mediam Philiſthæi feriret frontem, fractóque cerebro hæreret fixus. Bovis inſtar, vaſta procumbit moles; David ſuperſtans jacenti, caput amputat gladio, ex adverſarij vagina eductô, cúmque opimis ſpolijs ad Regem Saulem contendit. *David Goliathū proſternit.*

Eô ſpectaculô fracti animis Philiſthæi, in effuſam mox fugam ſe dederunt attoniti, perſequentibus Hebræis, & terga cædentibus, tanta ſtrage, ac ſi omnium capita, unius in Goliathi corpore ſtetiſſent. Fugatis, conciſíſque hoſtibus, reverſus eſt in civitates ſuas victor exercitus, lætitiâ triumphans, & ſpolijs *Triumphus ex victoria.*

 dives.

dives. Rex Saules, cum Ionatha, cæterísque filijs, curru regio sublimis ibat; hinc *Abner*, aliíque militiæ Duces vehebantur, & inter eos David, publicę lætitię fons, & caput, vestimentis, armísque Ionathæ refulgens, manúque famulari caput inimicum in conto præferens; (gladium hostilẽ postea in Sacro Tabernaculo dedicavit) omnes redimiti coronis, & palmis insignes. Ante currus agebatur multa Philisthinorum in vinculis turba, servituti mancipata: interstrepentibus militari clangore tubis, & lituis, festóque bellicorum tympanorũ fragore. Huic agmini triumphali, obviàm ex urbibus undequaque prodierunt puellæ Hebrææ, festivis cantibus & choreis, victores salutantes. Suma *epinicij* erat: *Percussit Saul mille, David decem millia.* Atque ut felicitatis comes est invidia, mulierum illo minùs temperatô laudandi studiô, David in bellum aliud pertractus est, priore diuturnius, molestiúsque; in quo cum Saulis invidi Regis odijs, amore: cum illius malefactis ac perfidia, beneficijs ac fide concertavit, octo ipsis annis, in varia, atrociáque mala, per omnes Chananitidis regiones circumactus. De quibus subinde plura.

Et invidia.

DOCTRINA.

QUemadmodum Spiritus Domini Davidem suaviter affecit: ita impiũ Saulem deseruit. Quod fasti Regii testantur: *Spiritus autem Domini recessit à Saule* 1. Reg. 16. Sauli velut degeneri filio, jam repudiato, subtraxit DEUS spiritũ *principalem* illum, regibus necessarium, spiritum sapientiæ ac fortitudinis, concessítque eum Davidi. Ab eo tempore, Saul nihil egregij facinoris patravit. Qualis autẽ Rex fuerat, talis & exercitus illius, timidus, imbellis, effeminatus. Unius hominis Goliathi vox fugavit omnes. Nimirum totis castris Saul metũ infudit. Tanti militiæ dux est. Et rectè dicere solebat Chabrias, Atheniensis Dux clarissimus: Terribiliorẽ exercitũ esse cervorum duce leone, quàm exercitũ leonum, duce cervo.

Ecce Spiritus Dei malus exagitat, te. 1. Reg. 16. Laudanda libertas Palatinorũ, apertam Regi veritatẽ in os ingerentiũ. Fuissent, qui blandissimè dixissent, non esse nisi atram bilẽ, seu paullò graviorẽ melancholiã; at isti nihil tegunt, nihil dissimulant; affirmant, quod res est. O magni Principes, quoties desunt, qui vobis verũ enuntient! Tegunt, fucant, comunt, dissimulant, centũ laruis obvelant veritatem Placentini vestri, dicam, an Palatini.

Aulicorum Saulis sinceritas.

Suavis DEI Providentia voluit Davidem, Aulicum aliquamdiu agere in Aula Saulis, ídq; ante occupatũ Regnũ; ut sensim discceret, suo se tempore rebus gerendis applicare; útq; per adversas, variásque insidias, ad sublimitatẽ regni eluctaretur. Vult nimirũ DEus, ut ad soliũ aureum, sed per gradus ferreos ascendamus.

David exercitiũ virtutis in Aula habuit.

Stupebant

Stupebant ac metuebant nimis 1. Reg. 17. Reliquis trepidantibus, imperterrito animo David constitit, cui spes erat victoriæ in solo DEO posita. Sic, sic, ait August. *Serm.* 5. *de Verb. Apostoli*: „ aliter non, omnino aliter non prosternitur inimicus. Qui pu„ gnat viribus suis, antequam pugnet, prosternitur. Et Chry„ sost. *homil. de David & Goliath*: David dixit ad eum: Tu ve„ nis ad me fidens in gladio, ego in DEO; tu terrenis armis dimi„ cas, ego cœlestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in „ clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute, ego „ in potentissimo adjutore. Denique in te tua arma vertentur, „ in te tuus gladius exeretur. DEI est enim hæc pugna, DEI „ erit & ipsa victoria.

Victoria à Deo.

Quinque sibi lapides selegit David, quorum unicus Philisthæo bello finem dedit. Hoste uno exarmato, ad plurium victoriam facilior fit gradus, Goliathô cæsô, omnes Philisthæi jugulati sunt. Uti suos quisque patimur manes, ita suo quisque velut nativo; & perquàm familiari attrahimur, & implicamur vitiô. Quisque suum noverit hostem, cum quo dies, noctésq; digladietur. In hunc unum collineet, adversus hunc unum vires convertat omnes; Vnô dejectô, stravit cunctos.

In uno sternuntur plura vitia.

Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps. 1. Reg 18. Vox illa gratulantium: *Percussit Saul mille, & David decem millia,* tantum una scintilla, odiorum incendium excitavit. Nullum sine sale sacrificium, nulla sine invidia felicitas. Crus ægrum Socrates fricabat, non sine voluptate; sed mox dolorem sentiens, Quàm Natura, inquit, nihil admittit gaudij sine mærore! nusquam sine felle mel est; sine absynthio saccarum; ignis sine fumo. Merum mel & rosas sparserat triumphus iste; gaudijs & gratulationibus faustis resonabant omnia; Repentinos fellis imbres effudit Livor, & omnem diei hilaritatem fædavit. Sed nec ista David tempestate terretur, DEO suo nixus. Iam tum regnare didicit; nam Seneca teste: Ars prima „ regni est, posse invidiam pati.

Invidiæ contempor David.



NARRATIO LVI.

MALEFICIA SAULIS IN DAVIDEM.

1. Reg. 18. 19 22. 23. 24. 25. 26.

Annis Mundi. 2971. 2972. 2973. 2974. 2975. 2976.

Ante Ch. 1082. 1081. 1080. 1079. 1078. 1077.



SAules, ut suprà exposuimus, odij & invidiæ Furijs instigatus inDavidem, omnes machinationes adhibuit, ut hominem de se, regnóque suo meritum optimè, tolleret è medio. Epinicium Davidi cantatum, erat ulcus in pectore livido, quod altera mox post victoriam, & cæsum Goliathum die, sese aperuit; Sauli namque ab orcino spiritu, exagitato, cùm David adduceretur, ut malô Geniô citharæ suavitate pulsô malaciam reduceret insanienti, conatus est (non ignarus quid faceret) lanceâ transverberare psallentē; peregisśetque crudele facinus, nisi David capitis declinatione, ictum frustrâsset, eiúsque impetum in parietem deflexisset. Quod scelus cùm non successisset, ut fraude perficeret, quod aperta vi non poterat, simulat rex impius, tanquam inscio sibi & invito hasta fuisset elapsa, móxque aliam indutus larvam, statuit homicidium moliri, nec sine specioso vaframento. Constituitur David tribunus militum, ut periculis objectus tantò periret citiùs, quantò promptiùs in belli discrimina ruebat impiger juvenis. Nec ea vafritie procedente, alia sangvinaria fallacia excogitatur. Pro *Miroba* filiarum Saulis natu grandiore, Davidi in victoriæ prœmium promissâ ac desponsâ, sed perfidè alteri collocatâ, *Michola*, soror illius in nuptias offertur, adjectô quasi dotis pactô, *centum* è Philisthæis cæsis, præputiorum. Horum difficili præfectione circumventum Davidem, sperabat Saules, in insidias atque perniciem esse pręcipitandum. At ille non contentus centum, etiā duplum annumeravit impudentis illius postulati, victor hostium, ac gener regis utrisque licet invitis, factus. Paullò pòst, celebritate famáq; generi sui, veterem retractus in invidiam Saules; ad ingeniū suum, & Davidis ad odium redit; impellit ad eius necem maturandam non tantùm amiciores suos, atq; domesticos, sed insuper Ionathā filium suum, Davidis amicissimū; ut hic eum, ceu Regni, quod morte patris ad eum esset transiturum, subsessorem è medio tolleret. Nihil ponderis habuit crudelis instigatio

Saulis in Davidem inimicæ machinationes.

gatio; plerisq; Davidis gloriæ, magnanimitatiq; faventibus; Jonatha comprimis patrē à cruento consilio avertente. Verùm nec ista reconciliatio fuit añosa. Nō enim multò pòst, redeuntē tū invidiæ, tū furoris æstu, cithara ludentem, canentémq; coram se generū, aggressus hastæ solitæ conjectu Saules; iterum nisus est trajecere: fugientémque suas in ædes, & in uxorio thalamo latitantē; per emissarios insecutus; ad se perduci, catenis injectis, imperavit. Occidisśétque; ni conjugis Micholæ sedulitate, per aversam domûs partē; è valvis demissus, David & ministros fefellisset regios, & iniquissimum regem; Ramátham versùs, ad Samuelē, institutâ per tenebras fugâ. Quo tempore Michola conjunx; ne viro facultas deesset elabendi, quámque longissimè recedendi: simulacrū ligneum, ad hominis longitudinē figuratum, ac pelle capræ fulvæ vittatum, in lectulo, tanquā ægrotantis mariti corpus, collocavit: & aliquantisper satellites, eo dolo circumscriptos detinuit; donec ex rege, quid agendū esset, intelligerent. Fraude Micholæ tandē, Davidísque fugâ, compertis: non destitit tamen Saules eū, etiam Ramáthā usque, tum per lictores suos; alios ex alijs, immissos; tum per seipsum quoq; persequi. Nec abstinuisset ab eius cæde manus; nisi vis altior ei tunc, homicidæ mente subtractâ, mentē ac spiritum injecisset hominis entheati; cúmq; cætero *Prophetarum* choro vaticinantis. Quare manibus tunc quidem incruentis & innoxijs, Gabaam reversus; non diu tamen innocens esse perseveravit; sed pòst paullò ad Davidis infectationē se retulit. Quem iterum, uti proximè, purgare patri, reconciliaréq; Ionathas conatus; non eadem, quâ tunc, est usus patrocinij felicitate, successúque. Nam, elatus iracundiâ, longè quàm unquam antehac, ardentiore Saules, & verbis contumeliæ plenis, & assuetæ sibi lanceæ cuspide, Defensorem Davidis impetivit, cùm Davidem ipsum non posset. Nec deinceps eò minùs in propositò perstitit, invisi sibi juvenis occidendi: quibuscunque contingeret eum in locis ac latebris deprehendi.

Micholæ conjugalis fides in Davidem.

Sed jam David à Jonatha præmonitus, ad tutiora se contulerat: Gabaæq; finibus excedens, *Noben*, urbē in Tribu Benjaminęâ Leviticā, ac Pontificis, Sacerdotúmq; tunc sedē, confugerat. Ibi ab *Achimelecho* Pontifice, paucissimò cū comitatu, comiter exceptū: & *Gladio Goliathi*, *panibúsq; sacris* pro rerum necessitate, viaticatum; *Doëgus*, (Idumęus qui *circumcisionem*, & Hebręorum ritus, acceperat) regiorum pastorum pręfectus, Sauli prodidit. Hic tum, ut tyrannus, qui sacrum inter & prophanū jus, capútq; nihil distingueret: ad se, nullâ morâ, per lictores Achimeléchum accersit. Venientem, & in conspectum perductum cum octoginta quinque Sacerdotibus, acerrimè primùm, ob hospitium & amicitiam Davidicam, summam per calumniam increpat; deinde cunctos imperiò

Achimelechus Pontifex cum 85. Sacerdotibus caditur.

imperiô ſuô, Doëgíque famulari ferro, contrucidat. Nam cæteri, quibus id mandatū à Saule fuerat, inijcere ſacrilegas, cruentáſq; manus DEI miniſtris detrectârant. At ille virorum octoginta quinque, ſuméque Sacerdotis cæde nondum ſatiatus; mittit eundē carnificē ſuum: qui Nobês urbis incolas univerſos, nullo ſexûs, ætatis, atque cauſſæ diſcrimine, cum gregibus & armentis, unum in cadaverum acervum redigat; urbíſque tecta, mœniáque, flammâ, demolitione perdat. Adeò ſævit furor invidiâ & ambitione cęcus. Unicus è tanta ſtrage, Sacerdotis ſupremi filius, *Abiathar*, elapſus fugâ; Davidi, quæ circa patrē, ac Noben urbem eſſent geſta, dolenti dolens expoſuit: ac mutuas optimo Principi lacrimas ſuis fletibus expreſſit.

Inſuper Nobes urbis incola.

Porrò David inter hæc, fugam ex fuga trahens, latebráſque latebris commutans: ad *Achin* primò, Gethæum Regē ſe contulit. Deprehenſô verò confeſtim, ſe digitis ac murmure notari plurimorum; ſimulatâ mentis invaletudine; vitæ, & libertati ſuę conſuluit. *Gethâ* profugit in ſpeluncā petræ cujuſdam, adjacentis *Odollæ*, Judaicæ tribûs Vrbi; eodémque traxit alios, numerô ferè quadringentos; univerſámque cognationem ſuam; quorum pleroſque res anguſtæ domi; multos etiam, Saulis exagitatio; tanquam oppreſſorum omnium capiti conciliârat. Sed nec hôc locô diuturna mora. Relinquitur *Odollâ* ſpelunca: tranſitur Iordanes; venitur Maſſepham, urbem permunitam, Moabitarum ad regem. deponitur illuc, majoris ſecuritatis cauſsâ, quod in terris habere chariſſimum David debebat, paternę domûs reſiduum, unicúmque pignus; *pater matérq; Davidis*. Ipſe cum ſuis, præſidium agitat regium eodē in loco. Sed nec iſtud in longum, diſſuadente, per *Gadum Prophetam* DEO, loci barbari, ſimulacrorúmq; cultui dediti, periculoſum hoſpitium. Reditur igitur in Judæam; degitur aliquantiſper in ſaltu *Haretæo*, Inde quoque conatus eum extrahere Saulis furor: dum curis inutilibus alijs rex occupatur; ſpatium Davidi vel invitus dat, in *Ceilam*, Iudaicæ tribûs oppidum, haud ita procul *Odollâ* ſitum, tranſeundi. Sub idem tempus Davidē, ſexcentorum jam numero capitū auctum, ac Ceilā adverſus Philiſthæos tutantē; ſecundiſſimóq; cum his pręliô, non ſine victoriæ magno lucro, congreſſum: Saules omni gentis Iſręliticę robore, multitudinéq; ſub ſigna cōvocatâ, feſtinabat opprimere. Verùm David, ab oraculo per Abiathanē pontificē, uti periculo ſe ſubduceret, inſtructus: poſt multiplices errorum ambages, in *Ziphęę* tandē ſolitudinis opaciſſimum montē, *Hâchilā*, cum omni ſuorū manu, perfugit. Hic quoq; proditus ab accolis & incolis eius loci, *Mâonis* deſertos montes & ſaltus fugâ petijt; in latere petrę *Maonęę* deliteſcentē, adeò, circumfuſis radici montis copijs, Saules obſedit, atq; concluſum tenuit: ut ad omnis effugij ſupremā deſperationē eū adegerit; cert⁹. ultimis

Davidis fuga ex aliâ in aliam.

ultimis illũ, exquiſitiſſimiſque cruciatibus laniare. Nec deſtitiſſet propoſitô: niſi, conſilia regis diſturbante DEO, Philiſthíni, Saulis abſentiam in ſuam opportunitatem vertentes, in regnũ illius irrupiſſent ex improviſo; prædas agentes, & hoſtilia facientes. Ad cujus rei nuntiũ Saules, rebus ſuis, regnóque ſuo malè metuens; trepidus obſidium Davidis ſolvit: ac, qua parte, publicum intelligebat hoſtem graſſari, totîs illuc regni viribus ire properavit.

Eô diſcuſsô *Reipublicæ* periculô; continuò rex ad hoſtẽ, quem ipſe ſibi fingebat, *privatum* revertitur: ac, *Maöne* tranſgreſſum *Engaddæos* in montes Davidem, tribus millibus fortiſſimorum Iſraëlitarum ſtipatus, eódem continuò ſequitur: è latebroſis illius ſaltûs jugis, quantumcunque naturâ permunitis, eum extracturus. Sed Davide etiam inde evadente in *Pharanæam* ſolitudinem; Saules ſcelus novum, & contumeliam in Davidem comentus, improbitatem ſuam exſequitur. Filiam namque *Michol*am, in matrimonio Davidis jam olim degentem, & nec repudiatam à viro ſuo, nec ullo modô legitimô ſegregatam; invito genero vetere, genero repentè novo, *Phaltæ* Laiſæo collocat, & è temporis exigui vidua (ſicuti, per Davidis abſentiam, & exilium videri poterat) perpetuã facit adulteram. Nec hic tamen illius ſubſtitit inſatiabilis improbitas; nam compertô, Davidẽ relictô *Pharanis* & *Maönis* deſertô, in petrã *Hachilæam* rediſſe: ſuccinctus electiſſimorũ prætoriæ cohortis tribus millibus, adverſùs Davidẽ caſtra locat, munitiſſimô contra petrã locô. Noctis beneficiô, etiam huic diſcrimini ſe David ſubduxit, & *Sicelegam* (Simeonææ tribûs urbem; ſed Philiſtinæ nuper ditionis factã, ſibíque ab *Achi* Gethæo conceſsã) cum ſuis inſedit. Quam ſubinde ab Amalecitis (Davide cũ ſocijs, in Philiſthæorũ caſtris comorante) incenſam & deſpoliatã, cùm nuntius retuliſſet: David eos perſequens, ductu cuiúſdam pueri Amalecitæ, epulantibus, & tripudiantibus ſupervénit, editáque magna ſtrage, captivos & prædam ablatam reduxit. Quô locô, cùm annum ſolidum, ac menſes quatuor morã traheret: ibíque de finitimis barbarorum terris, tanquã ex gentilium ſuorum agris, prædas identidẽ ageret; in Achis regis intimã gratiã, amicitámque penetravit. Inter quæ, Sauli quoque, qui decimum, jam, octavúmque regij dominatûs agebat annum, ſuprema ſua dies, & ineluctabile flagitiorum ſupplicium, in montibus *Gelboæ* advénit. Occaſio verò, quæ noxium caput ad pœnã rapuit, *bellum* fuit à *Philiſthinis* reparatum, in quo Saules cum filijs ſuis perijt, quemadmodum ſuperiùs enarratum eſt.

David Amalecitas cædit.

DOCT-

DOCTRINA.

Prudentia declinat.

LEthalem lanceæ jactum exivit David, *declinando.* Prudentis est, minantibus se plagis subducere, irámque alienam aut molli sermone, aut silentio mitigare. Vitat fulmen, qui non respondet tonanti.

Mala Saulis conscientia.

Saul Davidis prudentiam, successus rerum prosperos, & favores divinos, indies expressiùs observans, magis cæpit timere, quem amare debuerat. Mala conscientia semper sibi metuit, & velut sub gladio carnificis trepidat; præsertim cùm obruta sceleribus, magno impetu procurrit ad flagitia, & in noxam vertit etiam salubria. Pessimè cum ægroto agitur, cùm medicinæ transeunt in venena.

Subita mutatio ex consortio bonorum.

Missi Apparitores, qui Davidem ex *Naioth* (collis erat urbis Ramáthæ, seu Domus Doctrinæ, & Schola Prophetarum) extraherent, & ad Saulem raperent; ecce tibi! ad conspectum Prophetarum, subitò & ipsi corripiuntur entheo spiritu, Deúmque hymnis celebrare incipiunt. Fecerunt idem alij, eandem ob caussam submissi; fecerunt tertij. Quin ipse Saul, cùm tigridis instar, eundem in locum contenderet, sanguinem, & cædem Davidis anhelans, afflatur repentè enthusiasmô, totámque diem & noctem psallendo transigit. Hæc est DEI in impios & obstinatos potentia, ut etiam invitos cogat esse bonos, ne noceant bonis. David interea fugæ spatium nactus, evasit. Rex, & Sanguinarij satellites, nisi in pervicacia sua obduruissent, debebant ea mentis im̃utatione, ad se, & scelerum pœnitentiam redire; sed quia vecors duritia cum DEI clementia, malitia cum beneficentia pugnavit, tantò facti sunt peiores, quantô plus adjumenti habebant, ut evaderent meliores.

O miram DEI providentiam, pro salute piorum semper pervigilem! Dum David in omnem horam, Saulis irruptiones metuit, subitò ad Regem Saulem nuntius pervolat, qui præsentissimum ab hoste periculum indicat, & cœptam obsidionem solvit. Quantumcunque res turbulentæ sint, & desperatæ, nunquam est abijcienda fiducia in DEVM, Namque plerumque ubi spei humanæ nihil est, auxilij divini plurimum est.

Fiducia in DEO.

Amoris & fidei conjugalis exemplũ præclarum Michol est, quæ im̃inentem viro suo perniciem, etiam cum gravi salutis suæ discrimine avertit. Est enim hoc officium conjugij, ut vir ac mulier, alter, altri, in communi vitæ consuetudine, victu, vestitu, in adversis, in ægritudine, in omni necessitate, auxilio sit, & mutuis obsequijs opituletur. Id DEVS jam tum spectavit, cùm mulierem de costa Adami formans, *Faciamus, inquit, homini*

Specimen amoris conjugalis.

adjutorium

adjutorium simile sibi. Genes. 2. Id egregiè præstitit Michol, quæ non dubitavit, parentis in se furorem concitare, modò vitæ periculo subduceret maritum. Et notandum est, quod Anonymus „ in aphorismis Politicis observans : Mulieres, ait, in extrema „ necessitate, & periculo subito, inveniunt remedium, & consi-„ lium repentinum ; nam in sexu femineo primus impetus na-„ turæ, solet esse optimus & felicissimus, adeóque plurimùm „ valens in casibus improvisis. Unde Siracides c. 36. *qui possidet* (id est, acquirit) *mulierem bonam, inchoat possessionem* : (firma jacit familiæ fundamenta) *adjutorium secundùm illum est, & columna, ut requies* (columna domum fulciens, cui maritus quietô animô possit inniti.

Superi! quibus modis David jactatus est in Aula; repentè Sauli charissimus, repentè exosissimus; jam placet, aures demulcens cantu, plectri perinde doctus ac fundæ: adhibetur mensæ regiæ: inter primos, tot factis inclytus gener accubat; mox, ceu capitalis inimicus, regni perduellis ab irato rege, & socero, lanceâ configendus petitur: profugus per latebras omnes ad cædem quæritur. Iterum reconciliatur; iterúmque exagitatur. Hæc est imago vitæ aulicæ. Infidus regum & instabilis favor, quoties pro meritis reddit odia? Graves offensæ, leves gratiæ. Beneficia dedisse Princeps vult videri, cùm accepit. Satis ad odium est, *Nimiùm placuisse*; præsertim si Perfidia, Ambitio, Invidia, Crudelitas tyrannidem occupent. Anaximenes rogatus, quid ad familiaritatem difficile esset, respondit : *Tyrannus.* Nam magis timet, quàm timetur, & ad omnes suspiciones pavidus est. Rectè Claudianus *4. de Honor. Consulatu.* *Imago vitæ Aulicæ.*

Qui terret, plus ipse timet; sors ista tyrannis
Convenit, invideant claris, fortésque trucident.


„ Et Salustius *de Conjurat. Catil.* Regibus, inquit, boni, quàm „ mali suspectiores sunt, sémperque his aliena virtus formido-„ losa est. *De Nerone* Sueton. c. 37. Crimen erat publicum „ omnibus, virtus, opes, nobilitas; atque ob eam caussam vel si-„ bi mortem inferebant, vel ab eo trucidabantur. Expertus id est David, qui, ut Siracides ait Eccles. 9. v. 20. *in medio laqueorum ingrediebatur, & super dolentium arma ambulabat*; id est, super & inter arma tyrannorū, qui semper dolent, & aliena felicitate torquentur. Et Prov. 28. *Leo rugiens, & ursus esuriens, Princeps impius.* Leo crudelitate, ursus dolo & astutia. Utriusque documenta Saules dedit.

Trucidavit in die illa octoginta quinque viros 1. Reg. 22. scil. Sacerdotes & Levitas in Nobe. Heli, eiúsque scelerati filij in hisce nepotibus *Pœna transit in nepotes.*

tibus suis innoxijs, puniti, & impletum Oraculum DEI contra eos. 1. Reg c. 2. *Pars magna domus tuæ morietur, cùm ad virilem ætatem pervenerit.* Qui tamen, cùm pro virtute misericordiæ & charitatis Davidi profugo exhibitæ necem subierint, videntur martyrij laurum obtinuisse.

NARRATIO LVII.
DAVIDIS BENEFICIA IN SAULEM.

1. Reg. c. 16. 17. 24. 26. & 2. Reg. 1.
Annis Mundi. 2971. 2976. 2978. 2979.
Ante Ch. 1082. 1077. 1075. 1074.



CErtamen inter se susceperunt Saules, & David; ille hostilitatis, hic humanitatis; ille odiorum, hic obsequiorum: ille superbię, hic demissionis: ille perfidiæ, hic fidei: illæ sævitiæ, hic mansuetudinis: ille machinationũ nocendi, hic insidias evitandi. Quo quidem ex certamine David, Chrysostomo teste, plus gloriæ collegit, quàm ex Philisthæo gigante fundâ dejecto. Id nunc exponemus.

David atrum geniũ ex Saule expellit.

Saules in Sacrificio primùm Galgalæo (quod narravimus) diem exspectationis septimum non explens; posthæc in Amalecitico bello, prædáq; graviùs offendens: à delictis in pœnas, à pœnis ulterius in delicta, gradum facere cœpit; sempérq; posteriora quæque, vel scelerum, vel suppliciorum, antecedentibus atrociora sunt deprehensa. Reversus igitur ex urbe Galgalorum, in Gabaæ suæ regiam urbem Saules, à nefario bilis atræ Genio, quasi per caussam latentis invaletudinis insidetur. Huic mitigando, de Medicorum ac familiarium consilio, Davidem adolescentem, Bethlehemiten à custodia gregum advocant: cujus peritiâ fidium, atque psalterij tractatione Dæmon exagitator sopiretur. Nec cunctatus est ille venire, harmonicóq; vocis & lyræ concentu, magis verò precibus ad DEVM fusis, malignos humores discutere, regísque animô ad hilaritatem reductô, malum Genium fugare. Qui subinde reversus, cùm Saulem infestaret, redijt ad suam quoque citharam David, & solitum à carmine remedium adhibuit, adeò, ut iteratione cantûs, denique planè victus recederet à Saule Tartareus inquilinus. Tanta vis inerat Musicę, pietate

canentis

canentis cum suavitate fidium consonante. Ingens hinc amor regis in juvenem pastoritium; qui proinde in armigerum, & prætoriam cohortem adlectus, omnium sibi Palatinorum gratiam conciliavit; sed minimè diuturnam; nam cum rege, etiam Aulicorum versa sunt studia. Saules, ne videretur beneficium accepisse, dum agnoscit; post pulsum atrum dæmonem, & stratum manu Davidis Goliathum quærit ex Abnere belli duce, quis & qua stirpe oriundus esset adolescens ille, quem tamen paullò antè, familiariter notum citharœdum habuerat.

Sed qui mentem insano, citharæ modulatione, victoriam desperato, fundæ jaculo reddidit; cùm nihil nisi internecina odia & insidias referret, mirifica lenitate atrocitatem infestissimi Principis excepit. Latebat cum suis sexcentis profugus, in spelunca quadam, longo recessu opacâ, solitudinis *Engaddæ* (quod suprà memoravimus) & cingebatur à Saule, tribus millibus fortissimorum bellatorum stipatus. Fortè naturæ levandæ caussâ Rex ad os eiusdem spelæi secesserat; hîc commilites Davidem vehementer incitare, occasionem tyranni interficiendi oblatam ne dimitteret è manibus, faceret demum miseriarum finem, facinus auderet pulcherrimum, & jugulatô unô, omnium Saluti consuleret. His vocibus, & suomet impetu concitatus David, tacitus adserpit ad Saulem, capitali hosti necem illaturus; sed mox consilij pœnitens, satis habuit chlamydis regiæ particulam, non sentienti resecare; nefas ratus, in eũ sævire, quem DEUS ipse ad Imperij fastigium, electione sua provexerat. Egresso è spelunca Saule, David quoque in apertum progressus, Regem inclamat, & cùm ad agnitam vocem se convertisset, primò submissa veneratione infensi Principis animum mitigare; deinde modestè conqueri, se, cùm ne justæ quidem ultioni indulgere voluerit, iniustis ab eo simultatibus, odiisque infestari: nihilo enim majore negotio potuisse caput regis, quàm regiæ vestis laciniam præscindi: DEUM justissimum Judicem facturum palàm, uter æquiore caussa nitatur; simúlque oram chlamydis abscissam exhibet, verbis fidem adstructurus. Quibus auditis, aspectísque, Saules vehementer obstupescere, illacrimari (sed crocodili lacrimis): se, *reum*; & illum *innoxium*, confiteri: denique recedere paucos ad dies, Gabaam; ac Davidi tutiores petendi, opportunitatem relinquere.

David in spelunca Engaddæ Sauli parcit

„ Mox autem patuit: quantò facilius esse soleat improbis, pro-
„ mittere probis bonitatem; quàm promissam præstare: simu-
„ laréque lenitatem, quàm factis repræsentare. Vix enim interea in Desertum *Pharanis* David secesserat, cùm Saules, morte Samuelis, projectior in scelera, quia metu reprehensionis

 solutior,

solutior, Davidem in petra *Hacbilea* latitantem, trium millium prætorianorum manu circumsepit; ille discrimine cognito, non distulit, (audendi vires addente cœlo) *Abisao* sororis filio, comite, de nocte tenebris spissa, non in castra modò, sed in ipsius etiam Regis tabernaculum penetrare. Illic, per circuitum foris, & intus, sparsim humi jacebant, tum *Abner*, copiarum ductor, cum legatis, ducibúsque; tum imprimis ipse Saules: quos omnes, sopor altissimus, ac divinitus immissus, tenebat oppressos. Nihilo secius tamen David, Sauli se non ut hostem, sed ut vitæ servatorem exhibuit. Cùm enim & opportunitate rerum, ac temporis admonitus: & Abisæi monitis stimulatus; confodere, necaréque virum posset; cuius ipse furijs implacabilibus quotidie moriebatur; etiã nunc pepercit ei, *sacratæ Majestatis* reverentiâ, contentus, dormientis ad caput defixam humi sarissam, ac poculum aquarium auferre. Inde summo cum silentio, in verticẽ adversi montis evadens, dormientes adhuc hostes, clamoribus excitat: cæteris quidem neglectam sui regis custodiam exprobrat, quam eos præstare decuerat, adversus hastæ Regiæ, scyphíque prædatorem; Regi verò vitæ supremum, in quo versatus modò fuerit, discrimen exponit; flebili vocis & querelarum habitu contestatus; sine caussa, meritóq; suo, se tot jam annis exagitari; simul & vaticinatus magis quàm imprecatus; ut unicuique Justitia secundùm fas, nefásq; suũ, quidquid meruissent, redderet. Quantum enim in hostium suorũ consilijs esset, extrudi se terrâ, quæ sola veri Numinis cultũ adhuc retineret: & in terras ablegari barbarorum; à quibus ad execrabilem posset simulacrorum adorationem compelli. Quâ quidẽ tum in regiam vitam clementiâ, tum allocutionis aculeis, tunc quoq; Saulis animum, ad recessum ac reditum inflexit; sed malefidâ etiam illa reconciliationis constantiâ. Quare David omnem deinceps persequendi sui spem ac successum, hostibus suis præcisurus, ad *Achin* Gethæ regem, cum omni suorum copiâ perfugit. Atque hic & illi ulteriorum ambagum ac fugarum terminus: & Sauli demum insectationum eius finis fuit; non autem pietatis & reverentiæ, quâ in Regem ferebatur David; in cujus contumeliam ne videretur ablata spolia vertisse, hastã etiam, & scyphum restituit.

Iterúmque à Saule manum abstinet propè petramHacbileam.

Cæterùm Davidis in Saulem pietas nunquam clariùs eluxit, quàm cùm ad eum nuntius de Regis & filiorum cæde perlatus est ab Amalecita quodam; apportante simul diadema regium, & auream brachij armillam, exanimi regi detractam. Ibi tum vir pijssimus, vestem more gentis suæ conscindere: (quod in magno luctu amabat fieri) largos fletus profundere: aliorum

etiam

etiam lacrimas comovere, jejunióque, & lugubri carmine interfectis parentare; cladis verò nuntio, qui mentiebatur, à se ultimum Sauli sic postulanti, spiritum, validiore cuspidis adactu exturbatum; caput amputari jussit, in pœnam perempti regis, qui tantum crimen nec imperare potuit; nec imperanti parendum fuit. Et verò cùm mox à Saulis morte, regia licuerit uti potestate Davidi; licuit in reum quoque (quippe Amalecitam, Hebræi nominis hostem) ultro confitentem, ferro animadvertere. *Iabesitas* autem, quòd Saulis & filiorum corpora exequijs cohonestassent; non modò præclarè collaudavit: sed etiam officium funeribus impensum, regiâ sese benevolentiâ remuneraturum, non largiùs appromisit, quàm sanctiùs præstitit.

David animadvertit in Saulis occisorem.

Remuneratur officium funebre, Sauli & filiis impensum.

DOCTRINA.

Quibus laudibus efferamus Davidis mansuetudinem, demissionem animi, continentiam vindictæ? Capitalē hostem compellans. 1. Reg. 24. *Pater mi*, ait, *vide, & cognosce.* Ætate Saul pater fuit Davidis, nam annum sexagesimū excesserat; David viginti septem annorum erat. Dein affinitate Saul pater dici poterat, quia socer. Subjungit: *Quem persequeris Rex Israël, quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum.* Quid abiectius, cane mortuo? quid vilius, pulice? Et hoc David, jam in regem unctus; jam triumphalis victor? sed longè pulcherrima illa sui ipsius victoria, quando infensissimum hostem jam unguibus concluserat; & cùm plurima suaderent cædem, tamen ei pepercit. Nec suadebant tantum; sed impellebant, sed penè cogebant. Ipsius inimici aspectus: cohortatio militum: metus à commilitionibus, ne aversantem cædis Davidem tollerent: facinoris patrandi facilitas, præteritorum memoria, futurorum formido, homicidium à Saule sæpius intentatum, perpetuæ insidiæ, nulla uspiam locorum securitas, necessitas defensionis. Et tamen pepercit, & pro gloriosissimo trophæo hastam hostilem erexit, eíque scyphum, & laciniam chlamydis regiæ pro vexillo appendit. In laudes exurgens Chrysostomus, *hom. 2. de Davide & Saule*: Saul, inquit, egressus „ est è spelunca; egressus est autem post illum & David, liberis „ oculis cœlū intuens; ac tunc temporis magis exultans, quàm „ cùm Goliath dejecisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem „ hæc illâ præstantior erat victoria, hæc magnificentiora „ spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum. Et „ subdit. Itaque redijt non barbari illius caput gestans; sed animi „ commotionem superatam; sed iram enervatam: neque hæc

Demissio Davidis.

Continentia vindictæ.

„ spolia reposuit Hierosolymæ, sed in cœlo, ínque superna illa ci-
„ vitate: nunc haudquaquam in choris obviàm veniebant femi-
„ næ, excipientes illum cum laudibus: sed Angelicus popu-
„ lus è sublimi applaudebat; admirans eius philosophiam & humanitatem.

Vindicta cupiditas vincenda. Ulciscendi, nocendíque cupido magnos in humanis pectoribus fluctus excitat; est perturbationis plenus affectus, ac nunquam sine tormento sui, violentus. Nobilissimum vindictæ genus est parcere. Difficile quidem negotium, sed divinitati, si fas est dicere, nihil similius, ubi proprius dolor ultionem suadet, & occasio offert. Ibi tum experimentum das tui, an iræ sis mancipium, an amicus clementiæ. Senec. *lib. 2. de ira* ait. Non ut
„ in beneficijs honestum est, merita meritis repensare; ita iniu-
„ rias iniurijs. Illic vinci, turpe est; hîc vincere, inhumanum.
„ *Et lib. 3. de Ira.* Vltio, doloris confessio est. non est magnus ani-
„ mus, quem incurvat iniuria. Aut potentior te, aut imbecil-
„ lior læsit. si imbecillior, parce illi: si potentior, tibi. Et Iuven. *Satyr. 3.*

——— Quippe minuti
Semper, & infirmi est animi, exiguíque voluptas
Vltio.

Monet sapiens, Proverb. 20. *Ne dicas, reddam malum; exspecta Dominum, librabit te.* Exspectavit David, & liberatus est. Præclarè à Xenophonte dictum est, prudentis, cordatíque viri esse, etiam ex inimicis utilitatem capere. Quemadmodum enim non solùm ex domesticis, verùm etiam ex feris animantibus: non solùm ex fructiferis, sed etiam ex silvestribus arboribus: non solùm ex dulci, sed etiam ex salsa & amara aqua; ita etiam non solùm ex domesticis, fructiferis, dulcibúsque amicis, sed etiam ex feris, silvestribus, amarísque inimicis utilitas capienda.

Etiam improbi Principes venerandi. David à cæde Saulis abstinuit, quòd religioni sibi duceret, Regem suum, à DEO constitutum, & unctum, occidere; ut doceret; Principes etiam improbos, & nobis adversantes, reverentiâ prosequendos esse. Impium est enim, etiam in impium Principem insurrexisse. De C. Julij cæsaris percussoribus Sueton. Percussorum autem ferè, neque trienniò quisquam ampliùs supervixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes, alius alio casu perijt: pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet, eodem pugione, quo Cæsarem violaverant, interemerunt. S. Petri præceptum est 1. epist. c. 2. *DEVM timete, Regem* (Neronem) *honorificate. Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis* (pravis & asperis,

Dixit

Dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est, fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, & flevit. 1. Reg. 24. Saul mentitus ore amicitiam, dolos agitavit pectore. Iuxta Siracidem Eccl. 12. *In oculis suis lacrimabitur inimicus, & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Et Salomon Prov. 26. *Labijs suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos.* *Crocodili lacrima.*

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. Mel in ore, fel in pectore; in oculis lacrimæ, in manibus cruor: in verbis officia, in factis funera.

Sed, *qui fodit foveam, incidet in eam.* Prov. 26. Saul Davidem velut regni æmulum persequens, eique tendens laqueos & foveas, in speluncam ingressus, incidit in manus Davidis ibi latentis; qui, quòd in inimicum tam mitis & lenis fuerit, meritò præmium à DEO postulare, & dicere potuit: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Psal.* 131. Pulchrè Chrysost. *hom. de Saule & Davide.* Non perinde miror, Mosen, quòd è Saxo prærupto fontes elicuit aquarum, ut admiror Davidem, quòd ex oculis lapideis, fontes eduxerit lacrimarum. Siquidem ille vicit naturam; at hic vicit animi decretum; ille virgâ percussit lapidem, hic sermone perculit cor.

Saul verò cognitis tot beneficijs, eliminare è pectore debuisset, quidquid in eo simultatis latuisset. Verùm, *considera*, inquit Ecclesiastes, c. 7. *quod nemo possit corrigere, quem DEUS despexerit.* Qui Samueli pro Saule deprecanti, respondit. 1. Reg. c. 16. *Vsque quò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum, ne regnet supra Israel.* Quid enim? post tot luculenta testimonia pro Davide dicta: post tot irritos conatus suos, post tot evidentia innocentiæ Davidis argumenta resipiscere, omnéque odium evomere debuisset. Verùm tam constanter nequàm esse solet, quem affectuum tyrannis mancipavit. *Saulis vecordia.*



NARRATIO

NARRATIO LVIII.

IONATAE, AC DAVIDIS AMICITIA.

Lib. 1. Reg. cap. 18. 19. 20. 23. & 2. Reg. c. 1.

Annis Mundi 2971. 2973. 2975. 2979.

Ante Christum. 1082. 1080. 1078. 1074.

INter amantium paria, quæ antiquitas laudibus celebravit, meritò sunt adnumerandi, *Jonathas* & *David*; quorum cùm alter regio esset ortus Sanguine: alter pastoritio, morum tamen & studiorum similitudo rarum inter eos amoris certamen excitavit. Uterque generosus animo, manu strenuus, amans honesti, à simulatione & invidia alienus. Itaque Jonathæ David jam tum in oculis & visceribus hærere cœpit, cùm ausus congredi Goliatho, præclaram victoriam de superbissimo hoste reportavit. Commendabat adolescentem ad omnes, animus bellicosus, & quæ

Gratior est, pulchro veniens in corpore virtus. Neque aliter triumphales Victoris laudes accipiebat Ionathas (secus, quàm pater fecerat) quàm si ad suas lauros pertinerent. Nec immeritò; nam amor duobus in corporibus, jam unam animam effecerat. Et quia amicitia pares aut facit, aut accipit, non satis erat regio Iuveni Davidem sibi conjunxisse intimè; nisi exteriore quoque habitu in amicum transiret. Eam ob caussam, se vestibus, quibus erat indutus, spoliat: ijs Davidem induit; & armorum quoque exuvijs exornat: arcum manibus, dorso pharetram, baltheum renibus, gladium lateri circumdat, ut pastorem in virum militarem verteret, præsentem suî memoriâ ubiq; circumlaturum.

Ionathas Davidem suis vestibus induit.

Atque ut ea voluntatum confessio esset æterna, fœdus inter utrumque, est ictum, perpetuæ stabilimentum amicitiæ; accessit mutua vitæ consuetudo; nam annitente Ionatha, David inter Palatinos, & Tribunos bellicos est adlectus. Nec diu pòst opportunitas incidit, quâ, Ionathas non affinem modò (nam David eius sororem Micholem duxerat) & amicum; sed planè vitæ Custodem, fidúmque Patronum apud patrem se exhibiuit.

Cùm

Cùm enim Saul interficiendi Davidis consilium filio aperuisset, ut, cujus maximè interesset, Subsessorem regni è medio tolli; is tamen datam fidem, juramentóque firmatam, habuit antiquiorem paternâ benevolentiâ cum scelere copulatâ, atq; adeò debitô sibi, ac speratô regnô. Insidias ergò paratas Theseo suo manifestat; &, cùm nec posset pro amico adversùs patrem arma capere: nec deceret, innocentis incolumitati deesse; quod proximum fuit, egregiè præstitit, ut patrem à sententia dimovere conaretur, & amicum moneret, studiosiùs ut salutis suæ curam gereret; quippe cuius cædi præstitutum sit manè sequentis diei; se verò daturum operam, ut pater abiret à crudeli proposito, & mandatum revocaret; occuleret se tantisper latebris, donec certiora à se nuntiarentur. Ita ab utroque constitutum, ita factum. Jonathas comemoratione meritorum, quæ David interfectione Philisthæi gigantis in universam gentem Hebræam contulit, placavit iram parentis; revocatur in Aulam & gratiam David, qua tamen ipsi nunquam uti securè licuit, gliscente sub doloso cinere, invidiæ ac furoris Scintilla.

Ionathas Davidis patronum agit.

Haud multùm temporis intercessit, cùm David novis insectationibus appetitus, confugit ad Jonatham, fidam sibi anchoram, ostendítque, quantum à reconciliata nuperrimè gratia, capitis discrimen adierit; quippe qui, nisi Micholis amor & fides conjugalis intervenisset, domi suæ à satellitibus regijs comprehendendus, & ad necem rapiendus fuisset; exardescere tantò acriùs iracundi in se regis flamas: quantò vehementior esset calor amantis sui Ionathæ. Si moriendum sit, malle se amici manu cadere, mortémque luctu perimentis solari; quàm moriendi pœnam ex inimici lætitia, novo dolore cumulare. Hîc verò Ionathas amoris igniculis, velut aquâ aspersâ exstimulatis, iterum, iterúmque amicitiæ sacra jura testari, & polliceri, se vel suo capite insidias amicissimo capiti structas amoliturum; id si minùs posset; patefacturum certè; nihílque omissurum, quod ad tesseram initi fœderis integrè conservandam pertineret. Et mox, qua ratione factis potiùs quàm verbis inter se loquerentur (nihil enim erat tutum ab exploratoribus) secretô consiliô constituerunt, in hunc modum.

Davide, uti memoravimus; velut inter *sacrum & saxum* hærente, quippe cui satis exploratum non esset, quâ demum fiduciâ se se fallaci regis gratiæ comitteret, jam minas in ore, jam blanditias habentis: aliàs ad cædem, aliàs ad mensam vocantis; machinationes demum Ionathas ingeniosô detexit astu.

Fortè epulum solenne agitabatur in regia; in eo cùm David, gener regis, desideraretur; Saules avidior sanguinis, quàm vini haurien-

hauriendi, institit quærere caussam absentiæ filij Isai; sic enim per contemptum, eum appellabat. Ionathas officiosô mendaciô cauturus amico capiti, ait, Davidem, Bethlehemũ, in patrium oppidum excurrisse, ad Sacrificium cum paterna familia ibi celebrandum. Non potuit Saules iram premere, cujus alioquin potens non erat; iurgiô adoritur filium, proditorem & hostem patris, regiæ stirpis probrum, progeniem mulieris virum ultro rapientis, appellat; qui non vereatur cum inimicis conspirare, & sceptri paterni decus, in vile caput, regni æmulum transferre. Simúlque jubet Davidem accersi, meritas daturũ pœnas; cúmque Ionathas scire vellet, quam ob caussam reus esset capitis gener & affinis regius; Saules, non jam intra verba, furorem continens, arripit lanceam, quam semper habebat ad manũ, confixurus innocentiæ defensorem, nisi intercursu amicorum fuisset cohibitus. Proripuit è conspectu se Ionathas, & periculum tum suum, tum Davidis jam neci destinati dolens, noctem illam in mærore exegit.

Jonathas Davidi periculum vitæ indicat per sagittarum jactus.

Prima luce in agrum urbanum, specie quidem artis jaculatoriæ exercendæ, reverà, discrimen amico indicaturus procedit, solo comite puero, arcûs & sagittarum baiulô. Ibi cœpit sagittas quasi ad scopum jacere: puerúmque inclamare, ut colligeret, & referret jacula, *ultra ipsum* cadentia; id enim (ut ei cum Davide convenerat) signum erat, salutem esse in fuga repositam. Quod si rés periculo caruisset, idipsum præmoniturus erat, jubendo pedisequum, tela intra se & herum intercidentia sustollere. Jaculatione his, quæ promiserat, peractîs, ablegatóque in urbem Gabaam puerô, David solitudinẽ nactus ad colloquium, surgit è latebris, procumbénsque ad pedes Jonathæ, vitæ suæ conservatorem salutat; ille erectum à terra, complectitur: hærent mutuis in amplexibus, deplorantes iniquam sortẽ, quæ suavissimam ipsis consuetudinem invideret, & invitissimo à se invicem distraheret, quod ipsa morte durius videbatur. Quis explicet, quos par hoc amantûm affectus miscuerit, quibus oculis se mutuò aspexerint, quibus verbis valedixerint; plûs pectora loquebantur, quàm linguæ; amor & dolor decurtabant voces, prolixiùs in corde sonantes. Alter in alterius non jam aure, sed pectore, sensa depromebat, reddebátque. Intellexit Jonathas muta Davidis suspiria, neminem suorum, nec seipsum, abrupto sermone, comẽndantis; vicissim David tacentis amici vocem percepit, operam omnem sibi, familíæque suæ disertô silentiô deferentis. Vix tandem fletibus exsatiati, obtestatíque se invicem, ut mutuæ fidei perpetuò meminissent; uterque digreditur: Jonathas in urbem regiam;

David

David fugiens crudelem regem, in oppidum Noben ad Achimelechum Pontificem (de quo ſupra) contendit.

In Ziphæa deinde ſolitudine, & magna rerum neceſſariarum penuria Davidem verſantem, non omiſit Ionathas inviſere: renovatísque fœderis, & amoris priſtini monimentis; ad alacriter omnia ferenda, regníque certiſſimam exſpectationem, excitare. Tanta veræ dilectionis vis erat: ut, quidquid in Davidem, *Alterum ſe*, transferret; id tanquam ſibi datum, amiciſſimus animus reputaret. Et quamvis ex eo tempore uterque ex alterius abierit oculis, non tamen abijt è pectore; manet alta mente repoſtus nexus amicitiæ, in omnes poſteros propagandæ. Nec ea vis amoris reſtincta eſt, cùm luctuoſa fata Saulem, & filios extinxerunt; David enim intellectô, Ionatham in prælio cecidiſſe; quibus non gemitibus & fletibus chariſſimi capitis funus luxit; Ibi tum, auditæ voces: *Doleo ſuper te, frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis valde ſuper amorem mulierum. Sicut mater unicum diligit filium, ita te diligebam.* 2. Reg. c. 1. Quid poſſet amor ipſe loqui, vel ad affectum tenerius: vel ad amicitiam conſtantius: vel ad mœrorē triſtius? Verè rarum par, & ſpeculum amantium Jonathas & David.

DOCTRINA.

SAlomonis pronuntiatum eſt, Proverb: 18. *Vir amabilis ad ſocietatem, magis amicus erit, quàm frater.* Tales inter ſe fuerunt Ionathas & David, amicitiæ Idea. Memorant veteres aliquot amicorum paria, & amoris mutui exempla: videlicet, Pyladem & Oreſtem: Theſeum & Pirithoum: Achillē & Patroclum: Pythiam & Damonem: Æneam & Achatem: Niſum & Euryalum; inter quos, velut majora ſidera tantò illuſtrius amoris reciproci documentum dederunt Hebræi *Amantes*, quantò pulchriores cauſſas amandi habuerunt. Nam ſi prima lex *Amantium* eſt, ut amicitia ſit ex virtute conflata; conſequitur, ut ſicut ſine vera religione, nulla ſincera virtus, ita nec amicitia eſſe poſſit. Jam verò par in *Amantibus* noſtris elucebat religio; par pietas, DEI timor, patriæ amor, honeſti tenor, promiſſorum fides. Unde meritò jucundiſſima amicitia, ſimilitudine morum conjugata. Nam, ut Tullius ait, nihil amabilius virtute; „nihil quod magis alliciat homines ad diligendum. Allexit ea Ionatham ad amorem Davidis, & quidem intimū, tenerrimúmque. Sacer ſcriptor teſtatur. 1. Reg. 18. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Ionathas, quaſi animam ſuam.* Eſt enim amicus, alter idem; & una duobus in corporibus habitans anima.

Ionathas & David idea amicorum.

Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa te. 1. Reg. 19. Ecce amantis specimen. Non ignorabat Jonathas, paternum diadema in Davidis caput transferendum. Quid ni cupiat igitur eum tolli, quem videbat suis spebus obstare? Amor hoc potuit; qui ut amati fortunis & diginitatibus consulat, gaudet fraudari suis. Ionathas patrem, honores, opes, regnum postposuit Davidis amicitiæ. Nimirum *amicorum omnia sunt communia*; quod accedit uni, non decedit alteri.

Locutus est ergo Ionathas de David bona ad Saul. 1 Reg. 19. Et verbis coluit amicitiam Ionathas, & factis; pro amico non fortia tantùm ausus dicere, sed etiam sustinere paratus, suum caput, in alieno periculo, furioso patri objecit; non minore dignus laude, quàm Damon olim & Pythias, quorum alter pro alterius capite se vadem Dionysio siyracusarum Tyranno dedit, adeóque permovit, ut crudelitatem verteret in admirationem, odium in amorem, pœnam in amicitiæ beneficium (cupiebat enim tertius in eam societatem recipi) tormenta in venerationem. Debuerat idem Saul fecisse, si quidquam sanæ mentis in eo fuisset.

Et introduxit Ionathas David ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudius tertius. 1. Reg. 19. Non quievit amor Ionathæ, donec *alterum se*, Davidem sibi videret simillimum, non virtute tantùm, sed fortunâ quoque. In pectore quem ferebat, ne ab oculis quidem abesse, pati poterat; familiaritas enim, quæ apud alios parit contemptum, inter amicos conciliat gratiam; & ex vicinitate calorem auget amandi.

Et ait Ionathas ad David: Quodcunque dixerit mihi anima tua, hoc faciam. 1. Reg. 20. Novum justæ, veræque amicitiæ argumentum: *Idem velle & nolle.* Eleganter Cyprianus amicos oculis confert, quorum alter absque altero, neutram in partem flecti potest. Idem explicatur per imaginem è speculo, relucentem, cujus motus omnis & flexus se componit ad habitum intuentis.

Pepigit ergo fœdus Ionathas cum Domo David. 1. Reg. 20. Ionathas amicitiam sancit, quam nec mors ipsa divelleret, nec aboleret oblivio, nec temporis diuturnitas consumeret. Jonathas in Davidis posteritate: David in Jonathæ propagine vivere vo-
„ lebat, & amari. Et hoc est, quod Tullius asserit, amicitias
„ æternas esse oportere. Et S. Hieronym. Amicitia, quæ desi-
„ nere potest, nunquam fuit.

Et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter; David autem ampliùs. 1. Reg. 20. Quàm sincerus, & fidus, atque ab omni fraude & fuco

& fuco alienus esset amor, lacrimæ testantur. Procul hinc fictio & simulatio, dum aliud ore promitur, aliud corde clauditur; inter veros amicos omnia candida & aperta. Nesciunt mentiri lacrimæ, quas amor eliquat. Et quis miretur; cùm jam non corpora duntaxat separanda, sed animæ quoque dividendæ. Erat enim alter alterius dimidium animæ: magis ibi præsentis, ubi amabat, quàm ubi animabat.

Et Surrexit Jonathas, & abijt ad David in Silvam, & confortavit manus eius in DEO 1. Reg. 23. Infelicitas, est lapis Lydius amicitiæ, nam juxta Salomonem in Proverb.c. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Et Tullio teste: Ami-
„ cus certus in re incerta cernitur; non mutatur cum fortuna.
„ Et Seneca: Amicos secundæ res optimè parant, adversæ cer-
„ tissimè probant. Navis in tempestate dignoscitur; amicitia in
„ rebus duris & asperis. Eleganter Cicero: Ut hirundines æstivo
„ tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt. Ita falsi amici,
„ sereno vitæ tempore præstò sunt; simul átque fortunæ hie-
„ mem viderint, devolant. Et Seneca: Paravit amicum adver-
„ sus vincula laturum opem: cùm primùm crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat. Florentes amicorum turba circumsidet: circa eversos ingens solitudo est. & inde amici fugiunt, ubi probantur.

Planxit autem David planctum super Ionatham. 2. Reg. 1. Amicitia vera, ne cum morte quidem deponitur; nam & qui superest, amati memoriam colit, eò validiùs, quò negata fortiùs amamus. Inhæret animo amor, etiam defuncti, virtute nixus. Solvi possunt corporum vincula, non animorum. Post funera quoque vivit amans in amato: Nam etiam mortuus mori non potuit, *in altero* se superstes.



NARRATIO LIX.

ABIGAIL, NABALIS UXOR, DAVIDEM PLACAT. 1. Reg. 25.

Anno Mundi 2977. Ante Ch. 1076.

DAvidem Saulis regis odia, quemadmodum memoratũ eſt, nullo patiebantur loco conſiſtere, acerbam, credentis eſſe vitam ſibi; ſuam innocenti niſi eripuiſſet; quò factum, ut fugitivo, cum virorum ſexcentorũ comitatu de ſilva in ſilvam per loca deſerta fuerit demigrandum, in magna rerum penuria ac egeſtate. Habitabat non procul monte *Carmelo, Nabal*; homo tam fatuus, quàm opulentus ruris, pecoríſque; moribus agreſtibus, & ab humaniore vita remotis. Inſtruxerat is fortè domi ſuæ convivium lautum & ſplendidum, tonſuræ ovium tempore, ex qua priſcis ſuæ ferè redibant opes. David uſurus opportunitate hilaritatis convivalis, mittit ex ſolitudine *Pharanis*, ubi tum deliteſcebat, decem è ſuis, qui ſportulas ac ſtipem petant, militi vago & egeno; cùm mercedem pro defenſione pecoris exigere potuiſſent; quippe, qui non tantùm ipſi, quamquam obærati, & ex rapto vivere aſſueti, nullam gregi noxam intuliſſent; ſed inſuper ab illo latrocinantium Arabum incurſiones avertiſſent: ejus rei, fideíque teſtes appellant ipſos Nabalis paſtores; tribueret igitur rogantibus, ſive mallet, merentibus, quô vel famem ſolarentur. Debuit ea petendi modeſtia avarum etiam pectus emollire, niſi homo durus & aſper, hominem exuiſſet; reijcit igitur rogatores non modò ſtipe militari vacuos, ſed præter id, oneratos contumeliâ; quid enim ſibi negotij cum Davide, Iſai filio, & ſocijs erronibus, ab ira dominorum profugis: æquum haud eſſe, ut exedant fugitivi ſervi, quod ſuis ipſe tonſoribus intriviſſet: irent vias ſuas vagabundi prædatores, & alias in ſilvis excuterent quercus, ſe commeatum malè feriatis ventribus non præbiturum.

Nabal, homo ſtolidus & durus.

Quibus ad Davidem, alia omnia exſpectantem renuntiatis,

juſtò

justô ferventiùs exardeſcens, ut læſa patientia fit furor, jubet accingere ſe ferro comilites, omnino quadringentos, reliquis ad ſarcinas remanentibus: iurátque, ſe occidione occiſurũ, omnẽ Nabalis familiam, ne cane quidem ad ſervandas fores relicto. Et atrocitati minarum reſpondiſſet eventus; niſi furoris æſtum prudentia mulieris reſtinxiſſet. Nam interea famulorũ quiſpiam, qui colloquio interfuerat, nuntiat *Abigaili*, quàm contemptim & barbarè reſpondiſſet herus æquis militum precibus, quorum vicinia non ſolùm innoxia pecoribus, ſed utilis etiam & neceſſaria adverſus prædones Arabes fuiſſet; nunc irritatos vecordia herili militares animos, in gravẽ haud dubiè tempeſtatem erupturos, eam niſi averteret ſolertia & comitas heræ. Quæ cùm accepiſſet Abigail, pro eo, ut periculum monebat, ſollicita, conſtituit muneribus placare Davidem, vulnerique, quod avaritia & acerbitas mariti fecerat, ſua lenitate & liberalitate mederi. Sine cunctatione componit in viam ducentos panes, duos cados vini, quinque coctos arietes, quinque modios farinæ, centum ſportulas uvæ paſſæ, ficuum fiſcinas ducentas, eámque aſinis annonam imponit, cum mandato, ut ſervi maturarent, ſéque præcederent, confeſtim ſecuturã. Mox abit & ipſa, inſalutatô maritô, ne homo verſipellis & moroſus, inijceret moram profectioni.

Abigailis uxoris prudentia.

Ad pedem Carmeli montis aſinâ vehenti, occurrit David cum armata virorum manu, neces & funera ſpirans; quibus illa conſpectis, ocyùs è jumento deſilire; Ductoris ad pedes accidere, melleâ linguæ ſuadâ viam veniæ parare ac gratiæ: Eſſe maritum hominem bardum, vecordem, ebrietati deditũ, decóri ac honeſti expertem: contemptu proinde digniorem, quàm irâ; ſe verò longè abeſſe à culpa, illatæ per ipſum injuriæ, puippe domo abſentem; ſecus, prolixè ſe teſtaturam fuiſſe officia, ac liberalem voluntatem; id quod nunc faciat muneribus allatis; amplas autem ſe Numini debere gratias: gratulationem Davidi; qui divinitus prohibitus ſit, innocentem ne ſanguinem miſceret cum noxio: exoptare ſe votis omnibus, ut quoſquos in hoſtibus is numeraret; eos ſubijceret ſub ſedes, in prœmium clementiæ, & condonatæ inimicis offenſæ; & verò non optare ſe modò, ſed præſagire quoque magnis ipſum prælijs victorem, in regium eſſe ſolium à DEO evehendum, magníſque felicitatibus beandũ: inter eas principem occupare locum, animum rectè ſibi conſcium, & ſceleris integrum; ad ultimum rogare ſe, ne omitteret ſuî, ancillæ poſtremæ meminiſſe, quando vel votis, vel præſagijs ſuis,

Abigail placat Davidem.

suis, esset eventus fidem facturus. Erat hoc aquam affundere flammis. David matrice tam eloquente mitigatus, mox omnem ulcifcendi cupidinem abijcere: dicere gratias Divinæ Providentiæ de submissa in occursum prudentiæ tam facundæ feminâ, cujus eloquium à cogitato scelere sese abduxisset; acceptis inde muneribus, multa cum benevolentiæ, & remissæ injuriæ significatione, Abigailem ab se dimittere. Hæc domum reversa, medijs epulis, & convivantium lætitiæ cùm supervenisset, maritum, qui pro more se vino liberaliùs invitârat, discriminis, quod impenderat, monere supersedit; quid enim carmen asino? distulit igitur commonitionem in lucem alteram, quando exhalatâ crapulâ, aditum haberet ad aurem, sensùmque sobrium. Cohorruit ad narrationem uxoris, Nabal, stuporéque perculsus, tantùm non in saxum obriguit; paucísque pòst diebus, DEO pœnas inhumanitatis & præposteræ tenacitatis reposcente, morbo sublatus est repentino. Agnovit David & fructū suæ clementiæ, & oculum divinæ Justitiæ, tum maximè vigilantem, quando ad injurias acceptas connivent homines; Et quia Abigailis rara cum virtute conjuncta venustas, meliorem pridem virum merebatur, adjecit ad eius nuptias animum David; in cujus ipsa manum, ubi funus eluxit maritale, convênit, ínque dotem omnes præclaræ matronæ laudes attulit. Felix utique connubium, quod eximia modestia & prudentiâ est auspicata: insignis liberalitas conciliavit: egregia animorum moderatio utrinque copulavit.

DOCTRINA.

Vesania peccatoris.

NAbal homō fatuus, jam morti destinatus, post dies decem moriturus, inter epulas tamen tripudiabat ebrius: *Cor Nabal jucundum erat.* 1. Reg. 25. Pauculis pòst diebus, funus umbra, cinis. Ita homines noxis gravioribus implicati, more phreneticorum securissimè rident, quia propinqua supplicia non vident. Hinc hilaris furor, hinc suavis insania. Aliter Damocles, infelix parasitus, qui conspicatus fulgentem, & è seta tenuissima pendentem gladium, suis cervicibus imminere, cœpit omnibus artubus contremiscere, & Dionysium tyrannum rogare, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse. Cicero *Tuscul. quæst. libro.* 5.

In Oratione Abigailis singulariter observandum illud: *Eritque anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium. l. c.* Quasi diceret, sicuti flores colliguntur, & constringuntur filo, ne diffluant, ita DEUS sanctiores homines plerumque duriùs tractat, & vinculis ligat, eos tamen hac ratione servat vivos & incolumes adver-

adversùs omnem machinationem hostilem. *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.* Ibid. Inimici tui stabiles nunquam erunt & securi, sed sicut lapis priùs gyrabuntur in funda, demum maximo impetu excutientur in orcum. Egregiæ matronæ colores depingit Siracides cap. 36. *Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ: non est vir illius secundùm filios hominum.* Id est, si in uxore ad speciem & pulchritudinem accedat lingua blanda & prudens: quæ noverit curare viri, familiæque molestias & afflictiones: mitigare mœrores, iras, acerbitates: & ad misericordiam ac benignitatem inflectere; tunc sanè maritus eius, non est similis alijs hominibus; sed longè omnium fortunatissimus, comunem mortalium conditionem excedit. Præditus hac felicitate Nabal fuisset, nisi *cum eo stultitia fuisset.* 1. Reg. 25.

De Abigaile verò prædicandum illud eiusdem Ecclesiastici, cap. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* *Et Lingua eucharis* (gratiosa, comis) *in bono homine abundat,* id est, plurimum emolumenti adfert; quemadmodum attulit Abigaili, totíque familiæ, cæteroquin crudeli ferro perituræ, nisi *labia* Matronæ prudentissimæ, *favus destillans mel & lac sub lingua ejus,* Cant. 4. amaritiem pectoris Davidici edulcassent. Lacte dicuntur restingui fulminum ignes; Abigail lacte Davidis furorem repressit. Primò enim obtulit largiter munera, (quæ Nabal *stultus* negavit) irámque sopivit, & benevolentiam conciliavit. Deinde summè se demisit, prosternendo in terram, & culpam deprecando; quâ modestiâ extersit superbum & contumeliosum mariti responsum, quod Davidem vehementer irritârat. Tertiò rationes affert sapientes & blandas, quibus ostendit, quàm noxia Davidi futura sit ira, & vindicta, quámque salutaris & commoda eius oblivio & condonatio. Qua sermonis suavitate & Davidis & socijorum animos mirè demulsit, ac placavit. Cicero *de offic.* Difficile, inquit, „ est dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas, affa- „ bilitásque sermonis. id quod Siracides *Linguam eucharin,* appellavit.

Vis placida linguæ.

Ex his discimus, iram alienam nostra lenitate refringere; quemadmodum globi è tormentis bellicis excussi, saccis lanâ fartis impunè excipiuntur. Nam juxta Proverbium Salom: cap: 15. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* Prioris exemplum dedit Abigail; posterioris Nabal. Id explicans Chrysost. „ *hom. 3. de Saule & Davide;* sicut, inquit, si insles in scintillam „ ignis, excitas incendiū; si inspuis, extinguis: idem fit in ini- „ micitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones, ex- „ citas ignem: sin' mites ac moderatos, eam extinguis.

Deliquit verò David quoque, jurando, sese Nabalem cum

omnibus domesticis jugulaturum; nam & juramentum hoc ab affectu vindictæ profectum est: & nullo jure in tot innoxia capita sævire licebat: & quia gravior peccatô pœna, neque privata auctoritate statuenda erat. Hinc S. August. *in hunc locum*: David, „ *inquit*, juravit temerè, sed non implevit jurationem majore „ pietate.

NARRATIO LX.

ABNERIS, DVCIS BELLICI, GESTA ET FUNUS.

2. Reg. cap. 2. & 3.

Annis Mundi 2982. 2985.

Ante Christum. 1071. 1068.

A Saulis obitu, David consultô Dominô, ex urbe *Sicelga* (quam ei Rex Gethæorum Achis donaverat) in urbem *Hebronem* (Tribûs Iudæ metropolin, trium Patriarcharum sepulchrô nobilem) migravit. Ibi rex secundùm unctus, & promulgatus est; miserrimo tamen Reipublicæ statu; nam duo capita in uno corpore: duo soles in uno cælo malè conveniunt. Post Saulem quippe violenta morte sublatum, mox *Abner* (filius *Neris*, patrui Saulis) militiæ Princeps, *Isbosethum* Saulis filium, per castra circumduxit ut regem; cujus in obsequium jurarunt undecim Israëlis Tribus; sola Iudæ tribu, sed longè fortissima, Davidem sequente. Hinc itaque Isbosethus jure hæreditario se regem ferre; inde David, sibi Saulis successionem, divina electione collatam, vindicare. Tenuit controversia, seu bellum potiùs civile, annos septem cum dimidio. Initium ejus, quem diximus, *Abner* dedit, qui solo regis nomine Isbosethô relictô, cætera ipse pro rege agebat.

Duo adversantes reges, Isbosethus & David.

Fortè is cum suis copijs urbe *Manaim* egressus, *Gabaonem* versus movebat, urbem tribûs Benjaminææ, sed *Juda* conterminam. *Ioabus* Exercitus Davidici Imperator, compertô Abnerem trajecisse *Iordanem*, cum expedita manu obviàm procedit, vim, si ingrueret, vi prohibiturus. Utræque copiæ occurrunt sibi, juxta lacum quendam, non procul Gabaone; sacræ paginæ

Piscinam

Piſcinam vocant. Ibi Abner prudentiâ conſilij, neceſſitatem periculi occupaturus (putabat enim, Davidis ſe gratiam honeſtiùs colligere non poſſe, quàm militari ambitu) captâ Joabi amicitiâ, perſuadet ei, ut id loci, utriusque armati conſideant. Id ubi factum, ſuorum Abner oſtentaturus fortitudinem militum, (ne videretur aliqua timiditate ad prenſandam Davidis benevolentiam adduci) *Surgant*, inquit, *pueri*, *& ludant coràm nobis.* Ludum intelligebat gladiatorium, quo duodeni ſelectiorum ſuorum militum, ſingulis congreſſi Joabæis, ludicrum exhiberent ſpectaculum, magis artis militaris oſtentandæ gratiâ, quàm ſanguinis faciendi. Sunt, qui exiſtiment, certamen illud non tam militaris gloriolæ ſtudiô, quàm deſideriô ſuas, aut hoſtium vires experiendi ſuſceptum fuiſſe, in omen quoddam, aut præjudicium fortunæ præliaris. alij opinantur, velitationem eam decretorijs armis inſtitutam, ut paucorum ſeu victoriâ, ſeu cæde, controverſia bellica decideretur. Quæcunque demum mens Abneris fuerit, acquievit ei Ioabus. Concurrunt animis feroces juvenes; apprehenſis alter alterius crinibus, invadunt ſe pugionibus tam pertinaciter, ut omnes ad unum cæſi, mutuis vulneribus conciderint. Non ludus fuit, ſed proluſio acris prœlij. Irritatæ ſuorum ſanguine, utrinque ſpectantes copiæ, infeſtas inter ſe manus conferunt. Vincit Ioabi miles; Abner cum ſuis cæditur, & fugatur, interfectis trecentis ſexaginta; decem tantùm & novem ex parte Davidica deſideratis; atrociùs ne pugna produceretur, & virtutem accenderet deſperatio, Abner, licèt hoſtis, amicè & ſapienter Ioabum monuit; cujus ipſe conſilio audiens, cani receptui juſſit.

Ex gladiatorio præludio fit prælium inter Abnerem & Joabum.

In ea fuga cùm *Aſaël*, Ioabi frater, non minùs manu promptus, quàm curſu ſtrenuus, Abnerem concitatiùs inſequeretur, opimi cupiditate ſpolij; Abner, qui nolebat ſperatæ pacis negotium abruptum, monet, alium ſibi quæreret, & paris fortunæ adverſarium; ne, gravi fratris eius Ioabi invidiâ, cogeretur ipſum ferro ſuo immolare victimam; at ille, de capto militiæ principe, ſibi gloriam ambiens non antè deſtitit veſtigia fugientis premere, quàm Abneris aversâ confoſſus haſtâ, interijt. Incenſis eâ pugnâ bellatorum animis, crebris deinde excurſionibus & velitationibus certatum eſt, victoria ſemper à Davidicis ſtante; quia tamen pro Isboſetho jus regiæ ſucceſſionis pugnabat, & populus in legitimum Principem multa veneratione ferebatur, unicâ tantum ex duodenis tribu, Davidis ſigna amplectente, longiùs protractum eſt bellum. Cui deniq; finem impoſuit diſſidium, quod ex intempeſtiva objurgatione inter Isboſethum & Abnerem, ortùm, omnium Iſraëlis agminum defectionẽ ad Davidem, promovit.

Iſaël ab Abnere confoditur.

Ex orta offenſione Abner Isboſethum deſerit.

Fuerat Sauli concubina, *Respha* nomine (five libeat eam interpretari uxorem fecundariam, five pellicem) cujus amoribus, ut illex eft pulchritudo, Abner captus, impudicè cum ea confuefcebat, id indignè ferente Isbofetho, ideóque feveriùs Abnerem redarguente. Hic verò tam impotens iræ, quàm impatiens reprehenfionis, vehementiùs in monitorem excandefcit, cui merita fua non effent potiora, quàm unius caput mulierculæ: fuis ipfum regnare beneficijs: fuis humeris fuftentari: fuæ virtutis præmium effe, fceptrum in aliena manu; fimúlque minas ingerit, execratione capitis firmatas, fe regnum Saulis, Davidi haud paullò meliori Domino, in manus traditurum. Nec aliter fecit, ac dixit. Nam certus, populum, militiámque à fuis confilijs non difcefſuram, mittit quamprimùm ad Davidem nuntios, qui nomine fuo regnum Isbofethi, & amicitiæ fecum fanciendæ fœdus offerant. Accipit lætus conditionem David, qui fciebat totius Hebrææ gentis fceptrum jure fibi divino deberi. Abner, pro ea, qua pollebat apud fuos auctoritate & eloquentiâ, perfuadet primatibus, ut juxta refponfum Oraculi divini (nolebat enim proditionis nomine fufpectus effe) unum fequerentur Principem, qui univerfo nomini Ifraëlitico moderaretur: eum effe Davidē, Regem à DEO, Vindicémque populi Hebræi, interprete Samuele, defignatum. Confenfu omnium habito, adjungit fibi viros viginti, quibus comitatus, per fpeciem deducendæ Micholis (nam eam fibi reftitui David repopofcerat) venit ad regem; excipitur tantò majore benevolentia, quòd & defideratiffimam conjugem reveheret, & undecim tribuum fubjectionem, fuâ operâ, impetratam deferret. Inftruitur in fignum lætitiæ, epulum regale: Abneri, viro ætate, prudentia, rebus geftis, & novis erga Davidem meritis inclyto, ampliffima in Aula munera promittuntur. Uffit id Joabum, alterius incrementa, fua decrementa interpretantem; igitur partim ftudio vindicandæ cædis fraternæ: partim metu, ne fe in ordinem redactô, Abner militiæ Davidicæ imperium obtineret, incitatus, adit regem, & pro fiducia confanguinitatis (nam ex *Sarvia*, Davidis forore erat genitus) cum eo expoftulat, quòd transfugæ, & dolos malos haud dubiè meditanti, fuam, regnique falutem comittere, in animum inducat: paratam effe homini fimulationem: fub amico vultu coqui confilia, brevi pôft in publicam perniciem eruptura; neque enim aliud habere fibi propofitum Abnerem, quàm ut fpectaret ipfe præfens, qua fe ratione David aut contra apertam vim, aut contra occultas infidias munijffet; quid defignâffet animo,

Abner humaniter à Davide excipitur.

animo, & quomodo illius cogitationes eludi, ac bellici apparatus dissolvi, certè infirmari possent. Eas criminationes ut vidit, ad animum non admitti, constituit ipse, manu sua tollere, quem mallet regio mandato videri interemptum. Jam Abner, reditum eò, unde venerat, properabat, totas Hebrææ gentis vires, abdicatô Isbosethô, Davidis imperio, uti convenerat, adjuncturus; cùm Ioabus nuntios mittit, qui abeuntem, regis nomine revocent, tanquam per oblivionem, quiddam maximè ad rem pertinens, illi significare omisisset. Abner nihil eorum, quæ eventura erant, suspicatus, reflectit iter. Occurrit ei ad ipsa *Hebronis* mœnia Joabus: post amicam salutationem, à cætero comitatu seducit sui securum, tanquam secreti aliquid cum eo collocuturus; &, ut timida est in ipso facinoris articulo improbitas, sceleris participem & adjutorem adhibet fratrem *Abisaium*; mox improvisò sicam in Abneris nihil minùs metuentis ilia demergit, simúlque vulnus gravissimum animo Davidis infligit, probè intelligentis, maximò reipublicæ detrimentô eam cædem perpetratam; dolebat, malè turbari bene susceptam ab Abnere regni totius conjunctionem: principem virum, regio sanguini arctissimè connexum, prudentiæ & fortitudinis laude clarissimum, déque regno suo optimè meritum, contra jus gentium crudeli nece sublatum: ejúsque rei invidiam in se derivari. Timebat, ne abalienatis Israëlitarum voluntatibus, civile bellũ magnô utriusq; partis damnô recrudesceret; quocirca publicè contestari, se procul à conscientia ejus criminis abesse: diris imprecationibus cùm auctores necis, tum omnem eorum posteritatem execrari: convocare populum ad exequias heroi frequentandas: ipsemet cum primoribus, scissis vestibus, habitu lugubri, largo fletu funus prosequi, eíque supremis honoribus parentare. Corpus magnificè sepulchro juxta Hebronem illatum est, & à Davide, repetito planctu, epicedióque honestatum; quod stans ipse super monimentum primus deploravit, suóque exemplo cæteros ad idem faciendum provocavit, adeò graviter Abneris morte affectus, ut nullis amicorum precibus adduci potuerit, ad cibum, ante solis occasum, capiendum. Quod sanè non mediocrem ipsi gratiam apud multitudinem conciliavit; nemine ampliùs suspicante, Davidis voluntate Abnerem interfectum; sed pro se quisque egregiã regis benignitatem prædicare, & eadem quoque sibi ab eo polliceri. Cæterùm pœna in reos, cùm sine periculo exigi non posset, tũ quidẽ dilata est, sed minimè ablata; erit enim, cùm Joabũ quoq; nõ sicca morte, ultricia fata de numero mortaliũ exturbabũt.

Joabus perfidè Abnerem interimit.

Davidis luctus funere Abneris.

Nihil irritat acriùs Nemesin, quàm fraus cruenta, & privato scelere in communem Societatem injuriosa.

DOCTRINA.

Surgant pueri, & ludant coràm nobis. 2. Reg. 2. Crudele ludicrum, & dirum spectaculũ, velle occidere, & occidi ad robur ostentandum, aut alios oblectandos. Sumitur obtentui, speciosi, sed inanis honoris umbra, quoties in monomachijs, seu duellis lasciviens nobilitas, mutuis stragibus, ad usque infamiam jugulatur. Funesta vanitas, & petulans crudelitas; ubi pro consilio temeritas est, & pro salute æterna, spes improba vindictæ, vel larva falsæ gloriæ.

Duellorum vesania.

Vocatúmque est nomen loci illius, Ager Robustorum. Ibid. En mercedem cruenti ludi! ut robusti audiant, furore præcipites in terram ruunt. Hoc proiecti duellatores spectant; ut à robore celebrentur ibi, ubi non sunt; & ibi ligatis manibus pedibúsque torqueantur, ubi sunt. Tanti est *Honoris punctum*; ut eôdem, quo se feriunt, punctô pereant, & inferos petant.

Ignoras Abner, Filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te. 2. Reg. 3. Verba Joabi, Abnerem apud Davidem criminantis. Agitabant hominis ambitiosi pectus duæ Furiæ, *Invidia* & *Perfidia.* Cùm malignè obtrectando nihil proficeret; vim adhibuit, amicitiæ palliolô velatam. Rectè *Cicero*, cùm duobus, *inquit*, modis „ fiat injuria, aut vi, aut fraude; fraus quasi vulpeculæ, vis leonis „ videtur, utrumque verò ab homine alienissimum. Nimirum in Aulis Principum regnat Invidia, Dolus, Fraus; ibi potentior debiliorem opprimit, & per cuniculos, aliena consilia, quamvis salutaria, evertit. Ibi frons, vultus, oculi persæpe mentiuntur, oratio autem sæpissimè. Unde Pseudopolitici præceptum: Illud tecum statuito, ne quid cui credas, quantumvis in speciem amico, quantumvis arridenti, complexanti, pollicenti, dejeranti; nec quemquam existimes tibi ex animo amicum, nec tu sis cuiquam amicus ex animo; tamen perinde, quasi neminem non ames, ita blandus & comes esto singulis. O eversorem sinceræ fidei, & ipsius societatis humanæ!

Invidia & Perfidia Comites.

Aula, natale solum est Invidiæ, quam elegans Scriptor ita depingit: Invidia est malum, genitum à bono; Caligo est, à splendore oriens; à pulchritudine, nata Deformitas; à risu, Lacrima fluens. Rivus est fellis, à fonte mellis promanans; E planta honestatis, nequitiæ Fructus; proprius, ab aliena lætitia, Dolor; Calamitas domestica, ab externa gloria proveniens. Intestinum Infortunium, quod fortuna creavit prospera. Umbra est, non

In Aulis regnat Invidia.

eſt, non corporum, ſed animorum. Ægritudo voluntaria, Crux fixa malevolis, & neceſſarius Virtutis Hoſtis.

Talionis pœnam Vindicta Divina in Abnere quoque oſtendit. Nam qui proditione abducebat populum ab Iſboſetho; proditione abductus à via ſua, perimitur. Aſaëlem in inguine percuſſerat, ipſe ibidem perfoſſus interijt, ut ejus quoque libido punita intelligeretur; & qui per vindictam deſerebat regem ſuum, per vindictam à vita deſertus eſt. *Talione punitus Abner.*

Retribuat Dominus facienti malum. 2. Reg. 3. Non deerat Davidi ſtudium vindicandæ cædis: deerat modus & vires, regnô nondum confirmatô; differendum itaque ſupplicium ſceleris, donec venerit opportuna illius ulciſcendi maturitas; ſunt enim vanæ ſine viribus iræ. Non debuit totius regni ſalus periclitari, dum unum caput ad pœnam depoſcitur.

David Abneris funeri talia pietatis officia exhibuit, qualia præſtitiſſet fratris aut patris inferijs. Is demum beneficium gratus agnoſcit, qui etiam poſt funera gratiam reponit. Qui viventibus pro meritorum ratione, vicem non reddidit, tunc maximè ingratus eſſe incipit, cùm ne mortuis quidem, quod debet, hoc eſt, *iuſta* perſolvit. *Davidis gratus animus.*

NARRATIO LXI.

ISBOSETHVS SAULIS FILIUS, VNDECIM ISRAELIS TRIBUUM REX, PER INSIDIAS INTERFICITUR. 2. Reg. 4.

Anno Mundi 2986. Ante Ch. 1067.



Bnere, quod narravimus, perfidioſè cæſo, ejúſque nece pervulgata, *Isboſethus* rex imbellis, animo frangi, regnum nutare, totáq; Saulis familia in certum interitum ruere cœpit, omnium ſtudijs ad Davidem ſpectantibus. Inclinatam *Isboſethi* fortunam, triſtis caſus in hunc modum evertit. Gemini fratres, *Rechab & Baana*, ſub Abneris ſignis ſtipendia fecerant, commendati bellica fortitudine, regiæq; cohortis præfecti. Hi ob noxam, neſcio quam, è caſtris & Aula proſcripti, cùm Davidis ſibi gratiam, Abneris exemplô, demerendam inſigni aliquo beneficio putarent, ſtatuunt *Isboſethum*, Davidis æmulum, è medio removere. *Rechab & Baana interfectores Isboſethi.*

Ad facinus

Ad facinus audendum invitabat ſpes impunitatis; nam & *Abnerem* occidiſſe noverant; & *Miphiboſethus*, Ionathæ filius, cùm ob ætatem (ſeptennis erat) tum ob debilitatem corporis (altero namque crure, ex caſu, claudicabat) non habebatur idoneus, qui ſuccederet in regno. Sceleri perficiendo captatur tempus meridianum, quo Somnum ſuadebat æſtus cæli ferventior; & oſtium pallatij unica ſervabat muliercula, cui grana tritici in polentam ſeligenti, labor juxtà calórque clauſerat oculos. Regij quoq; cuſtodes corporis, cæteríque Aulici, alius aliò dilapſi, quietem in umbra captabant. Rex ipſe ſuaviter in lectulo meridiabatur. Ergo ſicarij, ſanguine & ſcelere fratres, ſpecie, habitúque mercatorum, ſpicas manu præferentes, tanquam triticum empturi (ex horreis quippe regijs frumenta vendebantur) penetrant in regiam inobſervati, atque adeò in ipſum conclave regis; adrepunt ad lectum, offendunt dormientem; mox confodiunt impotem ſui, & obtruncant. Ocyùs exinde arreptâ fugâ, noctē cum die jungunt, itineri continuando; donec ex urbe *Manahim* (ubi ſedes regia) *Hebronem* ad Davidem pervenirent; coram quô, prolatô *Isboſethi* capite, En, inquiunt, caput inimicum; per hoc unum ſtetit, quò minùs imperares ſecurè, minúſque latè. ex hoc prorupit civile bellum, cruentô ſeptenniô, tecum geſtum. Hujus diadema cœleſti ſuffragio tibi debitum, nunc ſine æmulo cape. Iacet *Saules* perpetuus hoſtis tuus: jacet *Isboſethus*, paternorum hæres ſcelerum: & cum his tota ſanguinaria Domus proſtrata jacet; impio ſanguine pias dextras imbuimus: meridianô ſomnô oppreſſus tyrannus, ad inferos miſſus eſt. Aſſertum noſtra manu ſceptrum habes, nunc extra diſcrimen & invidiam poſitum: Hebræa gens omnis in tua jura tranſit. id modò vide, ut ijs, per quos hanc tibi felicitatem Numen æternum contulit, memineris gratiam referre. Dixerunt hæc, amplum facinoris prœmium exſpectantes à Davide, cujus rebus *Isboſethus*, ſi vixiſſet, haud exiguam moram invecturus credebatur. At rex averſatus perfidiã, & atrocitatem ſceleris, Nuntio, inquit, occiſi Saulis, pro mercede, quam captabat, vitam auferri juſſi; & vos proditores, vos ſicarios execrandos, patiar impunes? patiar autem? etiam gratiam nefando ſceleri reponam? Vos, qui virum inſontem, veſtrum regem, in ſuamet domo, in ſuo lectulo quieſcentem per inſidias invaſiſtis, latronũ more jugulaſtis: flagitij prœmiũ à me ſperatis? Ita vobis Davidis nota pietas, nota juſtia? In malam crucē teterrimi parricidæ. Cum dicto, negotium dat ſatellitio, ut in nefarios irruat, & interficiat. Extemplò factum. Vivis manus, pedéſque præciſi, & in medio Hebronis foro, juxta fontem (exactiùs hæc cum Divino Scriptore memoramus) ſuſpenſi; cadavera in cru-

David ſicarios meritis pœnis afficit.

cem

cem acta; ut monumentum tam auctorũ nefandi sceleris, quàm pietatis Davidicæ extaret. Isbosethi caput in Abneris tumulo conditum est. Utrumque rara perfidia sustulit, rarior pietas extulit, & in amplissimo regno dissidentes, angustum spelæum conjunxit.

DOCTRINA.

Vitiosa securitas.

D*Ormiebat super stratum suum meridie*. 2. Reg.4. Principis est, vel per se, vel fidos per amicos excubare. Securitas multos perdidit. Contra improvisum ictum nunquam non vigilandum. Lectus & lethum vicina nomina; somnus frater est mortis. Plus vigilare, juxta Chrysologum, plus est vivere. Plaut in Rudent.

——Vigilare decet hominem,
Qui vult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter; sine lucro, & cum malo
Quiescunt.

Expertus id Isbosethus. Somniculosi Principis ad exemplum, in soporẽ procubuerunt Ministri; adeò patuerunt omnia ad insidias; Primus ad ruinam gradus est, NIHIL TIMERE.

Regum vita Sacrosancta

Percutientes, interfecerunt eum. Ibid. Exitiabile sceleris portentum est, in vitam Principis conspirare, & sanguine tam verendo scelestas temerare manus. *Nolite* (ait Spiritus S. psal. 104) *tangere Christos meos*, (id est, unctos reges) *& in Prophetis meis nolite malignari*. David in Saule rege impressam DEI veneratus effigiem, quo animo perpetuum vitæ insidiatorem servavit, eodem interfectores Isbosethi sustulit, quibus pro gratia meriti diros cruciatus rependit. Alius subsultasset gaudio, & alienũ scelus in suam regnandi libidinem convertisset.

Proditores detestandi.

Pracidentésque manus & Pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron. Ibid. Digna merces proditoribus & parricidis. Trunci artus in exemplum pependerunt. Nescio quis apud Plutarchũ, audet dicere. PRODITIONEM AMO, PRODITOREM NON LAUDO. Utrumq; meritò David est execratus, neque enim regna stare possunt, quorum fulcimentum est perfidia. Qui alios per proditionem evertit, docet modum, quo perire queat, debeátque. Vilis animus per dolos & insidias ad destinata nititur; Excelsus virtutẽ & gloriam in consilo habet.

Timor DEI sit ostiarius cordis.

Isbosethum S. Gregorius *virum confusionis* interpretatur. Rectissimè. nam quomodo nomen viri, nisi dedecore pleni, tueatur, qui non *ostiarium* domus suæ, sed ostiariam habuisse dicatur, & quidem dormitantem. Malè salus Principis mulierculæ comittitur. *Allegoricè*, Domûs Janua, est Cor hominis, de quo Prov.4. *Omni custodia*

custodi

custodi cor tuum. Hebræis hæc custodia *stationem* seu *speculam* significat, è qua vigiles & excubitores solent speculari, & lustrare omnia circumcirca, nequà hostis vel occultè subrepat, vel violenter irrumpat, id est, mala cogitatio se penetret. Servet igitur fores Timor DEI, masculi pectoris excubitor, & flammeum manu gladium, ut ille Paradisi Cherubinus, tenens, absterreat ab aditu malæ illicium voluptatis.

Somnus Isbosetbi.


Aliam doctrinam suppeditat illud Evangelicum, Matth, 13. *Cùm dormirent homines, venit inimicus* &c. Desidia magistratuũ, detrimentum est publicum. Nahum, 3. *Dormitaverunt pastores tui, Rex Assur: sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est, qui congreget. Pessima est plaga tua.* Id est, ô Rex Ninives, somnolentia ducum tuorum in causa fuit, cur à Chaldæis Ninive caperetur. Principes enim sepulti veterno fuêre, & populus, quò se reciperet, non habebat. Isbosetho somnus suus capite constitit. Pessima plaga, quæ cum capite seu Principe, totum corpus perdit. Allegoricum alium sensum hinc *S. Hieronymus* elicit. Diabo-
,, lus, *inquit*, non potest oves decipere, nisi pastores ante consopie-
,, rit. *Beda* in locum illum Evangelij: *cum dormirent* &c. Imbecillis
,, est dæmon, vigilantes non vincit, sed dormientes. Et *S. Chrysolog.*
,, *Serm. 17.* Maximæ infirmitatis est, dormientibus irruisse. Imbellis Dalila Samsonẽ fortitudine spoliavit, sed dormientem. Jahel Sisarã vita privavit, sed dormientem. Juditha Holofernem obtruncavit, sed dormientem. Isboseth occisus est, sed dormiens, & dormientibus, domûs ac corporis custodibus.

NARRATIO LXII.

DAVID INTEMPERANTIAM SITIS TRIUMPHAT.

2. Reg. 23. 1. Paralip. c. 11.

Anno Mundi. 2988. Ante Christum 1065.



Isbosetho rege per sicarios confosso, regnum ipsius in Davidem inclinare, & denique transferri cœpit. Comitijs enim Hebronem urbem indictis, tantô numerô Israëliticæ tribus, studiis, ùt memoravimus, in Davidem versis, confluxerunt

runt armatorum ut trecenta quinquaginta septem millia censerentur; à quibus omnibus rex salutatus est David. Inaugurationem regiam excepit epulum, triduo magnis sumptibus celebratum. Rex tanto omnium consensu creatus, animorum voluit uti calore; Suscipit expeditionem ad arcem Solymæam, quam in jugo montis *Sionis*, situ operéque munitissimam *Jebusæi* tenebant, expugnandam; urbem Hebræi jam antè occupârant. Missis igitur ad *Jebusæos* caduceatoribus, arcem æquis sibi conditionibus dedi postulat. At illi confisi munimentô, armis, viris, commeatu, propugnaculis instructissimô, per ludibrium regi nuntiari jubent, non eadem ipsum & incolas æstimatione loci firmitatem metiri: scire se, adversùs quamlibet vim ei defendendo, cæcos etiam claudósque propugnatores suffecturos: qui primis ubi de propugnaculis fuerint depulsi, tum enimvero oculatos, manibúsque valentes & pedibus occursuros; hostémque deturbaturos. Stimulavit iram regis contumelia responsi, quam ut à se amoliretur, propositis ingentibus præmijs, incitat militem ad arcem invadendam; ei, qui primus in muros evasurus esset, supremâ militiæ præfecturâ decretâ. Mira continuò bellatorum alacritas emicuit, certatim scalas admoventium. Ante alios omnes Joabus, supremus dux militiæ, in altum enixus, dignitatem imperatoriam, quâ privandus ob necem Abneris erat, recuperavit, confirmavítque. Arx capta; Jebusæi ad unum omnes jugulati. David repurgatô locô, domum ibi ædificavit regiam, juxtáque basilicam, in cujus Aula media Tabernaculum postmodum cum *Arca Fœderis* constituit.

David ab omnibus tribubus rex salutatur.

Arx Sionis à Davide occupatur.

Philisthæi expugnato munimentô tam valido, suum agi periculum rati, fortunam gemino tentant prælio, turpiter utroque victi, profligatíque. Quo tempore Davidem in castris versantem, laboréque fessum, vehementior sitis accendit; sed quam cuperet aquâ non aliâ restingui, quàm cisternæ Bethlemiticæ, cui pastoritius etiamnum puer assueverat. Credibile est, magnanimi regis desiderium, magis amore patriæ (Bethlemum erat oppidum) quæ tum in Philisthinorum potestate erat, recuperandæ, quàm frigidæ ex ea apportandæ cupiditate exarsisse. Audierant fortè regis desiderium, qui proximi stabant Proceres; è quibus viri tres *fortissimi*, quorum nomina *Iesbaam, Eleazar, Semmaa*; hi suam regi fidem, fortitudinémq; p robaturi, (insciô tamen ipsô) suscipiunt negotiū longè audacissimum (sunt enim desideria Principum, pro jussu subditis)

David affertur aqua ex cisterna Bethleemitica.

 penetrant

penetrant per media Philisthæorum castra, & Bethlehemũ firmò hostium præsidiò insessum, perrumpunt; desideratam regi lympham referunt. Quam is ut oblatam sibi vidit, absit, inquit, absit, ut pericula tam pretiosa bibam, & virorum fortium sanguine ardorem meum temperem; quòd si dux ego sitiam; universus biberit exercitus: si bibero, sitiet. Discam commilites mei necessitatem virtute vincere: rationem ante habere cupiditati. Non rectè imperat cæteris, quisquis non imperat sibi. & cum dicto, omnium in conspectu, aquam effudit, DEO in libamen, suique victoriam consecrans, parvò impendiò maximam cæli gratiam collegit.

David sui victor.

DOCTRINA.

Libavit eam Domino. 2. Reg. 23. Sacrificium profectò DEO gratissimũ. VINCERE SE IPSUM. Salomonis dictum est Prov. 16. *Melior est sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Appetitus subijciendus Rationi: & licitis quoque substringendus, ne trahat ad illicita. Nemo spumantibus merò pateris feliciùs libavit, quàm David, aquâ humi sparsâ; ita se *Fortem* simul, *Piumque* probavit. Natura blandus hostis: sed difficilis vinci; sæpe cupiditatem pro necessitate obtendit. Davidem ut superaret, ei bibendi desiderium objecit, non malum; nisi intempestivum, & cum alienò periculò conjunctum. Haud tamen fefellit heroem intemperans affectus, quem velut hostem intestinum pulcherrimè fudit, cùm in poculo latentem effudit.

Cupiditates domanda.

Animi sibi temperantis egregium documentum dederunt complures belli Duces. In ijs fuit Alexander M. qui in magna aquæ penuria, & comuni militum siti, oblatam sibi lympham noluit bibere. Tunc enim, *Curtio teste, lib.* 7. poculo pleno sicut oblatum est, reddito, nec solus, inquit, bibere sustineo, nec tam exiguum dividere possum omnibus. Et Hannibal, Dux Pænus non rarò cùm maximè sitiret, fontem adijt, séq; ipsum, non magis tolerando, quàm torquendo sitim vicit. Poëta Silius id jure prædicat.

Exercétque sitim, & spectato fonte recedit.

Idem fecit Julius Cæsar; idem Cato, qui ad suos Milites ait apud *Lucan. lib.* 9.

——— Fatóque pericula vestra
Prætentate meo; sitiat, quicunque bibentem
Viderit.

Idem præstitit Rudolphus Imperator Austriacus, qui cùm in bello, quod contra Ottocarũ Bohemiæ regem gessit, potu laboraret cum toto exercitu, oblatam à rustico hydriam non admisit, reddite, dicens, homini vasculum suum, nam ego exercitui, non mihi sitiebam.

sitiebam. Præclarissimè tamen omnium, David, qui non contentus naturæ desiderium vicisse; id insuper in præstantem religionis cultum vertit.

Quid non potest etiam in re parva, cupiditatis violentia? non tantùm odia, sed etiam desideria nimiùm constant magnô. Lysimachus rex Thraciæ, Plutarcho memorante, victus siti, se suúmque regnum Gethis tradidit. Tanti stetit unicus frigidæ haustus. Post quem exclamavit: O me hominem miserum, qui tantillæ oblectationis gratiâ, tantum perdiderim regnum! Imperandum igitur cupiditatibus, non serviendum; quia faciliùs recipiuntur, quàm exeunt. *Seneca* dictum est: Vis volu-
,, ptatem contemnere. exitum specta. *Gregorij* M. dictum est.
,, *lib.5. Moral. c.2.* Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando, &
,, à licitis cautè restringit.

NARRATIO LXIII.

DAVIDIS RELIGIO

IN ARCA FOEDERIS HIEROSOLYMAM REVEHENDA.

2. Reg. 6.

Anno Mundi 2989. 2990. Ante Ch. 1064. 1063.

VBi primùm Davidi licuit, stabilem regni sedem figere, principem sibi curam esse voluit *cultum divinum*. Idcirco *Arcam* velut exulem & neglectam statuit ex urbe *Cariathiarim*, quò annis abhinc quinquaginta devecta fuerat à Philisthæis, magnis cladibus ad eam transvectionem, & *Arcæ* captivæ restitutionem impulsis, transferre, comuni omnium Israëlitici populi consensu. Servabatur eô temporis spatiô, *Divini sedes Oraculi*, in ædibus *Abinadábi Levitæ* collem quemdam in memoratâ civitate colentis, Hebræis *Gabaa* dictũ. Hanc *Arcæ* transmissionem Rex summis studijs, solennitate celeberrima, maximis sumptibus instruxit. In via calcitrones boves periculũ, aut certè metũ creârunt *Arcæ*, nutante plaustro. Hîc *Oza* (Levita, cũ fratre *Abione* alijsq; curã deducendæ Arcæ habebat; parens *Abinadabus* jam antè, vitâ excesserat) auxiliarẽ operã comodaturus, admovit manus. Sed DEUS adjutori intem- *Oza punitur ob Arcam sustentatam.*

intempestivo iratus, temeritatem ejus morte subita punivit; ad ipsam namque corruens *Arcam*, subitò exspiravit. Funere repentino territus David, *Arcam* deduci jussit in ædes *Obededomi*, Levitico quoque genere prognati, propè Hierosolymam habitantis. Quem ubi David intellexit, ob commodatum *Arcæ* trimestre hospitium, omni rerum opulentia à DEO ditatum, eam Sacerdotum humeris in Sionis Arcem evexit, singulari ad id domo structa, dum aliquando Templo admoveretur manus. Ducta est pompa, maxima symphoniæ varietate, admiranda Sacrificiorum multitudine, concursu hominum incredibili, lætissimis tripudijs, expensis omnino regijs, celebritate summa, laudatissima pietate. Inter tubas & lituos sonabant carmina triumphalia ob victorias de Philisthæis reportatas. Rex ipse ovans gaudio, & voluptate gestiens, ante *Arcam* non tam incedebat, quàm præsultabat, pedibus sese ad pulsatæ modulos citharæ moventibus. Ne habitus quidem Regis erat à ceteris Cantoribus diversus; stola ipsum amiciebat byssina (Sacra pagina vocat *Ephod*, carbasinum amiculum; *polymitum*, solius erat Pontificis.) Hunc in modum cùm festos inter concentus, & decóras (quales militares sunt saltus) choreas, *Arca* in Sionæam Regiam, (Divinæ litteræ, Civitatem Davidis appellant) non sine maximo victimarum apparatu, & lautijs in populum regali munificentia distributis, invecta esset; David se ipsum præ sacra lætitia non capiens, ubi constituit Arcam in Aula quadam magnifica, & circa eam tabernaculum è pellibus hyacinthinis tetendit, *Abiathare* Sacerdos summus; benè precatus est populo, cum largis sportulis, suam quemque domū remisit. Ducenta viginti quatuor hominum millia, singuli pro se collyridam seu artoptitij panis quadram, cum assatura bubulæ, & lágano in escarium munus accepêre.

Pompa in deducenda Arca.

Michol uxor insultat Davidi.

Res è Sententia, & publico gaudio successerat, cùm turbarum aliquid *Michol*, Davidis uxor dedit. Hæc cæteris reginis, matronísque triumphalem pompam comitantibus, dedignata misceri, regiæ stirpis arrogantiâ, transvectionem *Arcæ* de fenestra arbitrabatur. Movit tumidæ feminæ stomachum demissa Regis pietas, ad Saltatorios modos animo corporéque exultantis. Quare redeuntem mox adorta, salutat amaro cum sarcasmo, tanquam immemor sortis regiæ, non verecundatus esset Rex ipse, linigeros inter cantores linteatus, sine paludamento, sine diademate, ad concrepantes symphoniacos subsilire; divideret jam servis & ancillis imperia, quorum

quorum inter choros, despiciendum se, deridendúmque largiter propinâsset. Quòd si nollet se regem meminisse: meminisset certè, thori sui consortem & reginam esse, & regis filiam. Poterant hæc tonitrua in tempestatem solvi, nisi rex mitissimus magis insitam modestiam, quàm maledicam uxoris linguam in consilio habuisset. Ne tamen existimaret importuna obiurgatrix, sibi cum scurra, quod per contumeliã effutiebat, negotiũ esse, muliebrem fastũ regia severitate compressit. Quid enim, aiebat, est, quod arroganti tumore te impleas, femina, & à generis fiducia sumas audaciam? An nescis, patrem tuum ex agasone regem, & ex rege rejectamentũ esse factum? Diadema eius vertici detractum, meo capiti DEUS imposuit; Sceptrum, quod gessit, mihi, meóque sanguini ferendum dedit. Non erubesco meminisse baculi, peræque pastoralis; tam me conditionis admonent meæ, quàm beneficij divini. Utramque didici fortunam pati; pietate, si nescis, & modestia stabiliuntur regna, superbiâ evertuntur. Suprema majestas potentiam suam in mortalium impotentia ostendit. Elatos attenuat: humiles exaltat. Is demum regnat, qui regnantiũ Domino demissam servitutem præstat. Parens tuus, si, qua subjectione mentis exorsus est regnum, eadem administrare perseverâsset, per casus tam miserandos in præceps devolutus non fuisset; Propiore DEUS respicit oculo, quicunque vilescunt sibi; inflatos spiritus è longínquo cognoscit. Ludam ego, & vilior fiam, (si tamen vilitas est, æterni Regis obsequijs servire) dumodo ludenti applaudat cœlũ. Ita dixit, ita fecit David, à caula vocatus ad Aulam, ab abolla ad purpuram, à pedo ad sceptrum, à pera pastoritia ad diadema regale. Michol verò suæ pœnas persolvit arrogantiæ, quibus majores illa ætate expeti non poterant; nunquam effecta est mater; extremũ id erat apud Hebræas matronas probrum, & illius ignominia sexûs. Maritus contrà, piô promeruit ludô, ex eius ut progenie prodiret ille, qui MATRE natus VIRGINE, typicam *Arcæ Veteris* umbram, in admirabilem *Arcæ Novæ* lucem, Eucharisticum Ferculum, cœlestium gratiarum prodigium, transferret.

David reprimit maledicã uxoris linguã.

DOCTRINA.

I*Ratus est indignatione Dominus, & percussit eum* (Ozam) *super temeritate*. 2.Reg.6. Quid est, quod Oza nece subida luerit officium in speciem religiosum, cùm *Arcam* labantem sustentaret? Varij varias hujus supplicij caussas adferunt; nobis probantur duæ. Prima; quòd sine reverentia ac necessitate tetigerit *Arcam*; bos quippe *paullulùm inclinaverat eam* 1.Paral.13. Altera, quòd, cùm non esset Sacerdos, ausus tamen sit manum admovere *Arcæ* fulciendæ,

Cur adeò graviter punitus Oza.

fulicendæ. Ubi discendum, quanta puritate ac reverentia accedendum sit ad SS. Eucharistiam, in qua non manna terrestre, ut olim in *Arca*, sed cœleste ac divinum, Christus ipse DEUS & homo, continetur. Audi S. Pacianum *in Parænes.* Vos appello, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos; qui cum malâ conscientiâ DEI Sacra contingitis, & altare Domini non timetis: qui ad manum Sacerdotis in conspectu Angelorum, sub fiducia innocentiæ acceditis; cùm tanta fuerit divinæ cura Providentiæ, ut audaces manus nec ob auxilium sustineret. Magis etiam sibi timeant, quibus concessa potestas Divinissimi hujus Sacramenti conficiendi ac distribuendi, ne rei fiant Corporis & Sanguinis Domini, sibíque pro gratia pœnam, pro misericordia judicium, pro vita sumant mortē, quod Paulus minatur. *1. Corinth. 11.*

Davidis moderatio animi.

Quàm illiberali fronte regina Michol in regium conjugem convitia plenis buccis effudit, dum prorumpit: *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* 2. Reg. 6. Protervum nimis & petulans convicium in tantum Principem, qui deposita regia veste extima, amiculum lineum seu stolam byssinam, inter Levitas & Cantores psallens, sibi circumdederat. Quis maritorū ad hanc dicacitatem & maledicentiā continuisset manum? non strinxisset vel pugnum vel pugionē? Continuit se David, &, *Ludam*, inquit, *& vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Quot hîc virtutū decora! patientia contumeliæ, modestia, submissio, despicientia suî. Eleganter Bernard. *epist. 87.* Ludam, inquit David, ut illudar. Bonus ludus, qui hominibus quidē ridiculum, sed Angelis pulcherrimū spectaculum præbet. Bonus, inquam, ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Pietas ad omnia utilis.

Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Ibid. Verissimè Doctor Gentiū. 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est*; etiam ad Coronas & Sceptra roboranda; divinis enim auxilijs imperia firmantur potentiùs, quàm armis & opibus. Tantò Religionis documentū insignius David dedit, quantò demissiùs se abjecit ad eius honores attollendos, à quo regnū acceperat. Pietati Rudolphi I. in ferculū Eucharisticum Austriaca Potentia suam felicitatem debet, ex vaticinio perpetuandā; qui, ut venerabundus DEUM sub panis nube latentē coleret, desilijt ex equo, & inde per depressionem suî, ad solium Imperatoriæ Majestatis ascendit. Ita nempe sunt humana divinis aut nexa, aut obligata, ut illa, etsi non

non quæras, per ista obtineas; Et quantò cœli Domino mortalem fastum profundiùs submittis, tantò ad dignitatis fastigium altiùs eleveris.

NARRATIO LXIV.

HANON AMMONITARUM REX, OB VIOLATOS DAVIDIS LEGATOS, ATROCES CUM SUIS POENAS SOLVIT.

2. Reg. cap. 10. & 12.

Annis Mundi 2996. 2997. 2998. 2999. Ante Christum 1057. 1056. 1055. 1054.

DAvid ubi intellexit *Naasen*, Regem Ammonitarum, sibi fædere junctum, vitâ decessisse, regnúmque ad *Hannonem*, Naasis filium, etiamnùm adolescentem, esse translatum, Legatos misit, qui pro mutua amicitia consolationem adhiberent, funus paternum lugenti. Quod cùm Legati, honorificè & amanter excepti, fecissent prolixè; Suspiciosa Satraparum temeritas eò impulit regem juvenem, ut ei benevolentiæ ac commiserationis officio, insignem referret ignominiam. Legatos namque pro exploratoribus per summam calumniam habitos, inauditâ causâ, locô nullô defensioni datô, nullâ ad Davidem quærelâ delatâ, velut sceleris convictos, contra jus gentium damnavit, & ignominiosæ pœnæ subjecit. Raditur viris honestissimis, in publicum ludibrium, pars dimidia barbæ ac capillitij; togæ præciduntur ad eas usque partes corporis, quas nudari vetat pudor. Ejus contumeliæ nuncius ad Davidem delatus, non secus, ac par erat, Regem affecit. Jussi sunt Legati tamdiu Jerichunte subsistere, donec recrescentibus pilis, turpitudinis nota aboleretur. Cæterùm ea Legationis violatio, fatalis ac funesta fuit *Ammonitis*; cùm enim minimè dubitarent, tantam se injuriam, Regi, opibus armísque potenti factam, haud impunè laturos, ingentes *Syrorum* copias, mille talentorum mercede conduxerunt. Israëlitarum non erant plures, viginti quatuor millibus, qui cum validissimo hoste prælium inirent. Infesti stabant

Contumelia in Legatos Davidis.

exercitus ad ipsa regiæ Ammonitarum urbis (*Rabbátha*, seu *Rabba* vocabatur) mœnia; aciem à fronte Ammonitæ disposuerant; à tergo Syri premebant; Israëlitæ in medio concludendi erant. Qua re animadversa *Joabus*, ut erat militaris artis apprimè gnarus, copias suas bipartitò divisit; ipse cum flore militiæ, Syros invadit: reliquum militem frater *Abisai* in Ammonitas ducit. Præliô vix tentatô, vertuntur in fugam Syri, (DEO pavorem eis immittente) nec constantiores Ammonitæ, salutem & ipsi petunt à pedibus; Ioabus ad obsidendam Rabbátham necdum satis instructus, Hierosolymam in hiberna revertit, victoria contentus.

Ammonitæ vincuntur ab Israëlitis.

Annô sequenti Syri bellum redintegrant, ad accepti dedecoris infamiam delendam. Confluxêre ad signa regis Syrorum, *Adarezeris*, & *Sobachi*, eius militiæ principis, sub quatuor alijs regulis, centum triginta octo millia, præter septingentos currus militares, & septem millia militum ex illis dimicantium, ut planè videretur, de summa rei, & Orientis imperio decernendum. Contraxit non minùs David, quidquid poterat virium, priora decora novis victorijs cumulaturus. Exortô utrinque prœlio, acriter aliquamdiu pugnatum est, donec Syri divino iterum concussi metu, maxima strage succubuerunt, cæsis non minùs octoginta & septem hominum millibus, & in ijs *Sobacho* quoque supremo belli duce. Rex *Adarezer* maturè sibi fugâ consuluit, vitámque tributaria servitute, & renuntiatione fæderis Am̄onitici redemit.

Altera de Ammonitis victoria.

Itaque tota belli moles, Duce Joabô, in Ammonitas, & ipsorum regiam civitatem, *Rabbátham* conversa est. Annum ampliùs duravit obsidio, victoriæ moram adferente, Davidis adulterio & homicidio interea temporis commissô. Iam ad extema deducti erant obsessi, cùm Ioabus per litteras significat regi, ut adesset urbis excidio, & hunc quoq; titulum victorijs suis apponeret, munimentíq; expugnati gloriam occuparet. David collaudatô Ducis sui officiô, fidéque, proficiscitur cum selecta manu ad Rabbátham evastandam. Miles præsentis auspicio regis, & ductu animatus, magna alacritate facit in muros impetum, effractísque per vim portis irrumpit in urbem. In ipso aditu acerrimum certamen conseritur: hinc Hebræis ad vindictam & prædam anhelantibus: inde Ammonitis pro aris & focis, pugnantibus; donec ad extremum Hebræo superante, urbs tota in potestatem victoris irati venit. Promiscua cæde in omnes sævitum. Quidquid vasorum erat aureorum & argenteorum, DEO consecratum; reliqua præda militi cessit, longè opulentissima; quòd in eam urbem totius regni opes, belli metu, fuissent congestæ. Imprimis memorabilis fuit *Corona*, quam simulacro suo Molocho, regiam in formam efficto, Ammonitæ publicis impensis imposuerant, aurô solido

Rabbatha, urbs Ammonitarum evertitur.

solidô fabricatam. Eam David cum cæteris spoliis avexit, redegítque partim in diadema, suomet vertice gestandum; partim Divini *Sacrarij*, *regiaq́* ornamentis impendit. Urbs propter oppidanorum contumacem malitiam, inque contumeliæ Legatis illatæ ultionem stirpitus destructa, & solo æquata; incolarum reliquiæ tam Rabbæ, quàm cæterarum urbium carpentis ferratis, super eas agitatis, fœdè laceratæ: cultris & ferris dissectę, gladijs, securibúsque truncatæ, ignibus fornacum lateritiarum crematæ, crudeli utique supplicio, & pernicioso in genus humanum exemplo, nisi justam victoris iram, impietatis & flagitiorum im̃anium odia stimulâssent. *Incolæ crudeliter discerpuntur.*

DOCTRINA.

ACres habet ultionis stimulos læsa majestas. Nec est alia vindictæ justior caussa, quàm injuria Legatis illata; quos qui violat, jus gentium violat. Si statuarum violatores tam severè vindicantur; quid de Legato censendũ, qui Principis sui, patriæque velut imaginem & dignitatem repræsentat? Romani, Tullio teste, Corinthum, totius Græciæ lumen extinctum esse voluerunt, quòd ipsorum Legati, erant appellati superbiùs. *Gravissimũ crimen, Legatorum violatio.*

Sunt, qui ob hoc vindictæ genus, Davidem crudelitatis insimulant; alij sævitiam facti excusant atrocitate injuriæ acceptę. Nam Am̃onitæ non tantùm ipsi crebrò invaserant Iudæam, sed alias etiam gentes ad belli societatem concitârant. Ideóque fuisse medios dissectos ferris, qui Legatorum vestes sum̃â ignominiâ discinderint; Cultris truncatos & gladijs, quòd capita & barbas hominum, quos sacrosanctos habere debuerant, pari fœditate, injuriáque, abraserint: meruisse carpentis & curribus substerni, conterique, qui Legatos regios vehiculis impositos in turpissimum ludibrium circumduxerint. Et cùm Am̃onitæ idolo *Moloch* seu *Melchom* im̃ania sacra instituerint, infantes partim per ignes, traductos, crudeliter ustulando: partim inter brachia candentis idoli crudeliùs concremando, meritò & ipsos per incensam fornacem traductos, aut in eam etiam conjectos fuisse. Præsertim si (quod probabilius est) David hoc supplicium de Ammonitis sumpserit tum, cùm per scelerum pœnitudinem DEO reconciliatus, in eius rei præmium, hanc ab eo victoriam retulit.

Vt investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, misit David servos suos ad te. 2. Reg. 10. Ita Consiliarij Hanonis adolescentis, amici benevolentis officium in pessimam calumniam detorserunt. *Misera vocatur terra, cujus Rex puer est.* Eccles. cap. 10. quia ipse utpote multarum rerum ignarus, quarũ scientiã affert usus

 & experien-

& experientia, facilè aliorum consilijs abducitur. Et nimis quàm verum est, quod Assuerus rex conqueritur, Estheris cap. 16. eò quòd Consiliarij, Principum abutantur simplicitate, gravia in Rempublicam detrimenta redundare. *Dum aures*, inquit, *Principum simplices, & ex natura sua alios æstimantes, callida fraude decipiunt.* Testis est Hanon, qui dum alijs se facilem nimis, & credulum præbet, violato gentium jure, & Legatis regijs per ludibrium inhonestè tractatis, seipsum, & regnum perdidit. Hinc monet Siracides cap. 37. *à consiliario serva animam tuam*, non temere credendo & fidendo. Rectè quoque *Sallustius in Catilin.* Omnes homines, *inquit*, qui de rebus dubijs consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facilè animus verum pervidet, ubi ista officiunt.

Principes facilè decipiuntur à consiliarijs.

Nunc igitur &c. cape eam, ne cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria. 2. Reg. 12. Miranda fidelitas & modestia Ducis Ioabi, qui gloriam urbis mox capiendæ, quam belli duces adeò solent ambire, ex toto in regem suum Davidem transcribit. Ita fuit extra invidiam, non tamen extra gloriam, quam auxit à se removendo. Potentia in Aulis, est in loco lubrico posita, præsertim si inter magnitudinis æmulos, ipse Princeps existat; quantum alieno splendori lucis accedit; tantum caliginis, suæ claritati offundi putat. Hinc Salomon Proverb. 25. *Ne gloriosus appareas coram rege.* Ita Philippus Macedo, inquit Demosthenes, omnia præclara facinora, sua esse volebat: magis indignabatur ducibus & præfectis, qui prosperè & laudabiliter aliquid gesserant, quàm ijs, qui infeliciter & ignavè. Patrem Philippum secutus filius Alexander, vinci quidem hostes volebat, sed Antipatrum vicisse indignabatur; suæ demptū gloriæ existimans, quidquid cessisset alienæ. *Curt. lib. 6.* Ita Gobrias in venatu interfectus est ab rege Assyrio, quòd ursam & leonem fortiùs confixisset *Xenoph. lib 4. cyripediæ*

In Aulis frequens æmulatio.

Et tulit diadema Regis eorum Melchon (idoli, quod formam *Melech*, seu regis habebat) *& impositum est super caput David.* 2. Reg. 12. Ne videretur David suas tantùm injurias persequi velle, DEI negligere; falsorum Numinum cultores cum idolis suis stravit; pulcherrimam ratus victoriam, quæ de Impietate triumpharet; & spoliorum præclarissima, tenebrarum Principi detracta. Nec poterat Trophæum meliori loco statui, quàm in vertice regio, ut ibi, unde ex lasciuo oculorum conjectu prædam Orcus egerat, prædam reponere cogeretur.

Spolia Impietati detracta.

NARRATIO

NARRATIO LXV.

DAVIDIS IN CRIMINA PROLAPSIO.

2. Reg. 11.

Anno Mundi 2998. Ante Christum 1055.

POst tot victorias illustres de hostibus relatas, cùm David quadragesimum jam & octavum vitæ annum, regni verò decimum nonum inoffenso pede decurreret; proh dolor! fœdæ demum libidini turpiter succubuit; principium ipse ruentis in se Domûs, quam erexerat; ingens omnibus exemplum, nequid à casu tutum sibi quisquam spondeat. Miserabilis prolapsio ita contigit.

Expeditione, jussu Regis, adversùs Amonitas susceptâ, Duce militiæ supremo Ioabo, post devastatos hostium agros, pagos, oppida, vis ultima barbarorum urbi Rabbathæ (uti narravimus) erat admovenda, ut ejus expugnatione, hostilitatis, & mali radix omnis exscinderetur. Inter primos in expeditionem cum prætorianis Davidis copijs iverat *Urias* (cognomentô *Hethæus* à loco natali *Heth*) miles & bello spectatissimus, (quippe *Triginta* Davidis *Fortibus* adnumeratus) & probitate morum insignis. Reliquerat hic domi *Betsabéam* conjugem, ceu minimè necessariam castrorum appendicem. Fortè Rex David, qui & ipse Jerosolymis remanserat, die quodam æstuosiore, post epulas ac meridiem, grabato se quietique mandârat. Soporis, quantum satis esset, perceptô; marcidum (ut fieri solet) à somno diurno corpus, agitatione reparaturus, in solarium domus regiæ se recepit; ambulandi pariter, & refrigerantis auræ captandæ caussâ. Contigit, ut eodem tempore Betsabea, contra solis ardorem, corpus in horto domestico ablueret ad salientem fontanam, incautiùs aliquantùm renudatâ, quàm egregiè castam decuisset; formæ mulier perinde elegantis, ut ætate florentis, & integræ; quippe vicenni non major. In quam Rex ut oculos conjecit, ut perijt. Mittit, qui nomen, genus, vitæ conditionem exquirat. Discit omnia singillatim: intérque cætera; fortissimo suorum militum Uriæ collocatam esse. Rex, quem hîc imperare sibi convenerat;

David amore Betsabea incenditur.

convenerat; statim exardescere, hòc ferventius, quia *contra vetitũ*. Arcessitur mulier in regiam, interpellatúrque de corporis usura. illa nihil obluctata, venit, committit scelus. Cujus infamia quò tegeretur, nam trimestrì jam maritus abfuerat, evocatur è castris Urias; variáque per speciem de belli fortuna interrogatur. Inde domum remittitur ad uxorem conveniendam, cœnâ regiâ, & lautijs eum prosequentibus. Sed is, generosum militẽ non decere ratus, belli tempore ad conjugis blandimenta, & uxoriã consuetudinẽ divertere; maluit portę regię custodibus se somnùmq; suum, ea nocte, sociare. David intellecta spei suæ vanitate, accusare militẽ inhumanitatis, urgere, rediret ut domũ, uxorẽ viseret, necessariam quietem caperet; commeatúmque roganti, in lucem posterã polliceri. Detinetur interim ad cœnam *Vrias*; aliquantò longiùs hilaritate (quam rex sermonibus, ac poculis iuvabat) protractam; oneratur vino supra sobriorũ legem; deniq; temulentus domum se conferre jubetur. Verùm etiã tum regis elusô machinamentô; titubans Urias, ac longioris progressûs impatiens, ante fores statim regias, lectulo se commisit. Rex ubi vidit, omnẽ humanitatis conatũ frustra esse, consilium à crudelitate capit; scribit Ioabo litteras, *Rabbátham* tunc obsidenti, quibus mandat, ut Vrias iniquissimo certaminis, acerrimóq; loco, pro fronte, constituatur; præmonitis commilitonibus, ut pugnantem, & in extremo discrimine versantem, medios inter hostes destituant, ipséque circumventus, ea, quæ meruit, exsolvat. Perlectâ Ioabus epistolâ, quod imperatum erat, exsequitur. Vrias fortissimè dimicans deseritur; & cadit. Sunt, qui scribant, Vriã cum promptissimis quibusq; propiùs ad muros subeuntem, repentinâ telorum procellâ, desuper missâ, unà cum cæteris obrutum, oppressúmq; fuisse; adeóq; Davidem haud simplicis reũ cædis se fecisse. Nuntiũ interitûs eius, *David* ac *Mulier*, animîs lætîs, & verbîs tamen per summam simulationẽ tristibus excipiunt. Illa funebrẽ insuper luctũ induitur; quem mox tamen, amoris impatientiâ, qua rex eam deperibat, in peplũ nuptiale vertit: eíque jam *matrimonio* iungitur, cui priùs *adulteriò*. Dos uxoris est, *uteri vitium & onus*: arrha maritalis, *cædes* prioris viri. Nascitur, octavo post nuptias mense, puer, partus alijs præmaturus, parentibus autẽ flagitij conscijs, præfestinatus. Amantes duo, quantùm in conjugio, tantùm in delicti sui contemptu pergunt, obliti Numinis, pudoris, famæ. Adeò non cæca tantùm, sed surda, sed vecors est libido.

Adulterium Davidis.

Vrias mandatò Davidis, vita discrimini obijcitur.

DOCTRINA.

A *Ccidit, ut surgeret David de strato suo post meridiẽ* 2. Reg. 11. v. 2. A somno & cibo, proclivis ad Venerẽ transitus. Animi curâ vacãtis affectio,

affectio, est Libido. Et juxta *Diogenem*, negotium otiosorum est amor ac cupiditas. Quot scintillas eiaculatur fornax ardens, tot mala desideria suscitat mens otiô æstuans. Pulvillo dormientis Davidis Cupido incubuit; mollities ex molli ortum habuit. Somnus ei diurnus, *dæmon* fuit *meridianus*. psal. 90. nàm de meridie incurrit in torpentem, & ex intempestivo sopore marcentem. Qui vigilantem timuit, semisomnem oppressit. *Sagitta volabat in die, Psal. 90.* & mortiferum vulnus inflixit.

Otium invitamentum libidinis.

Viditque mulierem se lavantem ex adverso. Ibid. Domus quippe Uriæ respiciebat ex adverso regiũ pallatium. Insidiosum pulchritudo speculum, etiam procul aspicientes urit; dolosus Arcus, simul icit, & jacit; blandum facit vulnus, sed lethale. Rectè *Seneca* partem innocentiæ, dicit, esse cæcitatem. Et *Augustinus* „ *in psal. 50.* De longè vidit David illam, in qua captus est. Mu- „ lier longè; libido propè. Alibi erat, quod videret: in ipso, vn- „ de caderet. Et juxta *Greg.* Lascivus aspectus scintilla fuit, quæ „ dum in paleam, femineam formam, incideret, momentò rapuit „ flammam, & fœdi amoris incendium excitavit. Intueri non „ licet, quod non licet concupiscere.

Et oculorum curiositas.

Missis igitur David nuntijs, tulit eam. Ibid. Hoc habet libido, pudorem simul & prudentiam eliminat. Animi vulnus tam fædum non dubitavit servis suis aperire; neque enim credibile est, ignorâsse nuncios, quid animo designâsset rex, cùm ad se feminam evocavit, ignotam antea, nobilissimóque viro copulatam. Prô miserum! quem nec leo, nec ursus, nec Hebræorum terror Goliathũs, nec mille tela frangere aut domare potuerunt, femi- „ na fregit, domuítque. Verè *Seneca*: Amans quid cupiat, scit; „ quid sapiat, non videt. Amare & sapere vix dijs conceditur. Expressiùs Salomon, Prov. 6. *Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.* O quanta mentis inopia, quanta vecordia, cùm lascivus homo, brutæ voluptatis œstro agitatus, in præsentissimum casum & barathum ruit, secúmque trahit alios! Nam qui thorum violat alienum, viro facit injuriam, uxorem contaminat, liberos suspectos & incertos reddit; & cùm DEUS jusserit, ambos (Adamũ & Evam) esse in uno corpore, & in uno spiritu; adulter unum separat corpus, unum dividit spiritum. *S. Ambros. lib 5 Hexam, c. 7.* Adulterij vesaniam more suo facundè *Chrysosto-* „ *mus* explicat *homil. 3. de verbis Isaiæ.* Nam quæ potest esse volu- „ ptas, ait, ubi metus, ubi discrimen, ubi tantorum malorum „ exspectatio, ubi tribunalia, ubi accusationes, ubi judicis ira, ubi „ ruina, ubi gladius & carnifex, ubi barathrũ ac deploratio? Et po- „ nam?, hęc omnia tolli. Quomodo feret conscientiã redarguẽtem; „ quomodo sustinebit cælestis curiæ sententiã, tribunal illud, quod

Cæcitas libidinosi hominis.

neque

„ neque pecuniâ corrumpitur, nec adulationibus acquiescit,
„ nec potentiâ reprimitur, nec mendaciô eluditur.

Et ait Vrias ad David: Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus; Et ego ingrediar domum meam &c. Ibid. *v. 11.* O militem fortem & Sanctum, qui tam indignam sua fide, robore, pietate mercedem à Davide retulit! Frustravit vir fortissimus vafrum regis consilium, indignum reputans indulgere voluptati, & in molli stragulo lentos captare somnos, cùm dux Ioabus, & qui illius sequebantur signa, humi cubarent in tentorijs, quietem interrumpente buccinarum clangore, & hostili fremitu. Discat hîc mi-
„ les Christianus facere fortiter, & sub Christo, *Spinoso Capite*
„ (quod Bernardus monet) non esse *membrum delicatum.*

Miles Christianus.

Et inebriavit eum. Ibid. David Uriam. *S. Augustinus serm. 231. de*
„ *Temp.* Qui alterum cogit, ut se plus, quàm opus est, bibendo
„ inebriet; minus malũ ei erat, si carnem eius vulneraret, quàm
„ eius animæ per ebrietatem noceret. Tolerabilius est in carne
„ mori, quàm per ebrietatem in anima interfici. Minatur Habacuc Propheta cap. 2. *Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspiciat nuditatem eius.*

Inductio ad ebrietatem.

Scripsit David epistolam ad Ioab, misitque per manum Vriæ. Ibid. Jam David ex adultero homicida efficitur; Necis suæ tabulas Urias innocens & inscius perfert. Hinc in adagium abierunt, *Vriæ*, & *Bellerophontis* litteræ, latoribus suis perniciosæ. In hunc modum, scelus hæsit sceleri, & per gradus Libido præcipitavit Davidem. Priùs cæpit lapsare, antequam corrueret. Nam *primò*, uti recensuimus, opportunitas ad prolapsionem extitit, somnus pomeridianus, præsertim in molli lectulo vocatus, mollioris animi & delicijs fracti argumentum. *Alter* ad vitia pronubus fuit, Otium; David enim in solario domus regiæ ambulans, nihil serij cogitabat. *Tertiò,* Oculi emissitij ductores ad flagitium certissimi· Incustoditus visus, incustoditæ mentis est nuncius. Per oculorum lasciviam, prima pugnæ præludia init Cupido. *Quartò,* secutus est Amor cæcus, & cordis adulterium. Rex oblitus majestatis suæ, mittit, qui suasione & prece, formosam feminam adducant. *Quintò*, in vestigio hæsit, ipsum adulterij flagitium. *Sextò.* Urias redditur ebrius; quẽ Rex necabat, antequam necaretur; priùs ebrietate, postea gladio. *Septimò,* palliolum sceleri ut obtẽderetur, alienus fœtus erat Vriæ supponendus, grandi injustitia. *Octavò,* Libido sibi blanda, alijs fit sæva & crudelis. Infamatur vir integerrimus, tanquam nescio quid capitali supplicio dignum cõmisisset, & per summam fraudulentiam ac calumniam morti obijcitur. *Nonò,* consecuta est publica offensio; & pessimum exemplum Aulæ, civitati, toti regno, vicinis gentibus, idolorum

Scelera libidinem Davidis comitantia & consequentia.

cultui

cultui deditis, præbitum. Nam quid? si hoc licet Regi, cur non etiam gregi? Davidem præeuntem, quis vereatur sequi? Ita scelus ex scelere gignitur, & in nefas, per aliud nefas, itur.

Quærat hîc aliquis, cur DEUS permiserit Davidem in hæc dedecora incurrere? Respondetur, ut Iustitia & Misericordia divina clariùs in Rege hoc elucerent. Unde ipse psal. 100. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Deinde, ut maximis cœli gratijs affluens, disceret seipsum; suámque fragilitatem nôsse, hominémq; meminisse. Præterea, ut saperent alij tanti Viri lapsu. „ Pulchrè *Ambrosius Apolog. 2. David. c. 3.* Si David infirmus, tu for„ tis? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? si Paulus primus pec„ catorum, tu potes primus esse Sanctorum? Quartò, ut si nos labi contingat, ne despondeamus animum, sed cum Davide per pœnitentiam resurgamus. Sit lapsus, virtutus stimulus; ut usurpari possit illud Poëtæ:

Cur DEUS permiserit Davidem tam graviter labi.


Si non errâsset, fecerat ille minus.

Præclarè *Augustinus homil. 21. inter 50.* Multi cadere volunt „ cum Davide, & nolunt resurgere cum Davide. Audiant, qui „ non ceciderunt, ne cadant: Audiant, qui ceciderunt, ut sur„ gant. Non sit delectatio minorum, lapsus majorum; sed casus „ majorum, sit tremor minorum.

NARRATIO LXVI. DAVIDIS POENITENTIA.

2. Reg. 12.

Annô Mundi 2999. Ante Ch. 1054.



Dum suis David securus voluptatibus indulget, puerè furtiva Venere, & adulterino concubitu nascitur, ingenti parentû lætitia; quam tamen mox turbavit inexspectatus nuncius, à DEO submissus. *Nathan* is erat Vates, Davidi perfamiliaris; qui per quietem admonitus, ad Davidê se confert, nihil minus metuentem; sceleris admissi gravitatem in conspectu ponit, promeritásque pœnas denuntiat. Ne verò plus exulceraret obiurgatio, quàm sanaret regis animum, pravis amoribus abreptum; per ambages Davidem aggreditur, tantóque validiùs conscium

Nathanis parabola ad Davidem.

 pectus

pectus ferit, quantò id obliquiùs petit. Narrat duos esse cives, ejusdem urbis, à fortunis dissimillimos; *copiosum* alterum ovium gregibus, & boum armentis; alterum *tenuem*, & unius oviculæ dominum, quam in delicijs & amoribus haberet unicè, sua cibaret manu, suo foveret sinu. Fortè usuvenisse, ut ad civem locupletem hospes peregrè adveniens diverteret; quem ut exciperet pro meritis, oviculam pauperi viro abactam, in cænam jugulâsse; quanta rei indignitate, Davidem appellari judicem. Hic enimvero vehementer rex excandescere, detestari facinoris iniquitatem, reum capitis pronuntiare raptorem ovis, & quadupli restitutione damnare. Auditâ regis sententiâ, continuò Nathan, Tu, inquit, vires ille, tu dives, tu raptor, tu jugulator pecudis, tu reus; ac tuopte judicio supplicium; & exempla novissima commeritus. Tu civis es opulentus ille, sine ænigmate loquor, rex terræ lacte melléque manantis. Civis autem comparatione tuî pauper, Urias fuit Hethæus, Ovicula ejus unica, Bethsabea conjunx; Peregrinus, quem in diversorium admisisti, Tartareus Cupido fuit, qui te mulieris alienæ desiderio succendit. Huic tu malè cautus obsecutus es; & cum haberes uxorum gregem, alterius thorum contra jus & fas invasisti: ingratus, immemor beneficiorum, quibus te DEUS cumulavit & obruit. Ille te à pedo & petaso ad diadema & solium evexit, tot Saulis insidijs subduxit, è periculis plurimis maximísque eripuit, in domum opulentissimam induxit, Israëlis & Judæ regnum tibi tradidit; majora etiam adjecturus, si legis divinæ frenum pati potuisses; tu verò non contentus jugalem pudicitiam nefariè commaculâsse, vetitum insuper cubile, insonti sanguine respersisti. His flagitijs refundet pœnas ultrix Justitia, & paria paribus rependet. Domum alienam tu malis involvisti; malis tu vicissim, è tuamet domo suscitatis, involvéris. Uxorem extraneam rapuisti, & contaminâsti, sed *unam*; in vicem tuæ rapientur & opprimentur uxores decem, & ab eo quidem, quô nemo tibi propinquior erit. Tu nefas in tenebris, cubiculíque caligine admisisti; nefas majus admittet ille, quisquis erit matrimoniorum tuorum involator, sole meridiano: totis Ierosolymis, & omni populo tuo spectante. Sic Cubile fœdum, cubili fœdiore vindicabitur. Tu Gladium denique, manibus Ammonitarum, in Uriam insontem, crudeliter distrinxisti, mori coactum, quia te, morte dignum in uxore, non occiderat. En, è diverso Gladius divinâ stringendus dexterâ, tuam ex omni parte vastabit domum: tibiq;, capitiq; tuo, filiísque, quin & omni generis tui posteritati, pertinaciter semper impendens; sursum universa, deorsúmque vertet: & à cervicibus Davidi-

Explicatio parabolæ.

Invectiva in Davidem & comminatio.

darum,

darum, nullis unquam sæculis abscedet; donec superesse desinat in terris, qui se Davidis oriundum stirpe, gloriari verè sustineat. Militis unius homicidium, regalium capitum cædibus stabit infinitis: &, quorumcunque tandem manibus aut imperiô, mors illata Davidicis; ab Auctoribus quidem suis aliter alitérque nominabitur: reipsa, semper *Uriæ* ferrum erit. Urias jugulatus semel; in omnes tuorum cædes, vivet assiduò: vindictámque tamdiu bibet è singulis; donec Davidem exhauriat universum.

Hæc Nathane proloquente, non potuit rex ultra cohibere vocem, intus immenso cordis æstuante sensu, facinorúmque suorum execratione flammam ruboris accendente; crebris jam singultibus corda verberabantur altissimo tandem ducto gemitu, lacrimis infusus, *Peccavi*, exclamat, *Peccavi Domino.* Cætera, quæ nequijt exprimere labijs, supprimente verba vi doloris, secum ipse fusiùs animo loquebatur. Nondum finierat tacita lamenta David, cùm Nathan ad flentem conversus; Quoniam, inquit, peccati tam impensè te pœnitet: en, & culpæ tibi gratiam & vitæ Majestas æterna facit. Pœnas DEO sempiternas debebas. Has remittit; ac transfert in Temporis, ac morte finienda supplicia. Casurus eras rebellium, hostiúmve gladio. Decedes nunc, pacatô regnô, siccáque morte. Cæteræ quoque, quæ te, tuósque manent, clades temperabuntur. Quamquam ijs in universum non carebis. Hæ namque, Peccatorum erunt pœnæ: quas divinæ rigor Justitiæ, plerumque, condonatâ quoque jam offensâ, reis infligit. Initium autem animadversionis justæ fiet ab eo, quô tu minimè voles, capite: filio scilicet infante; qui de Betsabéa tibi susceptus, in cunis vagit. Nam hujus & conceptus & ortus, ac, nunc Spurij nomen in legitimæ prolis dignitatem translatum, non Israëlitis modò sermonem, sed barbaris quoque finitimis, maledicendi Sacris nostris, ansam exhibuit, Hebræorum religionem ex rege suo metientibus, & ex cultorum flagitijs, ipsum Israëlitarum DEUM criminantibus; in ejus offensionis pænam puer fato præmaturo tolletur, non quia deliquit, sed quia delicti fructus est, & opprobrium. Ita Numini fixum, ita constitutum est. Cúmque dicto, regiâ Nathan egressus, abijt, unde missus erat. Per ordinem cuncta suum, expleta mala sunt, quæcunque Vates prænuntiavit; DEO non severiùs scelerum vindictam interminante, quàm veriùs exigente.

Davidis vox pœnitens.

Et remissio culpæ.

DOCTRINA.

Davidis severa pœnitentia, & expiatio criminum.

ET *dixit David ad Nathan* : *Peccavi* 2. Reg. 12. Breve verbum, sed ex intimo cordis sinu profectum, & acerbi doloris, demissionis, charitatis plenum. *Rugiebam*, inquit, *David* psal. 37 *à ge-„ mitu cordis mei*, quem ut *D. Augustinus* exponit, audit DEUS ; non „ à gemitu carnis, quẽ audiunt homines. Gemitus hic editus non ob sceleris infamiam, non ob vulgi sermones, non ob intentatas pœnas, sed ob sum̃i benefactoris, & super omnia diligendi Numinis offensionem. Nulla hîc excusatio, nullus sceleris prætextus; reprehensio amara æquissimo animo admissa. Hinc facilitas veniæ, illis data, à quibus gravissimè læsus; quales fuerunt nequam *Semei*, rebellis *Absalon*, superbus *Adonias*, aliique. Hinc voluntariæ pœnæ, ultro susceptæ, & com̃issa crimina in se ipso acerrimè vindicata ; Hinc morbus severâ inediâ & longis vigilijs contractus; quod ipse testatur. psal. 108. *Genua mea infirmata sunt à jejunio.* Hinc lectus, turpitudinis instrumentum, per singulas noctes, non pauculis tantùm lacrimarum guttis aspersus, sed largiter rigatus & lotus. psal. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.* Hinc oculi ad flagitium duces, lacrimarum imbribus inundantes. psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Hinc rupta gemitibus & suspirijs densis præcordia, quibus fatigatus & delassatus succubuit. *Laboravi*, ait eodem Psal. *à gemitu meo.* Hinc obversantis ob oculos, sceleris amarissima memoria. *Quoniam*, ait, *iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*, psal. 50. Hinc cineribus conspersi cibi, & lacrimis potus temperatus. *Quia*, (de se loquitur psal. 101.) *cinerem, tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Hinc firmum & efficax propositum emendandæ vitæ, nec commissa repetendi. Id „ peracutè *Augustinus* observans. Sed quia, *inquit*, in isto virô „ immoderatæ huius libidinis non permansio, sed transitus fuit; „ propterea etiam à Propheta (Nathane) illicitus ille appetitus, „ hospes seu Peregrinus vocatus est.

Vis pœnitẽtiæ.

Dixitque Nathan ad David : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* loc. cit. O miram DEI clementiam ! *Peccavi* ; In tribus syl-„ labis, ut *Ambrosius* ait, flamma sacrificij ascendit, juxta il-„ lud psal. 50. *Sacrificium DEO spiritus contribulatus* ; & mox „ è cœlo, misericordia descendit Vix reus agnovit culpam ; cùm Judex supremus concessit veniam. Apud divinum Tribunal citiùs audiuntur gemitus, quàm verba ; pœnituisse, est facundè di-

dè dixisse; nec ampliatur judicium, ubi caussam agit dolentis animi suspirium. Lacrimis mollitur sententia, quantumvis rigida; & crimen diluitur, dum flendo agnoscitur, & singultibus explicatur.

Sanctorum super his Patrum instructiones audiamus. De „ illicita Venere *Bernard. de intern. Dom. c. 39.* Hac peste, qui ad„ strictus tenetur, divelli ab ea vix potest; quoniam stimulos „ eius confiteri aut nescit, aut erubescit. Hinc Salom. Prov. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Cujus rei symbolum: Canis vulnera lambens. cum lemmate: FERT LINGUA MEDELAM. *D. Am„ bros. Apologia 1. Davidis, cap. 4.* Peccavit David, *inquit*, quod „ solent reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod „ non solent reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgen„ tiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, „ confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato do„ lore transmisit. Quod erubescunt facere privati, Rex non „ erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum nega„ re peccatum, dedignantur rogare indulgentiam; quam pete„ bat, qui nullis legibus tenebatur humanis. Quòd peccavit, „ conditionis est; quòd supplicavit, correctionis. Lapsus com„ munis, sed specialis confessio. Culpam igitur incidisse, naturæ „ est: diluisse, virtutis.

Idem Theodosium Imperatorem arguens, quòd ex ira tot millia Thessalonicensium ob dejectam uxoris suæ statuam occidisset; cùm ille diceret, Davidem quoque peccâsse cæde „ Uriæ; subjecit: Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Et reverà secutus est. Nam pœnas ab Ambrosio pro Delicto injunctas cum magna submissione suscepit, explevítque.

David speculum pœnitentis peccatoris.

S. Augustin. lib. 22. contra Faustum, cap. 67. Saul, *inquit*, & Ju„ das proditor dixerunt & ipsi: Peccavi; sed in simili voce dissi„ mile pectus erat, quod divinus oculus discernebat. *Et homil. „ 21. inter 50.* Audi, ait, Davidem, clamantem, & simul clama: „ audi gementem, & congemisce: audi flentem, & collacri„ mare.

„ Eleganter *Salvianus lib. 2. de Gubernat Dei.* agnoscit, *in„ quit*, David reus culpam, humiliatur, compungitur, confi„ tetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia „ auro textili indumenta deponit, purpurâ exuitur, diadema„ te exoneratur, corde & cultu mutatur, totum regem cum or„ natibus suis abijcit, jejunio exugitur, ariditate siccatur, fletu „ effunditur, solitudine carceratur.

Non minùs egregiè *S. Hilarius in psal. 118.* David, *inquit*, tunc „ Nathan Propheta arguente, crimen suum recognovit & flevit: „ nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lacrimis facti veteris crimen abluere, dicens: Exitus aquarū deduxerunt oculi „ mei. Hæc enim pœnitentiæ vox est, lacrimis orare, lacrimis „ ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: Lavabo per singulas noctes lectū meum, & lacrimis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, fonte fletuum manare, & largo „ lacrimarum imbre madefieri.

Addamus his *S. Eucherium in hunc loc.* Vulnus, *inquit*, apparuit, & sanitas rediјt. Sed non fuit his Propheta contentus: „ Nam post correctionem, post pœnitentiam, post peccatorum „ absolutionem, Psalmum eam ob caussam scripsit, ut etiam „ posteræ generationi fiat illius morbus medicina: & illius naufragium, sit aliјs portus.

In hoc lacrimarum speculum inspiciant illi, qui mille caussas flendi habent, nec tamen salutarem emittunt guttam. David non iteravit lapsum, & tamen dies noctésque illum expiavit. Isti cùm omnium flagitiorum sordibus inquinentur, sperant, se sine pœnitentis animi gemitu, sine lacrimis, illotos, & illuvie obsitos, inter astra refulsuros; Cúmque immemores suî, cœli, DEI, volutentur in *carne* & *sanguine* aurium tenus; nihílque nisi libidines somnient, ructent, perpetrent, nihilosecius ab obscæna vita, pulchram sibi mortem promittunt, & ab impuris cubilibus, ganeis, lupanaribus ad Æterni, omniáque pervidentis, & severè castigantis Judicis tribunal, securi & ludibundi ambulant. O cæcitatem, & proterviam sempiternis ignibus vindicandam!

Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini &c. Loc. cit. lib. Reg. Atque hoc fuit, quod inter cætera graviùs exprobravit Nathan Davidi; scandalum, seu perniciabile exemplum; quod Amonitis, Philisthæis, aliísque gentibus datum. Quid enim? si justus Hebræorum est DEUS, cur regem tam injustum, ingratum, crudelē, turpi libidine infamem regnare, & florere patitur? Ita Davidis scelus in ipsius Numinis Divini contumeliam cessit. Ubi notandum, quàm grave piaculum admittant, qui suis flagitiјs etiam alios eunt perditum; ij præsertim, qui imperium in cæteros exercent; corrumpunt enim vitiorum exempla, magnis cùm subeunt auctoribus. Validum munimentum est privatorum scelerū, publica Regis iniquitas: Nam cùm nemo credat improbandum à principe, quod agit ipse; ea quisque licenter audet, quorum ideam ab ipso sumpserit. Vt proba imperantiū vita est censura improborum; sic impia, est exhortatio ad impietatem.

Malum exēplū in principe.

NARRATIO

NARRATIO LXVII.

AMNONIS, FILII DAVIDIS INCESTUS, ET CÆDES. ABSALONIS EXILIVM, ET REVOCATIO.

2. Reg. 13. 14.

Annis Mundi 3000. 3002. 3005. 3006. 3007. Ante Christum 1053. 1051. 1048. 1047. 1046.

PRimum statim filiorum Davidis flagitium (incestus Amnonis cum Thamare sorore) à DEO (uti diximus) permissum est, Davidis patris adulterio castigando. Nulla sunt vincula, aut pudor, aut fides, quæ non rumpat inhonestus amor; qui neq; novit parerẽ frenis, neque naturæ legibus coërceri. Amnon maximus natu filiorum Davidis, viginti juvenis annorum, oculos conjecit in Thamarem sororem, prô nefas! non ut amaret, sed deperiret. Illicium nefariæ cupidinis erat forma puellæ, longè omnium venustissimæ & Regia virgine dignæ. Ausus est frater tentare; quod ne cogitare quidem licebat. Sed vicit pudorem libido, timorem audacia, rationẽ amentia, & sanguinis communionem improbitas. Simulat morbum, quo non laborabat; dissimulat, quo urebatur, accersit sororem, sorbitiunculam sibi parari rogat: flagitium offert reluctanti. Vix eô patratô, mutantur in feritatem blanditiæ: eijcitur ex ædibus fraternis puella regia: amori succedit odium. Illa tantò miserior, quantò pudoris, amisso pudore, plenior, sortem suam lamentari, capiti cinerem inspergere, vestes pro acerbè lugentium more discindere, quiritatu & ploratu urbem implere. Denique quo se verteret, non habere. Fortè incidit in fratrem Absalonem, qui ex suo ingenio alienam odoratus libidinem, crimen in auctorem non alium, quàm Amnonem conjecit; nec illa negavit. Statuit in præsens rem habere tacitè, patiq; Absalon, donec opportunior se ferret ultionis occasio; sororẽ interea domũ recipit suam, nequicquã de fratris injuria conquerentem, longóque luctu tabescentem.

Incestus Amnonis cum sorore Thamare.

Res ad regem parentem delata, ut magnos tristitiæ fluctus excitavit; ita pro eo, ut merebatur indignitas facinoris, severi-

severitatem judicij non invenit; sive ut parceret filio in regnum succeſſuro; sive, quia paris criminis conſcientia, libertatem puniendi adimebat. Sed quod peccavit indulgentia patris, id DEUS, graviore ſcelere Abſalonis vindicari permiſit. Abſalon vindictæ cupiditatem bienniô protraxit; donec opportunitate captata, Amnonem extra civitatem Solymam, patríſque conſpectum extraheret, in locum aliquem ſolum, tantóque inſidijs aptiorem, quantò remotiorem à narium palatinarum ſagacitate. Comodùm inciderat tempus tondendarum ovium, qui dies genialibus apud Hebræos convivijs agitari ſuetus, facilè ſpeciem humanitatis, larvæ crudelitatis prætexuit. Et erat Abſaloni minùs tum effugium difficile, quòd cædes ruri peragenda; nec deeſſet fida famulorum manus, in omnia promptorum obſequia; quippe in domini ſui prædio, fundóque. Invitatur ad convivium, quod regiâ munificentiâ paraverat, primô locô rex; non quia illum adeſſe vellet; neque enim funeſtis conſilijs ſatis erat opportunus hoſpes; ſed quia volebat omnem ſceleris à ſe jam animo deſtinati ſuſpicionem depellere: maximè, cùm ſciret regi non facilè perſuaſum iri, ut illud admitteret invitantis officium. Reſpondit itaque rex, ſe nolle filij ſui rationibus eſſe gravem, neque placere ſibi, ut convivarum multitudo graviores illi ſumptus afferret. Eò tamen parentem adduxit homo perinde vafer, ac cruentus, ut bona cum ipſius venia, cùm cæteri fratres omnes, tum Amnon maximè conveniret ad epulum; Deſtinatum quippe erat, fraternis in oculis fratrem interficere; partim ut ignaviam in plectendis flagitijs exprobraret publicè parenti; jam tum enim ſub vapidò pectore mala conſilia coquebat; partim, tantò ut eſſet vindicta dulcior, quantò plures audaciæ ac temeritatis haberet teſtes.

Nimia Davidis in liberos indulgentia.

Abſalonis vafrities in inſidiis fratri Amnoni ſtruendis.

Itaq; inter epulas, id negotij dat hoſpitibus Abſalon, omnes ut Amnonem, tanquam convivij regem, largioribus poſcant poculis; ſuis autem præcepit, ut eum, cùm jam vinô gravis eſſet, ſignô à ſe conſtitutô, interficerent. Quid multa? Circumfertur merum liberaliùs; Amnon bibendo longiùs provehitur; nec quid agat, caveátque, ſatis in conſilio habet. Famuli, quod juſſi fuerant, ſtupratorem ſororium, temulentum, nihil de imminente morte, nihil de admiſſo flagitio cogitantem; & nondum, ut apparet, cum ſorore, cùm fratre, cùm DEO reconciliatum, ad æterna ſupplicia, illata nece præcipitant. Interea, metu omnia, clamoribus, tumultúque repleri; cúmque ſicarij idem de cæteris regis filijs, quod de Amnone, facturi putarentur; raptim illi mulas conſcendere, & ſe quamprimùm in fugam dare. Præceperunt eorum curſum alij, qui non exſpectato tragœdiæ exitu,

Amnon temulentus occiditur.

cùm

cùm putarent regiam omnem sobolem cum Amnone trucidatam, tristissimo nuntio regis aures, animúmque impleverunt. David peremptũ pariter, peremptorémque lugere, tantò sensu acerbiore, quantò crudelius erat vulnus, quòd frater fratris inflixerat animo, quàm corpori. Et quamvis aliquid de luctu detraxerint posteriores nuntij, solius cædem Amnonis referentes; David tamen memor gladij Domui suæ, Nathanis ex vaticinio, impendentis, dolentissimè universa cum Aula deplorabat tam diram regiæ familiæ, adhuc florentissimæ calamitatem; non ignarus, injuriam Thamaris à se malè dissimulatam, & prunas cineribus mollioris indulgentiæ coopertas, hoc incendium suscitâsse. Lugebant filij regis, sororis dedecus, & ejus caussâ, fratrum alterum trucidatum: alterum, sicarium exulantem; Absalon quippe metu commeriti supplicij ad avum maternum *Tholomaium Gessuris* regem simulacrorum adoratorem, fugâ se recepit; apud quem triennium non sine metu consumpsit; cùm in parente signa videret non obscura, offensi, & durum aliquid meditantis animi. Nec difficile fuerat Davidi fugientem in pœnas retrahere, si, quo debuisset conatu, insequi placuisset. Sed quia vindictam, quam facinoris excitabat atrocitas, reprimebat similitudo delicti; nam & Amnoni libidinis exemplum, & homicidij dederat Absaloni, dolor & indignatio ultra minas non processit; malè quippe vindicem sceleris agit alieni, par si culpa redarguit ipsum Judicem.

Davidis inde luctus.

Fuga Absalonis.

Davidis dissimulatio.

Cæterùm Ioabus advertens, Davidem de Amnonis cæde nihil conqueri, nihil acerbius de Absalonis parricidio loqui, ipso die regis exulceratum animum mitigante; consilium inijt eius omnino expugnandi, & filio reconciliandi. Eius rei gratiâ mulierem subornat *Thecuitidem* (urbe *Thecua* oriundã) sapientiæ famâ celebrem; hæc lugubri cultu ad regem ingreditur, narrat, se pridem marito viduatam, nunc etiam filijs geminis orbandam; inter quos exortâ rixâ, cùm alter alterius manu sit interfectus, autorem cædis vocari in judicium, haud dubiè luiturum capite, nisi regis clementia intercedat; restare ultimã familiæ suæ scintillam, quæ si carnificis ferro extinguatur, totam stirpem in mœstos cineres defessuram. Rex callida permotus oratione (mulier enim advocata, suorum sub filiorum persona, caussam Amnonis & Absalonis agebat) vivere jussit fratricidam, eâdémque sententiâ (quod Ioabus intenderat) Absalonẽ ignarus absolvit. Hîc Thecuana parabolam mox evolvere, & apertam pro Absalone deprecationẽ adhibere; David suô constrictus judiciô, Ioabo dat in mandatis, filium ut ab exilio revocet Hierosolymam, ea tamen lege, suum ut conspectũ ne subeat. Reducitur profugus, & intra domesti-

Absaloni reconciliatur David.

domesticos parietes biennio, non fine acri doloris morsu continetur; credibile est, ignominiæ impatientem, in suburbano prædio habitâsse; inde, cùm per submissos sæpius ad Ioabū nuntios, rogaret, paternam ut in gratiam restitueretur penitus, isq; moras faceret; agrum eius vicinum à suis incendio vastari jussit, injuriâ pertracturus in colloquium, quem precibus inducere non poterat. Nec fefellit opinio. Ioabus re cognita, venit expostulator de accepto damno; ille necessitatem excusat ejus, vel per vim conveniendi; pollicetur pensationem detrimenti, obtestatur & obsecrat, ut se dedecore & acerbitate fortunæ liberet, paternis oculis reddat. Joabus, regij juvenis vicē miseratus, promittit, quod rogabatur; redit ad regem, deprecatur pro filio, impetrat condonationem pœnæ; recipitur priorem in locum Absalon; redux, ad genua parentis, multis cum lacrimis affunditur; cæteráq; pœnitentis prodit signa; ut genitoris, ad oscula quoque flexi, & procerum animos mirificè caperet, optimisque spebus impleret.

Vanas fuisse, brevi pòst ostendit ingenium versipelle, tantò projectius ad audendum, quantò certius facilitatis paternæ, & ad omnes, gratiæ; quam ei rara formæ præstantia conciliabat; flava comprimis & densa cæsarie intuentium lumina rapiente; sed suis ipse demum captus crinibus, luctuosô didicit fatô, non tam se capillos oculorum illices, quàm laqueos, ambitionis vindices, circumtulisse.

DOCTRINA.

Amor furor est.

ITa, *ut majus esset odium, quò oderat eam, amore, quò antè dilexerat.* 2. Reg. 13. Impurus amor inconstantissimus, homini à fronte formoso, in draconem desinenti simillimus. Amnon sororem ita deperijt, ut maciem contraxerit; flagitiô comisô, procul à se abegit. Vt ira, sic amor, furor brevis est; amara dulcedo, triste gaudium, blanda mors. Rectè Plautus Cistell.

——— Amor melle, & felle fæcundissimus,
Gustu qui dat dulce, amarum ad satietatem usq; oggerit. Verè quoque Boëtius:

Habet hoc omnis voluptas
Stimulis agit furentes,
Apiúmque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Ubi rosa, ibi spina; ubi dux est luxuria, ibi comes est tristitia. Quod factum est, fecisse est pudor, & ideò dolor: ex dolore timor,

timor, ex timore angor, ex angore horror. Hæ sunt rosæ hujus, ubi emarcuit, spinæ. Ubicunque stimulus est carnis, ibi est aculeus cordis. O amaros libidinis fructus! audi Apostolum Rom. 6. *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*

Spurcus amor, similis est Hypani fluvio, à suo fonte dulces aquas volventi; deinde amarescenti; nec potando: initia voluptatis inconcessæ, merū mel & saccharum videntur: extrema desinunt in amaram aloën & absynthium. Libido Amnonē in corporis interitum, animíque rapuit. *Amor impurus, in fine amarus.*

Porrò sicut Absalon, vir non erat pulcher, in omni Israël, lib. 2. Reg. c. 14. Absalon hòc fædior animo, quò pulchrior corpore. Sapien-„ter *Isocrates*: Si pulchrū tibi corpus est, & anima mala, bonā habes „navim, sed malū gubernatorem. Capillis præcipuè superbiebat. Mirū est, quod sacra pagina refert: *Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico,* 2. Reg. 14. Hoc pondus quidam referunt ad capillorum gravitatē: alij ad pretium, quô vendebantur feminis, eos ad fictitia capillamenta expetentibus. Si de pondere sermo; coma Absalonis pendebat octo libras comunes; si de pretio; (quod probabilius) ducenti sicli, valebant Drachmas 800. hoc est sestertios 3200. seu nostrates crucigeros 6400. nempe florenos Rhenenses 160. crucigeros 40. sex Philippicos aut Fernandicos numos vulgò thaleros 71. crucig. 10. sive Aureos Ungaricos 35. cum floreno & 40. crucig. Vah, quanta vanitas in volatica capitis umbra! quanta levitas in crinito pondere! quàm magnum impendium in exili pilo! Absalon bis mille & ampliùs florenorum censum in capillis circumferebat. Verissimè Siracides cap. 11. *Non laudes virum in specie, neque spernas hominem in visu suo.* id est, ex aspectu & despicabili forma; nam juxta Catonem: *Pondus & pretium capillorū Absalonis.*

Ingeniô pollet, cui vim natura negavit.

„Quærit *S. Ambr. lib. de Instit. Virg. c. 3.* Cur, cùm Deus Gen. 1. omnia „opera sua laudârit, cælum, terrā, maria, noctē & diem, feras be„stias; ubi ad hominem ventum est, solus non videtur laudatus, „propter quē omnia procreata sunt? Quæ igitur caussa est, nisi „fortè ea, quia alia in specie sunt; homo in occulto? Nihil in be„stijs plus reperias, quàm quod videtur: in homine nihil est in„ferius, quàm quod videtur: qui cùm ex animo constet & corpore, „hoc utiq; in eo servit, quod videtur: illud autē in eo regit, quod „non videtur. Meritò ergò alia in exordio (Mundi) laudantur; istius „laudatio non promitur, sed reservatur; quia aliorum gratia *Non forma, sed virtus commendat hominem.*

 foris,

„ foris, hujus intus est: aliorum in nativitate, hujus in corde. Hæc ille.

Absalon pulchro corpore atram mentem tegebat; quot enim scelera, & quàm enormia in hoc juvenili pectore stabulabantur! 1. Odium intestinum & capitale in fratrem. 2. Atrocis cupido vindictæ, sub doloso cinere flam̃as iracundiæ fovens. 3. Simulatio falsæ amicitiæ. 4. Cruenta consilia hauriendi fraterni sanguinis. 5. Perfidia, plus quàm Punica, palliolo lætitiæ convivalis tecta. 6. Crudelitas in poculis propinata. Ut totus periret frater, per temulentiam priùs fuit occidenda anima. 7. Imperium im̃ane trucidandi, eodem patre genitum, & quidem natu maximum, hæredem & successorem regni. 8. Impietas sum̃a, per geminam fratris necem, patrem quoque in funestissimos luctus præcipitandi. Ex hoc catulo qualis fiet bellua! Ex his præludijs, qualis tragœdia! Ebrius fraterno sanguine, proximè paternum sitiet. Quàm tristes formę versantur in hoc theatro! Amnonis libido, temulentia, interitus animæ, corporísque. Absalonis fraus, furor, crudelitas; quas excipiet Ambitio, incestus, parricidalis rebellio, & dirum exitium. Hæc monstra, spectator, metue, & cave.

NARRATIO LXVIII.

ABSALONIS ADVERSUS PARENTEM DAVIDEM REBELLIO. DAVIDIS FUGA.

2. Reg. 15. 16. 17.

Annis Mundi 3008. 3009. Ante Ch. 1045. 1044.



Bsalon inter clades Davidicas exemplum non postremum, degener filius, juvenis varij, insolentis, elati, indomiti ingenij, postquam Amnonem, fratrem natu primum, uti narravimus, specie quidẽ ulciscendi flagitij, reverà jus primogeniti involaturus, temulentum inter pocula per servos suos interfecit, epulásque, quibus fratres adhibuerat omnes funere, ploratu, fuga convivarum turbavit, ad Gessuritarum regem profugus, fœdos in corpore formoso mores, idololatrarum contuberniô, fœdiores reddidit. Post exilij triennium, patris in gratiam reductus; patrem

patrem paullò post depellere regno, vitáque meditatur. Biennium effluxerat, ex quo Ierosolymam reversus, in parentis demum conspectum admissus est, patrociniô Ioabi, supremi militiæ Ducis. Ex reconciliatione haud paullò deterior evasit, quàm fuerat; & qui manus fraterno jam sanguine cruentârat, eas paterno quoque cruore imbuere statuit, nihil non movens in Aula, patris ut vitam & diadema raperet; quare domum curribus & equis instruit, viros sibi circum-pedes adjungit manu promptos, & ad quidvis audendum paratos. Deinde blandis affatibus captare subditorum benevolentiam, arguere patris negligentiam in tractandis negotijs publicis: tribunalium justitiam requirere: sumô manè ad regiæ vestibulum consistere: advenientibus studia sua deferre, polliceri obsequia, honorem habere se venerantibus: manu etiã levare, si quos reverentia profundiùs inclinâsset; in amicitiæ tesseram, oscula partiri. Atque ut pellax est forma, miram ei gratiam conciliabat species, imperio digna, & florens juventus; humanitas præterea & comitas agendi, loquendíque, cum acri ingenio, mentísque vigore conjuncta. Rex parens, quòd esset animi minimè suspicacis, & indulgentioris æquò in liberos, eum dominatûs apparatum juvenili magis fastui, quàm ambitioni tribuebat. *Absalonis versutia in conciliandis subditorum animis.*

Interim filius telam cæptam pertexere, religionem sceleri prætendere, *Hebronem*, urbem natalem, & Divorum Patriarcharum lipsanis religiosam, machinationibus suis idoneam, bona cum patris venia petere, tanquam vota DEO nuncupata, sacrificijs exsoluturus. Euntem, præter domesticos, & amicos, consiliorum participes, ducenti comitabantur armati, proditionis ignari. Hebrone res curatur non divina, sed bellica; miles colligitur, audacissimus quisque in partes trahitur. Præcipuos inter numerabatur *Achitophel*, vir primi nominis, & Davidi à consilijs, homo versutus, & mirus fraudum artifex; oraculum Hebreææ curiæ, cùm ætate, tum experientiâ longè omnium sagacissimus. Is quia dudum aversum à rege gerebat animum (propter Betsabéam, neptem suam, adulteriô pollutam, & maritum eius Uriam, malis artibus interemptum) ad partes Absalonis se adjunxit, eíque adjutor extitit, patris è solio, vitáque deturbandi. Mittuntur itaque quaquaversùm nuntij; ingens hominum multitudo confluit; Absalon consonis omnium vocibus rex proclamatur. Hic vires ab recenti dignitate, & calentibus conjuratorum studijs adeptus, mox in genitorem arma, legiones, castra, regníque totius robur movet. *Absalon adjungit sibi Achitophelem, rebellionis directorem.*

David haud nescius, se premi *malò*; juxta Nathanis

 vaticinium

vaticinium, *sua de domo suscitando*, noluit se munimentis Arcis Sionéæ includere, ne videretur velle cum DEO pugnare; fugam arripit deserta versùs loca, jàm olim nota, cum pauciore, sed meliore clientium parte (in quibus erant reginæ, filij, sexcenti Prætoriani milites; flos bellatorum à S. Scriptore *Celethi* & *Phelethi* nominantur) nudis pedibus, flens, & operto capite, quemadmodum rei solent; comitibus pariter luctum ore, habitúque testantibus. In eo comitatu fuit etiam *Ethai*, Gethæus; (filius Achis regis, juxta Hebræos; qui Davidi profugo *Siceligum* oppidum dono dederat.) qui recèns ad Davidē cum quodam sociorum manipulo Solimam venerat, séque Judaicis Sacris addixerat. Ei cùm David reditum in urbem frustra persuadere conaretur, permisit fidos inter amicos eandem, secum aleam subire.

Regem fugitivum, superato jam *Cedrone* torrente, secuti sunt *Abiathar* Pontifex: *Sadòcus* Sacerdos, cum universo Levitarum Ordine, & Arcæ Divinæ præsidio; ex qua cū Oraculum de profectione consultum, nihil responsi Pontifici redderet, rex silentium, Numinis offensi indicium interpretatus, magna se demissione, & animi æquitate, cœlesti arbitrio subjecit, virósque sacros Hierosolymam remisit, monitos, ut in omnes Absalonis molitiones intenti, si quid accideret, se ignorare ne paterentur. Cæterùm compertò, Achitophelem cum filio conjurâsse, enixè DEUM obsecravit David, hominis ut callidissimi consilia frustraret, & propriam in perniciem averteret. Indè conscenso montis Olivarum vertice, lacrimabundus respicit Solymæam urbem, præsertim Sionis regiam, Divini sedem Oraculi, nunquam fortè revidendam. Erant tum pariter in oculis, & animo commissa scelera; provocatus ad iram DEUS; rebellis filius; regnum tot laboribus partum, jam eripiendum. Resonabant in auribus perduellium voces, Absalonem Hebrone Regem, ipsò repudiatò, salutantium.

Id loci obvium habet, amicorum principem, *Chusai* nomine, scissa veste, & capite inspersum cinere, regiæ calamitati indolentem, séq; in omnes fortunæ vices socium offerentem. Hunc quoq; redire jussit Hierosolymam, simulatóq; partium adversarum studiò, hostium secreta; Achitophelis imprimis consilia perscrutari, iísque se opponere. Quod ille non minore fide præstitit, quàm curâ David mandavit. Non longè hinc occurrit *Siba*, famulus *Miphibosethi*, filij *Jonathæ*, quem domestici lares utroque claudum pede Hierosolymis attinebant. Duos secum adduxerat asinos, vino & cibarijs onustos; ijs sibi muneribus viam ad Davidis benevolentiam, suámque perfidiam muniturus. Rogatus de hero, cur fugæ comitem se non addidisset,

Siba in Miphibosethum apud Davidem calumnia.

per

per summam calumniam respondit, Miphibosethum domi deside-re, novis spebus restituendi aviti regni (nepos enim erat Saulis) imminentem. Nec dubitavit David fidem adhibere criminationi, utique absurdissimæ; quid enim in illo tumultu, aut ferebatur, aut metebatur Saulicæ familiæ; aut quid ineptius ad regnum, quàm Miphibosethus, homo corporis elumbis, & pedibus captus? Invenit tamen improbissimi capitis fallacia locum apud virum prudentiâ præstantē; sed partim artificio, & impudentiâ calumniantis, partim nimia credendi facilitate circumventum. Quid multa? Miphibosethus, tanquam ingratus cliens possessionibus suis spoliatur; Siba proditor domini sui ijs donatur. Sed hunc prolapsum, admirabilis patientia, adversùs impurissimi Oris maledicta excepit. Cùm enim Rex *Baburim* usque, oppidum Tribûs Benjamiticæ progressus esset, sese in conspectum dedit, *Semei* quidam, homo potens opibus & cognatione Sauléæ stirpis. Is non satis habuit, regem atrocissimis maledictis insectari, invasorem regni alieni, adulterum, & sanguinarium tyrannum proclamare, diris omnibus execrarij; Sed cum convitijs, & verborum contumelijs etiam lutum ac lapides, in Davidem, fugæque Socios jactavit. Vindictæ cupiditas cùm cæteros milites, tum *Abisaium*, militarem ducem, *Sarviâ*, Davidis sorore genitum, meritas in iras stimulavit; nec erat manum à cæde abstenturus, nisi gladium impio jugulo iminentē, Davidis mansuetudo repressisset, haud ignari, sceleribus suis vindicem, etiam hunc lictorem immissum esse.

David nimis credulus proditori, Miphibosethum fortunis suis evertit.

Semei Davidem lapidibus infestatur.

Davidis patientia.

Interea Absaloni cum Achitophele Jerosolymam ingresso, concursu populi factô, etiam Chusai se stitit; adoratóque rege, perpetuum ei imperium precatus est. Rogatus, cur, qui præcipuos inter & fidissimos regis amicos esset habitus, nunc ab eo transfugeret, respondit compositis ad quævis obsequia verbis, sequi se, quà plures præeant, & DEUS ipse ducat; qui cùm meliori faveat caussæ, par esse, ut ipse quoque auspicijs se divinis accommodet; mutare se dominum, non fidem; eam patri probatam, sperare etiam filio, legitimo regni Successori, non improbandam. Quibus verbis omnem Juveni suspicionem exemit; eúmq; honoris invenit locum, quem apud Davidem habuerat; temporis, si quisquam alius, prudens arbiter, & officiorum simulator. cuius rei mox insigne specimen dedit, pari fidelitatis in veterem dominum, & personæ novo imperio servientis, commendatione.

Chusai se Absalonis amicitiæ callidè insinuat.

Fortè consultabatur de rationibus gerendi belli; Achitophel auctor est Absaloni, parentis ut regiam, & solium occupet: regi-

Consilium Achitophelis nequissimū.

reginis, in custodiam palatij relictis (uxores erant Davidis secundariæ, quas S. Historicus, *concubinas* appellat) publicè stuprum inferat; (scilicet sub tentorio, palàm supra regiæ solarium erectô & cortinis velatô) ita populum, sublata reconciliationis spe, obfirmatiùs in defectione perstiturum, ipsúmque stabiliora imperij fundamenta positurum. Cui detestabili consilio cùm juvenis impurissimus paruisset; insuper ei hortator fit, Davidem ut, quanta maxima posset celeritate, festinet opprimere, antequam se opportunô locô comuniret; collectóque exercitu, fortior evaderet ad resistendum; offert se ducem expeditionis, si ex omni hominum multitudine, quæ Hebronem confluxerat, duodena bellatorum millia sibi comitterentur. Consilium non vafrè minùs excogitatum, quàm exitiale regi, si successum habuisset; quod pari astutia disturbavit Chusai ad dicendam quoque sententiam vocatus. Negat hic cum ea militum manu, Davidē posse in potestatem redigi, latebris forsan inaccessis delitescentem: opus esse majoribus copijs, contrahendas cunctas regni vires, & ipsius sumi Imperatoris ductu, in Davidem imittendas. Sic in victoria plus securitatis, gloriæque futurum. Itum est in sententiam Chusai, id callidè agentis, ut David interea, dum exercitus colligitur, moram nactus, incolumitati suæ longiore fuga consuleret. Respondit eventus consilio. David per *Ionatham* & *Achimaam* Sadoci & Abiatharis filios, de periculo certior factus, *Iordanem* ad tutiora loca petenda trajecit, séque in urbem *Mahanaim*, munitissimam recepit. Achitophel autem indignè ferens consilium Chusai, suo prælatum, præ impatientia dedecoris, sibi laqueo gulam fregit, exitúque docuit; CONSILIUM MALUM, CONSULTORI PESSIMUM EXTITISSE.

Chusai evertit Achitophelis consilium.

Achitophel ob rejectum Consilium se suspendit.

DOCTRINA.

Causæ rebellionis Absalonis.

QUæ tanti motûs & seditionis fuêre causæ? Quinæ referuntur à scriptoribus. *Primaria*, Permissio Numinis, pravâ filij machinatione, parentis facinora punientis. *Ecce*, inquit, *ego suscitabo super te malum de domo tua* 2. Reg. 12. *Altera* caussa, Ambitiosa imperandi cupiditas. *Tertia*, Nimia parentis in liberos indulgentia. Appositè *Chrysostomus tom. 1. homil. de Absalone*: Sem„per enim scelera dum non resecantur, increscunt. Omnia vir„tutis semina parentes in liberis corrumpunt, quando non pri„mis annis punienda puniunt. Dum in Absalone, fratris occisi „facinus non vindicatur, in parricidium, facinus recidivum ite„ratur. Siracides in eam rem præmonens Ecclesf. 30. *Lacta*, inquit, *filium tuum, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.*

Et S. Gregor.

„ Et *S. Greg. 20. Moral. c. 3.* Qui præest, debet & arridens timeri,&
„ iratus amari;ut eũ nec nimia lætitia vilem reddat,nec im̃oderata severitas odiosum. Raró felix est,nimia in filios indulgẽtia:in hostes propè semper perniciosa;Audaciùs machinantur plura,quibuscũ plura dissimulantur. Et indulta primo sceleri venia,secundi est occasio. *Quarta* causa, cæcus populi furor, quẽ non ratio, sed aliena rapit libido. Populo placebat Absalon, solus è fratribus,reginâ natus, juvenis formosissimus, humanissima vulpes, audacissimus veterator, promissor libèralissimus. Ita factum, ut, quod *Chry-*
„ *sostomus* dixit, unius parricidæ furor,tot millia insanire com-
„ pelleret. Nimirum novitas ipsa placuit. Plures enim Orientem solem, quàm Occidentem adorant. *Quinta*, Achitophel,qui facem admovit, jam furere paratis. Amor vindictæ ob vitiatam Betsabeam, neptem, ipsum adegit; ille ceteros exemplô suô impulit. Quis enim dubitaret sequi partes, à quibus stabat vir omnium consultissimus? Creduntur felicem exitum habitura negotia, quorum administrum homines advertunt esse illum, cujus sapientiam suspiciunt. Desertus est à suis David, quia à fortuna quoque deserendus putabatur.

Egressus est ergo Rex, & universa Domus eius pedibus. 2.Reg.15.v.16.& v. 30. *Porrò David ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens.* Regis ad exemplum componebatur Aula. Regina quoque, liberíque tenerrimi, pedites incedebant. Orator potentissimus exemplũ, factis persuadet. Sic Cato milites suos ad omnia fecit promptissimos,quos ipse per confragosa & ardua, per rupes & saxa præcessit. Lucano teste, *Regis exemplum.*

Ipse manu, sua pila gerens, præcessit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet.

Rex quoque transgrediebatur. Ibid. v. 23. Hæc verba indicant, postremum omnium regem trajecisse torrentem *Cedronem.* Ultimus transgreditur, ut, si hostis irruat, in ipsum primum, imò fortasse solum, faciat impetum. Sciebat enim, suum maximè caput ab Absalone peti; quippe quod solum ambitiosæ spei obstabat. Videbat,propter se ortam tempestatem; neque fas esse, ut illa infelici naufragio obrueret innocentes; quare suum in caput tumentes allidi fluctus cupiebat; quos aut frangeret, si DEUS ipsius causam benignè respiceret; aut certè demergeretur, si DEO aliter visum esset. Hinc versu 25. & 26. Sadoco Sacerdoti curam religionum commendans: *Reporta*, inquit, *Arcam DEI in urbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: non places; præstò sum, faciat, quod bonum est coràm se.* Si Dominus dixerit,

nolo te regem, nolo te victorem; *presto sum.* Si voluerit exulem, fugitivum, mendicatò viventem; *presto sum.* Si voluerit probris omnium & ludibrijs affectum; contumelijs vexatum; à sceptro & diademate ad pedum & peram revolutum; *presto sum.* Atque hæc fuit illa voluntas divinæ per omnia subjecta, quæ DEUM ipsum laudatorem habuit. *Inveni*, ait, *David, filium Jesse, virum secundùm cor meum.* Actor. 13.

Vis armorū à consilijs.

Infatua quæso, Domine, Consilium Achitophel. 2. Reg. 15. Non videbatur rex prudens magis timuisse Absalonis arma, quàm Achitophelis sagax ingenium, & explorata consilia. Sciebat enim, vim consilij expertem, mole sua ruituram. Optimè *Plutarchus in Lycurgo* dixit, consilia senum, hastas esse juvenū. Futilis enim esset hastarum petitio, nisi illis senū prudentia adderet amentum. Quare David orat Dominum, ut Achitophelis consilium, quod quasi oraculum aliquod habebatur, vanum & inutile reddat.

Achitophel artifex simulandi.

Quærit *Procopius*, quomodo David, vir perinde sanctus ac prudens, tam diu viri usq; adeò scelerati consilio sit usus; & respondet: „Certum est, Achitophelem se rebus præsentibus accommodâsse, & pro utriusq; (Davidis & Absalonis) ingenio ac moribus consilium dedisse; erga bonum malitiam celans, erga pravum ostendens. Comune Aulicorum vitium, servire scenæ, ancipiti fide fortunam sequi, & in omnes se formas cum Proteo vertere; cum polypo alios & alios colores inducere, pro diversitate rerum, quibus adhærescunt; & instar speculi quemvis vultum referre. Chusai cum Achitophele tanquam vulpes cum vulpe vulpinatus est. est enim fatum dolosi, dolos pati. astus deluditur astu. & inde quisque decipitur, unde decipere voluit. Achitophel suis exemplis perijt.

Davidis iniquitas in condemnando Miphibosetho.

Tua sint omnia, quæ fuere Miphiboseth. 2. Reg. 16. Sunt verba Davidis, quibus Sibam in omnes domini sui fortunas injustissimè imittit. Quid enim? Amantissimi Ionathæ, déque se optimè meriti filium, quem nuper cum insigni benevolentia & liberalitate, assiduum regiæ mensæ alumnum adhibuerat, bonis omnibus exutum, Sibę, domestico eius procuratori, perfidiosè mentiēti, in prędam tradit, munusculis quibusdam ab eo delinitus. Quid indignius? Miphibosethus indictâ & inauditâ causâ condemnatur, accusante servo. Hoc calumnia potuit. Hæc humani generis pestis latissimè sævit, ubiq; provenit, & se ipsam proseminat. Hinc tot innocentum gemitus & lacrimæ. *Cyprianus ad Donatum* scribens: „Paulisper, *inquit*, te crede subduci in montis ardui verticem celsiorē; speculare inde fluctuantis mundi turbines. Jam sęculi & ipse misereberis, cernens itinera latronibus clausa: maria prædonibus obsessa: Orbem mutuo sanguine sævientem: forum litibus mugiens & insanū; patronum prævaricantem; Iudicem

„ Iudicem ſententiam vendentem; calumniatorem impugnantē; „ teſtem infamantem; venalis vocis audaciam graſſantem. Con- „ ſenſêre jura peccatis, & cœpit licere, quod pulchrum eſt. adde, quod lucroſum eſt. Erravit David præcipitando. Sedata rebellionis tempeſtate, & in ſolium ſuum reſtitutus, aliter de tota cauſſa judicavit, cùm Miphiboſetho innocentiam ſuam modeſtè tuenti, reſpondit: Tu, & Siba dividite poſſeſſiones. 2. Reg. 19. Iniquum & hoc. Puduit nempe Davidem revocare dicta & judicata, communi Magnatum vitiô, qui nolunt videri erràſſe. Evertatur innocens ſuis fortunis, famâ, vitâ; illi cùm Pilato reſpondent illud Ioan. 19. *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Quod dixi, dixi. Non retracto. Toſtati opinio eſt, Davidem religione ductum, alteram fortunarum partem Miphiboſetho ademptam, aliunde regia liberalitate penſàſſe.

Semei maledicebat. mittebátque lapides contra David, & contra univerſos ſervos regis. 2. Reg. 16. v. 6. & v. 7. *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial &c.* Et v. 9. *Dixit autem Abiſai filius Sarviæ, regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam & amputabo caput eius. Et v. 10. ait Rex: dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis eſt, qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* Et v. 12. *Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Luculentum hoc eſt ſpecimen animi ſibimet imperantis. *Ambroſ. lib. 1. de Davide. cap. 6.* Docuit *inquit*, David, quod injuriarum tempora, ſint examina probationū *Et S. Chryſ. in Pſal. 37.* Cùm maledictis me inceſſerit Semei, peccatum „ à me commiſſum, revocavi in memoriam, conſiderans, quòd pro- „ pter ipſum maledictis appetor, & punior, & regiâ expulſus, „ fugâ cogor ſaluti meæ conſulere. Unde *S. Gregor. 31. Moral.* „ c. 17. Tunc, ait, illata convitia benè toleramus, cùm in ſecre- „ to mentis ad mala perpetrata recurrimus, & majora nos meri- „ tos videmus. *Iterum Chryſoſt. homil. 88.* Si tunc ſolùm quieſci- „ mus, quando nemo irritat, in quo belluis præſtabimus? Illæ „ plerumque moventur concitatæ; duce natura. Tu verò in „ ferarum incidens morem, unde tibi excuſationem parabis? „ Cogita, quia de mentis poteſtate exijt, qui vituperat, & non „ moleſtè feres contumelias eius; nam & dæmoniaci plerumque „ nos verberant, nec ſolùm non movemur, verùm etiam eos de- „ flemus. ita igitur tu facito, miſereat te convitiantis; magnâ „ enim belluâ, irâ ſcilicet, & furore, & pernicioſo dæmone detinetur. Diſcant hîc iram ſuam ſubſtringere, qui verbulò læſi, cædes & funera ſpirant.

Davidis virtus in perferendis contumelijs.

Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David Ibid. Quomodo DEUS præcepit, quod ipſi contrarium DEO? Abſit, DEUM eſſe autorem

Davidis conformitas cum divina voluntate.

autorem maledictionis & peccati. Quid est igitur, *præcepit*? Respondeo: Ordinavit permittendo. Malam Semei convitiandi voluntatem frænavit & impedivit, ne in alium, quàm in Davidem virus contumeliæ effunderet. Sic dicitur molossum immittere in feram, qui laxato fune eum dimittit, & finit, ut feram invadat. Sunt enim duo malorum genera. *Primum* eorum, quæ molestiam, dolorem, jacturam inferunt, ut paupertas, vincula, morbi, exilium, mors; quæ non tam dicenda sunt mala, quàm medicamenta paullò amariora, divinâ manu admota. Et hæc *Vult* & *immittit* DEUS, aut ad pœnam impijs, aut ad disciplinam filijs. *Alterum* genus malorum est, quæ vero nomine vocantur *mala*, ut sunt peccata. Atque hæc DEUS neque *vult*, neque *immittit*, sed *permittit*, & in bonum finem ordinat. Absque ea permissione esset, vindicem DEI Justitiam vix agnosceremus. Verissimè *S. Augustinus in sentent. apud Prosp.* „Nihil fit in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensáque republica, quod non de sumi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum.

DEI permissio & immissio malorum.

Absalon impurior nescias, an crudelior, quia interficere patrem non potuit parricidiô, fædat incestu, ut Salvianus loquitur. „Eloquenter *Chrysost. tom. 1. homil. de Absalone.* Quis te, *inquit*, „in hoc facinus prosilire, parricida deterrime, docuit? Quis te „furor audere tam imane facinus provocavit? Si offendit, pater est; si læsit, genitor. Quinimò neque offendit, neque læsit. „Vincat timorem pietas, affectus insaniam superet, crudelitatem natura debellet. Bestiæ, & mutæ pecudes pietatis jura „conservant; innocentem perimere nefas est, patrem occidere, „execrabile scelus. Cessa jam ab isto scelere, cessa, inquam, ne „te boni omnes semper exhorreant: ne audaces ex te, quod „non noverunt, discant. Cessa, inquam, ne, qui post te tantum „facinus perpetraverit, te utatur autore. Cur mundo novum „facinus tradis? cur doces, quod natura non novit? cur „audes perficere, quod novo supplicio cogatur „DEUS vindicare? Hæc ille.

Absalonis incestus.

NARRATIO

NARRATIO LXIX.

ABSALONIS INTERITUS.

2. Reg. 18.

Anno Mundi 3009. Ante Christum 1044.

Absalon intellectô parentem cum suis transmisisse Jordanem, haud nescius, spem victoriæ in celeritate positam esse, copias & ipse suas traijcit fluvium, ínque regione *Galaaditide* castra locat, non procul urbe *Mabanaime* (cui jam olim *castrorum* nomen, ob Angelos ibi *Jacobo* spectabiles, est inditum) ubi David intra munimenta se incluserat. Exercitûs Absalonici ductor erat *Amasa*, Davidis ex sorore *Abigea* nepos. Rex quantò viribus inferior, tantò bonitate caussæ superior, non exspectata obsidione, copiolas suas (quas Josephus historicus non ampliùs quatuor millium fuisse refert) trifariam divisit; iísque præfecit *Joabum*, ejúsq; fratrem *Abisai*, & Ethai, principem è Gethæis oriundum, Davidi in paucis fidelem; regem ipsum aleam prælij primos inter subire cupientem, amici prohibuerunt, quippe in cuius capite salus verteretur omnium. Id sanè curâ summâ ducibus, militibúsq; mandavit, manus ut abstinerent ab Absalonis cæde; sed vivum servarent sibi, quò pœnitentiæ locus daretur parricidæ. Cæterùm cùm Joabus ex adverso hostium aciem explicuisset in planitie, quam à tergo silva claudebat; Absalon quoque suos contrà eduxit. Utrinque in pugnam calebant animi; hinc Davidicis regi suo sceptrũ tueri ardentibus; inde Absalonijs experturis ultima, ne victi, cõmeritas solvant perduellionis pœnas. Sed mox apparuit, quantò fortiùs dimicent, quibus pro virtute res est, quàm quibus pro scelere. Vix enim conserto certamine, cœpit turbari Absalonis acies, neque ferre impetũ militis Davidici, multis bellis exercitati, reíque militaris comprimis periti. Vertuntur igitur in fugã ordines dissoluti, & quò quemque spes evadendi ferebat, eò se proripit. Quos gladius non sustulit, saltus absumpsit; à tergo namque hoste premente, præcipites in terræ voragines, & cæcas foveas agebãtur; aliiq; super alios, ut fit in pavore, corruentes, & sese opprimentes, mutua sibi clades, sepulchrúmq; fuêre. Sunt qui

Exercitus Absalonis & Davidis.

Absalonici caduntur.

qui scribant, plurimos à fame, siti, feris confectos perijsse. Viginti omnino millia occubuisse, Sacra historia memorat.

In fuga non erat ultimus, belli qui primus incentor, Absalon, muli quidem celeritate persequentibus ereptus, sed DEO in pœnam reservatus. Penetrârat effuso cursu subter condensam quercum; cùm ventilante cæsariem aurâ, subitò hæret capillis implicitus ramo, longiùs protento, tralabente jumento. Id conspicatus quidam de gregarijs militibus, regij memor præcepti, continuit manum; Joabo tamen nuntiavit; hic, insuper habitô Davidis imperiô, arripit tres lanceas (nempe breviores) seu jacula, & in pectore pendentis defigit. Hærentem in arbore, & palpitantem armigeri Ducis circumsistunt, & pluribus vulneribus inflictis interimunt. Cadaver quercu solutum in profundam abijcitur fossam, ingenti lapidum acervô super illud ingestô. Extincta belli face, Ioabus civili ducens parcendum sanguini, jubet cani receptui, ne victoriæ laudem crudelitate corrumperet.

Absalon interficitur.

Ad Davidem interea, in ipsa urbis Mahanaimis porta, ex turri, tanquam ex specula, avidè præstolantem decretorium pugnæ eventum, *Achimaas* & *Chusius* pervolant, reportatæ victoriæ nuntij. Regi de salute Absalonis quærenti, prior cautè respondens, dissimulat se scire. Alter, quod res erat, fatetur. David ingenti mærore perculsus, dum victor miles Absalonis interitum lætis carminibus, ipse lacrimis & lamentis celebrat. Quare solus in superiora tectorum conscendere, fletibus indulgere, & lugentium habitu, funebrem planctum identidem ingeminare: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi; quis mihi det, ut ego moriar pro te; Absalon fili mi, fili mi Absalon!* Caussa tanti luctus, mali mores degeneris filij, qui totidem parenti vulnera fuerunt & clades; doluit, æternùm perijsse. Tulit permolestè Ioabus majorem in rege significationem mæroris de morte filij; quàm victoriæ ex hoste tam feliciter, támq; brevi relatæ; quare ad eum, hominum consuetudinem vitantem ingreditur, & magna linguæ libertate dehortatur à luctu; esse animi parùm grati, & regij, illorum vultum tacita quadam reprehensione confundere, qui laterum suorum oppositu caput ipsius ab hostili petitione defenderint; per quos consecutus esset, ut ne regnum, & quidquid cum regno possederat; amitteret; odio haberi, qui saluti ejus & dignitati serviant; in amore & desiderio esse, qui comunē ei lucem & spiritū adimere conētur; satis indicare lamentis suis, unius vitā Absalōis, omniū capiti, qui ejus se caussâ in apertū periculū conjecerāt, anteferri. ad extremū monere, nisi daret se in conspectū suorū militū, fore, ut eô relictô, de alio sibi rege, dominóq; consulerent, vanásq; lugendi caussas, in veras, nimiúmq; acerbas converterēt. Valuit oratio ad mœstitiā abstergēdā, reddidit se

Davidis luctus ob cædem Absalonis.

Ioabus cordata oratione regem à luctu dehortatur.

se luci David,& regalíque cultu resumpto, omnibus fecit suî adeundi, & salutandi copiam. Perduelles quoque in spem veniæ erecti, redierunt ad pristina obsequia. Honestissima nempe victoria est, quâ animi magis prosternuntur, quàm corpora; & verum est illud *Taciti*: Ubi satis terrueris, parcendo, rursus irritamenta pacis ostenta. & juxta *Senecam*.

Quæ corumpi igne, quæ meti gladio jubes,
Aliena credis.

DOCTRINA.

Quàm facilis, contiguúsq; sit transitus à magna cupiditate, ad magnum scelus, à magno scelere ad par suppliciũ, Absalon, infame pondus arboris didicit, docuítque. Hîc ambitio suo sibi jumento accersivit malum; Absaloni mulus carnifex, crines laqueus fuerunt. Supplicium justâ DEI vindictâ, sceleribus parricidæ per omnia comensum est. Patris solium affectavit; pro throno patibulum accepit. Diademate ambivit cingi, pro corona coma capitis arbori implectitur. Cæli terræque medius pendet, neutrobi dignus recipi. Capillorum superbiâ, quâ multorum oculos cæpit, ipse captus, interijt. Amnonẽ fratrem ferro trucidatum, impotem suî demisit ad in feros; eâdem ipse viâ à consobrino Ioabo deturbatus eódem est. Cor exæstuans triplici crimine, ambitione, libidine, crudelitate, totidem jaculis configitur. Parentis decem conjuges violavit, à totidem juvenibus, pendulus fædum in modum conscinditur. Obedientiam patri præstandam abjecit; paratam patris misericordiã non invenit. Qui tot viros fortes in partes suas abstraxit, neminẽ unum habuit, qui miserè luctantem, ferali nodo absolveret. Quem pater servare voluit, noluit salvum Deus. Omnẽ populum civili turbavit bello; cunctis detestabilis, saxorum acervô tumulatur. Et qui sibi marmoream, cum superimposita statua sua, columnam erexit, eius impios manes etiam hodie Viatores maledictis prosequuntur, lapides in aggestum cumulum cum diris devotionibus jacientes. Quæsivit nomen in terris, & nihil nisi detestationes & execrationes secum tulit ad inferos. Huc facit *Chrysostomus* „ *in psal. 7.* In cor inquit, excordis tres sagittas Ioab infixit, illic „ eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis, & cùm in ar„ bore sublimis penderet, pulchrum ei epitaphiũ David cecinit: „ *Vidi impium superexaltatum, tanquam cedros libani: & transivi, & ecce* „ *non erat.* *Talionis pœna in Absalone.*

Absalom fili mi &c. 2. Reg. 18. Gravissimè *Augustinus. lib. 3. de* „ *doct. Christ. c. 21.* Rex David cùm hoc ab impio atque immani „ filio passus esset, non solùm ferocientẽ toleravit, sed etiã planxit extinctum. *Cur David tam amare defleverit occisum Absalonem.*

„ extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem „ nullo modò injuriæ suæ, sed peccata filij commovebant. Nam „ ideò, si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito ser- „ varetur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem „ doluit in eius interitu, sed quia noverat, in quas pœnas tam „ impiè adultera & parricidalis anima raperetur. Ita non despe- „ rando defleverat vivum; spe finita flevit occissum. Et *Chry-* „ *sostomus homil. de Absalon.* Quid plangis, gloriose pater (alloqui- „ tur Davidem) quid lamentaris, quasi Absalon quod ausus est, „ comprobares? Quid fles scelestum, quasi eum parricidium „ perpetrare volueris? Plangis gloriam victoris exercitûs, si fle- „ tur hostis interitus; nec lætitia esse poterit in victoria, si par- „ ricidæ plangitur pœna. Ille tuus non fuit filius, qui sic pater- „ nos violavit affectus. Ille tuus dici non meruit, qui jus patris „ sanctissimi temeravit. Te non contempserunt exercitus, non „ duces, quibus parci scelesto mandâsti; sed illa arbor, illa te „ primùm ulta est: illa defendit læsi patris injuriã; quæ te non „ audierat, vindicavit. Novô enim suppliciô debuit interire, qui „ sæculo novum scelus per patris exitium voluit inferre. Hæc ille. non suam hîc pater doluit orbitatem, non filij juventutem, non mortis genus, non sepulchri vilitatem; æternitatis doluit irreparabilem jacturam. Peccatis involutum mori, hoc demum est damnum, nullis seculis gemendum satis, & lugendum.

NARRATIO LXX.

REGIS SALOMONIS INITIA; CONJURATIO ADONIÆ ET EJUS EXITIUM.

3. Reg. cap. 1. & 2.

Anno Mundi 3022. Ante Christum 1031.



Mbitio ut est cæca, ita quos occupat, præcipiti perdit impetu; papilionibus similis, qui lucernæ splendore capti, eam tamdiu circumvolant, donec adustis alis pereant. *Adonias*, filiorum Davidis, quartus natu, fatalem parentis senio & ægritudine decumbentis necessitatem, pro regnandi ansa arripiens, ausus

ausus est sibi sceptrum paternum polliceri; contrà quàm parens testamentô caverat, quô *Salomonem* regni hæredem destinârat. Viderat homo imodicus honoris, fratrem Absalonem in conatibus audacissimis oppressum; non ideò tamen timidiùs in discrimen non tam coronæ, quàm capitis se dedit; adeò pertinax est spes, quam gloriæ cupiditas devoravit. Viginti tùm annorum erat juvenis, & privilegio nascendi, & formæ liberalitate, in vulgus commendatus; (*Absalon* enim, & *Amnon*, & Betsabeæ *filius*, etiamnum infans morte fuerant sublati) quare regnum ad se pertinere ratus, currus sibi, & equites, & servos à pedibus, & familiam aulicâ copiosam adscivit; Davide nec ignorante, nec reprehendente, tametsi severitatis eum, Absalonis scelera admonere debuissent. Primò omnium, veteri jam pseudopoliticarum machinationum arte, improbis consilijs titulus religionis prætenditur; Sacrificium extra urbem Solymam, simúlque regium convivium instituitur: invitantur fratres omnes, omissô Salomone. diceres Absaloni similem per omnia fraterculum, & gemellû ex ovo malo pullum. Regium uterque sanguinem, malis moribus infecit; uterque corporis elegantiam & humanitatis genium, pro vitiorùm invitamento habuit. Ad epulum etiam belli duces convenerant, ut robur accederet sceleri; in ijs *Ioabus*, exercitûs Davidici princeps, & *Abiathar*, Sacerdotum summus, firma conjurationis fulcra. Convivij hilaritas jam eò processerat, ut Adonias inunctus à Pontifice; rex ab omnibus salutaretur.

Adoniæ ambitiosæ machinationes

Non potuit tam in occulto res esse, quin ad eorum pervaderet aures, qui Salomoni studebant; præsertim Nathanis Prophethæ, quem fidissimum Salomon educatorem & institutorem habuit. Is factionem defert ad Betsabeam; hæc ad Davidem. Rex, ne quid periculi per moram accerseretur, continuò *Sadoco* Sacerdoti, vatíque *Nathani*, & militiæ duci *Banaiæ*, committit Salomonis filij inaugurationem. Convocatur hinc robur exercitûs, Salomon mulæ regiæ imponitur, in arcem *Githonem* deducitur, non procul *Rogele* fonte distantem, ubi cum suis Adonias regijs in hortis convivabatur. Ungitur ibi novus rex, faustísque cum acclamationibus Hierosolymam revectus, in paterno solio cùm publica congratulatione collocatur; Davide præsertim, in lectulo suo, in quo eum senilis infirmitas attinebat, summas DEO grates ob exoptatum successorem memorante.

Salomon Rex ungitur.

Terruit hæc fama conjurationis participes, Adoniam prçcipuè, qui videns se desertum ab omnibus, in fæderis se tabernaculum, quod *Gabaone* religione magna celebrabatur, recipit, asylum apud aram quærit, & reperit. Non sivit tamen ambitiosum pectus quiescere elata cupiditas; alios & alios excitavit

Qq fluctus

fluctus, donec mergeret. Inflabant animum juvenilem seditionis principes, *Joabus* & *Abiathar*; ille dolebat sumam militiæ præfecturam sibi ereptam, *Amasâ* substitutô; hic indignè ferebat, pontificatum à se in Sadocum esse translatum; Adonias præferri sibi Salomonem pati non poterat. Ad novam conspirationem addebat animos Davidis è vivis excessus, & infirma, recèns electi regis ætas, fraudíque opportuna. Cùm autem vis aperta non succederet, visum est agere per cuniculos. *Abisag*, relicta Davidis uxor, longè omnium formosissima, & intacta viro, dudum Adoniæ oculos rapuerat; ea quia credebatur pro dote, coronam regiam in manus ambitiosi juvenis illatura, expetitur in conjugem; nuptiarum consiliatrix Betsabea requiritur; hæc ignara, quid conjurati molirentur, suscipit negotium tantò libentiùs, quantò cupidior erat pristinas inter fratres offensiones abstergendi; accedit Salomonem filium, aperit desiderium Adoniæ. Advertit rex illicò gliscentem sub doloso cinere scintillam, quæ ne in flamas erumperet, incendium toto regno sparsuras, opprimendam maturè duxit; autorem seditionis Adoniam manu *Banajæ*, cohortis prætoriæ tribuni interficit; *Abiatharem*, quòd curam Arcæ divinæ à parente commissam habuisset, supplicio exemptum, rus amandat. Quibus rebus Ioabus auditis, ad sacri Oraculi sedem confugit, arámque complexus, impunitatem sibi à loci religione promittit; sed quia virum, regiæ majestatis læsio, & duorum imperatorum *Abneris* & *Amasæ* injusta cædes ab immunitate asyli excluserat, jussu regis caput ei præcidit, qui Adoniã interemit, Banajas, sumum exinde militiæ imperiũ adeptus.

Nova Adoniæ conjuratio.

Adonias interficitur.

Et Joabus.

Non omittam hîc referre, quoniam mentio injecta est Amasæ, qua ratione ab ejus æmulo, Ioabo, sit sublatus; de Abnere suprà exposuimus. Erat Amasa filius *Abigailis*, (cum Iosepho Abigæam suprà vocavimus) sororis Davidis; eum Absalon in suas partes abduxerat, ducémque rebellium copiarum constituerat; qui quòd validissimam omnium, tribum Iudæ, Davidi reconciliârat, exauctoratô Ioabô, destinatus erat supremus regiæ militiæ præfectus. Id Ioabus, tot nominibus de regno Davidico benè meritus, atrocem injuriam interpretatus, curas in omnem occasionem intendit, Amasæ de medio tollendi; quod ut securiùs perficiat, per speciem amicitiæ hominem aggreditur, salutat perhumaniter venientem obviàm; & dum osculum, amici tesseram animi ferre simulat; altera manu mentũ Amasæ apprehendit; alterâ dolosum pugionem imergit in ilia, nihil admodum timentis; quo mærore Davidis, non facilè est explicare; quamquã negandum non est, Amasam quoque perfidiæ, quâ ad Absalonem desciverat, pœnas dedisse.

Amasa à Joabo dolosè interficitur.

Restabat,

Reſtabat,ut etiam *Semei* maledicentia ſuppliciô vindicaretur. Is quidem vitæ gratiam impetrârat à Davide, ſed quæ cum eodem exſpiravit; ne tamen in eo plectendo Salomon ſuæ magis ſeveritatis, quàm clementiæ paternæ, rationem videretur habuiſſe, noluit veteri delicto, niſi novô cumularetur, ſuppliciũ irrogare. Nec diu fuit, cùm Semei capitali noxâ irã in ſe regis provocavit; pœna namque capitis ei fuerat conſtituta, ſi pedẽ Hieroſolymâ efferret, quippe homo ingenij turbulenti & ſeditioſi; at is, cùm amplas ruri poſſeſſiones haberet, compertô, duos ſervorũ inde profugiſſe, feſtinavit eos à fuga reprehendere, majore ſuô, quàm transfugarum malô; nam violatæ reus cuſtodiæ, mox in vincula & ſuppliciũ raptus, contumelioſæ in Davidẽ linguæ, manúſque, pœnas pependit. Hunc in modũ ſublatis inimicis & regni turbatoribus, ſceptrum Salomon pulcherrimè ſtabilivit, gubernationem à juſtitia, *qua thronus firmatur*, Prov. 25. exorſus. *Semei quoque dat pœnas.*

DOCTRINA.

Fucatus Religionis titulus, jam vetus eſt Ambitionis, & Pſeudopolitices palliolum; ſemper enim ſcelera aliquod virtutis integumentum quærunt: & ſuo colore omnibus exoſa, ſub alieno prodeunt. Sed tenuis eſt omnis mendacij veſtis, & facilè perlucet. Adonias fratris Abſalonis exemplô, ſub ſpecioſo Sacrificij nomine, conjurationis initia poſiturus, dum regnandi libidinem maximè tegit, maximè prodit. Facilè enim diffamantur ſcelera, quæ patrantur in magnos; ut procul videtur nubes, quæ eſt in ſolem injuria. Non fefellit perfidia Nathanem & Banaiam, meliores Aulæ Miniſtros; in tempore circumſpectũ eſt remedium; nam rebellionibus idem eſt ingeniũ, quod calidis morbis: celeritate indigent, ut opprimantur. Ubi vires ſumpſerint, omnis malô infirmior eſt medicina. *Religionis titulus, Ambitionis palliolum.*

Abiatharem & Ioabum Adoniæ ciniflones privata odia, cupiditatéſque ſtimulabant; nam Ioabus ſperabat à rege ſuis ſtudijs evectô, impunitatem patratarum cædium, confirmationem principatûs bellici, perpetuitatẽ gratiæ. Nec minùs Abiathar, regẽ officijs devinctũ, credebat in poteſtate ſe habiturum; promittebat ſibi pontificatûs ſecuritatẽ, Sadocô æmulô, quẽ jam ſibi exæquari, & pęnè præferri videbat, in ordinẽ redactô. Nec deerant è militia, & Levitica tribu clientes, qui adjuvabant Adoniæ partes; præcipuè verò omnes, præter Salomonem, regis filij. Quis à tantis ſubſtructionibus timeret ruinam? Sed ô ſpes inanes! baculô nituntur arundineô, qui per mortalium favores, injuſtè comparatos, eò graſſantur, quò neque ſine periculo pertingere, *Subſtructiones pſeudopolitica.*

nec ubi sine vertigine consistere possunt. Cum aranea telam ordiuntur, & suomet implicati textu, dum captant alios, capiuntur ipsi, & pereunt. Certissimus ad exitium gradus est, malis artibus honores venari; præsertim inter Palatinos; alius in aliū velut canis incurrit, & pro fera habet, quem suis spebus obstare putat. Et dum cuncti Principis inhiant gratiæ, quid, nisi dentes mutuos, & morsus exspectes?

Dixitque Ioab ad Amasam: Salve mi frater; & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum &c. 2. Reg. 20. Osculum fronti tulit, pugionem infixit lateri: salutem auribus ingessit, sicam visceribus intorsit; fallacissimâ & fucatissimâ usus linguâ, fratrem vocabat, velut amicorum intimus, & jugulabat ut latro; luculentum fictæ amicitiæ prototypon. O quoties

Lacteolam indutus ovem, sub vellere molli
Cruda per agninos exercet funera victus! *Prudent.*

Falsi amici in Aulis. Sic Iudas Iscariotes proditor Magistrum amantissimū osculô perfidissimô nefandis sicarijs tradidit necandum. In Aulis maximè vigent Ioabi & Judæ oscula. Eleganter hos basiatores describit „ *Scribanius noster in Instit. Politico-Christ.* lib. 2. c. 11. Servi sunt, *inquit*, „ omnes, manuum oscula loquuntur, etiam pedum: & mancipia habes in singulis, ad omnia etiam calceorum paratos obsequia. dolent indignos se haberi, qui opem, studiúmque suum impendant; nec eas facultates esse, nec gratiam, nec potentiam, ut merita, debitáque obsequia præstent. omnia se debere, fortunas, vitam, sanguinem; nihil posse, magni scilicet illis mæroris caussa est. ut meritò ignores, quid, aut cui credas. tam varius pro temporum, locorum, personarum varietate sermo: tam incerta, pugnantia, mutuóque se interimentia reperias, ut certiùs nihil credas, quàm aliquid. *Et cap. 13.* „ Ostentant se velle, quod nolunt: nolle, quod volunt; ambire, quod aversantur, aversari, quod ambiunt. Damnant improbos, ipsi improbissimi: laudant probos, probitatis ignari: pietatem vultu præferunt, omnis impietatis servi. Senties deinde venerabundos, ore ridente, oculis ad hilaritatem compositis, ad genua etiam tua decrescentes, & infra illa; corda felle & mærore plena sunt. Si quid illis adversi occurrerit, infra feminas sunt; si prospera, supra homines videas: ita nihil illis, si deprimas, submissius; nihil, si sustuleris, elatius: omnium amicitias ambiunt dejecti, omnium aspernantur erecti. Monstra narro: sed timenda, sed fugienda. Hæc ille.

Sequitur vindicta nocentem. Amasa Davidi perfidus, ad Absalonem descivit; haud impunè; Ioabi ferrô interijt. Rarò transit pœna nocentem; quin si desit justa Nemesis, scelus scelere plectitur. Neq; Ioabū remorata est divina

eſt divina Vindicta; ad aram ipſam mactatur victima, ſcelerum enormitate 'jus ei aſyli adimente; juxta illud Exod. 21. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* Commendanda Salomonis juſtitia, qui publica ſcelera publico ſupplicio plexit. Nam, qui ſceleratis parcit, bonos it perditum; & damnat innocentes, qui nocentes abſolvit. Salomon factis oſtendit, quod verbis docuit c. 16. Prov. Abomi-
„ nabiles regi, qui agunt impiè: quoniam juſtitiâ firmatur ſolium. probos tuendo, improbos puniendo. Ubi Juſtitia, Pietáſque dominatur, vigent, florent, roborantur, proſperantur regna. Salomon ut oſtenderet, ſe juſtitiâ fortiter adminiſtratâ ad ſolium aſcendiſſe, curavit illud ſuſtentari à duodecim leonibus ex auro elaboratis, & gradatim diſpoſitis; ut exprimeret ſymbolum Fortitudinis, Juſtitiæque robuſtæ, atque in improbos Vindictę. Memorabile eſt Imp. Traiani dictū, Præfecto Urbis cum
„ enſe ſtricto poteſtatem tradentis: Cape ferrum, & ſi quidem
„ rectè imperium geſſero, pro me: ſin' aliter, contra me hoc
„ utere.




NARRATIO LXXI.

DAVIDIS EX PECCATIS CATENATAE POENÆ.

2. Reg. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. 24. Et 3. Reg. c. 2. &c.

Ab Anno Mundi 3000. ad an. antè Ch. 1054. uſque ad obitum Davidis, id eſt, ad Ann. M. 3019. ante Ch. 1033.



Uàm prona ſit ex uno caſu prolapſio in plures, nimis quàm clarū & horrendū paradigma David exhibet. Is, qui ante fœdam cum adultera conſuetudinē, clementiæ poterat, Juſtitiæque exemplum proponi, oſtendit in expugnatione *Rabbátha*, quàm procul abeſſet ab illa manſuetudinis laude, quâ ſe priùs DEO eximiè probârat. Juſtitiæ verò integritatem peſſimè corrupit, cum *Sibam*, perfidioſiſſimū ſervum, contra dominū ſuum Miphiboſethum audivit, & indictâ causâ innocentē condemnavit. Sed ut peccatum unum, eſt alterius ſupplicium; ita David hanc quoq; injuriam aliâ luit injuriâ, Numinis juſta lege ſic exigente, ut, qui unum

servum iniquè locupletârat, per alium gravissimè castigaretur; Semei is fuit, qui nesciens executorem divinæ Vindictæ egit.

Cæterùm Autores non aspernandi, inter argumenta manûs Dei vindicis, numerant primum statim filiorum Davidis flagitium; incestum *Amnonis* cum Thamare sorore, permissum à Deo, Davidis patris adulterio castigando. Eódem referunt Amnonis eiusdem postea interfectionem; Thamaris mœrore fraterni stupri tolerati tabitudinem; *Absalonis* rebellionem & interitum; Adoniæ factionem ac necem; *Salomonis* mollitiem, senilémq; dementiam; *Roboami* stoliditatem, ac decem Tribuum à regnatrice Davidis Domo avulsionem; *Joabi*, Davidis sorore geniti trucidationem; longásq; posterorum vel improbitates, vel calamitates; quas adulteratæ *Betsabea* Thorus, Gladiúsq; trucidator *Vria*, Davidicum in caput, serámq; progeniem extendit.

Porrò inter primas Adulterij & Homicidij perpetrati pœnas fuit, pueri vix nati lethalis ægritudo, quam tam impotenter tulit David, ut septem ipsos dies, non se passus induci ad cibum degustandum, abstinuerit publico, incesserit atratus, saccóque opertus, humi jacuerit prostratus, DEO nequicquã supplex pro infantis salute.

Subinde profligato, cæsóque Absalone, reductus in regnũ, antequam Ierosolymam reverteretur, periculum seditionis, ne ab intentatis supplicijs interquiesceret, adit: rixantibus inter se, déque reductionis ambitu contendentibus, hinc quidẽ Iudæis ac Benjamitis; illinc verò decẽ cæteris tribubus. Ubi Parùm abfuit, quin ad manus denuò veniretur. Ingreditur post hæc Jerosolymã, dat perpetuam in custodiam uxores ab Absalone fœdatas. Videtur ipse sibi restitutus tranquillitati priscæ: sed continuò, novis rebellionum fluctibus involvitur. Insurgit enim, adhuc in via, reditúque *Seba* vir Benjamites, contribulis Saulis; & hinc infensus Davidi successori Saulis. Is buccinæ signo, seditiosísq; concionibus, undecim ipsas tribus abstrahit à sui regis obsequio, Judæ solam tribum ei relinquit; quoad & hanc, si possit, ad defectionem impellat. Nec desperat deijcere soliô, modò recuperatô, alienum: quem Regnô jam inveteratô dejectum nuper, viderat in filio. Sed vincitur ac fugatur Seba: Fugatus obsidetur: obsessus obtruncatur. redit ad Davidem omne regnum. Historia pluribus verbis à sacro scriptore refertur. Fugiens quippe Seba, receperat se in urbem *Abélam*, validè comunitam, insequentis Ioabi manus evitaturus. Ea re cognitâ, Ioabus urbem obsidione cingit, impressionem in muros molitur. Cives de sua non minùs salute, quàm de urbis incolumitate solliciti, statuunt periculo

Seditiosus Seba obtruncatur.

periculo eximere sese, deditione Sebæ, hominis advenæ. Id ut Joabo nuntiaretur, mittitur super muros mulier, quam & sexus ab hostium armis facilè defenderet, & facundia, quâ pollebat, Ioabo conciliaret. Habent enim hoc feminarum illecebræ, tela gerunt in lingua, quibus fortissimum quemque seu vincunt, seu vinciunt. Ergo stans in mœnibus matrona, sapientiæ laude inter suos inclyta, evocat Ioabum ad colloquium, & hortatur, ne unius ob noxam, plurimorum salutem perdat. Illi Sebam sibi dedi poscenti, promittit mulier caput noxium. Neque diutiùs factum est; eius consiliô, caput turbatori regni præciditur, eóque è muris ad obsessores projectô, finis bello imponitur. Hoc malô sic depulsô; mox aliud Davidi incumbit. Inter hæc enim (quòd suprà memoravimus) *Ioabi* Ducis ambitiosâ perfidiâ, perit ei Dux *Amasa*; Ioabo successor destinatus, & præturæ militaris collega factus. Secutum, post hæc, triennium omni Davidis regno grave: terrarũ, siderúmque siccitate. Fames & luctus in omni Chananitide. nec calamitatũ finis; donec Oraculi responsô, pœna, propter Saulis crudelitatem inflicta, Saulææ stirpis excidio relaxaretur. Gabaonitas enim Saules, quasi Iosuæ circumscriptores, adversùs fœderũ ac jurisjurandi religionem eradicârat. *Talionis* ergò lege compellitur David, quantumvis invitus, in colle *Gabaa*, oppidi Sauli natalis, tres Saulis regis, è Respha concubina, filios; cum quinque nepotibus eiusdem, è *Mêroba*, filia, quos Michol sibi, soror eius, adoptârat, in crucem agere. Non est hîc silentiô transmittenda egregia *Respha* in cadavera suffixorum pietas, quæ licet in regia, delitijs, & mollibus stratis enutrita sub ipso patibulo cubile sibi erexit, petram cilicio instratam; cui incumbens, corpora pendentium à ferarum & volucrum rapacium injuria, perdia pernox defendebat; neque in unũ tantùm, aut alterũ diem, sed tamdiu, donec post sex, ut volunt Hebræi, menses delapsa cœlo pluvia, simul Saulæi criminis piaculum, simul placatæ iræ divinæ argumentum & sterilitatis remedium, eâ curâ feminam absolvit; David enim cadavera de cruce tolli, inferríque mandavit in avitum familiæ Saulææ monumentũ. Trigesimus hic quartùs erat regni eius annus: & à patrato, cũ Betsabea flagitio decimus quintus. nec adhuc tamen flagellorum quies.

Amasa cædes.

Excisio Saulææ stirpis.

Respha pietas in filios.

Anno vertente cùm jam annos natus sexaginta quatuor rex esset: contemptu deficientis in eo sensim pristini roboris; à Philisthæis, diversis quatuor bellis ac prœlijs incurritur, *Iesbibenobi* gigantis, cui David impar congressus erat, furore, viribúsq; premitur: extremum adit vitæ periculũ: & ab *Abisao* tamen, sororis Sarviæ filio, letho subducitur. A prælijs igitur deinceps abstinere,

Periculum capitis adit David.

vacaréque

vacaréque militiâ jubetur. Sed hoste Philisthæo liber, haud multò pòst in hostem relabitur *Sathanam*; cujus impulsu, præcipitatus in arrogantiam; anno regni tricesimo septimo censum agit; ac numerum init populi: Ioabô numeratore multùm invitô; DEO verò plurimùm offensô. Cujus proinde justo furore, pestilentiâ feriuntur Israëlitarum, sub unius diei diluculum, ad sacrificium usque vespertinum, millia septuaginta; melioris omnes, ac militaris sexûs. Flet David: insontísq; populi dolet vicem: se reum clamat: cinere caput inspergit: sacco cilicino corpus macerat, ac dehonestat: in se, suósque transferri cladem exoptat. Sed non illicò tamen supplicij finis. *Arevna* (seu *Orna*) *Jebusæi*, super aream, sublimis stans Angelus percussor; districtô cruentóq; gladiô Davidem non exterret modò; sed formidinis magnitudine, grandem insuper & imedicabilem in morbum involvit. Inflaverat Davidis animum amplitudo dominatûs regij; cujus potentiam æstimaturus, lustrum indixit; nec diu pòst religione tactus, inconsultæ superbiæ condonationem supplicibus à DEO precibus oravit. Hic ut aliquid iræ; aliquid clementiæ daret suæ, submisit *Gad* Prophetam; quô internuntiô; triplicem optionem subeundæ divinitus pœnæ obtulit; eligere jusso, aut famem septennio grassaturam: aut bellum trimestri spatio multas clades daturum: aut pestem tridiio in subjectum populum sævituram. Miser rex, inter saxum & cultrum positus, cùm non haberet, quò se verteret, præoptavit diram pestem; malum sibi commune cum subditis futurum; ut veniret in partem supplicij, qui pars maxima fuisset irritatæ Numinis vindictæ; nam cùm posset à regia sua damnatam agrorum infelicitatem avertere horreis commeatu plenis: hostem verò munimentis à se excludere; mortalitatis pænam elegit sibi quoque, si ita ferret DEI voluntas, subeundam. Placavit ea submissio vindicem DEI manum, desijt pestilitas; utique postquam etiam Sacrificium accessit, eo peractum in loco (monte *Moria*, qui pars montis Sionis) ubi Angelus minacem vibravit gladium; & jam olim Abrahamus mactaturus filium, ferrum strinxerat. David ibidem in grati & religiosi memoriam animi altare consecravit; templum quoque exstructurus, nisi piè destinata DEUS in successoris filij curas transferre maluisset. In his supplicijs pendendis David memorabili documento fuit, Principum peccata non raro subditis luenda, juxta illud:

Atrox pestilentia ob numeratum populum.

Morbus Davidis.

David è tribus pœnis, pestem eligit. cur?

Principum peccata subditis luenda.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Adeò verum est, Magna capita neque solis sibi vivere, si sanctè & feliciter vivant; neque solis sibi cadere, si à virtute contingat excidere. quanquam neque populus extra culpam ponendus, cujus

cum Seba

cum Seba, homine perduelli, contra Davidem conspiratio inulta non potuit esse illi Tribunali, nihil quod impunitum abire sinit.

Pestem depulsam, annus vitæ septuagesimus, regni quadragesimus, & utrinque supremus insequitur: nec ipse per omnia tranquillus. Rex corporis assiduo pæne rigore, paralysis in morem, conflictatus, vestimentorum ope nulla calesit. *Adonia* præterea filij, sese regem creantis turbis & conjuratione; Betsabéæ verò lacrimis ac sollicitudine pro filio *Salomone*; partium denique studijs, hinc in Adoniam, illinc in Salomonem ardentibus agitatur. Non ergo magna sine mole, turbata componit: comitia regni, pæne jam moribundus agit: ac vitâ tandem excedit. At nec postremus hic actus, acerbæ necessitatis expers erat: quando rex optimus, veniæ quidem per se pronior, Iustiæ tamen ad ultimum tenax; oculis rorantibus, Salomoni successori, Semeię maledici, Ioabísque sicarij, majestatis crimine pollutorum, cædem delégat. Ita non dierum, quàm calamitatum plenior, exspirat. Ut interim angores prætereamus, ac formidines, quarum in Psalmis assiduò meminit: quibúsque regis omnis posterior vita, tanquam lanceis hostilibus circumsessa, dispungebatur. Tanta malorum ilias, ex unico lasciviore oculorum, in feminam conjectu, originem traxit. *Vltima Davidis acta, & mors.*

DOCTRINA.

Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum. 2. Reg. 12. Terribiles minæ per Nathanem Davidi intentatæ. Verè, *horrendum est* (quod Paulus interminatur ad Heb. 10.) *incidere in manus DEI viventis*, & videntis, & ulciscentis. Noctis unius nefaria voluptas, annorum unius ac viginti perpetuis doloribus pœnitenti regi petit; nec expiavit tamen; secuta namq; ærumnarum est ingentium longa series, & à Domo Davidis jugis calamitatum continuatio non recessit; id quod lacrimas eius ex oculis díu noctúque prolicuit, expendentis hinc gravitatem injuriæ DEO illatæ, hinc caussam consequentis pœnæ. Peccatum admissum semel, adversùs eum pugnavit semper: plagarum omni genere, diversissimóque cruciatu. Quò, quidnam lucidiùs demonstrat: Delicti concessâ veniâ, non continuò, neque semper totius pœnæ fieri condonationem? Quod momentò nonnunquam peccatur; momentò fortassis & remittitur: sed in longũ adhuc castigatur. Id Davidi videmus evenisse, citò culpâ, non citò supplicijs culpæ defuncto. *Longa scelerum pœna.*

Tu fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu Israël, & in conspectu solis. 2. Reg. 12. O incredibilem mortalium stupidita- *Occultissima flagitia DEO patent.*

ſtupiditatem & cæcitatem, qui credunt, ſe poſſe effugere illos oculos, de quibus Siracides, cap. 23. *Quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Unde meritò obſtupeſcens quærit Pſaltes pſal. 91. *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculos, non conſiderat?* Uſque adeò dementat ſuos cultores Venus, ut illorũ vox nefanda audiatur Eccli: loc. cit. *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me: quem vereor? deliƈtorum meorũ non memorabitur altiſſimus.* Mox ſubjungitur. *Et non intelligit* (non credit, vel ſi credit, non conſiderat) *quoniam omnia videt oculus illius; quoniam à ſe expellit timorem Dei* (ut liberiùs ſine metu vindicis peccet) *hujuſmodi hominis timor.* (quô adulter timet ab hominibus videri, non à DEO) Conſonat. Iob. c. 24. *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens: Non videbit me oculus: & operiet vultum ſuum.* Prô ſtoliditatẽ! ſic infantes mantili caput obvolvunt, & licet pedes emineant, à nemine tamen videri ſe putant, quando ipſi vident neminem. Exiſtimabat David flagitiũ ſuum in occulto eſſe, ſed erupit in lucem & infamiam omnium ſæculorum. Illi oculorum laſcivi de ſolario jaƈtus, & gliſcentes ſub peƈtore libidinis igniculi, in facem exarſerunt, & flammam parentis ſparſerunt in filium; Abſalon in ſolario & ſole, coram toto Iſraële patravit in uxores patris, quod iſte peſſimô exemplô peccavit in conjugem Uriæ. Ite nunc impuritatum mancipia, & Cardiognoſten illum, DEUM, tenebris excludite.

Dimiſsâ culpâ, non ideò dimittitur pœna temporaria.

Accidit autem die ſeptima, ut moreretur infans. 2. Reg. 12. Acutè ,, *Salvianus, Maſſilienſis Epiſcopus*; natum ex crimine puerũ, crimen ,, ipſum occidit, quod creaverat. Diluerunt pœnitentis lacrimæ Davidis peccatũ, non ſupplicium peccati. Remiſſo ſcelere erant luendę pœnę; ſed temporariæ. Ubi nunc, qui *Satiſfaƈtionis* etiã nudũ vocabulũ & odiſſe ſe clamant, & ſublatum cupere. Iis omnes propemodũ divini codices reclamant: cùm etiã, condonata grandi noxa, creberrimè tamen adhuc noxæ piaculum, pœnámq; temporis expoſcunt; cùm non *pœnitentiam* tantùm mentis, ſed *opera fruƈtúſque* pœnitentiæ foràs etiã prodeuntes requirunt. Sic Aaroni, Mariæ, Moſi jam in amicitiam DEI receptis, terræ tamen Promiſſę præciſa ſpes, & in exilio mortes irrogantur; Idẽ Davidi faƈtũ.

Princeps ſit omnibus idem.

Omnis autem populus Iuda traduxerat regem (reduxerat Ieroſolymã profligatô & occiſô Abſalone) *& media tantùm pars adfuerat de populo Iſraël.* Hinc decẽ tribuũ adverſus unam æmulatio, & ſeditio, concitatore Seba. Ubi docentur Principes, ut diverſis, quibus impe,, rant, gentibus, æquabiles ſe exhibeant; nam ut DEUS, *inquit Plu,, tarchus moral*, in cœlo pulcherrimum ac jucundiſſimũ ſui ſimu,, lacrum conſtituit ſolem; ſic in rep. Principem, qui prudentiâ ,, juſtitia,

„ justitia, benignitate se erga omnes repræsentet. Neque enim sol alius est pauperi, alius diviti, sed omnibus comunis.

Et addidit furor Domini irasci contra Israël, commovitque David in eis, dicentem: Vade, numera Israël & Iudam. 2. Reg. 24. Comovit DEUS Davidem, non per se suggerendo ei, & dicendo: *Vade, numera populum,* (sic enim incitâsset eum ad peccatum, quod facere nequit) sed permittendo diabolo ad id parato, & anhelanti, ut Davidem ad superbam hanc populi numerationem concitaret. DEUS ergo *indirectè*, diabolus verò *directè* incitavit Davidem ad hanc lustrationē, uti exprimitur 1. Paralip. 21. *Consurrexit Satan contra Israël, & concitavit David, ut numeraret Israël.* Tribuitur tamen idipsum DEO, ut ostendatur, justô Numinis judiciô contigisse, ut permitteretur peccare David in censu populi agendo, quo simul etiam puniretur populus, paullò antè cum Seba rebellis. Atque hæc *positiva* (ut Theologi loquuntur) permissio, vocatur actio & comotio. De his dixi paullò antè.

Melius est, ut incidam in manus Domini (multa enim misericordiæ ejus sunt) quàm in manus hominum 2. Reg. 24. Cùm David, in quamcunq; partem oculos verteret; sibíque impendére, reíque publicæ grandem videret calamitatē, in illis rerum angustijs maluit à peste, id est, à Domini manu, quàm ab hominum gladiô, qui obstinatô furore persequuntur injurias, exerceri ac pati. Neque dicas contrarium Davidi, elegisse Susannam, Daniel. 13. dicentem: *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Susanna enim loquitur de culpa; præstat enim offendere homines, quàm DEUM, cujus offensa & vindicta est æterna. At David loquitur de pœna à DEO infligenda; à quo satiùs est puniri, quàm ab homine; hic enim sævus est & implacabilis; DEUS autem misericors, & pœnitudine delinquentis placatur. *Quomodo melius est incidere in manus DEI, quam in manus hominum.*

Et ait Angelo percutienti: sufficit, contine manum tuam. 2. Reg. 24. Ut criminum apud DEUM mensura, sic plagarum modus est; quarum administros adhibet Angelos tam bonos, quàm malos. Hic bonus fuit; qui mox jussu DEI *convertit gladium suum in vaginam.* Nimirum cuncta, ad quæ gemimus, quæ expavescimus, quæ perpetimur, in numerato, & ad Iustitiæ lancem expensa sunt Numini. Ferit & parcit, sanat & vulnerat, premit & erigit juxta æquissimas Providentiæ suæ leges; facítque, quod citharœdus, qui citharæ fides tamdiu tendit, attrahit, remittit, dum assonent. David certè ad hanc fidium seu plagarum contentionem suavissimè consonans, *Ego*, inquit, *peccavi: ego iniquè egi; isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* *Mensura plagarum apud Deum.*

Propter me mota est, propter me definet ira,
Símque ego sævitiæ caussa, modúsque tuæ.

Post quæ, *ceciderunt tam ipse* (David) *quàm majores natu vestiti cilicijs, proni in terram* 1. Paral. 21. Oblatóque sacrificio, cujus victimam ignis de cœlo lapsus absumpsit, approbavítque, atra lues desævijt. Habent hîc exemplum obnoxia cœlesti Vindictæ capita, qua ratione fatalem à se gladium vel avertant, vel mitigent. Habent speculum Principes & Præsides, ne privatis delictis publicas invehant calamitates: & invectas quomodo agnoscant, expiéntque.

Quomodo avertenda clades.

Davidem spectra infestant, variique stimuli.

Ad has Davidis pœnas accesserunt mœrores & angores animi. Obversabantur ob oculos gemina potissimùm spectra: alterum, Vetita Libido, anguineis comis horrida, spuriam prolem manibus tenens, & occlamans: Cur alienum thorum violasti? alterum, Uriæ Umbra, pallida, sanguine conspersa, toruis oculis contuens, & ingeminans vocem: Cur me occidisti? In his angustijs David multo sudore, lacrimísque perfusus exclamabat illud Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Flagitium comissum nunquã ab oculis, & memoria mea recedit. *Libera me de sanguinibus DEVS, DEVS salutis meæ.* Uriæ cruor occisi terret me, & vindictam exposcit. Videbatur David instar feræ tot telis exagitari, quot patratorum scelerum stimulis & aculeis fodiebatur; hinc illa suspiria psal. 37. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*; quæ non sinunt diu noctúque me quiescere; neque animum tantùm, sed corpus quoque & ossa intima miserrimè affligunt, extenuant, concutiunt. *Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie* (recordatione) *peccatorum meorum*, eodem psal. Et quia cernebat plura crimina uno in crimine cumulata; dum Uriæ innocenti & optimè merito uxorem, vitam, famam eripuit; Betsabeam ad peccandum induxit: proprijs uxoribus fidem conjugalem fregit: gravissimam offensam, etiam alienigenis, præbuit: ingratissimus divinis erga se beneficijs extitit; ideò videbatur sibi tot quasi fluctibus obrui, tot ponderibus opprimi, quot peccata menti recurrebant; Unde ingemuit cit. psal. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum; & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Idcirco quasi indignus cœlum aspicere, tristis & dejecto in terram vultu incedebat. *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem* (hoc est, valde): *tota die contristatus ingrediebar.* psal. cit. Bellum insuper sentiebat intestinum (libidinis fructum) insurgente carne adversus spiritum, & pravas, ac pudendas commotiones concitante. Quod ipse deplorat eodem psal. *lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Ut adeò totus David considerata scelerum suorum magnitudine, & pœnarum acerbitate, perpetuis in doloribus versaretur, juxta illud ejusdem psalmi post lapsũ compositi: *dolor meus in conspectu meo semper.* Et quia piscator ictus, suóq; doctus casu sciebat, in quas miserias per libidinẽ turpẽ devolu-

devolutus esset, petijt à DEO castum & salutarem timorem, quô veluti quibusdam clavis cupiditates improbæ configerentur, arctéque stringerentur, ut se commovere non possent, psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judicijs enim tuis timui:* expertus supplicia criminum ultricia. Timeamus & nos, memoriámque pœnarum Davidi inflictarum, tanquam frænum adhibeamus ad indomitos Cupidinis motus coërcendos.

Apparet ex Davidis calamitatibus, acriùs divinæ Majestatis severitatem, in atrocibus delictis adversùs eos exardescere consuêsse, quos insignioribus illa præ cæteris, exornavit dotibus atq; beneficijs: & aspicere tamen eos postea cogitur, ingrata mente suam proculcare familiaritatem & amicitiam ausos esse Unde discamus, Davidico perculsi casu, *Fortunam* à DEO nobis collatam, reverenter in omnibus habere: quantóque chariores nos esse Numini deprehendimus; tantò castiùs semper formidemus. Crystallus enim est incautis amicitia DEI: Sollicitis autē Adamas. Illis, quando vel ardentissimè splendet, elabitur manibus atque diffringitur; istis contrà, compressionis ipsâ curâ, duratur ac perennat. Gravior ex alto casus venit: ac sanctissimū quemque, nequitia superveniens spurciùs inquinat. Sed David ex lapsu fortior surrexit, & vindicem DEI iram, pro virtutis incitamento habuit, unde psal. 118. *Bonum quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.* Malè ijs, quibus *vexatio* (afflictio) non *dat intellectum* Isa. 28. fiunt duriores vapulando, quod Ieremias conqueritur cap. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & noluerunt recipere disciplinam.* Et Ezechiel c. 24. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo eius, neq; per ignem;* obbrutuit & obriguit ad verbera. Longè aliter David, qui post casum cautior & sanctior, sapijt ex flagellis, quæ animo submississimo excepit; *in flagella*, ut psal. 37. testatur, *paratissimus;* ferientem DEI manum exosculatus, exclamavit psal. 118. *Justus es Domine: & rectum judicium tuum.*

David ex lapsu fortior surrexit.

Davidi à senio frigescenti, quærebatur per omne regnum, virgo fomosissima, quæ senili corpori fomentum aliquod caloris daret. Inventa Sunamitis *Abisag*, quæ regi dies, noctésque serviebat; quam ipse, etiam in illa ætate, & frigore corporis, suæ non nimiùm fisus castimoniæ, duxit in conjugem; cùm uxoribus enim pluribus illô ævô matrimonium conjungere non fuit illicitum. Hanc tamen virginem David perinde ut sororem, prorsus intactam & inviolatam in maritali toro servavit, tantò æstuantior curis, quantò gelidior membris. Ille tamen inter eas afflictationes, mente constans, & voluntate cum DEO conformata, *adoravit in lectulo suo, insuper & hac locutus est. Benedictus Dominus DEUS Israël.* 3. Reg. 1.

Moriturus Salomonem filium, regníque optimates accersens, ad regalem sanctimoniam gravissimè regem juvenem exhortatus est: cui & paternas religiones, Cultum divinum, DEI timorem exactissima oratione commendavit. Inter alia, hæc prolocutus verba: *Tu autem Salomon, fili mi, scito DEUM patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies, si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum.* 1. Paral. c. 28. Pulcherrimum testamentum, & omnium pectoribus inscribendum. Utinam Salomon novissimas parentis, ac fidelissimas voces magis cordi habuisset; in tam profundas scelerum voragines non præcipitâsset! David verò hortatibus suis ostendit, qualis vixerit, qui talis moriebatur; quanto studio & integritate (si lapsus quosdam excipias) DEO servierit: eius præsentiam ob oculos habuerit: offensas timuerit: gratiam quæsierit, invenerítque.

NARRATIO LXXII.

REGIS SALOMONIS DECORA:

3. Reg. 3.4.9.10.

Ab Anno Mundi 3032. Ad Annum 3043. Ante Christ. 1030. Ad Ann. 1006.

Salomonis egregia indoles.



Alomon, Davidis ex Bethsabea filius, regníque successor, mortalibus est documento, DEI non tantùm iras, sed etiam dona timenda esse. Cujus initia cœlestis orditur favor, & sequentes progressus, initijs pares; extrema, plena sunt infamiâ & horrore. *Mens bona*, quam à DEO sortitus fuerat, donorum maximum, & inæstimabile, in regijs præsertim pueris: Odisse malum: in bonum propendere: ferri in sapientiam virtutésque, præclara ingenij tractabilitate: in omnes formas, velut ceream flecti; meritò Salomonis primas inter laudes memorantur. Non gratiùs ridet aurora diei serenissimæ; quàm ætas illa (cui se DEUS largiter infundebat) amabilitatem quandam, velut prodromos magnarum virtutum radios, in oculos, animósque

animósque omnium sparsos evibrabat, & intuentes mirificè sibi devinciebat. Inhæsit Salomoni ab adolescentia sitientissimus ardor, & æstimatio scientiæ immensæ; hanc vigilans perpetuò cogitabat; hujus amabilissima species recurrebat in somno; hanc à DEO enixè flagitabat. Unde persolutis parenti supremis honoribus; sublatísque de medio turbatoribus imperij; nihil habuit prius, quàm ut gubernandi rationem disceret, non tam Magisteriô humanô, quàm cœlesti. Ad eos favores consequendos, conciliatricem adhibuit pietatem, & fervens precandi studium. Viginti duorum annorum adolescens, mille DEO hostias imolat in *Gabaone*, (colle frondosô & excelso, ubi *Tabernaculum divinum* religiosè visebatur; fuerat autem jam antè *Arca fæderis*, à Davide in montem *Sionem* inde transvecta) id unum ardentissimè supplicans, ut, quando populo longè numerosissimo jura danda, & imperatum æternæ Majestati Templum esset educendum; vires sibi, viæque suppeditarentur, ad demandatam divinitus provinciam rectè sustinendam.

Quibus desiderijs æstuanti, spectabile de nocte offert se Genius, æternæ speciem Sapientiæ præferens; jubétque, votis minimè parcis optare, quidquid cupienti animo allubesceret. Ille nihil cunctatus, iterat desideria sua, & anhelantia ad sapientiæ donum suspiria. Placuêre Superis castæ preces. plus accepit, quàm rogavit; cum acerrima mentis intelligentia, divitiæ & gloria à cœlo data, Salomonem omnium mortalium felicissimum reddiderunt. *Salomoni sapientia è cælo confertur.*

Specimen muneris cœlestis mox præclarum prodidit in famosa mulierum duarum concertatione, pro vindicijs ambigui infantis. Erant illæ corporis vulgati, eodémque sub tecto, atque adeò cubiculô, eodémq; tempore fœtu solutæ; quę tamen non eodem curabant studio. Altera quippe, cùm incautâ corporis incubatione, de nocte suum oppressisset partum, vivâ alteri, profundiùs dormienti, surripuit prolem. Plagium istâ repetente, illâ degante, itum est ad tribunal *Salomonis*. Caussa intricata videbatur, & plena caliginis; clamor utrinque, rationes nullæ. Quid faceret in ancipiti lite Judex? veritatem nullis argumentis rimandã, eruit è litigantium pectoribus; cùm ex ore non posset. Latentes feminarũ affectus scrutaturus; jubet vaginâ nudari gladium, vivum puerũ dissecari mediũ; suam matrũ utriq; partẽ in jurẽ dubio tradi. Visa est populo sentẽtia juvenilior, & crudelior, quàm sapientior; cujus tamen eventus mox summam admirationẽ & comprobationẽ tulit. Genuina parens auditô regis judiciô, commotis illicò visceribus exclamare; cedere se jure suo, cupere salvã prolẽ; cupere *Salomonis prudentissimum judicium in lite duarum feminarum.*

cupere vivam; E contrario Plagiaria, crudelem ex alieno dolore voluptatem captura, dividi postulabat infantem. Sorex, quod aiunt, suô se indiciô prodidit. Rex sagacissimus veram matrem deprehendit, & pietatis præjudiciô litem finivit. vicit, quæ vinci non metuit, sed orbari; cecidit causâ, quam natura priùs, quàm sententia Iudicis, damnavit. Fama judicij longè sapientissimi continuò longè, latéque vulgata maximam Salomoni, non modò apud suos, sed etiam exteros reverentiam & gloriam comparavit.

Scripta Salomonis.

Prodidit autem Salomon (cui cognomentum *Ledidia*, quod est, *amabilis Domino*, fuit) sapientiæ suæ magnitudinem non factis duntaxat, sed scriptis quoque. Nam præter *Ecclesiasten, Proverbia, Cantica, Sapientiæq;* librum; octo præterea millia librorum alterius argumenti, composuisse fertur: in quibus Carminum, Odarúmq; mille, & quinque: dramatum millia tria, magnáque Similitudinum & Parabalarum varietas. Artes omnes & scientias percalluit; nihil tam abditum aut obscurum; quod eius perspicaciam fugeret; *disputavit super lignis* (quod Sacra pàgina memorat, 3. Reg. 4.) *à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete;* (herbam parietariam, quam origanum aliqui, adiantum alij, saturciam vocant alij) hoc est de maximis, minimísque tantâ sapientiâ differuit, ut ex cunctis orbis terrarũ partibus mortales affluerent ad hoc scientiarum omnium Miraculum, & Oraculum spectandum, audiendúmque.

Artes & scientiæ Salomonis.

Divitiæ Salomonis.

Ad imensam sapientiam accesserunt opes pares, & populi subjecti multitudo: ac domi, forísque gloria. Nam & argenti tanta fuit illi, quanta pæne lapidum congeries, atque vilitas, Ierosolymis: &, præter argentum ac gemas, exoticásque margaritas; auri transmarini, probatissimique quadringenta, quinquaginta, talenta magna, ponderis Hebràici, Tyrijs in classibus tertiô quôque anno ei supportabantur: quo comeatu, præter pavones, aliáque barbaræ peregrinitatis animalia; naves pariter, elephantorum quoque, laboratis, & infectis ossibus constipabantur: ad Ierosolymam ebore complendam. Sed parùm hæc erant (quippe tertij cujusque duntaxat anni) si cum annuis, ac perpetuùm affluentibus, opum censibus conferrentur. Nam supra pecuniæ copiam illam, quam Salomon, è legationum donis ac muneribus in fiscum inferebat: super quæstum item, & lucra negotiationum, ac diversi generis mercimoniorũ; super ea quoque, quæ regis ærario satrapæ, principes, Arabúmque cuncti reguli, Salomonis stipendiarij, conferebant: tributum erat annuum, auri talenta magna, sexcenta, sexaginta sex, hoc est, juxta Saliani nostri calculum, octo milliones, numorum coronatorum Gallicorum; seu viginti quatuor milliones florenorũ Belgicorum, sive

ſive florenorum Rhenenſium duodecim milliones, & inſuper ſeptingenta, quinquaginta millia; computando florenos Belgicos ſeu Brabanticos ſingulos pro quatuor ſiclis, ſeu numis ſeſtertijs ſedecim; Talentum enim Hebræum (argenti) continebat tria millia ſiclorum ſeu duodecim millia florenorum Belgicorum. His accedebant ea, quæ ſpontè, prætérque debitum, & ſolam ad gratiam, diverſi diverſa dono dabant; qualia, crateres ingentes argentei; pocula, vaſáq; prægrandia purioris auri; veſtes ac telæ pretioſiores; multa purpura, ſericum Indum, aromatum Orientis vis magna: quin & arma politiſſimi ſplendoris; equi, muliq; notæ commendatioris.

Quibus omnibus fortunæ muneribus (ſi tamen Fortunæ dicenda ſint, ac non potiùs Dei) rex Salomon inſtructus; non ſolùm armamentarium, in altiſſima pace ſemper bellò cuivis, etiam aſperrimo, præparatum habebat; ſed armorum etiam ornamenta, maximo rege digna; paucíſque cæterorũ, ante vel poſt Salomonem conceſſa. Nam & haſtas fecerat, ex aurô ſolidô & ſcuta, clypeos, peltas, magnô numerô. Solium quoque regium ex ebore & aureis laminis refulgebat, ſenis utrinque per gradus leonum ex auro ſimulacris ſtantibus. Duodecim equorũ millia ad ephippium; quadraginta millia curulium & vectariorum ad præſepia conſiſtebant, ingens gentium malè quietarum, in fide continendarum, frænum ac formido.

Et quantum illud potentiæ argumentum, quod imperio ſuo teneret obnoxiũ; quidquid gentium ac dominantiũ ab Euphrate pertinebat ad primos Ægypti fines; ac mare Palęſtinum; præter Hebræorum; & à Davide quondam domitarum, nationum barbararum multitudinem imenſam; eorum, qui *Proſelytorum* nomine circumciſionem ac leges Moſaicas amplexi fuerant, numerabantur centum, quinquaginta millia, ac inſuper tria millia, & ſexcenti. Ex quibus ſeptuaginta millia delecta baiulorum; lapicidarum octoginta millia. Sexcenti quoque, qui operarum præfecti erant ac magiſtri. Sunt, qui ſcribant, Salomonæi famulitij capita fuiſſe quadraginta octo millia, ſexcenta. E ſacra hiſtoria conſtat, annonam quotidianam fuiſſe triginta coros (corus unicus modios Romanos habet triginta, juſtum onus cameli) ſimilę (ſiliginis, ſeu floris triticei) & ſexaginta coros farinæ (vulgaris); Decem boves pingues, (ſaginatos) & viginti boves paſcuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, bubalorum (dorcadum ſeu damarum), & avium altilium. *Potentia Salomonis.*

Porrò divitijs potentiæque Salomonis reſpondebat fama gloriáque, mortalium etiam remotiſſimos quoſque, deſiderio tanti, támque ſapientiâ clari regis videndi inflamabant. In ijs erat

Æthiopicæ Sabææ Regina (quam *Makidam* appellant) quę à meridie septentrionem versùs, dierum plurimorum itinere Ierosolymam contendit, imensis cum opibus, ac multo, regióque comitatu. Ea cunctis Salomonis inspectis, & regiæ miraculis, & pectoris, philosophiæque penetralibus: admiratione defixa, didicit experimento, confessáque verbis est, famâ longè maximâ, majora fuisse visa auditáque. Redijt igitur in Æthiopiam suam, admiratione non minùs, quàm oblatis à Rege donis, opulenta. Cúmque Salomoni prior ipsa centum ac viginti dedisset auri talenta, cum gemis & aromatis infiniti pretij; longè plura tamen, & pretio superantia à regia liberalitate reportavit: imprimis verò DEI veri solidam cognitionem atque cultum; aliáque suis congrua postulatis; tanta suî admiratione relicta Ierosolymis, quantam ipsa Regis Hebræi famam, ad suos detulit populos.

Regina Saba Salomonem invisit.

DOCTRINA.

Lysander Cyro juniori gratulaturus, Rex, *inquit*, te beatum „ ferunt, quoniam sapientiæ tuæ fortuna juncta est. Jure multò potiori Salomoni gratulandum, cujus sapientia fortunæ, fortuna sapientiæ juncta fuit. Est autem Sapientia, rerum divinarum & humanarum scientia; cujus teste Lactantio, primus gradus est, falsa intelligere: Secundus vera cognoscere. Addunt alij tertium: Ea, quæ cognoveris recta, in opus deducere. Salomon jam tum inchoatæ sapientiæ specimen dedit, cùm sapientiam unicè adamavit, & adamatam à DEO efflagitavit. nempe, quod magni æstimamus, magnis desiderijs anhelamus. Salomon de se Sapient. 7. *Propter hoc, inquit, optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ; & praeposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Sanè feliciter. Nam ut ipse testatur, eodē cap. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Hinc ipsa Sapientia. Proverb. 8. de se proloquitur: *Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia.* Id quod Salomon luculenter expertus est, qui etiamnū adolescens (decimum octavum ætatis agebat annum) pulchritudine sapientiæ raptus, Hanc, ait Sap. 8. *amavi & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Audiant hoc Reges, & Regnorum candidati; quos alloquens sapientissimus & felicissimus regū, Sap. 6. *Si ergo delectamini*, inquit, *sedibus & sceptris, ò reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis* Et ibid. *Multitudo autem sapientium, sanitas est orbis terrarum: & Rex sapiens, stabilimentum populi est.* Unde beatas fore respublicas Plato affirmavit; si Philosophi, hoc est, sapientes clavo præessent.

Cum sapientia omnia bona conjuncta.

Sed

Sed quænam est illa forma Sapientiæ tantopere Salomoni ad amatæ? Spiritus S. eam depingit toto libro, qui inscribitur, Sapientia. Inter alia c. 7. *Dicitur esse in illa Spiritus intelligentiæ, Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes Spiritus.* Huius formæ præstantiam *Seneca*, quamquam lippienti oculo, & per transennam contemplatus, si nobis, *inquit epist.* 115. viri boni animum liceret inspicere; ô quam pulchram faciem, quàm sanctam, quàm ex magnifico placidóque fulgentem videremus? hinc justitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiáque lucentibus. Præter has frugalitas, & continentia, & tolerantia, & libertas, comitásque, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. tum providentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima quantum, dij boni, decoris illi, quantum ponderis, gravitatísque adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illam amabilem, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentiorémque, quàm cerni inter humana consuevit, nonne velut Numinis occursu obstupefactus resistat, &, ut fas sit vidisse, precetur; visáque attonitus dicat? *Sapientia amabilitas.*

O quam te memorem Virgo? namq; haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat.
Sis felix, nostrúmque leves quæcunque laborem.

Aderit, levabitque, si eam colere voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis; nec auro, argentóq; suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia & recta voluntate. Nemo, inquam, non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret.

Quibus verò modis prensanda, & obtinenda hæc sponsa? Id ipsa docet Prov. 8. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me. Manè*, id est, tempestivè, à pueris, à teneris annis, Salomonis exemplô. Vigilandum est, inquam, & sollicitè quà calentibus à DEO votis petenda sapientia, quà multo labore & industria comparanda. Iobus cap. 28. cùm rogâsset. *Sapientia ubi invenitur?* respondet. *Nescit homo pretium eius, nec invenitur in terra suaviter viventium.* *Sapientiæ desiderium.*

Quæsivit eam Salomon, & invenit. Sed quomodo? Primò fervidè flagitando. Id testatur de se, sap. 8. *Adij*, inquit, *Dominum, & deprecatus sum illum, ex totis præcordijs meis.* 2. per modestè petendo. Solam quippe gubernandi sapidntiã postulavit, & longè ampliora, quàm desideravit, obtinuit. 3. magna cum fiducia. *Dabis*, inquit 3. Reg. 3. servo tuo cor *docile*. 4. eximiam submissionẽ suis


rogatibus adjunxit: *Puer sum,* ait loc. cit. *parvulus, & ignorans egressum & introitũ meum.* videlicet rudis & imperitus artis gubernandi. Pulcherrima sanè via, omnibus sapientiæ amatoribus ineunda. Intereſt enim plurimùm, non tam quid petas; quàm quomodo petas. Cum Salomonis modeſtia, DEI liberalitas certavit. *Quia* inquit, 3. Reg. 3. *poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi: divitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in regibus, cunctis retro diebus.* O beatum Salomonem, niſi ſuam ipſe felicitatem, morum pravitate corrupiſſet! Sapientia namq; ſicut *in malevolam animam non introibit; ita nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1. Salomon ubi corpus fœdis voluptatibus permiſit, & mentẽ ſimul, & ſapientiam bonæ mentis hoſpitem, amiſit. Memorabile dictũ de Alphonſo Arragonum rege circumfertur; qui rogatus, quomodo in tantis divitijs pauper effici poſſet? Reſpondit: ſi ſapientia venditaretur. Ea verò, quamvis nullo mortali pretio venalis ſit, caſta tamen prece, caſtáque mente in ſuperûm foro comparatur.

Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, ſteterúntque coram eo: 3. Reg. 3. ſtatim atque ſapientiã Salomon divinitus accepit, illius illuſtre documentum dedit in duabus feminis, (quas aliqui negant ſcorta fuiſſe, ſed tabernarias, & arte atque opificio quæſtũ facientes) de infantis vivi materno jure, certantibus. Scitè dixit & verè, Auguſtus Imperator: *Pietate & juſtitia Principes Dij fiunt.* Pietatẽ Salomonis in exoranda à DEO ſapientia didicimus; nunc Juſtitiã eius arbitremur. 1. Salomon duorum regnorum (Iſraëlis & Iudæ) Rex potentiſſimus, non dedignatur aures præbere duabus mulierculis de infantulo litigantibus, ut doceat Principes *audientiam benignam, & adiri facilitatem.* 2. Eminuit in eo judicio, *cognitio cauſſæ penitiſſima.* Salomon ſuum litigio impetum non ſtitit; teſtes nulli, probatio vix ulla, clamores abſoni. Ubi autem cauſſam probè cognovit, gladium petijt, ſententiam tulit. Juſtitia diligentiam poſcit accuratiſſimam. Non cauſſa tantùm penitus inſpicienda, ſed & rectè proponenda; levi momento invertitur rei cardo, evertitúrque. Iobus de ſe c. 29. *Et cauſſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam.* Hinc in pectorali ſummi Hebræorum Pontificis & Iudicis ornamento, inſcriptæ duæ voces: DOCTRINA ET VERITAS. Exod. 28. Eſt enim Judicis nôſſe cauſſam, eiúſque veritatẽ perſpectam habere. Unde in curijs & tribunalib⁹ tot

Salomonis Juſtitia, & Judicis officium.


tot *revisiones*, & *relectiones*, tot *appellationes* & *provocationes*, nisi ab ignorantia & ignavia *Iudicantium*, & judicanda *Referentium*? Sed cui jam licet, quod Machétas olim miles fecit; qui cùm apud Philippum Macedonem caussam diceret, visus est Rex non attendere, & contra jus & fas litem abjudicare militi. Hic Machétas Macedonica libertate: Appello, inquit. Tu à Rege, & ad quem? Ad ipsum te, ait miles, sed vigilantem & attentum. 3. Salomon ubi pravos alterius mulierculæ affectus deprehendit, justissimam contra eam sententiam dixit. Capitalis Justitię hostis est affectionum perversitas, sive ea Iudicem, sive Actorem & Reum occupârit; unde Areopagitæ in tenebris, & obductis velis judicabant. 4. *Affectuum vacuitatem*, sequitur *Sagacitas inveniendi veri*, præclara & necessaria Justitiæ pars, quæ placidò silentiò indagat, quærit, explorat, dum Verum inveniat. 5. Apparuit *Vigilantia & Zelus*. Salomon cùm in neutram partem duarum feminarum controversiam vergere videret: *Afferte*, inquit, *mihi gladium*. Hôc, implicatum nodum strenuè solvit. Judicum insignia, sunt *Gladius*, & *Bacillus*, seu *Virga* oblonga. Hieremias cap. 1. *Virgam vigilantem, & Ollam bullientem* vidit. Olla bulliens est provincia vel regnum vitijs exuberans; diabolus ignem subdit, ligna ingerit, flam̄as flatu impellit. Hìc justitiæ *Virga* vigilet, ut *ollæ* reprimatur ebullitio; ut vitia passim vulgata castigentur, & seriò; non puerili ferulâ, aut vulpinâ caudâ. 6. *Auditio utriusque partis, non habitâ dignitatis, aut ordinis ratione.* Notissimum est illud „ *Senecæ Tragœdi*: Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ, „ æquum licet statuerit, iniquus est. Salomon in illam muliebrem rixam, utriusque procacitati aures dedit. Alexander Rex Macedo eò corporis habitu audiebat caussas, tanquam aurem alteram obturaret. Rogatus à familiari homine, cur id faceret? *Clausa*, inquit, *auris servatur reo*. 7. *Patiens constantia.* Salomon cùm patienter litigantes audivisset, vivúmque infantem, medium dissecari jussisset, advertit utique populi eam sententiam tacitè damnantis motus, propositi nihilominus tenax, gladium afferri, stringi, ad secandum puerulum vibrari jussit patientia constanti.

Hoc munus est Judicis, non cedere tergiversantium pervicaciæ: è verbis facere facta, Sententiæ robur à constantia addere.



NARRATIO LXXIII.
MAGNIFICENTIA TEMPLI SALOMONICI.
Lib. 3. Reg. cap. 6. 7. 8. 9.

Ab Anno Mundi 3023. Ad Ann. 3030. Ante Chr. 1030. Ad Ann. 1023.



Agnificentia Templi à Salomone constructi quanta fuerit, multiplici nomine licet æstimare. Nam si finem perpendas, erat Majestati Divinæ Sedes præparanda; si ideam spectes, fuit ea ab ipso Numine Davidi, & per hunc Salomoni dictata; si sumptus & impensas cogites, sunt eæ factæ à duobus opulentissimis regibus, Davide, filióque Salomone; si Conditorem attendas, fuit is idem Salomon, longè omniū mortalium sapientissimus; si structuram consideres, erat opus ab omnibus pro Mundi miraculo, summæque venerationi habitum; si operas advertas, multa hominum millia in eo per septennium laborârunt; si artificiū architectonicum; erant lapides prægrandes ita secti, dolati, politi & ad unguem inter se quadrati & commissi, nullum ut intuentibus mallei aut cujuslibet instrumenti fabrilis vestigium præberent, sed conflata potiùs omnia, quàm arte connexa & coagmentata viderentur; unde, teste Scriptura 3. Reg. 6. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in Domo, cùm ædificaretur*, Saxis videlicet jam antea ibi, ubi excidebantur à latomis, mira perpolitione ad juncturam aptatis. Si denique magnitudinem, amplitudinem, firmitatem, ornatum, supellectilē Templi expendas, simile nihil terrarum vidit orbis. Hinc psal. 77. Monoceroti seu Unicorni comparatur. *Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra.* Per cornu, robur; & quia unicum, raritas operis indicatur.

Magnitudo templi Salomonici. Cæterùm locus, cui mirifica structura imposita, mons erat *Moria* (de quo jam alibi meminimus) antiqua Abrahami, filium immolaturi, religione clarus; quem à contermino *Sionis* jugo ingens vorago, cui *Mello* nomen, discriminabat. Quare ad laxandam ædificij aream, & valles implendas, necesse erat maximas substructiōes excitare, ut alicubi murus cubitos trecentos, plures

alibi altitudine; quinquaginta latitudine æquaverit. Magnitudo verò Templi, speciem civitatis bene magnæ, & procul aspicientibus, montem (Iosepho memorante) niveum, mixtis auri radijs, non sine oculorum pavore referebat. Altitudo universa (pluribus enim contignationibus ædificium intercipiebatur) in centum viginti cubitos assurrexit: sexaginta cubitos in longum; aut septuaginta, si vestibulum annumeres. Viginti in latum continebat, & gemino cingebatur atrio amplissimo, multísque porticibus distincto. Porrò tripertitū erat ædificiū; primò vestibulū seu porticus prætendebatur Templo, longitudine viginti cubitorum, latitudine decē. Pars ei contigua in longitudinem quadraginta cubitorū, in latitudinē, viginti excurrit, dicebatúrque *Sanctum*, seu strictiore appellatione *Templum*. Ab hoc, murô cedrinô, multis gemis interpollatô, separabatur pars tertia, quod Penetrale, Adytum, intimū Sacrarium dicas; sacer Historicus *Sanctum Sanctorum, & Domum Propitiationis*, appellat, minoris dimidio amplitudinis: Soli Pontifici, & semel duntaxat in anno adeundum. Muri è marmore candidissimo educti: intus tabulis cedrinis vestiti, & hæ auro intectæ, variáque cælatura sculptæ; ipsum pavimentū auro constratum; Trabes quoque & tigna, maximam partē cedrina aureis laminis tecta; quibus subnexa laquearia, artifice non minùs sculptura elaboratæ, multo auro refulgebant. Verbo, *nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur*. 3. Reg. 6.

Tres partes Templi.

Omnia auro tecta.

Imprimis visenda duo Cherubinorum simulacra quæ stabant alis juxta Arcam Fœderis (Cherubicis & ipsam, sed longè minoribus signis, juxta præscriptum Mosis, obumbratam) ad utrumque Sacrarij latus exporrectis, proceritate decem cubitorum, è ligno oleagino, aureis laminis incrustato. Adde his Altare *Thymiamatis*, (ita appellatum, quòd in eo aromata manè, vesperíque cremarentur)è cedro, auro inducta, confectum. Adde Mensas denas *Propositionis* (nam in eis Panes Sacri, quot Sabatis proponebantur) cum totidem candelabris aureis. In ipso Templi limine prostabant duæ columnæ, quarum alteri *Sachim*, alteri *Booz* nomen, scapo in octodecim cubitos, epystilio in quinque surgente, ambitu duodenûm cubitorum, auro ad digiti crassitudinem obductæ. Postes & ipsi ære rigebant. In exteriore Templi circuitu complura loca subterranea, firmissimo opere constructa, cryptoporticus, culinæ, gazophylacia, horrea, cellæ venariæ & oleariæ, adeò capacia, ut in illa inferri possent, ac conservari omnes primitiæ & decimæ totius gentis Israëliticæ, suísque temporibus multis Sacerdotum & Levitarum millibus distribui. Super his per gyrum inædificata varia habitacula, & exedræ, in usum Ministrorum Templi.

Templi ornamenta.

In

In atrio Sacerdotum (alterum enim profanorum erat) ingens altare æneum visebatur, ad holocautomata incendenda, viginti cubitorum latitudine. Ibi amplissimum aquarum receptaculum, ex ære fabricatum, duodecim boum dorsis, ex eadem materia, fultum (*Mare aneum* Sacræ literæ vocant) Sacerdotum manibus ac pedibus abluendis; tria millia metretarum capiebat; metretæ singulæ triginta sex mensuras nostrates, seu septuaginta quatuor sextantes Romanos faciunt. Ibi varia labra & conchæ ad intestina & pedes victimarum purganda. Ibi mirabilis subterraneorum conceptaculorum amplitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi penetrabat; plumbeis ad ea fistulis quácunque per muros & templi solum, quibus omnia abluerentur, mundarentúrque, descendentibus.

Mare aneũ.

Vasa templi.

Jam quanta vasorum aureorum & argenteorum (ut nihil dicam de æneis) multitudo. Si Josepho fides, erant ex auro decem millia mensarum minorum: Totidem minora candelabra, Mensuræ, Tubæ, Thuribula, Phialæ, litatoria viginti millia. Instrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia. Canthari vinarij, & lances aureæ, octoginta millia. Phialarum aurearum centum millia. Sum̃a vasorum aureorum quadringenta, & viginti millia. Argenteorum verò mille millia, & quinquaginta millia. Villalpandus noster summam vasorum aureorum auget, asserítque, fuisse sexcenta, sexaginta millia; addítque firmandis dictis; hoc tantum auri non capiendum cubiculo decem cubitos alto, totidémque longo, & quinque lato. Unde colligas, quantus etiam fuerit Pontificiæ & Sacerdotalis vestis apparatus.

Operarum numerus.

De Operarum numero ne quis dubitet, eum distinctiùs referemus. Et Hierosolymis quidem in extruendo Templo laborabant hominum supra centum millia, sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti. Proselytorum (qui è Gentibus ad Religionem Judaicam accesserunt) in monte onera portantium septuaginta millia. Latomorum, & saxa templo parantium, octoginta millia; Præfectorum in hos, tria millia sexcenti. Summa omnium trecenta, viginti unum millia; alij parciore calculo, paullùm ultra ducenta millia extendunt numerum, nihilominus stupescendum. Vide Chronicon Reg. lib. 3. c. 5. & 2. Paralip. c. 2. His omnibus septennio alimenta à Rege præbita, singulísque operarijs finitô templô, decem sicli (singuli sedecim sestertios valent) donati. Jam quanta eorum copia, quæ in ministerium *Domûs Domini* delecta & distributa. Sacerdotes pænè innumeri; Levitarum viginti quatuor millia; Præpositorum & Judicum sex millia; quatuor millia Janitorum, totidémque organis canentium.

Ministrorum templi multitudo.

Neque

Neque minus admirationis habent sumptus in hoc ædificiū collati; David enim filio pro impensis Domûs Domini reliquit auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum (quæ tantumdem conficiunt) lib. 1. Paral. c. 2. Ea sum̄a juxta computationē Cornelij in eundem locum, facit bis mille quadringentos milliones aureorum Gallicorū; ratione monetæ Italicæ, ter mille ducentos octoginta duos milliones, insuper centum triginta quatuor millia, & viginti quatuor scutatorū aureorum. Pineda ad tria millia millionum auri ex Hispanicis *Ducatis*, propè accessisse autumat. Salianus, de amore DEI lib. 8. c. 7. bis mille, septingentos, quadraginta quinque milliones, unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos num̄os Gallicos confecisse existimat; asserítque, hanc auri vim non latum iri decē millibus curruum, nongentis & octoginta, quamvis singuli currus ducenta & quinquaginta millia aureorū ferrent. Tantas opes collegit David partim ex vectigalibus, partim ex navigatione Orphiritica, partim ex hostium spolijs & tributo, partim ex annuo Israëlis censu, quô quisq; pendebat quotannis templo dimidium siclum juxta legem Exodi. 30. quam capitationem mittebant Iudæi per totum orbem dispersi; ut adeò Davidis & Salomonis reditus annui superârint tributa & opes Romanorū, Chaldæorum, Persarum, omniúmque regum & monarcharum. Accessit Davidis munificentiæ, liberalitas populi, qui, computante Saliano, puri puti auri septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos sexaginta sex aureos num̄os Francicos in collectâ repræsentavit. Pineda (in Salomone Prævio) cum divinis libris, 1. Paral. c. 29. calculū movens, tantum, inquit, populus ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ monetæ efficiat mille ducentos, & octo milliones, centum & nonaginta sex millia *ducatorum* Hispanicorum. Insuper, quod sacri codices loc. cit. apponunt, *apud quemcunque inventi sunt lapides ppretiosi, dederunt in thesauros Domûs Domini per manum Jabiel Gersonitis.* An non hoc fuerit satis caussarum, quæ Reginam Saba in stuporem darent?

Sumptus in structuram facti.

Atque hunc in modum exstructo Templo, cùm præcipuum adhuc ornamentum deesset, Oraculum divinum; incredibili cum pompa est in Basilicam, & penitiorem adytum illatum. Ibi tum repentè nebula, DEI præsentiam testata, non sine lucida caligine locum implevit, sacrúmque cum voluptate horrorē per Sacerdotum & Levitarum, (populus extra ea septa stabat) Regis comprimis, oculos atque animos diffudit. Salomon tenerrimo gaudio delibutus, cùm post solennes precationes ac gratiarū actiones, suos ad perseverantiam in timore & cultu veri Numinis

Dedicatio Templi.

cohortatus fuisset, hostias ad Aram admoveri jussit. Et ecce, iteratum benevolentiæ divinæ argumentum! denuo nebula cum igne de cœlo delapsa, religiosum omnibus terrorem incussit, flamma victimas depascente, & litationem approbante. Septiduum tenuit Dedicationis solennitas, quo temporis spatio, in sacrificium mactata boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia. Quibus diebus festis inter Sacra & Epulas exactis, populus ingenti cum lætitia dimissus est, actis priùs regi gratijs pro bene curata republica, & pro tantis operibus absolutis, precatus, ut præpotens DEVS tanto sibi Capite diu incolumi frui concederet. Exinde Rex per quietē iterum à DEO admonetur, gratū sibi fuisse Sacrificiū, vota exaudita, servaturum se Templum suū, sempérq; inhabitaturum propitiè, donec & ipse, & ipsius posteri, cū subiecto populo justitiā colerent, & à paternis præceptis non discederent. evehendum eum ad sumum felicitatis fastigium, ipsiúsque progeniem per continuatas successiones regnaturā. Quod si proditô, & oblivioni traditô pietatis studiô, ad externarū religionum se ritus transferret, radicitus stirpē excidendam, Templúmq;, quod tum recens exstructū esset cum Urbe, à barbaris diripiendū, incendendum, diruendū. Tristes minę tristiorē sortitę sunt eventum. Templum post quadringentos viginti quatuor annos, tempore Sedecię regis, à Chaldæis incensum in cineres desedit, porticus unica, quæ *Salomonis*, posteris quoq; seculis, vocabatur, instaurata remansit, de qua Apostoli admirabundi ad Christum: *Magister aspice, quales lapides, & quales structuræ?* Marc. 13. E cineribus diu pôst surrexit alterum (quod à Scriptoribus *Secundum* appellatur) permissu Cyri, regis Persarum, post captivitatē Babylonicam, Duce *Zorobabele*, ædificatum, altitudine tamen non ultra sexaginta cubitos excrescente, caventibus id regijs Præfectis, ne moles sublimiùs educta, sub religionis specie, rebellionis fieret propugnaculum. Quod ipsum templum, multo pôst tempore, nempe Anno Mundi 4035. Ante Christùm. 18. Herodes spatijs dilatavit, porticibus novis exornavit, minimè tamen novum (quod Iosephus vult) excitavit, reclamante Aggæo cap. 2. qui ex Oraculo Divino prædixit, *novissimam hanc domum* (Zorobabelis) gloriosiorem fore priore; eiúsque præsentiā cohonestandum, qui *veniet Desideratus cunctis gentibus.*

Dei promissa & minæ.

DOCTRINA.

Virtutes Davidis & Salomonis in exstruendo templo.

Magnificentia virtus est verè regia, non privatorum hominum; quæ in magnis operibus ad DEI gloriam struendis se prodit; uti in Davide & Salomone eluxit, à quorum munificentia, fœcunda felicitatis parente, haudquaquam se vinci

vinci passa est Divina Liberalitas. Equidem ad tantas molitiones animo erat opus magno & excelso. David certè veritus, ne filius vel sola cogitatione tanti moliminis consternaretur, animos ei additurus, *viriliter*, inquit, *age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paveas, Dominus enim DEVS meus tecum erit.* lib. 1. paral. c. 28. Egregia mentis celsitudo fuit ista, nullis rerum difficultatibus labefactanda, quia DEI præsidio, tanquam inconcusso fundamento, innixa. Ad hanc magnanimitatem accessit eximia modestia, quam memorat Sacra historia lib. 1. Paral. c. 22. *Ecce in paupertate mea*, ait David, *praeparavi impensas domûs Domini, auri talenta centum millia* &c. Quænam hæc paupertas in tantis opibus? Utique maxima, si ad Numinis dignitatem & majestatem conferretur. Et quid ni tenuitatem suam profiteretur David, qui meminerat, fortunas suas omnes, munus esse DEI. quod contestatur lib. cit. c. 29. *Quis*, inquit, *ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia, & quæ de manu tua accipimus, dedimus tibi.* Quibus in verbis insignis quoque animi grati laus apparet. Finis præterea immensorum sumptuum fuit longè pulcherrimus: Gloria DEI. Id quod idem rex confitetur eod. cap. *Tua est, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria, & tibi laus &c. nunc igitur confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.* Regis exemplum secuti sunt Principes, populúsq; lib. 1. Paral. c. 29. *Lætatúsque est populus, cùm vota (donaria) sponte promitterent, quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David Rex lætatus est gaudio magno.* Nimirum, *hilarem datorem diligit DEVS*, 2. Corinth. 9. Maxima regum exemplis inest efficacia. Davidis liberalitas liberalem populi manum, pietas pietatem provocavit. Ad religionis, morúmque Principis imitationem, animi Subditorum aguntur, instar umbræ, cum corpore se moventis: aut *primi* illius, quod vocant, *Mobilis* reliquos secum cœli orbes rapientis.

Et ecce reciprocam DEI munificentiam. Tempore Salomonis *erat tanta abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum.* 3. Reg. 10. Incredibiles regis non admodùm latè dominantis opes. Palæstina quippe, seu *Terra Sancta*, longitudine ultra sexaginta septē leucas (horario spatio metiendas) non excurrit; latitudine verò, quà vel maximè diffunditur, leucarum octodecim amplitudinem obtinet, & paullò ampliùs, si transamnanam quoque Iordanis regionem complectatur. In his angustijs quanta seges gloriæ, divitiarum, felicitatum, DEO suorum pietatem remunerante. Videlicet, quod Apostolus. 2. ad Tit. 4. testatur: *Pietas ad omnia utilis est.* Hæc Constantinos, Theodosios, Carolos & Henricos, verè magnos, felices, gloriosos reddidit. Florent regna, florente religione; pereunt, hac pereunte. De quæstuosa in Superos pietate memorabile est, quod Gentiles quoque in superstitione sua observarunt,

Pietatis fructus.

observârunt, de Alexandro M. quem scribunt, inter sacrificandū utraque manu thura ad evaporandū assumpsisse, ideóque à Leonida (qui mores adolescentis formabat) reprehensum, dicente, copiosiùs tunc adolenda thura, cùm aliquando terris imperaturus esset, aromata ferentibus. Ei verò, devictâ Sabæâ regione, magnam thuris & myrrhæ copiam ab Alexandro submissam, monitúmque, ut cum Dijs parcus esse desinat.

Quod pietas ædificat, ingratitudo destruit.

Dolendum, mirandúmque ultra modum, tantā ædificij majestatem, corruptione morum corruptā, pessum ijsse. Nobilissimā fabricā non tam manus Chaldæa, quàm Salomonis, populíque scelera in cineres dederunt. Id DEVS expresse interminans, 3. Reg. 9. *Si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate: & feceris omnia, quæ præcepi tibi &c. ponam thronum regni tui super Israël in sempiternum &c. Si autem aversione aversi fueritis vos & filij vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & ceremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraveritis eos: auferam Israël de superficie terræ, quam dedi eis: & templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo, erítque Israël in proverbiū, & in fabulam cunctis populis.* Ubi vides pactum conservationis divinæ, cum pietatis perseverantia conjunctum; neque enim in civilibus tantùm, sed divinis quoque conventionibus locum habet illud: DO, UT DES. Faustitatem DEUS cultoribus suis promittit, certis tamen limitibus comprehensam: si constantes, si perseverantes fuerint. Equidem in his quoque suæ quemque fortunæ fabrum dixeris: bonæ, si bonum se præstiterit: malæ, si malum. DEVS neminem deserit, nisi desertus antè. *Perditio tua Israël*, DEVS per Oseam loquitur cap. 13. *tantummodò in me auxilium tuum.* id est, tuô vitiô ruis in exitium; ego verò semper bonorum caussa tibi fui, non autem malorum.

Quod Iudæis contigit, quos DEUS ob sua scelera Templo, patriáque exuit, id posteris temporibus, etiam Christianis obvénit, quibus ob paria flagitia possessione Terræ Sanctæ ejectis, barbari ea loca occupârunt, in quibus Servator noster natus, educatúsque fuit; quæque pedibus suis perambulavit, sanguine rigavit, morte sacravit. Plenæ sunt omnes historiæ exemplis, DEI, Principum juxta populíque peccata vel translatione, vel exstirpatione regnorum, plectentis. Siracidis effatum est, Eccles. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & varios dolos.* Præcipuè cùm Religio laborat, & Reges, Subditíque à veri Numinis cultu descíscunt.

Vide Thomam Bozium de signis Ecclesię l. 5. c. 11. & lib. 24. c. 3.

NARRATIO

NARRATIO LXXIV.

SALOMONIS DEDECORA.

3. Reg. 11.

Ab Anno Mundi 3048. ad ann. 3059. quò decessit.
Ab anno Ch. 1005. ad 994.



O Prodigiosa antithesis! Salomoni quid dissimilius Salomone? è mortalium sapientissimo dementissimum effecerunt Vitia. Quid illustrius priore gloria; quid ignominiosius posteriore dedecore? corrupit sapientiam stultitia, innocentem adolescentiam nequissima senectus, religiosam juventutem propudiosa canities. Initium ruinæ eius, superbia. Potentiæ namque magnitudine, prudentiæ miraculo, cunctorum veneratione præcipitatus in arrogantiam: ab hac, *omnis nequitiæ radice*, gradum fecit ad nimium sui amorem & admirationem. Nam quorsum illa quinquaginta septem millium & sexcentorũ equorum copia; quorsum tanta magnificentia in mensa, & familia regia; nisi ad inanem ostentationem & plausum? Amorẽ sui comitata est animi mollities, omnis generis delicijs & oblectamentis fracti. Ingens conviviorũ & vini luxus, ut de se ipso usurpare non erubuerit verba illa, Ecclesiastæ cap. 2. *Vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis.* Et dum gloriatur ibidẽ, se plantâsse vineas, non omittit meminisse *scyphorũ, & urceorum in ministerio ad vina fundenda*; nec veretur confiteri, *se omnia, quæ desideraverunt oculi, non negâsse eis: nec prohibuisse cor suum, quin omni voluptate frueretur.* Et quem alium, nisi se ipsum perstringit, quando principum manè commessantium meminit eodem libro, cap. 10. Quid aliud voluit instructio Betsabeæ, matronæ prudentissimæ, quando filium etiamnum puerum sollicitè hortata est, ne quando temulentiæ & improbæ mulierum consuetudini se dederet, quippe quem sciebat, in utrumque vitium admodum proclivem esse. Verba parentis amantissimè monentis ipsemet memorat Proverb. 31. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & divitias tuas ad delendos reges,* (libido enim

Mollities animi in Salomone.

regum

regum opes exhaurit) *Noli regibus, ô Lamuel* (ô DEI electe) *noli regibus* (tibi inquam) *dare vinum*: (immodicum) *quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas*. quid dicam secretum? nulla fides, nullus pudor, nulla sapientia, cujus te studiosissimum volo. Præsaga malorum insequentium fuit genitrix. Nam Salomon ex his initijs ad voluptatum ac deliciarum quarumvis indulgentiã, & experimenta prolapsus, in absurdissima mala cadere cœpit. Paulatim igitur pietatis studia refrigescere, rerum divinarũ oblivio induci; pro sacris cantibus; profanis cantorũ & cantatricum vocibus regia personare. Ab his illecebris pronum fuit, insanis feminarum amoribus irretiri; cùm enim, quantùm junior sapientiã, tantùm senex mulieres, & ampliùs adamaret, novas identidẽ sibi nuptias, ex omni puellarum Orientis numero suscitabat. In his non erant Israëlitides modò; sed, (quod fieri lex vetabat) filia regis Ægyptij; virgines Moabitides, Am̃onitides, Idumææ cum Sidonijs & Hethæis, quas Salomon tantò flagrantiore, quantò minùs concesso furore deperibat. Flagitiosum, pæne dictu, cogitatúque, nedũ factu! mille feminarum thalamis unicã impletam esse regiam. In quarũ omnium amores non tantùm, sed omnia vota æstuans, indulsit petentibus suorũ cuique gentilitiorum Deûm ac Dearum (*Astarthes* Sidoniorum, *Chami* Moabitarum, *Molochi* Am̃onitarum, & aliorũ gentium aliarum idolorum) aras, simulacra, cultum. Et qui soli Vero, Sanctissimóque Numini Templum antehac augustissimum ac toto terrarum orbe celebratum erexerat; idẽ postea singulis pænè peregrinis uxoribus suis, singula Dæmonum fana delubráque constituit. Idẽ simulacris eorum supplex, thus adolevit, victimas cecidit, vota precésque nuncupavit.

Amor insanus erga feminas.

Quàm blandus autẽ mulieribus, tã asper populo fuit Israëlitico: quẽ exactionibus, Tyranno quàm Regi, propioribus exsuxit. Prodigus idẽ & Avarus, aurum & argentũ unde unde corrasit, ut haberet, quod in Veneres suas effunderet; quid enim non exigebant tot mulierũ delicatissimarum quotidianę mensę, convivia, ludi, donaria, mundus muliebris, aurum, gem̃æ, res omnis vestiaria; quantum divitiarum una talis femina vel aure solet unicâ gestare; quoties inde bina vel tria patrimonia pendent! Quòd si *Reginis* (id est, uxoribus primarijs & regiâ prosapiâ oriundis) septingentis, pro comitatu singulis addamus pedissequas seu ancillas ornatrices, sex: trecentis verò *Concubinis*, ut Scriptura S. loquitur, (id est, uxoribus secundarijs, quæ non erant dominę, seu matres familias, sed quasi proletariæ, & propagandæ tantùm sobolis causâ quæsitæ) non nisi tres famulas concedamus; erunt universim feminarum quadringentæ, supra quinque millia. Hem, quantus

Avaritia Salomonis.

quantus sequioris sexûs exercitus, quantas exhauriens impensas! Et quia libido hiantes requirit loculos; per fas & nefas ab effeminato rege coactum est, quod in tot lasciviam thalamorum ex-
„ penderetur. Veteris dictum est Philosophi: Cui nihil satis est,
„ eidem etiam nihil turpe est; de Salomone vice-versa: Cui ni-
„ hil turpe erat, nihil etiam satis erat. qui eò denique redactus est inopiæ, ut qui annuis reditibus sex auri milliones ex oleo, vino, frumento habuit, præter tot insuper vectigalia, indictiones, tributa, collectas, dona; laborante tamen ærario, Subditos acerba contributionum vexatione flagellârit.

Hinc (ô incredibile præcipitium!) in magiam devolutus, præstigijs deditus ac orcinis artibus, cæpit curiosa & inconcessa scrutari, & in conjugum suarum fascinationes, incantationes, veneficia studiosiùs indagare; illæ regem amoribus ac philtris potionatum, aliæ alijs præripere, & suis amplexibus illigare, magicis auxilijs laborabant. Ita post amissam sapientiam, innocentiam, pietatem, rectum de DEO sensum, & magnam partem dilapidatas opes, etiam famam, gloriam, potentiam perdidit: & *amabilis* ille quondam Domino, factus est DEO, & hominibus *execrabilis*: malis autem genijs familiaris & amicus. *Magia Salomonis.*

Neque sic tamen præcipitato, defuit adjutrix DEI manus, si ad meliora invitanti, audiens esse voluisset. Semel, iterúmque familiari Numinis affatu monitus, pœnísq; imminentis adversionis propositis, cùm ad saniorem mentem necquicquam revocaretur, & tam hortatus, quàm minas cælestes haberet insuper, deniq; ablegatur ad eum *Abias* Propheta, qui cum severa ingratæ mentis exprobratione, denuntiat impendentem tot sceleribus vindictam, tot annis, tam densa flagitiorum fæditate provocatam; commeruisse quidē impietate sua, ut, qui à DEO, à quo regnum acceperat, tā nefariè descivisset, ipse quoq; à subjectis populis, fastigiô regiô deijceretur; id ne fieret, obstare promissa Numinis, Davidi facta; pœnas tamen Roboamū filium, mali milvi malum pullū, daturum, & quà sua, quà parentis scelera, decē tribuum defectione luiturum. Tam triste vaticinium, etsi vehementi Salomonē mærore afflixit, nihilo tamen effectus inde melior, libidinibus & varijs Gentium idolis operari perseveravit. DEUS, ut depravati contumaciā animi asperioribus remedijs vel sanaret, vel castigaret, infestis eum hostibus exagitandū objecit. Primus in eum insurrexit *Adádus* Rex Idumeę, Davidis tributarius; hic contemptâ Salomonis delicijs enervati imbelliâ, jugum excussit, regnúmq; suum liberi Juris fecit. Post hunc arma corripuit *Razon*, Syrus, qui regnū Damasci prçcariū à Davide obtinuerat; quod ut propriū sibi vindicaret, Israëlitarū ditionē crebris incursionibus vexabat, omniáq; rapinis & cædibus miscebat *Salomonem Abias Propheta frustra dehortatur à sceleribus.* *Bella mota Salomoni.*

miſcebat. Externis bellis inteſtina ſeditio acceſſit, quam *Ieroboamus*, vir è tribu Ephraimitica, conflavit. Is, cùm annos jam aliquot, ſuam regi induſtriam, ſolertiámque in præfectura fabrorū multùm probâſſet, ad quæſturæ munus evectus, duarū tribuum, *Ephraimiticæ*, & *Manaſſeæ* tributis colligendis præpoſitus eſt. Fortè quæſtorij officij rationes ſic ferebant, ut extra urbē Hieroſolymā, non ſine forenſi comitatu progreſſus, regio fiſco navaret operam. Cùm obviàm fit Ahias, vates Silunte oppido oriundus; hic amicè ſalutatum Ieroboamū, ſeducit nonnihil à via, ſciſsóque in duodecim fruſta pallio, quô indutus erat novo, jubet Ieroboamū denas inde partes ſumere, DEO ſic jubente; nam illa ſciſſione portendi ruptionem imperij Salomonici, cujus ſucceſſuro filio geminæ duntaxat Tribus eſſent pariturae, reliquæ decem ipſum pro rege agnituræ; quando verò hujus pœnæ, ſtirpi Davidicæ irrogatæ, cauſſa non eſſet alia, quàm Salomonis impietas; ſanctiùs ipſe coleret jura regni, à Numine delati, territúſque exemplo, meminiſſet reverentiùs habere Leges divinas; Davidis potiùs inſiſteret veſtigijs, & illius in ſe virtutes, cum corona transferret, ſi eam perpetuam ſibi vellet & ſtabilem. Cæterùm abſtineret tamdiu regis titulo, quamdiu vita ſupereſſet Salomoni: id enim Davidis meritis à DEO tributū, nequid de ſucceſſoris filij imperio diminueretur. Quantùm lætitiæ attulit Ieroboamo ea Prophetæ vaticinatio, tantùm doloris & indignationis commovit in Salomone, quare multiplici affectus triſtitia, luctu, ægritudine, omnē prioris vitæ dulcedinem in nauſeam eſſe verſam ſenſit. Potiſſimùm afflixit Ahiæ fatidica ſciſſura pallij; quare tam Vatem, quàm Vatis auditorē perſecutus, utrumque compulit, arreptâ in Ægyptum fugâ ſibi conſulere, & tantiſper apud *Seſacum* Regem in tuto latere, donec fata Salomoni vitā, Roboamo eius filio potiſſimas regni vires ademerunt. Salomon itaque delicijs jam acerbis mortuus ingloriè, olim Palæſtinæ gloria, pòſt orbis fabula, an pœnitentiâ tot eluerit labes, incertum; ſunt, qui flammis infelicem addicunt ſempiternis; ſunt, qui ſcelerum pœnitentem, piorum in ſedes evectum autumant; ſunt denique, qui neutram vergentes in partem, ſibi non *liquere* aiunt. Nos cum ijs ſentimus, qui Salomonem, pœnitudine commiſſorū expiatum, cælo donant; interim eius nobis periculo timentes, qui ſub extremum navigationis feliciſſimæ curſum, ad blandos Sirenùm ſcopulos impactus, adeò luctuoſum naufragium fecit; poſtquā anno ætatis decimo nono clavum imperij aſſumpſit, quadraginta annis tenuit, anno demū ſexageſimo cum vita reliquit, ad ſecularem, ut graves viri ſcribunt, ætatē perventurus, ſi veſanæ libidini moderari voluiſſet. Nam voluptas enervat corpus, & corpus animum;

Ieroboamus Rex deſtinatur ab Abia.

Salomonis incerta ſalus.

DOCTRINA.

DOCTRINA.

Nemo repentè fit malus. Salomon paullatim nimijs regni curis distractus, à pietatis studijs remisit, DEI familiaritatem negotijs posthabuit, sensímque ad voluptates deflexit. Potissimæ tamen caussæ ejus lapsûs prosperitas, opulentia, deliciæ, libidines, uxorum furiosus amor, juxta illud Siracidis, Eccli. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et clarè historia Regum lib. 3. c. 11. *Averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam esset senex,* (Saliani calculô, annum ætatis agebat quadragesimum nonum, mollitie ac delicijs senectutem accelerantibus) *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Ad eam depravationem una præcessit amatarum, & idolo suo fanum impetravit; mox secutæ reliquæ, execrandis delubris vicinos Solymæ montes, præsertim Oliveti, impleverunt. Anno regni tertio duxit Pharaonis, Ægyptij regis filiam, ut potentem sibi socerum conciliaret, (quod hodiéque cum religionis injuriâ fieri amat) eam quia flagrantissimè adamabat (ira furor brevis; amor longus est) videtur ruinæ suæ caussam principem habuisse; quippe quæ (ex opinione nostri P. Gasparis Sanctij in cap. xi. lib. 3. Reg.) initiò larvam religionis Iudaicæ assumpserat; advertens autē, ad regis thalamum sine discrimine peregrinas feminas advocari; ipsa quoque patriam superstitionē palàm non modò professa est, sed uxorium quoque virum in eandem induxit, eísque nefandas aras persuasit.

Salomonis vesana libido.

Salomon idololatra.

Quæ gravissimè Salomoni exprobrans Siracides Eccl. 47. *Inclinâsti*, inquit, *femora tua mulieribus*, (libidini & voluntati mulierum te prostituisti) *potestatem habuisti in corpore tuo.* Instar mancipij te corporis tui, & feminarū cupiditatibus subjecisti, & ad illarum imperium, non pudorē solùm, & religionem, sed etiam mentē penitus abjecisti. Hoc enim potest amor impurus, viriles ut animos dementet, deijciat, sternat. Sic Hercules paruit Omphálæ, amicæ suæ, eiúsque flagella & minas, monstrorū domitor extimuit, de quo Deianira apud Ovid.

Mœonias inter calathum tenuisse puellas
Diceris, & dominæ pertimuisse minas.

„ Vah probrum! vah tyrannidē! Quàm verum est illud: amare „ & sapere, negatū est etiā sapienti. imò sapientissimo Salomoni. Pergit Siracides. *Dedisti maculam in gloria tua,*) deturpâsti & infamâsti tantam tuam gloriā fæda & indelebili macula ignominiosæ libidinis, & consequenter idololatriæ) *Et profanâsti semen tuum* cùm illud comiscuisti cum mulieribus impijs; *deinde*, quia filios ex eis procreatos, malè educari permisisti; *tertiò*, quia idolomaniam in posteris per multa secula, ad usque Iosiæ tempora propagâsti;

quartò, quia filios tuos idolo *Moloch* immolâsti & concremâsti (id quod Pineda, Salianus, & Cornelius censent) pro conjectura est, quòd ex mille Salomon uxoribus non nisi duas filias, & unicum genuisse filium legatur; videatúrque ceteros malè natos perdidisse insana patris religio, & Molochius ignis.

Libidinis pœna, proles improba

Aut certè tanta libidinis vesania, haud digna fuit, quæ fructum ex matrimonio tam portentoso referret. Nam ille idem, quem unicum sustulit filium, *Roboamus*, à Sacro Codice *stultus* appellatur; qui mœror inter alios, meritò patrem infelicem afflictavit, de se, Ecclesiastæ. 2. cap. dicentem: *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit; & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui; & est quidquam tam vanum?* Rectissimè verò. tanta patris dementia quem alium fœtum, quàm stultitiæ, progigneret?

Triplex Salomonis fatuitas.

Porrò triplex in Salomone fatuitas fuit. *Prima* naturalis, à delicijs & voluptatibus contracta. Quid enim Salomon Templo & regiâ finitis, aliud habuit agere, nisi *esse, bibere, vacare voluptati*? *Altera* fatuitas, naturâ superior, pœna fuit deserti Numinis, lib. 3. Reg. c. 11. *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quòd aversa esset mens eius à Domino DEO Israël, qui apparuerat ei secundò, & praceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, & non custodivit, qua mandavit ei Dominus.* Ubi notatur ingrati & protervi animi crimen. Cùm enim Salomon tam projectè à DEO recessisset, DEUS etiam, quod suum erat, repetijt, & donum sapientiæ libralissimè concessum, justissimè ablatū revocavit, ut Rex amens & fatuus suâmet pessum daretur ingeniosâ insaniâ. Hinc cæpit stultescere, & quasi semisomnis, bardus, ac stolidus stupescere miserabili ignoratione veri, mentísque inscitiâ. *Tertia* fatuitas diabolum habuit adjutorem, qui cōmodissima nactus instrumenta subruendi Salomonis, quot uxores, gentilitia superstitione imbutas, tot ei decipulas comparavit, quarum philtris miser dementatus: nec sui, nec DEI memor, libidinum mancipium evasit.

Caussæ morborum Salomonis.

Morborum quoque tres in Salomone caussæ. *Prima*, Mœror animi & tristitia; *Spiritus enim tristis exiccat ossa*, Prov. 17. Vidit enim, Ultore DEO, in quod profundum devenerit. *Secunda*, Libidinis intemperantia, quæ vitæ annos sano & vegeto, medicamentorúmque apprimè perito præscidit. *Tertia*, vindicta divina, quæ laneis incedit pedibus, & plerumque serò venit, sed tarditatem, supplicij gravitate compensat.

Cur videatur Salomon æternum perditus.

Jam de Salomonis salute aliquid in medium adferamus. Qui eam conclamatam putant (ut Tertullianus Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, Beda, Lyranus, Abulensis, Bellarminus, Pererius

Pererius &c.) has ferè rationes adducunt. Quòd flenda eius legantur, non fletus; quòd idololatriam primus admiserit Hierosolymis, regnúmque totum infecerit: idola non tantùm non sustulerit, sed impias gentium superstitiones confirmârit ac propagârit. quòd amplissimas DEI promissiones & gravissimas cõminationes impiè contempserit, séque, posterósque contumaci ausu præcipitârit. quòd cum sapientia, DEVS omnem pariter gratiam ei ademisse videatur. quòd amplissimis in hac vita faustitatibus cumulatus, censeatur *recepisse bona in vita sua*; scelera luiturus in futura. quòd amor ardens feminarum, longa consuetudine roboratus, adeò eum occupârit, ut, etiamsi vellet, pœnitere non posset.

Ex adverso salutē eius in tuto repositam arbitrantur S. Hieronymus, S. Greg. Thaumat. S. Ambrosius, S. Thomas Aquinas, Rupertus, Pineda, Salianus, Barradius, Serarius, Sanchez, Delrio, Drexelius, aliiq;, qui asserunt, eum, post lapsum, scripsisse Ecclesiasten, in quo quasi pœnitens admissorum criminũ, exclamavit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sed de hoc non satis constat. probant autē sententiam suam, primò. quòd DEUS 2. Reg. 7. promiserit Davidi, se Salomonem, si peccaret, correpturum *Virga virorum*, quâ scilicet homines castigari solēt. 2. quia Prov. 24. v. 23. Septuaginta addunt: *Novissimè ego quoque egi pœnitentiam, respexiq;, ut eligerem disciplinam.* 3. urgent illud DEI de Salomone promissum 2. Reg. 7. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amovi à facie mea.* Præsertim quia Christi typus & figura extitit. 4. Acerrimi conscientiæ stimuli monebant identidē & fodicabant. Quassatus Reip. status, & adversariorũ molimina in oculis erant. Diversa commovebat mutatio, gloriæ in ignominiam, sapientię in dementiam, opulentiæ in penuriam. Urgebant morbi corporis, nuntij mortis, imminens DEI judicium, & formidabile tribunal. Monere non desinebant Sacerdotes & Prophetæ, præsertim Ahias & Sadoc, qui eum in regē unxerat. Proinde, quod verosimillimũ, omnes Regni ordines cõvocavit, & publicas offensiones ac noxas, publica detestatione damnavit: vitã inter voluptates malè cõsumptam deploravit, ostendítq;, quanta rerum omniũ esset vanitas, quàm fallax quæreretur felicitas in opibus, palatiis, hortis, copiosis familijs, delicijs exquisitissimis. Neque verò artibus, scientijs, sapientię, dignitatibus, famæ & gloriæ quidquam fidendũ: Hæc enim omnia, si desit timor DEI, esse vanissima. Itaque se idololatriæ omni, & malæ voluptati renuntiare, & unam DEI misericordiam implorare: & proinde qui se iuvissent delinquentem, iuvent etiã dolentem & ingemiscentē. Epilogus concionis erat, quod ipse memorat Eccles. 12. *DEVM time, & mãdata eius observa:*

Cur videatur Salomõ salvatus.

hoc est

hoc est enim omnis homo. (in hoc sita est felicitas hominis) *Et cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit.*

Timor ex ruina Salomonis.

Denique Salomonis inconstantia quem cautum non faciat, impellátque ad assiduas impetrandæ perseverantiæ preces? Tot sapientes, tot sanctos viros cernimus in perniciem extremam lapsos; hinc nemini non metuenda fovea, quæ tot magna sorbuit non cadavera, sed animorum funera. Origenes & Tertullianus (ut alios taceam) ô Superi, quales, in quale abierunt præcipitium! Salomon præclarè orsus, flagitiosissimè finivit. Quis igitur cum Davide non oret: *Ne projicias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* psal. 70.

NARRATIO LXXV.

ROBOAMUS STULTUS SALOMONIS FILIUS. 3. Reg. 12. & 14.

Annis Mundi 3060. 3063. 3064. 3076.

Ante Chr. 993. 990. 989. 977.



Efuncto Salomoni successit in Principatu *Roboamus*, anno ætatis quadragesimo (quem unum masculum è tanta feminarũ colluvione susceperat) multorum genitoris scelerũ heres, *gentis stultitia*, cujus argumentum luculentum ipso statim regni exordio dedit. Nam cùm *Ieroboamus*, de quo suprà mentio facta, ab exilio à proceribus revocatus, nomine populi, in Comitijs *Sichemi* congregati (ubi Roboamo regnum cõmunibus erat suffragijs stabiliendum) suppliciter peteret, onus tributorum, quô Salomon nimiùm quantùm subditos presserat, relevari; plurimùm enim impensarum & operæ, cùm in Templo & regia domo ædificanda, tum in instauratione multarum civitatum, & varijs uxorum fanis exstruendis exhaustum esse; evacuari æraria Principũ, cùm subjecti enervantur; daret hoc suorũ fidei amoríque, & contracta imodica sumptuum profusione, non modò regem sese, sed patrem quoque meminisset. paratiores habiturũ in omnia jussa popularium animos, si intelligerent, Principẽ non minùs populi cõmoda, quàm suũ fastigiũ spectare. Rex auditis populi postulatis,

Consilia Seniorum Roboamo data.

geminam

geminam laudem, humanitatis & prudentiæ, in eam diem tulit; triduô namque ad deliberandum sumptô, réque sapienter ad seniorum (quos ætas & experientia Salomoni quoque parenti commendârat) consilium delatâ, eorum sententiam exquirit. Qui cùm suaderent, ut regni auspicia à clementia peteret: esse populum ad obsequia ducendum, non trahendum; haud ullum majus regnorum præsidium, quàm subjectorum benevolentiam & studium, sine quibus nulla potentia diu stare possit; violenta imperia neminem continere diu, moderata durare; regium dominatum liberæ voluntatis inventum esse, non timoris aut violentiæ partum: indignum se regno præstare, qui ut regnet, vi utatur: infirmum coronarum custodem, metum: nihil cogi minùs posse, quàm fidem & amorem: facilè subire odium & perfidiam, ubi semper metuuntur graviora; & Salomonis parentis dictum fuisse: eum, *qui vehementer emungit, elicere sanguinem*. Prov. 30. quem quisque oderit, etiam perditum cupere. Remitteret igitur aliquid de rigore, & posito tantisper fastu regio, ad captandam multitudinis gratiam se accommodaret.

Sententia haud dubiè tam necessaria præsenti rerum statui, quàm in futurum utilis, si locum apud arrogantem animum reperisset. Aspernatus igitur saniora suadentes, convocat in senatum juvenes, ut ætate, sic stolidâ ferociâ æquales; & expositô seniorum consiliô, quid ipsis videatur, proferre jubet. Illi, partim ut spiritus elatos magis inflarent, partim ut assentandò, Principis sibi gratiam conciliarent, asserunt, indecoram esse majestati lenitatem, & metu defectionis ad populi arbitrium inflecti; nunquam sine periculo firmum stare capitis decus, si, qui timere debeant, timeantur. Multa vi & metu extorqueri, quæ mititate non queant; sæpe vi frangi, qui jure nequeat flecti. primam artem regnandi esse, odia contemnere, libertatis affectationem, & novi jugi impatientiam, imperijs frenandam; eadem fronte gestandam galeam, quâ diadema fulget; ut rex cogat, quem timet: populus timeat, quem non amat. reverentiam ex metu crescere, nunquam plures fieri cœlo supplices, quàm cùm tonat & fulminat. quid filium par sit facere, Salomonem sapientissimũ exemplis docuisse. Ad potentiã Principis pertinere, ærarium opibus instructum; nec attendendũ, quomodo id augeatur, lubentibus, an invitis subditis, modò augeatur. Vecordi multitudini per exactiones & tributa detrahendum sanguinem, ut etiam volens, non possit furere. Quibus, aliísque in medium allatis, auctores fiunt Roboamo, respondendi ad populum: *Minimum ipsius digitum esse crassiorem, quàm patris lumbi fuerint*; & si ab ipso duriter habitos se putarent, duriùs

Iuvenum mala consilia.

etiam in posterum tractandos esse; si scuticis cæsi fuissent antea, nunc aculeatis scorpionum flagris conscissum iri.

Delectatus rex feroci juvenum oratione, postquam tertia die populus ad audiendum convénit, omnibus exspectatione suspensis, & benignitatem à novo regni capite sibi promittentibus, omisso meliorum consilio, è sententia imperitorum respondet, & Ahiæ vatis præsagium implet; qui Salomoni discessionem imperij, sub ænigmate pallij, quod superiùs memoravimus, decem in partes scissi, prænuntiârat. Irritatus namq; superbô responsô populus, per indignationem, uno ore exclamant: nihil sibi futurum ampliùs cum Davidis progenie: haberet ipse Templum, quod pater exstruxisset: se religioni, fortunísq; suis aliâ viâ consulturos. Sensit hîc Roboamus, quantam securim injecisset in Domũ, & Imperium suum; ideóq; recenti vulneri medicinã facturus, magis etiam exasperavit malum. Destinat ad placandos vulgi animos *Aduram*, seu *Adoniram*, quæstorem regium; quod erat oleum flam̃æ addere; seu potiùs unguem in ulcere figere. quippe qui ob acerbas exactiones adeò cunctis erat invisus, ut solo eius conspectu concitati in furorem, ne auditum quidem, lapidibus obruerint. Quô factô, Roboamus ratus, id quod erat, se in famulo saxis impetitum, veritúsque, ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepidè conscenso curru, quanta potuit festinatione, *Sichemô* (Urbs erat in Regni umbilico sita) Hierosolymam properans, comitijs finem non minore dedecore, quàm damno imposuit; duabus duntaxat tribubus, *Iudæ* & *Benjaminis*, eum sequentibus; reliquis decem non ab rege modò, sed à Sacris quoque patrijs, recedentibus. Imperium hi ad Ieroboamum detulerunt, virum multâ rerũ experientiâ clarum, & Ægyptio regi *Sesaco*, affinitate junctum.

Decem tribus à Roboamo desciscunt.

Disiunctis hunc in modum animis, virísque, quid nisi bellum exspectaretur? Roboamus jam serò sapiens, lustratis duarum, quas dixi, tribuum urbibus, & omni significatione lenitatis ac indulgentiæ devinciens sibi, aut devinctas retinens popularium mentes, centum octoginta millia bellatorum contraxit, ad Sichemum, ubi Ieroboamus regiam sedem constituerat, expugnandum. Stimulabat militares fortissimarum tribuum animos, vindictæ ardor, & ignominia amissi regni, certámque victoriæ spem faciebat cùm bonitas caussæ (nam contra rebelles res agenda) tùm robur ingentis exercitus. Cùm ecce, DEO visũ aliter; qui non modò collectas copias à pugnæ cupiditate avertit, sed etiam terrorem, & victoriæ desperationẽ per *Semeiam* vatem injecit, nomine supremi Numinis Roboamo denuntiantẽ, ut revocato milite, vim hostilẽ à Ieroboamo abstineret. Morẽ Rex gerit

Roboamus in Jeroboamum movens, jubetur à DEO bellum omittere.

gerit promptum, in summa rei bene gerendæ opportunitate, & re, coronatis capitibus imprimis, ardua; de imperio enim decertabatur.

Solutus belli timore, ac curâ Jeroboamus, DEO pro gratijs reddit malefacta; duos ex auro conflat vitulos, populóq; colendos proponit, quod in sequenti narratione, pluribus exponemus. Interea Roboamus multus erat in civitatibus suis instaurandis, & contra belli impetum permuniendis. Ad quē Hierosolymis degentem, ex omni Israëlitarum ditione confluxerunt Sacerdotes, ac Levitæ; & quotquot vel cura veræ religionis, vel offensio tyrannidis Ieroboami (etiam invitos ad idolorũ cultum adigentis) tangebat, se cum sedibus suis, ad avitam pietatem, referebant, auctis inde non mediocriter regni Roboamici viribus. *Augetur regnũ Roboami.*

Sed non ultra triennium tenuit ea Regis prosperitas; nam eô temporis circumactô, primùm ipse quoque Roboamus, genitoris institutô, densat sibi cubilia: ductísque primæ dignitatis uxoribus decē & octo; concubinis autē sexaginta: filios viginti gignit & octo, filias sexaginta. Simúlque has inter voluptates, desertô verô Numine, fictos ad DEOS, insanus descíscit. Nec eô contentus, Iudæos etiam, & Benjaminitas in scelus pertrahit; impiéque, quod vitæ reliquum erat, transcurrens, regni decē ac septem peractis annis, ad plures, suíque similes abit. Caussa ei defectionis à DEO, mulieres, quemadmodũ Salomoni, fuerunt, *Naama* præcipuè mater, ex Amanitis oriunda, & *Maacha*, uxorum ut charissima, ita in nefas omne pellacissima; qua annitente, luci certatim super omnes colles plantari, aræ, statuæque dedicari, & inter alia idola, etiam spurcissimo *Priapo* sacrificari; ipsâ reginâ, prô pudor! inter effeminatorum greges, sacrilegę obscænitatis sese ducem, & nefandi Sacerdotij antistitam profitente. *Roboamus à Religione descíscit, paritérque populus.*

Verùm DEUS hanc contumeliam, per *Sesacum*, Ægyptiorum Regē, (quem *Sesostrem* Herodotus nominat) ulcisci non distulit. Hic quintô Roboami annô, partim immissu Numinis; partim invitatu Ieroboami (sive ut attritis Roboami viribus, securiùs ipse regnaret, sive ut regnum Iudæ, conjunctis armis sibi subijceret) cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum, longéq; copiosiore peditatu sese Palestinæ infundit, flammis omnia & cædibus vastat; expugnatísque Judæ civitatibus munitissimis, ipsam Hierosolymam obsidione cingit. Non est ausus Roboamus hosti, signis infestis occurrere; malè quippe conscium deserti Nùminis pectus, fortitudinem omnem excusserat, neque plus firmitatis in populo fuit, DEO, perduellibus antiquum robur adimente. Igitur metus extorquet, quod pietas non poterat; animi, consiliíque inopes sese circumspicere, ad DEI, *Sesacus insurgit in Roboamum.*

à quo

à quo indigniſſimè defecerant, opē recurrere, cœlum votis precibúſque pulſare. Terrorem auxit Propheta *Semeias*, qui trepidantibus ſuperveniens, minas minis addidit: & ultima quæque teterrimis Religionis deſertoribus denuntiavit. Hîc illi magis etiam conſternari, ſéque confitentes reos, in pœnas comeritas offerre. O miràm Numinis clementiam! audiuntur ſupplicationes ingratiſſimorū mortalium; & quia in magna ſceleratiſſimæ gentis colluvie, non deerant innocentes animæ, DEUS harum ſupplicijs placatus, non paſſus eſt nocentes extrema clade involvi. Deditur urbs hoſtibus, ea tamen conditione, ut cædibus, incendijs, rapinis, DEI præſertim Templo parceretur. Verùm Seſácus pactis non ſtetit, ſed deprædatus Templū, theſauros cùm DEO ſacros, tū regios expilavit; exportatâ auri argentíque magna vi, ablatis nominatim clypeis, quos Salomon ex auro procudi curaverat; pro quibus Roboamus æneos ſubſtituit, Templum adeunti, à ſcutigeris præferendos. Ad eam jacturam ingens civium planctus extitit. felices lacrimæ, gemitúſque; ſi ex caducarum rerum detrimento, fidei ac pietatis damnum æſtimare didiciſſent. Nam vel non feriū, vel haud firmum, ſtabilémque fuiſſe pœnitentium dolorem, ex eo palàm fit, quòd Roboamus, inſtinctu matris impiæ, mox ad Sacra deteſtanda redierit, tantò majore ſacrilegio, quantò graviore Benignitatis divinæ contemptu. Deceſſit è vivis, exactâ octo & quinquaginta annorum periodô, ſceleribus ſuis mortuus. Perditionis ei cauſſæ præcipuæ, quod diximus, Naama parens, quæ pueritiā eius corrupit; & Maacha conjux, quæ juventutē depravavit; cujus amoribus etiam hoc dedit, ut *Abiam*, ex ea ſuſceptum, regno deſtinaret, reliquis filiis, tametſi natu majoribus, prætermiſsis.

Hieroſolyma à Seſaco capta, ſpoliata.

DOCTRINA.

In adagijs fertur: è ſquilla non naſcitur roſa; nec mala ex arbore boni leguntur fructus: nec turbido de fonte limpida hauritur aqua. Roboami ſtoliditas à parente Salomone cum ſanguine fluxit. De utroque Siracides, Eccli. 47. *Et finem habuit Salomon cum patribus ſuis, & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo, GENTIS STULTITIAM, & imminutum à prudentia* (inopem mentis) *Roboam, qui avertit gentem conſilio ſuo* (cauſſam populo præbuit defectionis, tam à cultu DEI, quàm regno Davidis) Ubi nota: *Dereliquit poſt ſe.* Nā haud obſcurè ſtultitia filij, patri imputatur, malis exemplis præeunti. *Primò*: Salomon mille feminarū thalamis regiam implevit; Roboamus modeſtiùs laſcivire ſe ratus, ſeptuaginta octo tori ſocias habuit, ex quibus octoginta octo liberos genuit. 2. Salomon regium ſplendorē in equis, curribus, ſtipatoribus, fabricis, familia

Qualis pater, talis filius.

Vitia Salomonis imitatus eſt Roboamus.

familia & lautitia palatina, ceterísque rebus ostendit; eam magnificentiam & pompam, an prodigalitatem, Roboamus quoq; imitari voluit. 3. Salomon suis cupiditatibus de pauperū sudore & sanguine litavit; inde facies Imperij detrita, squalor invisus & suppressi gemitus vel timore regnantis, vel spe regnaturi. Roboamus etiam crudelior parente, quod reliquum erat sanguinis, exsuxit; inde rebellio populi, & scissura regni. 4. Salomon mulierum amore depravatus, idola coluit; haud melior filius, priùs feminis, postea execrandis feminarum simulacris, se mancipavit, secúmque populum in sacrilegam impietatem traxit. Neque peccavit solùm (quod etiam aliorum fuit) sed peccatis non indoluit, quod obstinatissimæ malitiæ fuit. Id colligitur ex 2. Paral. c. 12. *Fecit malum, & non praeparavit cor suum, ut quaereret Dominum.* Quæ verba Scriptores ad æternum ejus interitum referunt. Terreant hæc parentes, filiósque; illos, ut attendant, quæ vestigia ex se natis relinquant; istos, ut cautè sequantur præcedentes.

Quanta regni pernicies sit Princeps, sapientiæ expers, Roboamus docet, cujus imbellis stultitia dissipavit, quod Davidis avi prudentia & fortitudo collegit. Salomonis dictum est. Proverb. 14. *In multitudine populi, dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia Principis.* E duodecim gentis Hebrææ tribubus, duæ in officio perstiterunt, ceteris avulsis. Equidem cùm populus multiplicatur, opes crescunt, & census regij, & potentia; cùm deficit populus, decrescunt illa pariter. Roboamus tyrannum magis, quàm regem egit; cùm supplicibus minatus, *Pater*, inquit, *meus cecidit vos flagellis, ego autem cadam vos Scorpionibus.* 3. *Reg* 12. Tributorum onera, sunt animorum vulnera; ferit odia, quisquis subditorum fortunas metit. Benignitas, clementia, affabilitas sunt voluntatum illicia. Malè imperat, qui libidinem suam ad potestatis terminos extendit. Ut feliciter regnes, primò tuos, tum tuorum affectus occupa; illuc se inclinant, ubi humaniùs tractantur. Nimius majestatis splendor plerumque ignes accendit, Bono Publico fatales; præsertim si crudelitas accedat, quæ non tollit hostes, sed facit. Et Principū violentiæ pertinaciter obsistunt, quibus nunquam non sæviora timenda. Inter alios documento sunt, (Caligula, qui, cùm in quoslibet sævitia, libidine, rapinis, extorsionibus, cædibus grassaretur, monitus ab Antonia „ avia, ut modestiùs ageret, respondit: Memento, omnia mi„ hi, & in omnes licere; oderint, dùm metuant. Infensus „ turbæ sibi adversanti, exclamavit: Utinam populus Romanus „ unam cervicē haberet! ut scilicet unico eum ictu amputaret. Cassio Chereæ tribuno, & familiari suo arridens, caussam roga„ tus, dixit: Rideo, inquit, quia caput tuum in manu mea est, ut illud ad libitum tibi tollam. quare ab eodem præventus, gladio

Stolidus Princeps, sibi, & suis perniciosus.

Crudelitas in Principe quàm detestabilis.

percussus, trucidatus est. Et Nero senatores proscribens, spolians, occidens, ab iisdem hostis patriæ judicatus, fugiens persequentiũ manus, ipse sibi ferro pectus hausit. Aliter Tiberius Cęsar, qui Æmiliũ Reetum, Ægypti præfectum, reprehendit, quòd nimijs tributis populum oneraret: *Tondeto*, ait, *pecus, non deglubito.* Alexander M. cuidã suggerenti, ut majora populo tributa imponeret: Odi, respondit, Olitorem, qui radicitus excindit olera. Sapienter Salomon in Proverb. c. 16. *In hilaritate vultûs regis, vita, & clementia ejus, quasi imber serotinus.* Serena regis facies aliàs auroræ, aliàs vernæ pluviæ comparatur; Illa noctis tenebras dispellit, solem reducit, lætitiam rebus omnibus aspergit; hæc terram recreat, & fructibus ditat. Utrumque efficit benevolentia regnantis. Audi *Senecam*, 1. *lib. de Clem.* Utrùm, *inquit*, mundi status gratior oculis, pulchriórque sit, sereno & puro die; an cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies est clementis ac moderati imperij, quàm sereni cæli atq; nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebrísq; obscurum est inter trementes, & ad repentinum sonitum expavescentes, nec eô quidem, qui omnia conturbat, inconcussô. *Et S. Hieronymus ait*: Citò indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui servire non cogit. Qui scorpionibus cędit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti Davidis dissipat.

Summa stultitia Principis, & Reip. clades, spernere Consilia seniorum.

Qui (Roboam) *dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant ei.* 3. Reg. 12. Bella consultatio, ubi cæcus cæcum ducit. Monet Siracides Eccli. 8. *Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Ferox juventus, quid aliud, quàm ferociam & comminationes spiraret? Et fatuis quænam alia, quàm periculosa & damnosa placerent? *Cicero in Catone Majore, ait*, Maximæ Respublicæ per adolescentulos labefactæ, à senibus sustentatæ, & restitutæ sunt. Cùm enim ad gubernacula Reip. temerarij atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt. Iuxta *Hesiodum*, bella sunt juvenum, opera virorũ, consilia senum. Et *Osorius lib. 7. de Regis institut.* Imprimis necesse est, ut regis consiliarij sint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculti, longo rerum usu periti, in historijs diligentissimè versati: neque præsentia tantùm sagaciter odorantes, sed longè in posterum, quod utile futurum Reip. sit, conjecturâ providentes. Crœsus Lydorum Rex nimia felicitate ebrius, Solonis senis sapientissimi monita, magnô suô malô neglexit, & juvenibus ipsius potentiæ adulantibus aures dedit. Ita luit Xerxes repudiata consilia patrui sui senis Artabani, deceptus Mardonij juvenili assentatione

sentatione. Dionysius quoque Siciliæ tyrannus à sceptro ad ferulam devolutus non fuisset, si Platonem audijsset: Et Nero, si prudentissimi Senecæ consilijs paruisset, in tot flagitia & dedecora, & deniq; extremũ exitium non incurrisset. Sapienter. *Cornel. Tacitus*: Adulatio perpetuũ malum principũ, quorum opes sæpiùs assentatio, quàm hostis evertit. Id quod Roboamo contigit.

Et quia Tullius naufragiorum Reip. suprà meminit, confirmabo id sacro paræmiographo, qui Prov. 1. dat hoc monitum regibus. *Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebi*. Quisquis artem gubernandi Remp. condiscere cupit, navarchum peritum imitetur, ut clavum teneat rectum per Justitiã; & Remp. ad pacem & prosperitatem tanquam navim ad portum dirigat. Ut optimos quærat nautas, hoc est, eos in consilium asciscat, quos probitas & prudentia commendat. Ut noverit vela ventis, consilium, modúmque regendi occasioni & tempori accommodare. Ut peritiam artis, maximè in tempestate (in tumultu populi) ostendat. Ut vectorum magis, quàm sua commoda, id est, Bonum Comũne spectet. Ut meminerit illius veteris: *Sapientià nauclerus navem torquet, non valentià*. Si diu imperare quæris, leniter impera. Non regit navim magister vi mera, sed leni manu. Qui vult amari, languida regnet manu; quæ nisi observentur, quid restat, nisi navis fluctibus & ventis quassatæ, aut scopulis allisæ, interitus? Concludat hæc omnia *Sallustius*: Omnia, *inquit*, regna, civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt. Ubicunque autem gratia, timor, voluptas ea corrupêre; pòst paullò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò servitus imposita est.

Rector Reip. imitetur rectorem navis.

NARRATIO LXXVI.

IEROBOAMUS,

PRIMUS ISRAELITARUM, (HOC EST X. TRIBUUM, à JUDÆ ET BENJAMINIS, SEGREGATARUM,) REX, PSEUDOPOLITICUS ET IDOLOLATRA. 3. Reg. 12. 13. 14.

Ab anno M. 3060. ad 3081. Ante Ch. ab anno 993. ad 972.

HActenus Israëlitarum nomine, totam Hebræorum gentem complexi sumus; nunc facta scissione regni decem Tribus, quæ *Jeroboamum* regem delegerunt, hanc sibi appellationem propriam vindicarunt; duabus reliquis tribubus, Roboamũ, ejúsque successores sequentibus, Judæ & Judæorum nuncupatione relicta.

Inter alias Salomonis labes, mens incauta fuit in alliciendis sibi familiaribus, & hominibus discernendis. Adamavit Jeroboamum, juvenem (Ephraimitam, patre *Nabathe*, viro inter suos nobili, & matre *Sarira*, longè imparis conditionis, genitum) præclaris naturæ dotibus instructum, industrium, & nunquam cessantem; cui se, cui fiscum comisit. Is continua familiaritate, arcana regis expiscatus, animi jam lapsi imbecillitatem, & socordiam deprehendit. Filium quoq; ejus Roboamum animadvertit delicijs à puero imersum, imparem regnis fore. Cœpit igitur agitare consilia regnandi, quæ Salomonis reverentiâ, pressa, postquā naturæ concessit, in successorem erupêre. Nimirū ambitio, nec populo parcit, nec principi; odisséq; beneficia incipit, cùm jam crescere non possunt. Ieroboamus quæsturæ præfectus, dum rem Principis sui strenuè auget, suam pariter fortunam non neglexit, eóq; paullatim ascendit, ut divinis etiam suffragijs (uti narravimus) dignus imperiô haberetur; felix utique futurus, si, à quo regnum acceperat, ei se cultum debere meminisset. Sed arrogantia primò hominem in impietatem, postea in ruinā impulit. Ingenium ei multiplex, tortuosum, & mirè vafrum in versandis hominū animis. Ærarium regiū sic curabat, ut crederetur id unum spectare, quomodo Principem locupletaret; rursum tributa sic exigebat, ut videretur subditorū potiùs fortunas, quàm regis, in consilio habere. Certè secessionis populi à Roboamo, caussa non minima fuisse videtur, in turbido, ut aiunt, feliciter piscaturus. Cur enim, si tam acceptus erat populo, eam gratiā non convertit in emolumētum Principis, & exulceratos animos leniore superbi responsi interpretatione non demulsit? cur in seditionis flagrantiâ callidè se subduxit, ex abdito speculaturus incendium? cur *Adura*, quæstori regio, jam mitiora ferenti, audientiam non fecit; nisi quia per alterius casum, ipse sibi gradus ad solium sternebat?

Ieroboami ingenium vafrum.

Sed hæc per cuniculos agebantur paullò occultiores; donec animus ambitione distentus, in apertius, majúsque nefas, non diu pòst prorupit. Cùm enim, discutiente DEO, belli molem à Roboamo iminentem, obsidionis (de qua supra) metu liberatus fuisset, pro eo, ut grates Servatori solveret, injuriam summam reposuit. Adverterat frequentes Suorum peregrinationes Ierosolymā esse, Templi non minùs majestate, quàm religione cultores alliciente; timebátque, ne per specimen pietatis capti popularium animi, paulatim ad Roboamum inclinarent, à quo nuper præcipiti impetu desciverant; præsertim cùm Sacerdotum plerorumq; & Levitarum exemplum in oculis esset; nec immeritò facilior ad Domum Davidis reditus speraretur; quidquid adhuc turbatū esset, Iudaici regis lenitate, promissísq; haud ægrè componi posse; Israëlitarū mentibus altiùs insculpta manere Numinis de sceptro

Ieroboami nequitia in avertendis Israëlitis ab aditu Templi Solymæi.

Davidico

Davidico oracula: nec deesse autoritatem virorum principum, domi militiæque præstantium, per quos in veterem subjectionẽ reconciliarentur desertores regni Iudaici; mutabilem vulgi genium, levibus momentis ad eas reflecti partes, quas paullò antè fastidierat; maximè si religionis reverentiâ percellatur; ideóque nisi regno everti vellet, religionem potiùs avitã, rebus suis obstantem, esse evertendã. Instabant fortè Paschalia, quo tempore pro more gentis, maximi Solymã concursus fiebant; quos ut impediret, ad artes suas vulpes confúgit, & speciosis plebem, quà rationibus, quà edictis circumvénit: esse profectionem illam, quam illi crederent religionis caussâ susceptã, bono publico, privatóq; detrimentosam; quòd non citra magnum discrimen in urbem hostilem instituueretur: ubi deserti Principis, rei, multorũ se odijs, & tandem exitio involverent: ipsámque viæ longitudinem, ut cetera omnia tuta essent, sine rei domesticæ dispendio obiri non posse; se verò, quando Solymæi Templi tantô desideriô tenerentur, effecturum, ut pro uno geminum excitaretur, in quo Sacris operari; suáque possent vota persolvere; neque enim DEUM loci unius angustijs circumscribi; perinde esse, ubi ubi coleretur, modò cultores bonam mentem adferrent.

Ita coloraverat astum, ut, quantum vafritiei lateret, ne sagaciores quidem deprehenderent. Ergo jam fidentior, ut regnum suum confirmaret, Majorum religionem funditus exstirpandam duxit. Incredibili celeritate duo delubra educit in præcipuis urbibus, regni sui limitaneis, alteri *Dani* nomen, ad Aquilonem sitæ: alteri *Betheli* Austrum spectanti; utraque colli inædificata, & profanis in excelso lucis adstruendis opportuna. In eis duorum ex auro vitulorum simulacra collocat, qualia in Ægypto (ubi bienniô exulaverat) sub nomine *Apis* & *Serapidis* coli viderat; populóque persuadet, hæc illa esse Numina, quæ Majores ipsorum quondam servitute Ægyptiaca liberârant, & publico cultu, *Aarone* auspice, affecta fuerant; eam venerationem ad posteros quoque permanaturam fuisse, nisi Moses injecto suppliciorum metu, & nescio qua prodigiorum ostentatione, obstitisset. Incredibile dictu, quanta gentis Hebrææ protervia, toties meliora doctæ, toties deteriora secutæ. Callidis verbis persuasa, recedit à DEO suo, tot nominibus de se benemerito: in sententiã impij regis concedit; ne ijs quidem exceptis, qui cùm vanitatem nefandæ superstitionis satis perspicerent, pluris tamen Principis improbi benevolentiam, & præsentia commoda, quàm Numinis Optimi Maximi leges, minas, futuras pœnas faciebant. Ieroboamus, ne perfidis, ullum ad DEI, Davidísque imperium, postliminium pateat, Dux ipse & Auctor impurissimorum

Ieroboamus idolis delubra erigit.

Sacrorum, assumptâ Pontificis personâ, Sacerdotes pro suo arbitratu constituit, non ex tribu Levitica, quæ noluit huic impietati servire, sed de fæce populi; ut, quales erant aræ, tales essent ministri; id spectante hominis vaferrimi nequitiâ, ut communicatô cum plebe Sacerdotio, fructuoso comprimis atque honorato, animos omnium sibi, suísque sacrilegijs obligatos teneret. Itaque regis ad exemplum, gliscente in dies superstitione impiorum (gratiam Ieroboami captantium) passim luci, & nemora altiorum montium, vitulorum simulacris consecrari cœpta.

Israëlitarũ, autore Ieroboamo, in idololatriã prolapsio.

Jámque novus Sacerdos, & Sacrorũ antistes sacrificale ministerium adierat, & *Vitulo*, in urbe Bethele, erecto, adolere thura, & libamenta diffundere parârat; cùm repentè intonat fulmen, *Addo* Propheta, Hierosolymis à DEO submissus; is interminatur, nasciturum è sanguine Davidico ultorem (*Iosiam*) qui Sacerdotes impios, eadem in ara gladio hostias immolaturus, & pro thure, impostorum ossa sit incensurus. id quod trecentis quinquaginta pòst annis, factum. Atq; ut nequis de vaticinij veritate dubitaret, duo quamprimùm signa in eius confirmationem sunt edita; nam & altare, in quo sacrilegium perpetratum, in medio scissum, execrabiles victimarum cineres effudit; & regis manus adversùs Vatem extenta, subitò diriguit, exanimæ similis. Intremuit tum quidem, præsenti animadversione castigatus Jeroboamus, & precibus Prophetæ, pristinum brachij vigorem recepit, in obstinata nihilosecius malitia induratus (sunt enim, quibus cùm benefeceris, pejores fiunt) quia perversè sibi persuadebat, securam regni possessionem esse non posse, quamdiu populus veteri religione, & Templi Jerosolymitani reverentiâ tangeretur; unde factum est, ut nefaria superstitione perdiderit, quod pietatis constantiâ conservaturus fuisset.

Ieroboamus frustra minis & prodigijs à nefaria superstitione absterretur.

Ne tamen adversùs beneficium manûs restitutæ, ingratus videretur, Addonem per amicitiæ speciem ad mensam regiam invitat; muneribus etiam oblatis, insidiosa liberalitate. quæ ille fortiter repudians, negabat ea in urbe, quidquam cibi potúsq; sibi, per interdictum divinum, sumere licere; vetitum insuper, ne per viam, quà venerat, quippe idolorum cultu pollutam, revertatur. Ut dixit, ita fecit. Cæterùm *Bethele* habitabat quidam ex ijs, quibus sua DEUS arcana revelat, & apud omnes Propheta audiebat; vir ætate grandis, & inter Improbos, probus. Cui cùm narrâssent filij prodigia, quæ *Addo* patrârat, desideriô viri familiariùs cognoscendi, ejúsque refocillandi, abeuntem persequitur, è via revocaturus in urbem. Fortè assecutus est interquiescentẽ sub arbore, quam Sacer historicus terebinthũ nominat. ibi fictô oraculô, persuadet homini, ut mutatâ Dei sentẽtiâ, ipse quoq; mutaret

mutaret mentem, & relecto Bethelem itinere, hospitio suo uteretur. Quid multis? officiosô mendaciô seductus *Addo*, condicit ad prandium. Discumbentibus, & familiari sermone se oblectantibus, receptor fatidico subitò afflatur spiritu, accusat hospitem divini mandati violati, pœnæque modum denuntiat, jacturam paterni sepulcri. Nec fefellit vaticinatio. Nam Addoni redeunti Ierosolymam, leo factus obviàm, detractum de jumento necavit, nihil læsô asinô, cui insederat; nec interempti cadavere; cujus etiam custodem egit; donec Bethelensis Vates, re intellectâ, curavit exanime corpus in urbē referri, honorificéq; terræ mandari. In idem ipse conditorium, ex testamentarijs tabulis, postea illatus, confuso ossium discrimine, ultricem Iosiæ manum, propter comũnem sepulturam evitavit.

Addo Propheta propter inobedientiam à leone occiditur.

Ieroboamus tam miris Vindictæ divinæ modis admonitus, nihilo factus melior, denique dignas obstinaciâ suâ pœnas dedit. Initium factum à filio, cui *Abia* nomen; quô ad mortem decumbente, mater jussu mariti, immutato cultu, sumptóque privato habitu; & muneribus agrestibus (ne fortè grata potiùs, quàm vera nuntiaret Vates reginæ agnitæ; aut invisam, inauditámq; ob improbitatem conjugis sui reijceret; aut ne populus intelligeret, à Ieroboamo suis divinatoribus diffidente, consuli alienũ) ad Prophetam *Abiam*, *Siluntem* in oppidum proficiscitur, percontatura à viro, in prædicendis futuris mirifico (nam & regnum Ieroboamo prænuntiârat) essètne filius, præsentis morbi periculum evasurus. Sed frustra fuit ea simulatio; Vates enim è cœlo de adventu feminæ præmonitus, pro foribus stantem compellat, & interrogatione anteversâ, acerrimam in eius faciem objurgationem effundit. imprimis exprobrat divini magnitudinem beneficij, quod Ieroboamus, DEI gratiâ Israëlitarum Rex, in summam Benefactoris injuriam converterat, omnibus, qui ante eum fuerant, scelerum enormitate superatis; idcirco totam eius familiam radicitus exscindendam, omnésque à primo ad ultimum, eô unô exceptô, qui tunc lethali ægritudine tenebatur, præter ignominam mortis, etiam honore sepulcri carituros, cadaveribus, in prædam canibus & alitibus, projectis. populum quoque, ut regis impietatis, ita cladis participem, post intestinas seditiones, & varias belli agitationes, denique captivum in Assyriam abducendum. Tam horrifico vaticinio territa mulier, nihil habuit, quod responderet, quanquam ne à principio quidem permissa est quidquam effari; quare tacita recessit, domúmque reversa, dum limen ipsa ingreditur, puer è vita discedit, publico populi luctu defletus. At pervicax Ieroboami ingenium, neque tot terroribus

Pœna Ieroboamo à DEO irrogata.

domitum

domitum, ad fata extrema properabat. *Abias* (Roboami filius) à DEO constitutus Vindex, in regnum Ieroboami (contrà, quàm narrat Iosephus) cum quadringentis pugnatorum millibus irrumpit; cui cum exercitu duplò majore (octingenta erant bellatorum millia) in occursum venit Ieroboamus, haud dubiè multitudine hominum circumventurus hostem, nisi cæleste auxilium formidabiles vires retudisset, Abiæque victoriam contulisset; tantâ strage editâ, quanta in nullis vel Græcorum, vel barbarorum historijs, Iosepho teste, legitur. Cæsis enim quingentis millibus, tres munitissimæ urbes captæ, direptæque, DEO victoris gladiū, ne ultra grassaretur, inhibente; & quartô pòst annô Ieroboamum, per immissum dæmonem aliquem, aut percussorem Angelum, è viventibus exturbante. Ita perijt, qui, ne periret, sanctissimam Religionem perditum ivit; memorandô ad mortales exemplô, motâ hac sacrâ anchorâ, regna regésque non fluctuare modò, sed frangi, mergíque.

DOCTRINA.

Ieroboamus pseudopolitica documentum.

D*ixitque Ieroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat Sacrificia in Domo Domini in Ierusalem &c.* 3. Reg. 12. Documentum Pseudopoliticæ luculentum est, Ieroboamus, unde in præcipitium idololatriæ, vel etiam atheismi lapsus, vestigia impressit, multorum hodie quoque, casibus infamia. Consilium politicâ, ut rebatur, prudentiâ subnixum, in hunc modum adornavit. Cura prima, (secum cogitabat) est *Status* conservatio, vel etiam ampliatio; altera, *Religio*, magnum Statûs fulcimentum. Novus Princeps non tam attendere debet, quæ sit Religio verior, quàm quæ ad stabiliendam potentiam aptior. Iam pro Roboamo contra Ieroboamum faciunt multa. *Primò*, hereditaria Davidici imperij successio; *deinde* innata populis in regias familias affectio; *tertiò*, amor Religionis avitæ, à qua difficillimè avelluntur. Templum *præterea* Solymæum caussa est, frequentis meorum Subditorū cum Roboamicis commercij; ter enim quotannis ad agendas festorum celebritates dierum confluunt Hierosolymam; verendum est, ut affectibus in Roboamum propter eius Sacra, paulatim translatis, ego meo diademate pericliter. Quid agam? abstrahendi sunt animi ab itinere Ierosolymitano. quomodo? aliæ aræ, aliíque Sacrorum cultus instituendi: superstitiones qualesquales inducendæ. At hoc gravissimis DEI legibus est vetitum. Necessitas urget; egomet mihi propior sum, quàm civis alteri; etiā DEO. Regnandum est, cujuscunque demum ingratijs. At Regnum qui contulit, idem conservare poterit. An voluerit? sua cuiq; industria, sua prudentia DEUS est. Novi fundamentum regis, novæ sectæ superstruen-

superstruendum; nulla re magis capiuntur animi, quàm superstitione. Scio, quid faciam. In extremis regni mei finibus altaria constituam,& delubra,ut vota sua deponant, quos obire peregrinationes juvat, & quidem Hierosolymâ remotissimas. Quænam Numina adorabimus? Roboamicis contraria,ut nulla sperãda sit, animorum religione disiunctorum, reconciliatio. In plurimis, quæ placent? quæ jam quondam placuerunt: Genio, Veneríq; faventia;epulis & choreis amica. Ita sensim cum severis suis legibus & ceremonijs,in oblivionem abibit,non Moses tantùm, sed David quoque,& qui ex eo sanguinem ducunt,cúmque illis Deus, quem colunt. Novum Ieroboami solium novis Dijs firmandum; si tamen novi sunt,quos Majores quoque nostri, ex Ægypto profecti adorârunt; Vitulorum, inquam, simulacris aras & fana dicabo. Exemplis ipse præibo, & cum regia, Sacerdotis & Pontificis personam conjungam. Hæc & plura similia secum ratiocinata est pseudopolitica sapientia. Quo exitu? Scriptura testatur lib. 3. Chron. Reg: c. 13. *Et propter hanc caussam peccavit domus Ieroboã, & eversa est, & deleta de superficie terra.* Hoc habet *Prudentia Carnis*, ut eam Apostolus Rom. 8. appellat. Quantò satius ad regni perpetuitatem fuisset,DEI pollicitis constantem adhibere fidem. Quid enim? itâsset populus Ierosolymam,votis & sacrificijs DEUM Patrum suorũ adorâsset, minimè tamen Ierobami corona in discrimen ventura fuisset. DEUS enim, *in cujus manu sunt corda, non Regũ modò,* sed populorum, Ieroboami subditis (id quod expressè promiserat) cum timore sui, etiam reverentiam regis, & obsequendi voluntatem immisisset; nec deerant mille modi id præstandi. Verùm malesuada Politica,dum Idolo suo, quod RATIONEM STATUS vocant,religionem substernit,sese exitio,quod maximè fugit, maximè induit; & illô quidem sempiternô.

Hac Pseudopoliticâ sectâ Nicolaus Machiavellus,scriba Florentinus,imbutus, *Rationem*,quam diximus, *Statûs*, Reipubl. salute,imperij stabilitate, divitijs,splendore, viribus, alijsque extrinsecus petitis bonis circumscripsit; neglexit autem, vel exclusit, aut certè non necessariò requisivit bona in veris virtutibus sita, tanquam à Politicis rationibus, & arte imperandi, aliena; quâ „ ratione fit,ut UTILE divellatur ab HONESTO;quâ nulla pernicies „ major hominum vitæ potest afferi. *Tullio teste lib. 2. de offic.* De hominis illius Politica, ita scribit *Ribadeneira,de Instit. Principis Christia-* „ *ni.* Illud enim tanquam initium & fundamentum ponit (Ma- *Machiavelli nequitia.* „ chiavellus) propositum & scopum,in quem princeps collimet, „ & cętera omnia referat,Statûs & Imperij conservationem esse: „ eam proinde in rem adjumenta omnia,sive ea honesta sint, si- „ ve inhonesta,justa æquè ac iniusta,dum tamen utilia,nullo dele-

„ ſtu aut diſcrimine, adhibere poſſe. Numerat autem inter ea „ ſubſidia Chriſtianam religionem, cui eatenus ſolùm habendam „ Principi rationem docet, quoad ſtatui ſuo expedire judicaverit. „ Quare fronte & vultu ad ſpeciem præ ſe ferre nonnunquã debere pietatem, tametſi ab illa prorſus abhorreat; interdũ etiam „ complecti quamcunq; ſimulatam religionẽ, quamvis abſurdã. „ Hujus impiæ doctrinę ſanè haud paucos nactus eſt diſcipulos, „ multáſque clades & ærumnas invexit, viámque ad hæreſes, & „ denique atheiſmum aperuit.

Religionis prima ſit cura.

Sinceram Religionem, Deíq; cultum & pietatem, eſſe Regni & Reipubl. firmamentum, etiam Gentiles ſuis in tenebris perſpe„ xerunt. *Plato lib. 4. de Legib.* Ante omnia DEUM invocemus, ut „ civitatem noſtrã ſtabiliamus, obſecremúsq;, ut nos exaudiat, & „ nobis propitius ſit, atq; benignus, ad nos veniat, & leges ipſe nos „ doceat, noſtrámq; civitatem adornet: Et *Pythagoræ* ſententia „ eſt, accedendo ad DEUM effici unumquemq; optimum. *Et Ci„ cero Orat, de Aruſpic. reſponſ.* Quàm, *inquit*, volumus licet, P.C. ipſi „ nos amemus, tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, „ nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec deniq; hoc ipſo „ hujus gentis ac terræ domeſtico nativóq; ſenſu Italos ipſos ac „ Latinos; ſed pietate ac religione, atque hac ſapientia, quâ deo„ rum ĩmortalium numine omnia regi, gubernaríq; perſpeximus, „ omnes gentes nationéſque ſuperavimus. *Et Valer. Max. lib. 1. c. 1.* „ Omnia, *ait*, poſt religionem ponenda ſemper noſtra civitas du„ xit, etiã in quibus ſum̃æ majeſtatis conſpici decus voluit, qua„ propter non dubitârunt Sacris imperia ſervire: ita ſe humana„ rum rerũ futura regimen exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ be„ ne atque conſtanter fuiſſent famulata.

Ob levem culpam pœnam capitis inflixit Deus.

Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua veniſti, lib. 3. Reg. c. 13. Hæc DEUS juſſa dederat Prophetę Addoni, in deteſtationem idololatriæ, eiúſque cultorum Bethelitarum, ea quidem ſeveritate, ut potiùs vincula & famem ferre debuerit, quàm à divino mandato recedere. Unde hodie quoque, vitæ conſuetudine cum ijs interdictum eſt, qui Eccleſiaſtica poteſtate, à piorum ſocietate & com̃unione ſecluſi ſunt. Fuit autem invitator ille, Propheta divinus, ut pleríque Scriptorum, contra Ioſephum, volunt, homo minimè malus, ſed commiſeratione commotus, & ſtudio hoſpitalitatis, abeuntem Vatem, etiam mendacij, leviorem tamen noxam haud excedentis, interpoſitione revocavit. Sed alter quoque, etſi nimis facilè, temeréque invitanti credidit, gravius piaculum non admiſit, cui tamen DEUS, ſummus vitæ, necíſque omnium Dominus, capitis pœnam inflixit, honore habito corpori, quod leo integrum,

integrum, intactúmque servavit, ut, qui fuerat carnifex vivi, esset defensor mortui: & qui propter inobedientiam occisus credebatur, pro pœnitentia salvus crederetur, ut Lyranus ait. *Et* „ *S. Ambros. 4. Dial. 24.* Stetit leo juxta asinã, & non comedit de cada„ vere. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cada„ vere comedendi licentiam non accepit: quia, qui culpabilis in „ vita fuerat, punitâ inobedientiâ, jam erat justus ex morte; Leo „ ergo, qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmo„ dùm cadaver justi.

NARRATIO LXXVII.

ABIAS ET ASA, REGES IUDAE; QUORUM PRIOR DEPLORATÆ SALUTIS; POSTERIOR INCERTÆ.

3. Reg. 15. & 2. Paralip. 16.

Ab anno M. 3077. Christi. 979. ad ann. M. 3120. Ch. 933.

SAlomonis nepos, Roboami filius, *Abias* fuit, Iudæ Rex; cujus fervidæ preces, cum tubarũ à Sacerdotibus inflatarum clangoribus mixtæ, validissimũ Ieroboami (uti retulimus) exercitum profligârunt, cœlo pro eo depugnante. Sed DEO victoriæ authori, gratiæ vice (jam sueto Hebreæ gentis more) refudit impietatem, & improbi patris imitationem. Triennium illud, quô regnârat (uno vix die, sui in DEUM officij memor) Idolis, eorúmq; sacrilegis cultibus, & uxoribus quatuordecim ductis; filijs maribus viginti duobus, femellísque sedecim generatis, memorabile reddidit; uxore regina *Maachâ* post se relictâ, Sacrorũ obscœnissimi *Priapi* Summa Sacerdote.

Filius hunc secutus est *Asa*, magis imperiô, quàm improbitate; diutissimè bonus ac felix; sub extrema demum regni tempora, non parùm à se ipso degeneravit, dum spem, ac victoriæ cuiusvis fiduciam, in solius ope Numinis antehac collocatam, transfert in vires & auxilia *Benadadi*, Syrorum regis, *Idololatræ*: cuius fœdus ac societatem, non profanô tantùm ærarij sui, sed sacro quoque Templi, mercatur auro; tantò indigniùs, quantò pietatis suæ, & in divino præsidio confidentiæ luculentiora tulerat præmia. Principio statim aditæ potestatis, Deorum in statuis & aris, ac lucis, fanísque, & impuritatum lustris *Regis Asæ Zelus Religionis.*

regnum omne suum repurgavit; intérque sacrilegos idolorum adoratores matrem quoque suam (aliqui aviam fuisse credunt) Máacham, & soliô simul, & Priapi fœdissimo Pontificatu dejecit. imperium suum urbibus, armis, exercitu, civiúmque multitudine firmavit. Ne tamen virtus inexercita languesceret; Numine permittente, bello lacessitus est ab Æthiopum ductore, Principéque *Zara*: qui supra Syenem, & ultimam Ægyptum, meridiem versus, imperabat. Decies centena militum millia, cum trecentis falcatis curribus ducebat Æthiops in *Asam*; viginti millibus minùs, quàm sexcentis bellatorum millibus succinctum. Ideóque trepidabatur ab *Asæis*: ab Æthiopibus contrà, jactanter agebatur, ac minaciter; fiduciâ multitudinis atque copiarum. Sed ubi ventum ad manus est; ad *Asa* regis preces, exterrente DEO superbiã hostilem; cæsus, fugatus, castris exutus, & profligatus *Zaras*, cum suis omnibus deletus ad internecionem est. Urbs *Gerara* cum finitimis populis universis, qui partim Philistini juris erant; partim ab Iudæis ad barbaros defecerant, occupata: prædáque supra fidem humanam ingens, hominum, pecoris, gregum, ac jumentorum, & utensilium, aurique capta. Quo tempore patuit; sicuti, sine Duce, nihil exercitum quantumvis magnum; sic, sine DEO, nec Duces esse quidquam, atque turmas: barbaricásque castrorum quadrigas, tanquam puerorum equestres arundines à *Curru DEI, decem millibus multiplici*, nullo negotio diffringi; quoties adversùm homines Angeli (sicut tunc accidit) aurigentur.

Rex Asa è cælo juvatur adversùs hostes.

Devicto hoste, cum spolijs amplissimis Hierosolymã revertentibus, *Azarias*, Vates fit obviàm; is gratulatus regi, populóque victoriam, divino favore partam, præmium pietatis & in DEUM obsequij, prædicit in posterum quoque consecuturas felicitates, si à rectè cœptis non defecerint; secus, ingentem calamitatum seriem inundaturam. jam tum enim homines ancipitis fidei præmunire volebat adversùs socordiam & trepidationem, quâ postea concussi, Syrorum auxilia implorabant. Rex delectatus vaticiniô, strenuam dedit operam publicè, privatímque, ad religionẽ sartã tectam conservandam, dimissis per omne regnum, eius negotij curatoribus. Quo tempore non pauci Israëlitarum ab idolorũ cultu ad pristina sacra se recipiebant, novo sese fœdere DEO devoventes; sed fidem, ut aliàs, parùm constantem tam isti, quàm Iudæi coluerunt. Cùm enim *Baasa* rex Israëlitarũ (de quo inferiùs plura) urbem *Ramam*, quadraginta stadijs Ierosolymâ distantem subitò adortus, in potestatem redegisset, itáq; comunijsset, ut frequentibus inde excursionibus, totum *Asa* regnum vastaret; homo meticulosus plus præsidij humano in auxilio, quàm divino reponẽs, *Benadadum* (ut diximus) Syriæ regem, magnis impensis, etiam thesauri

Regis Asæ diffidentia erga Deum.

thesauri sacri jacturâ, in societatem belli evocat. Reprehensus eo nomine, Vatis *Hanani* libero sermone, (sic DEO jubente) exardescit irâ, culpámq; culpæ adijciens, Prophetæ monitoris pedes in nervum mittit, ac carcere constringit. Nec eo facinore saturatus furor, crudeliùs in populum debacchatur, cujus numerosam multitudinem (tyrannidem quippe hominis damnabat) gladio ferit. *Ejusdem tyrannis.*

Sed hæsit in tergo, sævitiæ vindicta; pedum ipse vehementissimo dolore cruciari, punirísque cæptus, anno regni tricesimo nono: bienniô pòst extinguitur; nec in ultimo quidem morbo divinis quæsitis, aut imploratis remediîs, eâdem, quâ nuper confidentiâ, Syri regis auxiliô; nunc Medicorum manu nixus, DEO neglectô. Sunt, qui putent pœnitentem obijsse, idolorum eversorem, veríque Numinis assertorem, dolorum acerbitate commissa crimina castigante. Nec parùm ei favente sacro historico, cujus verba sunt. 3. Reg. 15. *Verumtamen cor Asæ perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis.* Alij salutem eius aut omnino depositam, aut certè dubiam credunt, adducti eô Divini codicis locô. *Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum &c.* 3. Reg. 15. multarum reus cædium. illam verò *cordis perfectionem*, ad idolorum duntaxat exstirpationem restringunt; Scripturâ sacrâ scelera ipsius arguente, nihil de illorum expiatione, memorante. Ipsa quoq; sepultura non eundem fert apud omnes calculum. Aliqui damnant eam luxûs immodici ac superbiæ; quòd impositus lecto ex aromatibus structo, unguentísq; meretricijs, (ut pagina S. loquitur) pigmentariorum arte confectis, elatus & combustus sit, *ambitione nimia*; forsan ab ipsomet mandatâ. Alij malunt, busti magnificentiam, *Iosaphati* ejus filij, munificæ in parentem pietati adscribere; in eo quoq; honori paterni funeris, consulentis, ut fluentis è putredine pedum, fætorem tabis, aromatum depelleret odore. Nos re in medio relicta; quidquid demum cum *Asæ* anima agatur, tot inter lubricitatis humanæ exempla, fortiùs figamus pedem, & meminerimus, à DEO non coronari initia, sed finem.

DOCTRINA.

E*Xcelsa autem non abstulit.* 3. Reg. 15. Locus hic sæpius in sacro regum Chronico recurrit, ideóque nonnihil excutiendus. Nam Tostatus, Episcopus Abulensis, vir ingentis doctrinæ; sed qui in tanta voluminum mole, non omnia discutere potuit, existimavit *Asam* tantùm sustulisse illa *Excelsa* (delubra collibus inædificata) quæ à privatis fuerant excitata; non attigisse autem fana, quæ proavus Salomon, in suarum gratiam uxorum eduxerat; eóque tempore clausa tenebantnr. Sed quis Idololatriam tot apud Iudæos istam fulminibus, tot

diris detestatam, tot cædibus hominũ, & toties expiatam, putet
tolerandam fuisse à Rege, pio Numinis cultore? Itaq; hîc per *Ex-*
celsa, intelliguntur Sacella, in montibus & locis celsioribus DEO ve-
ro dicata, in quibus post conditum Templum, contra fas, plerum-
que adhuc Sacra fiebant, quæ prudenter *Asa* permisit, ne consue-
tudo populi, immolandi in *excelsis*, repressa, ad idololatriam
deflecteret. Iudæis enim, cùm Tabernaculum & Templum non
suppeterent, officium pietatis credebatur, *proseuchas*, certos nem-
pe ad precandum locos destinare à tumultu, & contagione pra-
væ societatis segreges. Hos autem post Templi molitionem re-
tinere, & in illis sacrificare vetitũ fuit; quòd minuere augustioris
eius basilicæ religionem & magnitudinem putabantur. Primi e-
nim Patriarchæ litabant in lucis & montibus, quos postea genti-
litas sacrilegiô polluit, & inanibus dæmonum simulacris dedica-
vit. Hæc omnino sacris legibus prohibita, & severissimis addicta
pœnis. Inde & Christianorum tempore, *Pagani*, sunt appellati, qui
se legitimis Sacris subducebant, ut in pagis & solitudinibus ob-
scœnos Gentilium cultus frequentarent. Illa porrò *Excelsa*, id est,
aras & lucos sibi sacratos, etsi DEUS ob periculum superstitionis
aversabatur; tolerabat tamen, donec à Salomone ædificaretur fir-
mum & stabile Templum Ierosolymis. Hinc *Asa* & *Iosaphat* con-
tenti extinxisse nefarias religiones, metu seditionis permise-
runt ea, quæ dixi, Numini erecta delubra, non tamen citra re-
prehensionem omnem, nam Siracides Eccli. 49. ait: *Præter Da-*
vid, Ezechiam, & Iosiam, omnes (intellige, Reges Iudæ) *pecca-*
tum commiserunt. Horum enim primus, cultum DEI religiosis-
simè ornavit & auxit; cæteri duo summô Zelô eundem colla-
psum instaurârunt, sublatis omnibus, quæ ei adversaban-
tur. Nimirum vitium ex quolibet defectu; virtus ex integra
caussa.

Cur ex Regibus Hebrǽis tam pauci boni.

Quærat aliquis, cur tam pauci Reges boni etiam in gente
DEI? Respondet noster *Nicolaus Caussinus lib. de regno DEI, dissertat. 77.*
„ Lubet, *inquit*, ad ceteras nequitiæ caussas, (agnitę veritatis con-
„ temptum, ingrati animi labem, perniciem exempli) Iudæorum
„ regibus pertinaciter inhærentis, addere tres à Tertulliano non
„ ignoratas: Corrupta videl. femina, deserta studia, exarmata jura.
„ Multum illis veneni infudit promiscua conjugiorum licentia;
„ inde gentiles feminæ omni impietate, luxuriâ & audaciâ famosæ
„ in regum thalamos invasere, & dedere partus ambiguos, qui, pa-
„ trum relicta sæpe religione, in matrum superstitionẽ, earũ blan-
„ ditijs edomiti declinârunt. Ad hæc legis divinæ studia deserta,
„ fatale lascivientib' imperijs otiũ, & perẽptor magnarũ cogita-
„ tionũ luxus, obsessos subjugârunt. Nec jã aderant, qui violentis

regum

„ regum conatibus obsisterent, magnô illô Synedrio (septuagin-„ ta duorum virorum senatu, vel terroribus prostrato, vel per „ fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina spirantes „ Prophetæ sese rebus tam præposterè fluentibus opponerent, „ aut morte, aut exilijs mulctabantur. Instabat quoque Assyrio-„ rum & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devin-„ cti, Judæorum reges in suæ impietatis commercium abripie-„ bant, utilitatis specie delinitos. Hæc igitur mores illorum in-„ fecere; mox contagio latè in populum serpsit, & ex optimis, „ pessimi quique devenere. Hæc Caussinus.

Asa triginta sex annis præclarissimè se gessit; fiduciâ fuit in DEUM magnâ, utinam constante. Illam certè DEUS sic remuneratus est, ut decies centena millia militum, quæ Æthiopiæ rex sub signis habuerat, illustrissimâ victoriâ profligârit. Et tamẽ gratiam tot annis collectam effudit omnem inconsulta in viribus humanis confidentia. Id enim Vates Hananus, in faciem exprobrans, *Quia habuisti*, inquit, *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent. Iratúsque Asa adversus Videntem* (Prophetam) *jussit eum mitti in nervum; valde quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* 2. Paral. 16. In qua objurgatione, comprimis observanda Asæ vecordia, qui post tam luculenta divini præsidij experimenta, spem suam posuit, in *baculo*, ut Isaias loquitur, *arundineo*: nempe in homine Numinis inimico, & odia summa merito. Quid enim armatorum multitudo, nisi seges arundinum, flatu sternenda, nisi robur è cælo accedat? Idem Vates, cap. 30. fiduciam in homine collocatam, appellat umbram. *Habentes*, inquit, *fiduciam in umbra* (milite) *Ægypti.* Quid fallacius, fugacius, inconstantius umbra? *Neque enim Dominus* (ut psaltes ait psal. 146. *in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei: sed in eis, qui sperant super misericordia eius.*

Hannani propheta cordata objurgatio.

Alterum in oratione Hanani animadvertendum, est: *Oculi Domini contemplantur universam terram &c.* DEUS eádem providentiâ gubernat universos, quâ singulos. absq; ea ne pilus quidem de capite, nec folium ex arbore defluet. *Ipse flagellat, & salvat, deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. Vita & mors in manu eius, clades & victoria; neminem deserit, nisi quem antè sua spes deseruit.

Tertium, quod notandũ; *Stultè egisti.* Cordata & libera vox, sed

à DEO

diris deteſtatam, tot cædibus hominū, & toties expiatam, putet tolerandam fuiſſe à Rege, pio Numinis cultore? Itaq; hîc per *Excelſa*, intelliguntur Sacella, in montibus & locis celſioribus DEO vero dicata, in quibus poſt conditum Templum, contra fas, plerumque adhuc Sacra fiebant, quæ prudenter *Aſa* permiſit, ne conſuetudo populi, immolandi in *excelſis*, repreſſa, ad idololatriam deflecteret. Iudæis enim, cùm Tabernaculum & Templum non ſuppeterent, officium pietatis credebatur, *proſeuchas*, certos nempe ad precandum locos deſtinare à tumultu, & contagione pravæ ſocietatis ſegreges. Hos autem poſt Templi molitionem retinere, & in illis ſacrificare vetitū fuit; quòd minuere auguſtioris eius baſilicæ religionem & magnitudinem putabantur. Primi enim Patriarchæ litabant in lucis & montibus, quos poſtea gentilitas ſacrilegiô polluit, & inanibus dæmonum ſimulacris dedicavit. Hæc omnino ſacris legibus prohibita, & ſeveriſſimis addicta pœnis. Inde & Chriſtianorum tempore, *Pagani*, ſunt appellati, qui ſe legitimis Sacris ſubducebant, ut in pagis & ſolitudinibus obſcœnos Gentilium cultus frequentarent. Illa porrò *Excelſa*, id eſt, aras & lucos ſibi ſacratos, etſi DEUS ob periculum ſuperſtitionis averſabatur; tolerabat tamen, donec à Salomone ædificaretur firmum & ſtabile Templum Ieroſolymis. Hinc *Aſa* & *Ioſaphat* contenti extinxiſſe nefarias religiones, metu ſeditionis permiſerunt ea, quæ dixi, Numini erecta delubra, non tamen citra reprehenſionem omnem, nam Siracides Eccli. 49. ait: *Præter David, Ezechiam, & Ioſiam, omnes* (intellige, Reges Iudæ) *peccatum commiſerunt*. Horum enim primus, cultum DEI religioſiſſimè ornavit & auxit; cæteri duo ſummô Zelô eundem collapſum inſtaurârunt, ſublatis omnibus, quæ ei adverſabantur. Nimirum vitium ex quolibet defectu; virtus ex integra cauſſa.

Cur ex Regibus Hebræis tam pauci boni.

Quærat aliquis, cur tam pauci Reges boni etiam in gente DEI? Reſpondet noſter *Nicolaus Cauſſinus lib. de regno DEI, diſſertat. 77.* „ Lubet, *inquit*, ad ceteras nequitiæ cauſſas, (agnitę veritatis con„ temptum, ingrati animi labem, perniciem exempli) Iudæorum „ regibus pertinaciter inhærentis, addere tres à Tertulliano non „ ignoratas: Corrupta videl. femina, deſerta ſtudia, exarmata jura. „ Multum illis veneni infudit promiſcua conjugiorum licentia; „ inde gentiles feminæ omni impietate, luxuriâ & audaciâ famoſæ „ in regum thalamos invaſere, & dedere partus ambiguos, qui, pa„ trum relicta ſæpe religione, in matrum ſuperſtitionē, earū blan„ ditijs edomiti declinârunt. Ad hæc legis divinæ ſtudia deſerta, „ fatale laſcivientib' imperijs otiū, & perēptor magnarū cogita„ tionū luxus, obſeſſos ſubjugârunt. Nec jā aderant, qui violentis

regum

„ regum conatibus obsisterent, magnô illô Synedrio (septuaginta duorum virorum senatu, vel terroribus prostrato, vel per „ fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina spirantes „ Prophetæ sese rebus tam præposterè fluentibus opponerent, „ aut morte, aut exilijs mulctabantur. Instabat quoque Assyriorum & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devincti, Judæorum reges in suæ impietatis commercium abripiebant, utilitatis specie delinitos. Hæc igitur mores illorum infecere; mox contagio latè in populum serpsit, & ex optimis, „ pessimi quique devenere. Hæc Caussinus.

Asa triginta sex annis præclarissimè se gessit; fiduciâ fuit in DEUM magnâ, utinam constante. Illam certè DEUS sic remuneratus est, ut decies centena millia militum, quæ Æthiopiæ rex sub signis habuerat, illustrissimâ victoriâ profligârit. Et tamē gratiam tot annis collectam effudit omnem inconsulta in viribus humanis confidentia. Id enim Vates Hananus, in faciem exprobrans, *Quia habuisti*, inquit, *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent. Iratúsque Asa adversus Videntem* (Prophetam) *jussit eum mitti in nervum; valde quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* 2. Paral. 16. In qua objurgatione, comprimis observanda Asæ vecordia, qui post tam luculenta divini præsidij experimenta, spem suam posuit, in *baculo*, ut Isaias loquitur, *arundineo*: nempe in homine Numinis inimico, & odia summa merito. Quid enim armatorum multitudo, nisi seges arundinum, flatu sternenda, nisi robur è cælo accedat? Idem Vates, cap. 30. fiduciām in homine collocatam, appellat umbram. *Habentes*, inquit, *fiduciam in umbra* (milite) *Ægypti.* Quid fallacius, fugacius, inconstantius umbra? *Neque enim Dominus* (ut psaltes ait psal. 146. *in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. sed in eis, qui sperant super misericordia eius.*

Hannani propheta cordata objurgatio.

Alterum in oratione Hanani animadvertendum, est: *Oculi Domini contemplantur universam terram &c.* DEUS eádem providentiâ gubernat universos, quâ singulos. absq; ea ne pilus quidem de capite, nec folium ex arbore defluet. *Ipse flagellat, & salvat, deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. Vita & mors in manu eius, clades & victoria; neminem deserit, nisi quem antè sua spes deseruit.

Tertium, quod notandū; *Stultè egisti.* Cordata & libera vox, sed

à DEO

diris deteſtatam, tot cædibus hominũ, & toties expiatam, putet tolerandam fuiſſe à Rege, pio Numinis cultore? Itaq; hîc per *Excelſa*, intelliguntur Sacella, in montibus & locis celſioribus DEO vero dicata, in quibus poſt conditum Templum, contra fas, plerumque adhuc Sacra fiebant, quæ prudenter *Aſa* permiſit, ne conſuetudo populi, immolandi in *excelſis*, repreſſa, ad idololatriam deflecteret. Iudæis enim, cùm Tabernaculum & Templum non ſuppeterent, officium pietatis credebatur, *proſeuchas*, certos nempe ad precandum locos deſtinare à tumultu, & contagione pravæ ſocietatis ſegreges. Hos autem poſt Templi molitionem retinere, & in illis ſacrificare vetitũ fuit; quòd minuere auguſtioris eius baſilicæ religionem & magnitudinem putabantur. Primi enim Patriarchæ litabant in lucis & montibus, quos poſtea gentilitas ſacrilegiô polluit, & inanibus dæmonum ſimulacris dedicavit. Hæc omnino ſacris legibus prohibita, & ſeveriſſimis addicta pœnis. Inde & Chriſtianorum tempore, *Pagani*, ſunt appellati, qui ſe legitimis Sacris ſubducebant, ut in pagis & ſolitudinibus obſcœnos Gentilium cultus frequentarent. Illa porrò *Excelſa*, id eſt, aras & lucos ſibi ſacratos, etſi DEUS ob periculum ſuperſtitionis averſabatur; tolerabat tamen, donec à Salomone ædificaretur firmum & ſtabile Templum Ieroſolymis. Hinc *Aſa* & *Ioſaphat* contenti extinxiſſe nefarias religiones, metu ſeditionis permiſerunt ea, quæ dixi, Numini erecta delubra, non tamen citra reprehenſionem omnem, nam Siracides Eccli. 49. ait: *Præter David, Ezechiam, & Ioſiam, omnes* (intellige, Reges Iudæ) *peccatum commiſerunt.* Horum enim primus, cultum DEI religioſiſſimè ornavit & auxit; cæteri duo ſummô Zelô eundem collapſum inſtaurârunt, ſublatis omnibus, quæ ei adverſabantur. Nimirum vitium ex quolibet defectu; virtus ex integra cauſſa.

Cur ex Regibus Hebræis tam pauci boni.

Quærat aliquis, cur tam pauci Reges boni etiam in gente DEI? Reſpondet noſter *Nicolaus Cauſſinus lib. de regno DEI, diſſertat. 77.* „ Lubet, *inquit*, ad ceteras nequitiæ cauſſas, (agnitę veritatis contemptum, ingrati animi labem, perniciem exempli) Iudæorum „ regibus pertinaciter inhærentis, addere tres à Tertulliano non „ ignoratas: Corrupta videl. femina, deſerta ſtudia, exarmata jura. „ Multum illis veneni infudit promiſcua conjugiorum licentia; „ inde gentiles feminæ omni impietate, luxuriâ & audaciâ famoſæ „ in regum thalamos invaſere, & dedere partus ambiguos, qui, pa„ trum relicta ſæpe religione, in matrum ſuperſtitionẽ, earũ blan„ ditijs edomiti declinârunt. Ad hæc legis divinæ ſtudia deſerta, „ fatale laſcivientib' imperijs otiũ, & perẽptor magnarũ cogita„ tionũ luxus, obſeſſos ſubjugârunt. Nec jã aderant, qui violentis regum

„ regum conatibus obsisterent, magnô illô Synedrio (septuaginta duorum virorum senatu, vel terroribus prostrato, vel per „ fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina spirantes „ Prophetæ sese rebus tam præposterè fluentibus opponerent, „ aut morte, aut exilijs mulctabantur. Instabat quoque Assyriorum & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devincti, Judæorum reges in suæ impietatis commercium abripiebant, utilitatis specie delinitos. Hæc igitur mores illorum infecere; mox contagio latè in populum serpsit, & ex optimis, „ pessimi quique devenere. Hæc Caussinus.

Asa triginta sex annis præclarissimè se gessit; fiduciâ fuit in DEUM magnâ, utinam constante. Illam certè DEUS sic remuneratus est, ut decies centena millia militum, quæ Æthiopiæ rex sub signis habuerat, illustrissimâ victoriâ profligârit. Et tamē gratiam tot annis collectam effudit omnem inconsulta in viribus humanis confidentia. Id enim Vates Hananus, in faciem exprobrans, *Quia habuisti*, inquit *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nônne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent. Iratúsque Asa adversus Videntem* (Prophetam) *jussit eum mitti in nervum; valde quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* 2. Paral. 16. In qua objurgatione, comprimis observanda Asæ vecordia, qui post tam luculenta divini præsidij experimenta, spem suam posuit, in *baculo*, ut Isaias loquitur, *arundineo*: nempe in homine Numinis inimico, & odia summa merito. Quid enim armatorum multitudo, nisi seges arundinum, flatu sternenda, nisi robur è cælo accedat! Idem Vates, cap. 30. fiduciām in homine collocatam, appellat umbram. *Habentes*, inquit *fiduciam in umbra* (milite) *Ægypti.* Quid fallacius, fugacius, inconstantius umbra? *Neque enim Dominus* (ut psaltes ait psal. 146. *in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. sed in eis, qui sperant super misericordia eius.*

Hannani propheta cordata objurgatio.

Alterum in oratione Hanani animadvertendum, est: *Oculi Domini contemplantur universam terram &c.* DEUS eâdem providentiâ gubernat universos, quâ singulos. absq; ea ne pilus quidem de capite, nec folium ex arbore defluet. *Ipse flagellat, & salvat, deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. Vita & mors in manu eius, clades & victoria; neminem deserit, nisi quem antè sua spes deseruit.

Tertium, quod notandū; *Stultè egisti.* Cordata & libera vox, sed à DEO

diris deteſtatam, tot cædibus hominũ, & toties expiatam, putet tolerandam fuiſſe à Rege, pio Numinis cultore? Itaq; hîc per *Excelſa*, intelliguntur Sacella, in montibus & locis celſioribus DEO vero dicata, in quibus poſt conditum Templum, contra fas, plerumque adhuc Sacra fiebant, quæ prudenter *Aſa* permiſit, ne conſuetudo populi, immolandi in *excelſis*, repreſſa, ad idololatriam deflecteret. Iudæis enim, cùm Tabernaculum & Templum non ſuppeterent, officium pietatis credebatur, *proſeuchas*, certos nempe ad precandum locos deſtinare à tumultu, & contagione pravæ ſocietatis ſegreges. Hos autem poſt Templi molitionem retinere, & in illis ſacrificare vetitũ fuit; quòd minuere auguſtioris eius baſilicæ religionem & magnitudinem putabantur. Primi enim Patriarchæ litabant in lucis & montibus, quos poſtea gentilitas ſacrilegiô polluit, & inanibus dæmonum ſimulacris dedicavit. Hæc omnino ſacris legibus prohibita, & ſeveriſſimis addicta pœnis. Inde & Chriſtianorum tempore, *Pagani*, ſunt appellati, qui ſe legitimis Sacris ſubducebant, ut in pagis & ſolitudinibus obſcœnos Gentilium cultus frequentarent. Illa porrò *Excelſa*, id eſt, aras & lucos ſibi ſacratos, etſi DEUS ob periculum ſuperſtitionis averſabatur; tolerabat tamen, donec à Salomone ædificaretur firmum & ſtabile Templum Ieroſolymis. Hinc *Aſa* & *Ioſaphat* contenti extinxiſſe nefarias religiones, metu ſeditionis permiſerunt ea, quæ dixi, Numini erecta delubra, non tamen citra reprehenſionem omnem, nam Siracides Eccli. 49. ait: *Præter David, Ezechiam, & Ioſiam, omnes* (intellige, Reges Iudæ) *peccatum commiſerunt*. Horum enim primus, cultum DEI religioſiſſimè ornavit & auxit; cæteri duo ſummô Zelô eundem collapſum inſtaurârunt, ſublatis omnibus, quæ ei adverſabantur. Nimirum vitium ex quolibet defectu; virtus ex integra cauſſa.

Cur ex Regibus Hebrçis tam pauci boni.

Quærat aliquis, cur tam pauci Reges boni etiam in gente DEI? Reſpondet noſter *Nicolaus Cauſſinus lib. de regno DEI, diſſertat. 77.*
„ Lubet, *inquit*, ad ceteras nequitiæ cauſſas, (agnitę veritatis con-
„ temptum, ingrati animi labem, perniciem exempli) Iudæorum
„ regibus pertinaciter inhærentis, addere tres à Tertulliano non
„ ignoratas: Corrupta videl. femina, deſerta ſtudia, exarmata jura.
„ Multum illis veneni infudit promiſcua conjugiorum licentia;
„ inde gentiles feminæ omni impietate, luxuriâ & audaciâ famoſæ
„ in regum thalamos invaſere, & dedere partus ambiguos, qui, pa-
„ trum relicta ſæpe religione, in matrum ſuperſtitionẽ, earũ blan-
„ ditijs edomiti declinârunt. Ad hæc legis divinæ ſtudia deſerta,
„ fatale laſcivientib⁹ imperijs otiũ, & perẽptor magnarũ cogita-
„ tionũ luxus, obſeſſos ſubjugârunt. Nec jã aderant, qui violentię

regum

„ regum conatibus obſiſterent, magnô illô Synedrio (ſeptuagin-„ ta duorum virorum ſenatu, vel terroribus proſtrato, vel per „ fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina ſpirantes „ Prophetæ ſeſe rebus tam præpoſterè fluentibus opponerent, „ aut morte, aut exilijs mulctabantur. Inſtabat quoque Aſſyrio-„ rum & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devin-„ cti, Judæorum reges in ſuæ impietatis commercium abripie-„ bant, utilitatis ſpecie delinitos. Hæc igitur mores illorum in-„ fecere; mox contagio latè in populum ſerpſit, & ex optimis, „ peſſimi quique devenere. Hæc Cauſſinus.

Aſa triginta ſex annis præclariſſimè ſe geſſit; fiduciâ fuit in DEUM magnâ, utinam conſtante. Illam certè DEUS ſic remuneratus eſt, ut decies centena millia militum, quæ Æthiopiæ rex ſub ſignis habuerat, illuſtriſſimâ victoriâ profligârit. Et tamē gratiam tot annis collectam effudit omnem inconſulta in viribus humanis confidentia. Id enim Vates Hananus, in faciem exprobrans, *Quia habuiſti*, inquit *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore adversùm te bella conſurgent. Iratúſque Aſa adverſus Videntem* (Prophetam) *juſſit eum mitti in nervum; valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* 2. Paral. 16. In qua objurgatione, comprimis obſervanda Aſæ vecordia, qui poſt tam luculenta divini præſidij experimenta, ſpem ſuam poſuit, in *baculo*, ut Iſaias loquitur, *arundineo*: nempe in homine Numinis inimico, & odia ſumma merito. Quid enim armatorum multitudo, niſi ſeges arundinum, flatu ſternenda, niſi robur è cælo accedat? Idem Vates, cap. 30. fiduciām in homine collocatam, appellat umbram. *Habentes*, inquit *fiduciam in umbra* (milite) *Ægypti*. Quid fallacius, fugacius, inconſtantius umbra? *Neque enim Dominus* (ut pſaltes ait pſal. 146. *in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. ſed in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.*

Hannani propheta cordata objurgatio.

Alterum in oratione Hanani animadvertendum, eſt: *Oculi Domini contemplantur univerſam terram &c.* DEUS eâdem providentiâ gubernat univerſos, quâ ſingulos. abſq; ea ne pilus quidem de capite, nec folium ex arbore defluet. *Ipſe flagellat, & ſalvat, deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. Vita & mors in manu eius, clades & victoria; neminem deſerit, niſi quem antè ſua ſpes deſeruit.

Tertium, quod notandū; *Stultè egiſti.* Cordata & libera vox, ſed

à DEO

regnum omne suum repurgavit; intérque sacrilegos idolorum adoratores matrem quoque suam (aliqui aviam fuisse credunt) Máacham, & soliô simul, & Priapi fœdissimo Pontificatu dejecit. imperium suum urbibus, armis, exercitu, civiúmque multitudine firmavit. Ne tamen virtus inexercita languesceret; Numine permittente, bello lacessitus est ab Æthiopum ductore, Principéque *Zara*: qui supra Syenem, & ultimam Ægyptum, meridiem versus, imperabat. Decies centena militum millia, cum trecentis falcatis curribus ducebat Æthiops in *Asam*; viginti millibus minùs, quàm sexcentis bellatorum millibus succinctum. Ideóque trepidabatur ab *Asaïs*: ab Æthiopibus contrà, jactanter agebatur, ac minaciter; fiduciâ multitudinis atque copiarum. Sed ubi ventum ad manus est; ad *Asa* regis preces, exterrente DEO superbiâ hostilem; cæsus, fugatus, castris exutus, & profligatus *Zaras*, cum suis omnibus deletus ad internecionem est. Urbs *Gerara* cum finitimis populis universis, qui partim Philistini juris erant; partim ab Iudæis ad barbaros defecerant, occupata: prædáque supra fidem humanam ingens, hominum, pecoris, gregum, ac jumentorum, & utensilium, auríque capta. Quo tempore patuit; sicuti, sine Duce, nihil exercitum quantumvis magnum; sic, sine DEO, nec Duces esse quidquam, atque turmas: barbaricásque castrorum quadrigas, tanquam puerorum equestres arundines à *Curru DEI, decem millibus multiplici*, nullo negotio diffringi; quoties adversùm homines Angeli (sicut tunc accidit) aurigentur.

Rex Asa è cœlo juvatur adversùs hostes.

Devicto hoste, cum spolijs amplissimis Hierosolymâ revertentibus, *Azarias*, Vates fit obviàm; is gratulatus regi, populóque victoriam, divino favore partam, præmium pietatis & in DEUM obsequij, prædicit in posterum quoque consecuturas felicitates, si à rectè cœptis non defecerint; secus, ingentem calamitatum seriem inundaturam. jam tum enim homines ancipitis fidei præmunire volebat adversùs socordiam & trepidationem, quâ postea concussi, Syrorum auxilia implorabant. Rex delectatus vaticiniô, strenuam dedit operam publicè, privatímque, ad religionē sartā tectam conservandam, dimissis per omne regnum, eius negotij curatoribus. Quo tempore non pauci Israëlitarum ab idolorū cultu ad pristina sacra se recipiebant, novo sese fœdere DEO devoventes; sed fidem, ut aliàs, parùm constantem tam isti, quàm Iudæi coluerunt. Cùm enim *Baasa* rex Israëlitarū (de quo inferiùs plura) urbem *Ramam*, quadraginta stadijs Ierosolymâ distantem subitò adortus, in potestatem redegisset, itáq; comunijsset, ut frequentibus inde excursionibus, totum *Asa* regnum vastaret; homo meticulosus plus præsidij humano in auxilio, quàm divino reponēs, *Benadadum* (ut diximus) Syriæ regem, magnis impensis, etiam thesauri

Regis Asa diffidentia erga Deum.

thesauri sacri jacturâ, in societatem belli evocat. Reprehensus eo nomine, Vatis *Hanani* libero sermone, (sic DEO jubente) exardescit irâ, culpámq; culpæ adijciens, Prophetæ monitoris pedes in nervum mittit, ac carcere constringit. Nec eo facinore saturatus furor, crudeliùs in populum debacchatur, cujus numerosam multitudinem (tyrannidem quippe hominis damnabat) gladio ferit. *Ejusdem tyrannis.*

Sed hæsit in tergo, sævitiæ vindicta; pedum ipse vehementissimo dolore cruciari, punirísque cæptus, anno regni tricesimo nono: bienniô pôst extinguitur; nec in ultimo quidem morbo divinis quæsitis, aut imploratis remediis, eâdem, quâ nuper confidentiâ, Syri règis auxiliô; nunc Medicorum manu nixus, DEO neglectô. Sunt, qui putent pœnitentem obijsse, idolorum eversorem, veríque Numinis assertorem, dolorum acerbitate commissa crimina castigante. Nec parùm ei favente sacro historico, cujus verba sunt. 3. Reg. 15. *Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis.* Alij salutem eius aut omnino depositam, aut certè dubiam credunt, adducti eô Divini codicis locô. *Nec in infirmitate sua quæsivit Dominum &c.* 3. Reg. 15. multarum reus cædium. illam verò *cordis perfectionem*, ad idolorum duntaxat exstirpationem restringunt; Scripturâ sacrâ scelera ipsius arguente, nihil de illorum expiatione, memorante. Ipsa quoq; sepultura non eundem fert apud omnes calculum. Aliqui damnant eam luxûs immodici ac superbiæ; quòd impositus lecto ex aromatibus structo, unguentísq; meretricijs, (ut pagina S. loquitur) pigmentariorum arte confectis, elatus & combustus sit, *ambitione nimia*; forsan ab ipsomet mandatâ. Alij malunt, busti magnificentiam, *Iosaphati* ejus filij, munificæ in parentem pietati adscribere; in eo quoq; honori paterni funeris, consulentis, ut fluentis è putredine pedum, fætorem tabis, aromatum depelleret odore. Nos re in medio relicta; quidquid demum cum *Asa* anima agatur, tot inter lubricitatis humanæ exempla, fortiùs figamus pedem, & meminerimus, à DEO non coronari initia, sed finem.

DOCTRINA.

E*Xcelsa autem non abstulit.* 3. Reg. 15. Locus hic sæpius in sacro regum Chronico recurrit, ideóque nonnihil excutiendus. Nam Tostatus, Episcopus Abulensis, vir ingentis doctrinæ; sed qui in tanta voluminum mole, non omnia discutere potuit, existimavit *Asam* tantùm sustulisse illa *Excelsa* (delubra collibus inædificata) quæ à privatis fuerant excitata; non attigisse autem fana, quæ proavus Salomon, in suarum gratiam uxorum eduxerat; eóque tempore clausa tenebantnr. Sed quis Idololatriam tot apud Iudæos ictam fulminibus, tot

 diris

„ regum conatibus obſiſterent, magnô illô Synedrio (ſeptuagin-
„ ta duorum virorum ſenatu, vel terroribus proſtrato, vel per
„ fœdam adulationem emollito. Si qui adhuc divina ſpirantes
„ Prophetæ ſeſe rebus tam præpoſterè fluentibus opponerent,
„ aut morte, aut exilijs mulctabantur. Inſtabat quoque Aſſyrio-
„ rum & Ægyptiorum regum vicinia, qui omnes idolis devin-
„ cti, Judæorum reges in ſuæ impietatis commercium abripie-
„ bant, utilitatis ſpecie delinitos. Hæc igitur mores illorum in-
„ fecere; mox contagio latè in populum ſerpſit, & ex optimis,
„ peſſimi quique devenere. Hæc Cauſſinus.

Aſa triginta ſex annis præclariſſimè ſe geſſit; fiduciâ fuit in DEUM magnâ, utinam conſtante. Illam certè DEUS ſic remuneratus eſt, ut decies centena millia militum, quæ Æthiopiæ rex ſub ſignis habuerat, illuſtriſſimâ victoriâ profligârit. Et tamē gratiam tot annis collectam effudit omnem inconſulta in viribus humanis confidentia. Id enim Vates Hananus, in faciem exprobrans, *Quia habuiſti*, inquit, *fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua. Nónne Æthiopes & Libyes multò plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm Domino credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui perfecto corde credunt in eum. Stultè igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore adversùm te bella conſurgent. Iratúſque Aſa adverſus Videntem* (Prophetam) *juſſit eum mitti in nervum; valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* 2. Paral. 16. In qua objurgatione, comprimis obſervanda Aſæ vecordia, qui poſt tam luculenta divini præſidij experimenta, ſpem ſuam poſuit, in *baculo*, ut Iſaias loquitur, *arundineo*: nempe in homine Numinis inimico, & odia ſumma merito. Quid enim armatorum multitudo, niſi ſeges arundinum, flatu ſternenda, niſi robur è cælo accedat? Idem Vates, cap. 30. fiduciam in homine collocatam, appellat umbram. *Habentes*, inquit, *fiduciam in umbra* (milite) *Ægypti.* Quid fallacius, fugacius, inconſtantius umbra? *Neque enim Dominus* (ut pſaltes ait pſal. 146. *in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. ſed in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.*

Hannani propheta cordata objurgatio.

Alterum in oratione Hanani animadvertendum, eſt: *Oculi Domini contemplantur univerſam terram &c.* DEUS eâdem providentiâ gubernat univerſos, quâ ſingulos. abſq; ea ne pilus quidem de capite, nec folium ex arbore defluet. *Ipſe flagellat, & ſalvat, deducit ad inferos, & reducit.* Tob. 13. Vita & mors in manu eius, clades & victoria; neminem deſerit, niſi quem antè ſua ſpes deſeruit.

Tertium, quod notandū; *Stultè egiſti.* Cordata & libera vox, ſed

à DEO

à DEO dictata. Nescit assentari veritas, etiam regibus. Legato Numinis ante omnia timor humanus exuendus, eodémque habenda loco purpura & cento. nihil dissimulandum, nihil palpandum; cunctáque priùs perpetienda, quàm latum unguem à DEI jussis recedendum. Et en diffidentiæ suppliciũ: *propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent*. Nunquid hîc locus illi trito?

Incidit in Scyllam, qui vult vitare charybdin.

Hoc ijs solet contingere, qui suâ magis prudentiâ, quàm DEI fidentiâ, metiuntur consilia. Non fugit calamitates, sed quærit, quisquis cum pavido *Asa ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius*. Ierem. 5.

Ceterùm veritas, ut fieri amat, etiam hîc odium peperit. *Iratúsque* Asa &c. Ita Hananus legationem suam carcere, populus capite luit. Tunc reges in tyrannos transeunt, quando veri incipiunt esse impatientes. Misera sanè conditio Principũ, qui vel non habent, à quibus veritatem discant; vel, si habent, non audiunt.

NARRATIO LXXVIII.

TRAGICA REGUM ISRAELITICORUM SERIES.

3. Reg 16. 22. 4. Reg. 1. 9. 10. 11. 13. 14. 17.
Ab anno Mundi 3081. Ante Christum 972. ad annum Mundi 3314. Ante Chr. 739.

Nadabus Ieroboami filius malè perijt.

DEcretorias Numinis in Ieroboamum, eiúsque familiam minas, successor in regno, *Nadabus* filius, in caput suum, alterô statim regni excepit annô; in eum quippe ambitio *Baasam* quendam, tribu *Issacharis* oriundum, impulit, ut illô per insidias interfectô, ad tyrannidem sibi aditum teterrimo facinore aperiret: primúsque in gente Hebræa regum à Subditis occidendorũ parricidale vexillum erigeret. Sævitum etiam in cadaver *Nadabi*, & juxta Vatis *Abiæ*, Silonitis, prænuntiationem, præda volucribus ac bestijs, abjectum. Nec in uno capite quievit crudelitas; in universam familiam regiam furore debacchante. Meruit quidem invisa stirps exscindi; non ideò tamen barbara hominis immanitas à scelere vindicatur, quem ad sanguinarium facinus non explendi religio præsagij; sed firmandæ tyrannidis, & exsaturandæ crudelitatis

crudelitatis libido incitavit. Et mirum! ausus est *Baasa* impijs Jeroboami (quem funditus in sua posteritate exstirpârat) vestigijs, nefarius idolorum cultor insistere; ejúsque imitari crimina, cujus exhorrescere debebat pœnas. Adest igitur, more jam solenni, missus à DEO Vates, *Jehu* nomine, ut sceleratissimo tyranno interminetur supplicia, posterorum excidiô pendenda. Sed homo ferox, vaticinij minas elusurum se ratus, si Prophetam interficeret, non dubitavit sacrati viri sanguine crudeles manus imbuere. Remorante tamen ultionem, Numinis dextrâ, Baasa ipsos quatuor & viginti annos ex alio in aliud scelus circumegit, donec infelice spiritu in orcum ejecto, filium post se reliquit *Elam*, patris per omnia æmulum, & diris Propheticis devotum. In hunc insurrexit *Zambris*, mediæ partis equitum ductor; qui conjuratione facta, regem *Thersa*, in urbe regia, inter epulas temulentum, eò demisit, quò genitor præcessit, cùm vix secundum regnandi annum inchoasset. Quô facinore perfectô, ne esset, qui occisum posset ulcisci, secúmque de regno contendere, eâdem truculentiâ in omnes regis consanguineos desævijt; proprióque scelere alienum ultus crimen, prædictioni fidem, sibi gradum ad interitum fecit. Nam exercitus Israëliticus, qui tum *Gebbethonem*, urbem Philisthinorum, obsidebat, intellecta Zambris rebellione, nefariáque regis cæde, diadema imposuit militiæ principi, cui *Ambri* appellatio; hic omissô obsidiô, celeritate usus, copias Thersæ, in qua se Zambris pro rege gerebat, admovet; ille metu & desperatione adactus, ut timida est pravorum conscientia, sese, regia cum domo succendit: Simul diris corpus supplicijs, simul regias opes inimico erepturus. Tyrannicum ejus imperium non ultra septiduum se extendit.

Eiúsque interfector Baasa impiè mortuus.

Et Elam.

Et Zambris.

Interemptô tyrannô; cùm nemo de stirpe regia Jeroboami superesset, populus in contraria scissus est studia, *Ambri* non leve jus ad regnum contulerat prærogativa militaris; optimates autem favebant *Thebni*, viro inter suos claro. Triennium inter eas disceptationes effluxit, cùm *Thebnis* præliô inferior, vitæ finem & discordiæ fecit. *Ambris* æmulô sublatô, curîs ad pacis studia conversîs, novam sibi regiam (Thersam quippe cædes & rapinæ vastârant) in extremis Ephraimiticæ Tribûs finibus ædificavit; quam *Samariam* appellavit, de nomine *Someris*, à quo montem emerat, cui urbem imposuit, regni deinceps primariam, opibus & munimentis futuram. Sed Ambris quoque detestabilem reddidit memoriam impietas, quà ante alios eminens, duodecimo regni anno ad inferos & ipse abijt.

Et Ambris.

In regno & flagitiis successit, *Achabus* filius, anno Mundi 3117. ante Chr. 936. homo ex asse nequam; qui cùm scelera sceleribus,

Et Achabus.

instigante

instigante *Jezabele* uxore cumulâsset, spretis Eliæ monitis, & *Michea* vaticinijs, tandem à *Benadabo* Syriæ rege, quem antè vicerat, profligatus & cæsus, patientiæ DEI pœnas dedit, post regni annum vicesimum secundum. de quibus infrà plura. Reliquit post se progeniem non minùs vitiosam, *Ocboziam*; qui cùm fortè deambularet in supremo tecti Solario, prolapsus per fenestram, quâ lumen in cænaculum immittebatur; vel, ut alij volunt, per reticulatam Solarij loricam, fatiscentibus & ruptis cancellis, extremum vitæ periculum adijt. Conquassati corporis remedium à *Beelzebube Accaronitarum* idolo dum petit, interitum pro salute accipit, filióque *Ioramo* succedendi locum facit, homini, patrem cùm alijs, tum maximè impio simulacrorum cultu, referenti. quem duodecimo regni anno, *Iehu*, Magister equitum, sagittâ traijcit, simúlque deletâ, Achabi familiâ, regnum Israëlis invadit, & *Iezabelem*, criminum omnium feminam, debita dudum morte mulctat: nec in mortua parsum pœnę, nam à canibus discerptum cadaver, & septuaginta Achabi filij, in divinæ vindictæ appendicem, ferro necati sunt. An. M. 3157. ante Ch. 896. *Athalia*, sola ex Achabi prole superstes, nupta *Ioramo*, Iosaphathi filio, regi Iudæ, post mortem *Ocbozia*, filij, (ad quem paternum regnum devenerat) sibi asserit sceptrum, & in suum ipsa genus ac sanguinem, nova furia debacchata, prolem omnem regiam, quantum in ipsa fuit, peremerat, regnúmque vi occupatum, vi & cedibus administrabat. Tertio tyrannidis anno, adnitente *Ioiada* Pontifice, ferro occiditur, *Ioà* octenni in regnum assumptô, quem infantulum, Aviæ crudelitati subtractum Ioiadas clanculum educabat. Sic Achabi stirps evulsa radicitus, nullo termite repullulavit. Neque *Iehu*, per quem DEUS sacrilegam Achabi domum evertit, impunè tulit venerationem vitulis *Ieroboamicis* impensam; nam post clades à Syris acceptas, cùm inglorius reliquum vitæ, regníque exegisset; anno vigesimo septimo, ex quo dominatum gentis Israëliticæ arripuit, impiè defunctus, sceptrum transmisit *Ioachazo* filio; ab hoc, multis calamitatibus, ipsis annis septemdecim, attritô, devoluta potestas regni in hæredem *Ioam*. qui regni anno decimo sexto demortuus in cultu idolorum, postquam eô DEUS est usus, tanquam virgâ ad Syros & Iudæos cædendos, in filium diadema transtulit, *Ieroboamum* secundum; virum strenuum & bellicosum, sed idolis deditum; unde parem sortitus est exitum, animo tamen funestiorem, quàm corpori.

Et Ocbozias *Et Ioramus* *Et Iezabel.* *Et Athalia.* *Et Iehu.* *Et Ioachazus.* *Et Ioas.* *Et Ieroboamus secundus.*

Post duodennium interregni, *Zacharias*, Ieroboami II. filius, in solium evectus, quartus ab atavo Iehu, regnavit, in exterminatæ

Et Zacharias.

minatæ familiæ Achabánæ mercedem; quæ cùm juxta oraculum divinum, intra quartam generationem ſtaret, *Zacharias* poſt trimeſtre imperium, conſpiratione facta, à *Sello*, Primatûm uno, interficitur, ultimus ſtirpis Iehu ſurculus. *Sellum* verò unô pôſt annô ſuſtulit *Manahemus*, exercitûs regij præfectus, paris perfidiæ & crudelitatis. cujus imperium cum urbis *Thapsa* incolæ detrectarent, admotis copijs eam capit, & promiſcua in omnes cæde ſævit, ferro quoque rimatus prægnantium viſcera, ne quis locus carnificinæ ſubduceretur. Et quia tyrannidis perpetuus eſt comes, metus; tantò jam timidior, quantò priùs immanior, magnis in auxilium impenſis *Phulem*, Ægyptiorum regem vocat, póſtque decennium in regno, odióque publico exactum, ſicca morte (quod rarum in tyrannis) deſcendit in Tartarum; ſuccedente filio *Phaceiâ*, quem biennalem ſceptri poſſeſſorem, de ſede & vita deijcit *Phacee*, Romeliæ filius, chiliarcha, cum quinquaginta conjurationis ſocijs. Hunc quoque, vigeſimô pôſt annô (poſtquam à *Teglatphalasare*, filio *Phulis* Aſſyriorum rege, ob denegatum tributum, magna regni, populíque in Aſſyriam tranſportati parte mulctatus eſt; quinque enim tribus in captivitatem abductæ) conſecuta Nemeſis, per *Oseam*, *Elæ* filium, ferro interemit, & parricidæ talionem per parricidam rependit. Non minùs *Oseam* vindex juſtitia in pœnas rapuit; nam annus imperij decimus & nonus tam regi, quàm toti regno Iſraëlitico fatalis fuit, multò antè, ab Iſaia prænuntiatus; eo enim tempore, *Salmanasar* Theglatphalaſaris filius, quòd Iſraëlitæ tributariæ ſervitutis jugum excutere molirentur, ex Aſſyria in Paleſtinam irrupit, captáque, poſt tertium obſidionis annum, *Samariâ*, regni capite, populum unà cum rege compedibus vincto (in quibus deceſſit) in Perſidem & Mediam abduxit, (in cæteris captivis etiam Tobias fuit) regnúmque Iſraëliticum funditus evertit, poſtquam illud Ieroboami operâ, Roboami ſtultitiâ, à regno Iudæ diſtractum, per annos ducentos, quinquaginta quinque, perpetuò ſuis cum regibus, idolis ſervijſſet, & ſeveras, multiplicéſque Prophetarum minas, obſtinata mentis inductione rejeciſſet; lento quidem, ſed tremendo cœleſtis Vindictæ proceſſu.

Et Sellum.

Et Manahemus.

Et Phaceias

Et Phacee.

Et Oseas.

Omnes impij Reges Iſraëlitici.

DOCTRINA.

Hunc exitum habuit idolomania per Ieroboamum in regnum Iſraëliticum invecta: hoc ex fonte tot annorum fluxerunt lacrimæ; unius contagio, ſuppliciúmq; ſceleris duo ſecula cum dimidio corripuit, corrupit, affixit. Quoties clementia

Ex unius Ieroboami malitia, exemplum & pœna in omnes Iſraëlis reges fluxit.

clementia Numinis per Vates suos ad saniorem mentem desertores avitæ fidei revocare voluit! quoties repulsam tulit! Quoties pœnas inflixit, inflictásque immeritis favoribus mitigavit! Beneficia ob oculos posuit; & tamen qui agnosceret, non invenit. Hinc illæ Historiæ Sacræ repetitæ querelæ; *ambulásse reges Israël in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israël, fecisséque malum coram Domino.*

Cur Ieroboamus ad sceptrum evectus à DEO

Quæres, cur DEUS evexerit Ieroboamum ad dignitatem regiam, quà sciebat tam malè usurum? Respondet *S. Hieronymus* ,, *lib.3. contra Pelagian.c. 2.* Vis, *inquit*, scire rationem? DEUS præ- ,, sentia judicat, non futura, nec condemnat ex præscientia, ,, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceat: sed tantæ ,, bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, ut eligat eum, quem in- ,, terim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potesta- ,, tem conversionis & pœnitentiæ. Neque ideo peccavit Adamus, quia DEUS peccaturum præsciverat; sed ideò præscivit DEUS, quia ille propria voluntate erat peccaturus. Nec in eo, *inquit Am-* ,, *brosius in cap.9. epist ad Rom.* læsus est vel Adam, quia mandatum ,, accepit; nec Iudas, quia electus est: non enim necessitatem ,, DEUS vel illi prævaricationis, vel huic proditionis imposuit; ,, quia uterque, si, quod acceperat, custodisset, à peccato absti- ,, nere potuisset. Quos scit DEUS in bono mansuros, frequen- ,, ter antè sunt mali: & quos scit malos permansuros, aliquoties ,, priùs sunt boni.

Tyrannorū interitus.

Ex Tyrannis Israëliticis, quorum alius alium de vita & solio deturbavit, apparet, imperium scelere acquisitum, etiam scelere fuisse amissum: neque enim regna diu manent apud eos, qui ea rapuerunt. Et verum est illud Senec. Oedip. Act. 3.

Qui sceptra duro sævus imperio regit
Timet timentes: metus in auctorem cadit;

Vetúsque dictum est tyrannos principes quàm rarissimè senescere. Quod si longius vitæ spatium quibusdam indulget Mundi Rector, facit id in vindictam scelerum; sunt enim Principes impij flagellum DEI.

Impiorum eradicatio.

Et ô vecordes & miseros, qui DEO contemptô, sibi felicitates in purpura fingunt! qui tantò propiùs ad honorem & gloriam sese credunt accedere, quantò recedunt longiùs divinis à legibus. Enimvero cæcorū instar, tot ruunt in præcipitia, in quot scelera devolvuntur. Salomon Proverb. c. 11. ait: *In impietate sua corruet impius.* Gravissimus lapsus è solio in Tartarum. Eò præcipites abierunt Israëlitici reges omnes, victimæ nil miserantis Orci, *funibus peccatorum suorum constricti* Proverb. 5. *Væ vobis impij* minatur Siracides Ecclesiast. cap. 41. *qui dereliquistis legem Altissimi*

Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini, & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Et psal. 20. *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.*

Quid verò potuit esse dementius, quàm desertâ Religione tot prodigijs contestatâ, divinitatis cultum in conflatas ex auro vitulos conferre? Prô Numinum pudendorum adoratores! Non minus stultitiæ & impietatis inest ijs, qui cum Ochozia teterrimos dæmones, eorúmque detestabiles ministros, Magos & Divinos consulunt, non sine gravissima Majestatis æternæ injuria, paríque supplicio. Sic Saul occisus in prælio, qui pythonissam pro Oraculo habuit. 1. Reg. 28. Sic Achab telo confossus, quòd à Prophetis Baal eventum sit belli sciscitatus 3. Reg. c. ult. Sic Ochozias gemina morte mulctatus est, quia arcanorum cognitionem ex Beelzebube, cacodæmone petijt. 4. Reg. 1. *misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub, DEUM Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac.* Cui Elias: *Ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Hoc fulmine caput erat feriendum, quòd incolumitatem ab orco sperabat.

Crimen consulentium magos.

Debuissent idololatras Israëlitas à nefandis superstitionibus absterrere, vel ipsa turpissimorum Numinum propudiosa nomina. Quid enim aliud *Beelzebub*, quàm *muscarum DEUS*, quem Accaronitæ invocabant ad abigendas muscas, quibus ipsorum regio, quippe in solo humido & calido, ob maris viciniam, sita abundabat. Quid *Smintheus* Cretensium Iupiter, quàm *Dominus murium*? Quid *Parnopius* apud Atticos, quàm culicum & locustarum præses? Quid deastri illi ex varijs gentibus in Samariam translati, & ibi culti, nisi numinum, nominúmque monstra? Nam 4. Reg. 17. legimus: *Et unaquæque gens fabricata est deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ. Viri enim Babylonij fecerunt Sochothbenoth*, id est, gallinam cum pullis suis. *Viri autem Chutæi* (Pergit S. Scriptor) *fecerunt Nergel*, id est, gallum gallinaceum. Et viri de Emath fecerunt *Asima*, id est, hircum silvestrem. Porrò *Hevai* fecerunt *Nebahaz* & *Thartac*, id est, canem & asinum. Hi autem qui erant de *Sepharvaim*, comburebant filios suos igni, *Adramelech* & *Anamech* dijs Sepharvaim. id est, mulo & asino liberos suos immolabant. Hoc enim significant voces illæ Syriacæ, Chaldaicæque. At hæc denique portenta, Sacrilega insania delabitur. Verè Apostol. ab Philipp. 3. *Gloria in confusione eorum.* His se propudijs prosternunt supplices, qui castissimo Numinis veri cultui tergũ verterunt. *Confundantur omnes*, exclamat psaltes regius ps. 90. *qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Et cũ illis omnes ij, qui

Portenta idolorum.

sectas colunt impias, vel quocunque pacto comerciòvecum stygijs genijs tenentur. Ea superstitionum monstra, quæ Israëlitas olim in tam multiplices impietates distraxit, perdidítque; hodie quoque haud paucas gentes, provincias, urbes absurdissimorũ errorum labyrinthis implicat & pessundat. Nimirũ una & recta est veritatis linea, à qua si vel tantillùm deflectitur, in alia super alia offendicula, lapsus, aberrationes, devia devenitur.

Caussa ruinæ regum Israëliticorum.

Juvat huc quædam transcribere ex ijs, quæ Ioannes noster Bissellus, eruditissimus historicus, in Parte 1. Decad. 4. Ruinarũ Illustrium, subjungit Ruinæ Regum Israëliticorum, num. 12. ubi sic disserit: Sed quis hanc tantam sempiternorum ignium, necessitatem, *Israëlitis* sive Regibus, sive *Populis* injunxit? Quis è solio, vitáque, florentes quondam, ad incendia sine caritura detraxit? Profectò, non DEUS; *cui proprium misereri semper, ac parcere*; sed singulorum & omnium, spontaneus impetus; prava voluntas; & peccandi libido. Nempe, DEO retrahente; Prophetis reclamantibus; lege Mosis contrà stante; prodigijs, beneficijs, minis, ac pœnis, dehortantibus; tamen suas singuli cupiditates pro DEO, Prophetis, lege, monitis, habere sunt ausi. Ac reges quidem Israëlitas, ut *Vitulorum* sacrilegum cultum excogitarent, & à semel excogitato nunquam avellerentur, *Ambitio* pessum dedit, Regníque retinendi præposterum studium. *Prudentia* sanè mortalium, *DEI spiritu* carentium, sed DEO planè *Stultitia*! sapientia non cœlo descendens, sed (pace vestra Pseudopolitici) *terrestris*, animalis, diabolica. Perdidissent, inquis, sibi, posterísque suis Israëlis imperium, si populus ad Iudææ reges se retulisset. At ob idipsum perdiderunt, DEO diffidentiam eorum plectente: non amissuri, si DEO nixi, formidines humanas despuissent. Sed quæstus (inquis) ingens è populi defluxu, fisco fuerat regio decessurus vectigalium ac tributorum imminutione, quæ regnorum anima & succus sunt; & Populus *Vitulinorum* sacrificiorum dulcedine depulsus, alienior à rege prohibente, majestatem illius enervaturus erat. Hoc nimirum, hoc ipsum est, Interitûs regum Israëliticorum lethale punctum: quod idem novissimis his mundi sæculis, Principum haud paucos evertit, ut antiqua Sacra convellerent, novásque religiones permitterent, & amarent: *Populo* nempe *ne displicerent*; & suas interim opes amplificarent. Hæc regum Isaëlis, & omnium post hos, imitantium eos, Interitûs ac Rurinæ caussa fuit: Ambitio, radíxque malorum Avaritia.

Populus

Populus autem Iſraëliticus, undénam periit? Regibus nempe peſſimis, in rebus longè peioribus libenter obtemperando; non ſine quodam excuſationis honeſtæ pallio. quando naturæ vitiô comparatum ſic eſt; Ut, ad quod ſua quisque cupiditate fertur, id Obſequium, Neceſſitatémq; nominet: & in ſcelere ſuo, tanquã in umbra virtutis acquieſcat. Iſraëlitarum igitur pars maxima, non tam, quòd regum ſuorum imperiis adigerentur, quàm quòd ſacrificiorum, cœtuúmque nefariorum genus craſſę voluptariæque gentis ſenſus demulcebat, ad vitulos aureos adorandos convertebatur. Ibi confluebat uterq; promiſcuè ſexus & ætas. Edebatur, potabatur, ludi fiebant, ac ſaltantium chori. pſallebant in lucis puellæ; concinebant iuvenes; ingenuíſque virginibus ac matronis im̃iſtæ meretrices & proſtibula, ſimilitudine morum ſuorum ac turpitudinum, accendebant etiam honeſtatem. Illic temulentorum clamores; amantium in laſciviam fractæ voces & carmina, tibiæ, citharæ, pſalteriáque depravabant animos etiam caſtos; quippe vinô jam præoccupatos. Tanquam id demum eſſet, quod ab *Vituli* cultoribus atque cultricibus exigeretur: *Reique Divina* nulla *dari* conſum̃atior opera, niſi Venere poſſet.

Cauſſæ ruinæ populi Iſraëlitici.

Perierunt igitur & Reges Iſraëlis, & Populus; ab inteſtinis ſibi vitijs everſi potiùs, quàm ab exteris Aſſyriorum armis. Cúmque (quod mirandum imprimis eſt) tum vel maximè, magíſq; poſtea Judææ Rex *Ezechias* floreret; cuius anno ſexto regni *Salmanaſar Oſeám* & Iſraëlitas in *Mediam* abduxit: Samariticum contrà regnum adeò jam à radicibus inchoatâ ſtrage concidit; ut novemdecim Reges haud ampliùs ducentos annos, & quinquaginta quinque duratione culminis explêrint; Intráque regnum unius *Aſa* Jeroſolymitæ, ſex Iſraëlitæ reges conſumpti ſint. A principio verò regni *Jeroboami* Vitulorum auctoris, ad Oſeæ ſupremam cladem, non niſi *Tredecim* Jeroſolymitæ reges; aut ſi cum Flavio Joſepho Reginam *Athaliam* excludere placeat, *Duodecim* gubernaverunt. Sed *Iſraëliticorum* quidem Regum plerique, cecidere tantiſper, alienæ manûs arbitriô: *Judaicorum* haud plures quatuor-Iſraëlitæ denique Reges non ſolitarij corruêre, ſed cum ingenti populi ſui multitudine, barbarorum ferro conciſâ: Judaici contrà florentibus adhùc, aut certè ſub *Ezechia* ſaltem revireſcentibus, plebis quoque fortunis. Sub eodem igitur annorum curriculo *plures* illic Principes; hîc *diuturniores*: & *regalium* capitum pauciores fuerunt in Judæa *Coronæ*; plures autem in Iſraële *cædes* atque *victimæ*. Fit nimirum hoc; ubi *Sceptri* potior eſt, quàm *Cœli* Deique cura. Hæc eruditus ille Scriptor.

Diſcrimen inter reges Solymitas, & Iſraëliticos ſeu Samaritas.

NARRATIO

NARRATIO LXXIX.
IOSAPHATVS IV-DAE REX, PIETATIS CULTOR.

3. Reg. 22. 2. Paral. 17. 18. 19. 20.
Ab anno Mundi 3121. Ante Christ. 932. ad annum Mundi 3145. ante Christ. 908.



SÆ regnum ac felicitatem *Josaphatus* excepit filius, abnepos Salomonis. Hic inter paucos probatus ac dilectus Numini, conceptam à teneris pietatem non regni modò principiò præ se tulit, sed eam toto vitæ decursu mirificè amplificavit. Fuit princeps ingentis animi, & curæ sagacissimæ. Pervidit omnia, quæ imperium antecessorum attriverant, eáque magna vi, aut vicit, aut amovit. Retractavit animo ambitiosas Salomonis divitias, in prædam congestas barbarorum; quòd in cogendo avidior fuisset, quàm in servando prudentior. Itaque non est imitatus avium speciosissimas, quæ plumas spoliantium aviditati nutriunt: roborare se maluit, quàm ostentare. Statim adjecit animum ad constituendas urbes munitissimas, quo scilicet obice erumpentem hostem aut frangeret, aut lassaret. Collocavit in locis opportunis præsidia, quæ in imperij tutelam vigilarent. Recensuit militiam, & ex tota gente elegit quinque duces probatissimos, quibus suas copias assignavit, ut parati essent ad subita, & virtutem æmulatione accenderent.

Josaphati prudentia.

Et quia sciebat, Salomonis & Roboami cruenta vectigalia, & acerbam vim exactorum, plurimùm nocuisse, non quæsivit artes parandæ pecuniæ subdolas, non armorum terrore expressit licita atque illicita; sed statim se boni publici, quàm studiosissimum professus, omnes in id contulit curas, ut sub eo populus non modò commodè, sed laxè viveret; magna interim molitus ad civium utilitatem & omnibus obvia; Ex quo tanta subditorum benevolentia est consecuta, ut ultro undíque offerrentur tributa & munera. Ditabant ejus ærarium vectigales Philisthinorum & Arabum reguli, ita ut in fiscum *divitiæ infinitæ*, teste sacrâ historiâ 2. Paral. 17. *multa cum gloria influerent*.

Divitiæ Josaphati.

Potentia.

Par opibus, armorum potentia, militúmque copiæ. Præter enim

enim valida, quas passim urbibus regni munitioribus imposuerat, præsidia; prætoriana Ierosolymis castra primus omnium regum antecedentium instituit: & in castris præstò semper cum suis quasque signis ac ducibus, legiones & copias; ac planè legitimos, & justos exercitus. Sub *Edna* namque, copiarum ductore, principéque, millia trecenta: sub *Ioanne* supra octoginta millia, ducenta præterea millia stipendia faciebant. Sub *Amasia*, Zechris filio, Nazaræo, millia ducenta robustissimorum virûm. Sub *Eliáda*, sagittariorum, & clypeis armatorũ, millia totidem. Sub *Jozabádo* denique, militum acerrimorum centum & octoginta millia. Sum̃a militis prætoriani, millies mille, centum & sexaginta millia; Iosaphato semper expedita manus. Tantùm potuit prudentia & humanitas religiosissimi Principis; quarum altera effecit, ut subsidia pacis, bellique nunquam deessent; altera Israëlitarum magnam multitudinem, ad pristini regni, religionísque amorem reduxit.

Itaque armis, opibus, & autoritate firmatus, renovationem regni à fundamentis aggressus est. Et quia DEI populum absque lege DEI stare non posse credidit, reliquias abominandæ superstitionis invictâ constantiâ profligavit; cúmque animadverteret, omnia inde scelera & flagitia suboriri, quod fons verbi divini exaruisset, primus omnium Regum, suscepit dignam Evangeliô curam: destinavit Principes, Sacerdotes, Levitas, qui omnes urbes & pagos indefesso labore lustrarent, & populum vel ingenio suô, vel administrantium socordiâ, rudem erudirent. Tanta inde regis veneratio, tanta populo addita est fiducia, ut qui antea dejecti, tum hostibus formidolosi existerent. Cui negotio suam ipse quoque interponens majestatem & operam, Iudæ, Benjaminíq; regionem omnẽ denuo lustravit, Deíq; veri sinceram colendi rationem, & ut *Prophetes* docuit, & ut *Rex* præcepit, imitandô tempestatibus etiam Christianis documentô. *Zelus religionis.*

Addidit religioni comitem justitiam; namque præ cæteris, qui eum præcesserant, regibus, accuratissima sedulitate judices constituit, qui in singulis urbibus à se munitis ita darent jura, ut meminissent, de ijs in supremo omnium Tribunali rationem reddere. Forum præcipuum Ierosolymis constituit, caussásque solertissimè distinxit, ut, quæ DEI essent, Pontifici relinqueret: quæ regis, regijs quoque judicibus committeret. *Iustitia.*

Tam validum istis artibus constituit regnum, ut civibus reverentiam sui, terrorem hostibus maximum pareret. Israëlitæ, qui ceteros turbare reges Iudæ consueverant, sub Iosaphato quievêre, vel timore potentiæ, vel nominis famâ. Sed *Moabitæ* & *Ammonitæ* acerrimè de Iude regno delendo cogitârunt, prævalido

exercitu jam in fines Hebræorum irrumpente, & *Engaddæum* tractum insidente. Rex cœlestibus semper armis intentus, solenne jejunium indicit, & longa oratione suis militibus spem & fiduciam inspirat. Inde secuta strages hostium, prodigio similis, ut non tã ad bellandum, quàm ad spolia diripienda, profectus ex urbe Iosaphatus videretur. Mirum namque dictu! ne gladiô quidem ullô strictô; nec pilô, spiculóve missô; nec pede collato, manúve consertâ, victor *stando* magis ac *spectando*, quàm *dimicando* fuit. Furias quippe hostibus, & alternum cædium impetum, immitente Numine: barbari, pro Iudæis hostibus, Idumæos, auxiliares suos; pòst, seipsos, mutuis ensibus, ad internecionem usque confecerunt. Eodem itaq; vestigio temporis, & Iosaphatus cum suis, in *Valle* (quæ *Benedictionis* postea nomen ab eventu tulit) omnium concordi studiô, divinas concinebat laudes: & barbarorũ cædentium sese, cadentiúmque, mistus ibat in cœlum gemitus, atq; clamor. In Tartarum verò pereuntium animarum imẽnsa ruebat strages, universâ cadaveribus hostium constratâ terrâ; cùm interim ex Hebræis, nec unus quidem, exercitûs regii numerum imminuisset. Spoliorum autem hostilium ac prædæ, multitudo tanta fuit, & opulentia: quanta vel avaritiæ, cui nihil satis est, sufficere potuisset; si suffecissent tot millium manus; quæ triduô solidô colligendis castrorum divitiis occupatæ, nec sic tamẽ exhaurire prædam potuerunt.

Ammonitæ se ipsos concidunt.

In hunc modum Iosaphati quàm religiosum, tam & potens, opulentúmque regnum fuit: futurum itidem, & reliquis omnibus suis numeris absolutum; nisi pretiosæ vestis instar, pulvere sordidatæ, maculam ex *Achabi*, Samaritarum impii regis affinitate, (*Ioramo* quippe filio, Athaliam Achabi sceleratam filiam in uxorem, infaustis auspicijs, dedit, & cum eâ idololatriam in judaicũ regnũ invexit) fœderéque contraxisset. Posteris principibus ea contages, disciplinæ documentóque fuit, regẽ bonum, alienam malitiã, conjunctione facere suam. Nimirum ingens animi tormentũ est amicitia, quæ sæpe domat, antea indomitos, & blandè flectit in deterius, etiã qui constantes pietate videbantur. Erat Iosaphato comis vita, & convictus facilis. Odisse poterat vitia, vitiosos à se undiq; arcere non poterat: subrepsit in eius familiaritatẽ Achabus per delicias, & amœna vitæ, à quo magnificè exceptus, amorẽ hausit imprudentem & cæcum, ut non consideraret funestam odijs divinis, & detestabilem Achabi domum, per omnia libidine Iezabelis furię agitatam & turbatam. Ex eo malorum ilias in Iosaphati domum fluxit, & seris nepotibus lentæ pestes. Nam etsi nec Dijs confictis, nec eorum simulacris supplicem se prostraverit, maculâ tamen aspersus est jam tum, cùm *Asa* patre conciliante, nuptijs

Iosaphato Societas cũ impio Achabo perniciosa.

se illigavit

ſe illigavit filiæ ſacrilegi regis *Amri*: quæ ſoror Achabi fuit, regum omnium Iſraëlitarum execrandiſſimi; deinde peſſimũ Achabi ſanguinem, uti memoravimus, per matrimonium ſuo imiſcuit. Hoc illi objecit animoſus Propheta *Iebu*, filius Hanani, 2. Paral. 19. *Impio præbes auxilium, & bis, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris. Et idcirco iram quidem DEI merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda.* Non minùs altera fœderis ſocietas cum *Ochozia*, Iſraëlitico rege impijſſimo initi, exprobrantis & indignantis DEI voces provocavit, quarum interpres *Eliezer* Vates; *Quia fœdus habuiſti cum Ochozia: percuſſit Dominus opera tua; contritaq; ſunt naves* 2. Paral. Adeò diſplicet DEO piorum cum armis impijs armorum conjunctio. Ioſaphatus certè bello, prælióque Syriaco minimô minùs abfuit; quin DEO charus ipſe, pro devoto diris Achabo trucidaretur: & poſtea claſſis aurifera, quam junctîs remîs & impenſis, Ioſaphatus & Ochozias, in *Taprobanam* ac *Sumatram* (Sacra Scriptura *Ophir* & *Tharſis* appellat) Salomonis inſtitutô, miſſuri fuerant, neque lucrum tenuit, neque curſum: *Aſiongábere* ſtatim, hoc eſt, in ipſo ſinûs, Arabici portu, naufragiô convulſa. quia boni Principis bona mens, mali Principis animæ malæ, ſpe quœſtûs, illigata; claudam fecit & fortunam, & exſpectationem lucri caducam. Sed Ioſaphati tamen ſi non claſſis, at certè Salus anno regni 25. vitæ 60. tandem enatavit: Ochoziâ per omnia, quod ſuprà indicavimus, demersô.

DOCTRINA.

IOſaphatus Idea Principum eſt, quam imitandam ſibi proponant; ſi quoſdam eius nævos excipias, à quibus ſibi caveant. Palmaria eius laus, Pietas. *Fuit Dominus* inquit ſacer Scriptor, *cum Ioſaphat, quia ambulavit in vijs David, patris ſui.* 2. Paral. 17. En merces Virtutis, perpetua Numinis in hunc regem benevolẽtia, & auxiliatrix manus. Plurimùm in omnem partẽ juvat probitas, & ſincerus erga DEUM cultus. Nam ut ipſe *Ariſtoteles Polit. 5.* fatetur, pietas verendos facit principes; & minimùm ſibi licere in eum Subditi putant, quem tuetur cœleſtium favor; nec ab eo quidquã injuſtum exſpectant, cui ſciunt religioſa quęque, & optima cordi eſſe. *Ioſaphati pietas regibus imitanda.*

Miſit de Principibus ſuis, & cum eis Levitas & Sacerdotes, docebántque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Iuda, atque erudiebant populum 2. Paral, 17. Nec contentus eo religionis propagandæ ſtudiô, Ipſemet *egreſſus eſt ad populum de Berſabee* (ab auſtro) *uſque ad montem Ephraim* (verſus ſeptentrionem) *& revocavit eos ad Dominum DEUM Patrum ſuorum.* 2. Paral. 19. O inſignem, & nullis ſat laudibus prædicandum Religioſiſſimi Principis *Ardor propagandi Cultûs divini.*

 Zelum!

Zelum! hic ei felicitatum omnium Cornucopia fuit; Hinc opes, gloria, potentia, & à barbaris gentibus veneratio. Hinc *Factus est pavor Domini super omnia regna terrarum.* 2. Paral. 17. Hunc olim sunt æmulati, S. Stephanus primus Hungarorum rex, S. Ludovicus Francorum, & S. Wenceslaus Dux Bohemorum. Et nostrô ævô Reges Hispaniæ & Lusitaniæ, qui magnis impensis Indias utrasque subjugârunt, ut earum incolas ad veri DEI cognitionem & cultum per viros Religiosos traducerent.

Misit Iosaphatus cum Primatibus Aulæ Sacerdotes & Levitas; ne putemus profana miscuisse Sacris; nam fora distinxit, jura discriminavit: alteros Regis curare legem, alteros DEI jussit; conjunctâ tamen operâ, ut & Religio ab auctoritate Politica, & hæc à Religione splendorem duceret ac firmamentum. Unde Sacrati Præsides officium quoque suum discant, ut per Diæceses suas, quasi Angeli Provinciarum custodes, moribus integri, eruditionis laude insignes, prudentia seduli, tanquam benefici siderum fulgores omnia virtutibus accendant, & vim quandam salutarem ubique diffundant; ignorantiæ tenebras pellant, socordiam excitent, pravitates tollant, pietatis studia instaurent, Religionem Patrum sartam tectámque conservare studeant.

Et en aliud pietatis argumentũ, & emolumentum, quod Iosaphatus dedit, retulítque in bello, à *Moabitis, Ammonitis Idumæis* cõflato, 2. Paral. 20. *Venerunt nuntij, & indicaverunt Iosaphat; venit contra te multitudo magna.* Quid faciat rex contra hostem triplicem, eúmq; validissimum? quò se vertat? Irruptio facta est ex improviso; ægrè subditorum arma licebat contrahere, nedum externa auxilia implorare. Quod humanum erat, passus est Iosaphatus, timuit, concussus est, haudquaquam dejectus. Rebus in arctis ad eum confúgit, quem expertus fuerat certissimum spei suæ præsidium, ad DEUM, inquam. Scriptura ait. 2 Paral. 20. *Iosaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Iuda.* Et ô vim omnibus armis validiorem, preces! Pro suis in hostem dimicavit DEUS. *Hæc dicit Dominus*: (exclamat repentè de medio populo *Iabaziel* Propheta) *nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem, non est enim vestra pugna sed DEI.* loc. cit. Ut dixit, evenit. Citra pulverem DEUS victoriam contulit. Dum enim voce consona versiculus ille psalmi 135. *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* à cantoribus exercitum præcedentibus ingeminatur, mutuis pereunt cædibus hostes. Iosaphatus venit, vidit, vicit, spolia superba legit. Sine temeritate epinicium ante victoriam canitur, si non milites tantùm, sed preces quoque armatæ in hostem immittuntur.

Per preces prodigiosa victoria.

Post curam religionis, altera Iosaphato, Justitiæ fuit. *Constituitq; judices*

Regis officium.

judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum DEUM nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum. 2. Paral. 19. Ad Regem pertinet tueri cives suos, & paterna charitate amplecti, suis vigilijs eorum munire somnos, suis consilijs tranquillitatem, suis armis pacem quærere. Jus omnibus reddere, in pietate, in morum honestate, in functionum omnium libertate quasi materno sinu omnes fovere. Cleri cœlestes in precibus excubias, Nobilium decus, Judicum auctoritatem, Literatorum otia, Agrestium labores, Mercatorum sedulitatem, omnium honestè negotiantium industrias sua majestate defendere. Olim in Clypeis Reges, dum inaugurarentur, sedêre, quò intelligerent, se clypeos esse populorum, adversùs omnia dura, & aspera, invicto robore obijciendos. Inde etiam portant, orbem, (ut ait S. Basilius Seleuciæ Episcopus) non portantur ab orbe.

Sed præcipua Justitiæ vis, atque utilitas fulget in dirimendis popularium litibus, atque controversijs. Benè cum rebus humanis ageretur; si pacata inter cives omnia esse, & stare diu possent. Sed dum miseram mortalium vitam cupiditas inflammat, rapit ira, præcipitat ambitio, avaritia discerpit, necesse est oriri multa quotidie dissidia, inter opprimentium sævitiam, & gemitus oppressorum, quibus Justitia Principis providere salutaribus remedijs debet. Hoc enim est planè regium, hoc divinum, solis instar lustrare universa, & obstare improborū cupiditati, atq; audaciæ, occurrere solitudini desertorum, dare afflictis opem, lucem ambiguis, ordinem omnibus. Hoc Moses innumerabilium dux populorum à DEO constitutus, improbo labore solus & ipse fecit, donec Soceri consiliò vicarios sibi delegaret. His auspicijs Salomon nascentis regni primordia consecravit; His Debbóra virili pectore femina, principatum coronavit; His Josaphatus, Divûm, hominúmque favores sibi conciliavit.

Cura tribunalium.

Principium verò constituendæ Justitiæ, à delectu judicum est, quod sæpe in ancipiti loco ponit officiorum venalitas. Noverit ergo Princeps Iudicum & Administrorum, quibus res agendas committit, mores & habilitatem, nec ullum patiatur in dignitate, aut majoris cuiuspiam momenti officio, cuius non sit perfecta probitas & peritia. Deinde excubet animo, & diligentissimè prospiciat, an omnes suo munere fungantur? an corrumpantur muneribus? An caussas extrahant? An pauperes opprimant? Dissoluta negligentia, propè dolus est. Ius non tantùm reddi, sed citò præstari debet. Pendentibus lis & vita supplicium est. Subditorum preces & querimoniæ benignè audiendæ, libelli supplices excipiendi, iisque maturè respondendum.

Delectus judicum.

 Iam

Jam Judicis eſt non moveri litigantium vel minis, vel preci-
bus,vel donis, vel dignitate, vel vilitate. Tribunal humanum ad
Judicis munus. regulam divini eſt componendum : Æquitatis libripens , ſola ſit
veritas,affectibus nuda. Peſſimè judicat,qui bilancis inſtar in eam
vergit partem,unde plus accipit ; & favet illi,qui dando prægra-
vat. Neutrò inclinandum, ſive ut premas, ſive ut ſubleves. Non
ſit Iudex pro ratione : ſed ratio pro Iudice. Cogitet,non quid ipſe
velit,ſed quid lex & religio cogat; maximéq; exiſtimanda,ut Tulli-
us loquitur,mentis cõſcientia.Nemo cæleſte fallit forũ:quomodo-
cunq; tabellas&urnã verſet inter homines.Munera admittere,nec
in munerum partẽ flecti,cogitari & dici poteſt,credi non poteſt.

Tertium,quod regi inter prima curandum, eſt regni munitio &
Regni munitio & defenſio. defenſio. Joſaphatus *conſtituit militum numerum in cunctis urbibus Iu-
da, quæ erant vallatæ muris ; Præſidiáque diſpoſuit in terra Juda.* 2. Paral.
17. & ibid. v. 12. *Ædificavit in Iudæa domos ad inſtar turrium.* Propu-
gnacula, munitiones, palatia, ornatui & neceſſitati. Nam regna
parantur armis, & ſervantur armis ; quidquid opulentum habet
fortuna, aut magnificentia conſpicuum,ut pax tranquillaum, in
eorum tutela eſt. In pace bella meditari , prudentis principis
eſt: aſſueſcere etiam bello in alta pace, ſapientis. Quid autem
ſunt munimenta,ſi deſint propugnatores ? Joſaphatus prudentiæ
militaris callentiſſimus,firma loca præſidijs ſtrenuorum militum
firmiora reddidit. Ducum imprimis habuit ſelectum ; nam tan-
ti eſt exercitus,quanti imperator. Imperium bellicum in plures
diviſit, ut ex æmulatione creſceret virtus : & ſi labarent alicubi
partes, non idem fortunæ ictus feriret omnes. Nec tamen im-
perabant diverſa,cùm ad Regis nutum eſſent intenti cuncti. Uni-
us auſpicijs gerebatur bellum ; plurium ductu.

Moderatio in exigendis tributis. Nec perfunctoriè transmittendum illud 2. Paral. 17. *Factæ ſunt
ei infinitæ divitiæ, & gloria multa.* Eſt enim gloria & honeſtas cum o-
pulentia, jugenda. Quid enim ſunt opes violenter partæ,quàm
rapina ? quid Principum æraria, duris exactionibus locupletata,
quàm pauperum ſpoliaria ? Joſaphatum ditârunt non extorta
per vin & nefas tributa ac vectigalia; ſed moderata per clementi-
am imperia, & inde conſequens tam civium , quàm exterorum
amor. Reges olim *Evérgetæ* , hoc eſt, *Benefici* vocabantur , quòd
eorum eſſet , non tam opes & beneficia accipere, quàm largiri.
Amari , coli, diligi, majus imperiò eſt. marmora quoque vetu-
ſtas exedit , & ferrum ignis : animorum inſcriptio imortalis per-
durat, his nomen inſcribit Princeps,ſi parentis induerit perſonã,
Patrẽ ſe oſtenderit : ſubditos,filios ſentiet.Hinc quidquid Joſapha-
to conferebant vel ſui,vel alieni,munera putabant , non onera.

Regibus neceſſariæ opes. Et verò inſtrumenta rerum adminiſtrandarum ſunt pecu-
niæ ; his bella gerere, moderari pacem,tueri fines, arcere hoſtes,
officia digerere, fovere commercia datum eſt. Regem invalidum
& paupe-

&pauperem, omnes difficultates premunt. E pecunijs, regni vis & ſplendor, & apud exteros nominis fama. Adeóque nullum felicitatis genus Ioſaphato defuit, regum gemmæ, niſi hunc nitorem, cùm fœderis cum Achabo impiiſſimo initi, tum ſceleratæ eiuſdem filiæ, *Athaliæ*, cum *Ioramo* filio, connubiô junctæ, labes obfuſcaſſet.

NARRATIO LXXX.

ACHABI ISRAELITARUM REGIS, ET JEZABELIS UXORIS IMPIETAS AC SVPplicium. Innocentis Nabothi lapidatio.

3. Reg. 16. 18. 20. 21. 22. 2. Paral. 18. 19.
Ab anno Mundi 3117. Ch. 936. ad ann. M. 3151. ante Ch. 902.



CUm *Ioſaphati* pietate impietas *Achabi* certamen ſuſcepiſſe videtur; ita contrarijs nitebantur ſtudijs; Altero caſtam Religionem omnibus viribus propugnare: altero evertere contendente. Scelerum impultrix ei fuit *Iezabel*, *Ethbaalis* Sidoniorum regis filia, mulier tam impia, quàm crudelis. Hujus inſtinctu *Achabus* ipsô regni exordiô, *Samariæ*, in urbe regia ad deteſtabilem *vitulorum* cultum, adjecit nefandos *Baalis* ſeu *Beli* lucos, aras, Sacra, tantâ inſaniâ, brevî ut quadraginta ſupra octingentos Baalis ſacrificuli numerarentur regio de penu liberaliter ſuſtentati. Non deerant Iſraëlitis prophetæ, qui clamoribus & adhortationibus Achabum, eiúſque populum ad meliora provocarent; ſed ſurdis canebatur.

Vaticinijs ea tempeſtate clarus erat *Elias*, oriundus *Thesbe*, vico Tribûs Gaditanæ; is vindicandi honoris divini flagrantiſſimô ſuccenſus ſtudiô, ultrices ſcelerũ pœnas ex alto devocat; ut, quando Achabus mitiora remedia contempſerat, aſperioribus ſanaretur. Cœlum claudit precibus (quæ aliàs id aperiunt) trienniô ampliùs. Suſpenſis rore, pluviáque, imodicis æther terram Iſraëlitidem (Iudæam pœnæ eximiam, ſincerus Numinis cultus fecit) caloribus exurit; undique ſqualent agri, & longa ſterilitas duram invehit famem. id jam ante prænuntiârat Achabo Vates, non aliô operæ pretiô, quàm ut cum minis è conſpectu reijceretur. Quare in locum ſolitariũ juxta torrentem *Carith* ſe recepit, corvis, *Achabus induratus ad pœnas & beneficia cœli.*
quod

quod infrà narrabimus, quotidianæ annonæ subvectoribus. Iezabele interea crudeliter in Propheticos, & religiosos viros ſęvіente. Lanienæ centum subtraxit *Abdias*, Achabi Oeconomus, patriæ religionis retinens; quos speluncis abditos clàm subministrato victu servavit. Elias, ubi se publico iterum reddidit, ante omnes Achábum, jussu DEI, convenit, pollicetur, cœli se duritiem propitios in imbres soluturũ, si cum Beli sacrificulis in religionis certamen venire permitteretur. Concessum est, non minore idololatrarum clade, quàm probro; quod in gestis Eliæ exponemus. Nunc Achabi fata prosequamur. Is neque cœli contumaciâ, plus quàm triennali, nec fæcunda pluviarum largitate, nec strage Baälitarum, expugnatus, haud paullò, post prodigia peior, quàm antè fuerat; conceptum à Megæra sua furorẽ, pari rabie in Numinis cultores effudit; juratus DEI hostis, cujus iram hoc etiam crudelitatis exemplo lacessivit.

Reddiderant jam terris hilaritatem suam cadentes cœlô pluviæ; ridebant passim agri, vinéæque; & oculos mortalium viriditate, fœcunditatéque alliciebant; soli Achabo livor & avaritia nullam voluptatem concedebant. Inter alios vitiferos colles, erat quidam, urbi *Jezraeli*, & regijs prædijs conterminus: à viro primario, cui *Nabothus* nomen, avitô dominiô possessus. Adijcit ad hunc oculos rex, postulat sibi vineam vel pretiô permutari, vel aliô fundô; in animo esse, eum locum, excisis vitibus, olerum & herbarum amœnitate vestire. Nabothus, qui agellum inter manus Majorum ad se hæreditate transmissum sciret, negat sibi licere per instituta patria, fundum abalienare. Fert eam repulsam tam impotenter rex, ipsum ut ægritudo animi cibô, hominúmq; consortiô abstineret. Advertit morbum mariti Iezabel, audacię & sceleris projectissimi mulier; objurgare igitur velut nimiopere timidum & abjectum, & regijs uti nescientem imperijs. Sibi quidem artes in promptu esse, quibus hominis pervicacia frangatur. Nec mora; scribit ad eos, qui judiciariam potestatem in Iezraelitas exercebant, litteras, regis nomine & annulo signatas, mandátque, prætextâ sceleri pietatis specie, publicum ut edicatur jejunium, tanquam in rei ad religionem attinentis atrocitate summa. Convocatur seniorum & optimatum consessus, inter quos & Nabothus aderat. Constituitur judicium, subornantur accusatores, apponuntur falsi testes, Nabothus læsæ majestatis divinæ, regiæque, tanquam iniurius & blasphemus in utramque, reus peragitur. Quid multis? calumniis opprimitur innocentia, Jus vi obruitur, Nabothus inauditus & indefensus adiudicatur morti; lapidibus è vita & fundo suo exturbatur, & unà quadrige-

Achabus, instigante Iezabele, Nabotho vitam & vineam eripit.

quadrigemini filij, ne superesset, qui repetundarum postularet tyrannum. Ebria innocenti cruore Furia, gestire gaudio, & tanquam re benè gestâ, ad communionem lætitiæ invitare maritum; hic cruentâ non minùs delectatus scenâ; suarúmque jam compos cupiditatum, hilaris in vineam sese conferre, iniquis priùs oculis usurpatam, nunc iniquiore pede calcatam. Obviàm, eunti obijcit se Elias, tremendus iræ divinæ internuntius, tam ipsi Achabo, quàm nefariæ conjugi, cunctæque posteritati, incubituræ; quorum omnium sanguinem eô ipsô in agrô, quem insontis cæde funestâssent, canes essent lincturi, cadavera bestijs pabulum cessura. Nec aliter evénit, ac prædixit. Achabus quidem decretoriam DEI sententiam aliquantùm distulit voluntarijs pœnitentis animi, corporísque supplicijs, non perinde abstulit; metu potiùs, quàm amore commissa piacula aversante. *Achabi qualis Pœnitentia.*

Debuerant equidem Numinis beneficia, nisi in silicem incidissent, inflectere cervicem ad divinæ legis obedientiam. Nam obsessus in urbe Samaria, regiâ suâ, à *Benadado*, Syriæ rege, triginta duos secum inferioris fastigij reges ducente, hostes cæcidit, fugavit, disjecit; ducentîs non ampliùs ac triginta duobus purpuratorum ac Satraparum pedisequis, cum Syrorum exercitu congredi ausîs, hortatu cuiusdam è Vatibus: & vi divini terroris incussâ, formidinéque Panicâ hostibus injectâ. Quos persequens Achabus, maximam partem delevit. Rex ipse Benadadus, vix fugâ elapsus, cædi subtractus est. Qui vertente anno copijs multò, quàm antè, majoribus adversùs Achabum instructus, ad *Aphecam*, Issacharææ Tribûs urbem, cum Israëlitis longè numerô imparibus cùm iterum confligeret, cæsa sunt Syrorum ea die centum millia. Rex Syrus cum viginti septem suorum millibus Aphécam se recepit; quam recuperavit Achabus, renovatô Ierichuntis prodigiô, muri namque, impellente eos in casum manu cœlesti, sine admoto ariete collapsi, propugnatores omnes secum in ruinam tractos, obtritósque Israëlitis contrucidandos objecere. Exoravit tamen vitam Benadadus ab intempestiva Israëlitæ regis clementia; quem, si victoriæ fructum ferre voluisset, ex mandato divino, immolare ferro debuisset. quod ei Vates quidam (Michæam fuisse nonnulli putant) acriter objectans, *quia dimisisti*, inquit, *virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.* Infaustæ denuntiationis omen, cruentatus & pulvere fœdatus, exhibuit vulnus, quod ab amica (ita enim petierat) inflictum manu, plagam portendit, paullò post Achabo, populóque à Syris inferendam. Eam interminationem Rex initio, velut delirium contemnere visus, composito cum Syris fœdere eísque tributi onere impositô Samariam victor redijt, plus tamen *Achabi iterata, ope cœlesti, victoria.*

secum furoris, quàm triumphi reportans; nam subeunte animum severitate castigationis, fatidicum vinculis, sese prænuntiatis calamitatibus induit. Triennium intercessit à bello, & pace cum Syris facta, contrà quàm DEI voluntas ferebat; (delendus enim fuerat hostis, ex cuius amicitia, perniciosum contagium afflabatur genti Israëliticæ, domesticis jam antè flagitijs corruptæ) cùm *Josaphatus*, Judæ Rex, invisit ad Achabum consocerum suum; à quo regio more exceptus, ad ineundam Syriacæ expeditionis

Iosaphati infelix societas cum Achabo.

societatem adducitur. Caussa novi belli, urbs *Ramótha*, in Galaatitide sita, quam Benadadus, contra pacta, detrectabat restituere. Ejus expeditionis Auctores fiunt Achabo Pseudoprophetæ Baalis quadringenti; (adeò semen improbum post stragem ab Elia in Carmelo illatam, repullulárat) è quibus unus, *Sedecias* nomine, ferreis caput efferatus cornibus, ventilandam scilicet Syriam prædicebat, in morem irritati tauri, straminea simulacra jactantis in altum. Josaphati porrò jussu, de eventu belli interrogatus *Michæas*, arcanorum DEI conscius, alia omnia vaticinatus est; eam ob rem à Sedecia pseudopropheta, colaphô mulctatur, consuetô veritatis præmiô. Itur igitur in bellum, movetur in hostem, prævalente contra Prophetæ divini vaticinium, Baalitarum mendaciô. Cæterùm Achabus prædictionem *Michea* (occultum enim pectore gestabat aculeum) elusurus, mutatô regiô in vulgarem habitu, prodijt in aciem, Josaphato summâ imperij relictâ. Dederat autem in mandato suis Benadadus, ut omnium oculis, manibúsque in unum Achabum, tanquam facem belli, intentis, eum sibi vel occisum, vel captum traderent. Unde factum, totius ut robur exercitûs in Josaphatum, quem pro Achabo habebant, quippe regali exornatum cultu, incumberet. Quod ille periculum partim precibus DEO fusis, partim aperta nominis possessione, abs se in Achabum avertit; quem frustra

Achabus in prælio vulneratus, moritur.

evitare fata conantem, cœlestis vindicta tot inter millia victimam casu minimè fortuito stravit; cùm enim quidam è gregarijs militibus, telum in confertam multitudinem jaceret, Achabum ex curru pugnantem ceu destinatô scopô trajecit, sagittâ per anteriorem loricæ commissuram penetrante, & inter scapulas ac cervicem validè erumpente.

Accepto tam gravi, támq; insperato vulnere, Achabus è loco pugnæ excessit, medicinam plagæ facturus; superante verò mali vi, cum sanguine spiritum infelicem effudit, vitæq; pariter ac pugnæ finem imposuit, receptui canentibus Hebræis; neq; Syris pertinaciùs agentibus, sublato, quod præcipuè expetebant capite. Corpus exanime delatum Samariam, ibíque sepulturæ mandatũ; currus autẽ & habenæ cruore stillantes, ablutæ in

piscina

piſcina, non procul urbe, remotâ, canibus abſterſam tabem ore lambentibus, juxta prænuntias Vatis Eliæ minas. Joſaphatum pietas ſua ſervavit, & incolumẽ Jeroſolymam reduxit; adverſus tamen, quod ſuperiùs retulimus, *Iehu* Prophetes occurrit, graviſſimus exprobrator fœderis & amicitiæ cum impio Achabo junctæ.

Supereſt, ut fatalem *Iezabelis* quoq; interitum, referamus. *Jehu* ex magiſtro equitum, Rex Iſraëlis primùm ab Elia, tum à quodam Eliſæi diſcipulo, inunctus, & à proceribus, in ſolium, detractis pallijs, opere tumultuario excitatum, impoſitus, cum expedita manu *Iezraëlem* urbem, ubi tum *Ioramus*, Achabi filius, regiam ſedem habebat, advolat; venienti obviàm occurrunt tum Joramus ipſe, tum *Ochozias* Rex Judæ, qui amicitiæ cauſſa, ad Ioramum inviſerat; inſidiarum nulla ſuſpicio. Sed mox apparuit illum Jehu adventum, non officij, ſed hoſtilitatis fuiſſe; nam ut primùm Ioramus in conſpectum venit, Iehu tetendit arcum, & regem, jam tergum fugæ obvertentem, inter ſcapulas transfixit, currúq; delapſum, proijci juſſit inſepultum eo ipſo in loco, ubi Nabothi vinea, fuſúsq; ſanguis, muta quidem, ſed funeſta voce vindictam clamabant; Ochozias quoq; lethali confoſſus vulnere, pœnas mali conſortij dedit; revectus tamen Ieroſolymam, avito monumento infertur, non ſuô, ſed avi Ioſaphati meritô.

Inter hæc, Iehum Iezraëlis portas ſubeuntem, conſpicata de feneſtris *Iezabel*, fuco ſtibióq; depicta, victorem cum convitijs excipit; ad huius imperium mox ex alto præcipitata per evnuchos, qui dominæ ſuæ adſtiterant; equorum ungulis obteritur; fœdè deformatam & contrucidatam, invadunt canes; à quibus membratim diſcerpta & diſtracta, ſola calvariâ, ſummíſque manibus ac pedibus reliquîs, vaticinantis fidem, modúmq; ſupplicij implevit. Ita mali perierunt malè. Sed miſeranda, & planè tragica cædes eſt ſeptuaginta Achabi & Iorami filiorum, quorum tota culpa fuit, in familia regis conſcelerati natos eſſe. Iehus enim non immemor, quem ad finem in regẽ evectus eſſet, ad proſequendã Achabitarum ſtragẽ, utendũ celeritate ratus, mittit ad Optimates Samariæ litteras, jubet ad ſe deferri ſeptuaginta principũ capita. factũ, quod imperatũ; terrore mandati, reverentiã omnẽ & miſerationẽ erga regiam Sobolẽ expellente. Septuaginta capita in acervũ collata, acerbũ ſpectatorẽ tam Iehũ, quàm populũ magno numero confluentẽ habuerunt. Neq; finis funerũ. Idem furor *Iezraëlem* civitatẽ pervagatus, delevit omnes, quicunq; regiæ familiæ conſanguinitatis aut affinitatis vinculô annectebantur. In cenſum interfectorum venerunt etiam quadraginta duo Ochoziç, ex fratribus nepotes, quibus una necis cauſſa fuit, ex Athalia,

Iezabelis interitus.

Achabi familia funditus exſcinditur.

Achabi filia, susceptos fuisse. Iehus Samariam delatus, eodem, quo cœpit impetu, ferrum in omnes stringit, quicunque aliqua necessitudine cum Achabæa domo tenebantur. Omnium verò justissimè vindex gladius in Baalis Sacrificulos desævijt, qui ad unum omnes in templum idoli sui, quod erat Samariæ capacissimum, tanquam ad Sacrorum celebritatem convocati, dum execrandis Sacrificijs magno apparatu operantur, Iehus munitis armata manu templi foribus, percussores immittit, qui dextrà, lævâque, punctim, cæsímque in condensatam turbam ferro grassantes, neminem ejus stragis reliquum fecerunt. Execranda quoque Baalis tam fana, quàm simulacra ubique locorum, in regno Israëlis eversa, magnum victricibus Iehu trophæis ornamentum accesserunt. Sed tamen, quis credat, idem idolorum eversor, idem adorator fuit. Cui rei bene gestæ amplissima de cœlo prœmia internuntius Vates promiserat, si constantia cœptis accederet; is turpissima superstitione captus, veri Numinis cultum, cum Ieroboamicorum vitulorum veneratione copulavit, majore popularis auræ, quàm cœlestis favoris amittendi metu. Quæ caussa fuit, ut post annos centum & duos, Iehu quoque familia, quod superiùs meminimus, sit excisa. Ita vigilat & vindicat in improbos Iustitia DEI, & in iræ suæ ministros redire jubet flagellum, quô luant, quod in alijs plexerunt.

Baalis sacrificuli caeduntur.

Iehu ingratitudo in DEUM.

DOCTRINA.

V*Ivit Dominus DEUS Israël, in cuius conspectu sto, non erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. Quid his Eliæ verbis confidentius; quid pro honore DEI ardentius; quid fortius contra impios? Magna vis propheticæ dignitatis, exclamat Eucherius, humanus sermo est, divinus effectus. In terris homo loquitur, & imperio ejus cœlestes obediunt potestates. Hæc est servorum DEI potentia, cœli fores ad libitum reserare & claudere. Verè Siracides Eccli. 48. *Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Ut Zelo religionis inflamaret pectora, terram caloribus accendit; pluvias quoque pro imperio daturus, ut impij regis & populi pœnitentes eliciat lacrimas. Incendium, quod agris induxit, eleganter describit *Chrysost. tom. 2. de Elia tom. 1.*
,, Cùm Elias Propheta sanctissimus populum prævaricatum a-
,, spiceret, cúmque Baal & lucos, despectô Dominô, coli à Sacri-
,, legis pervideret; cúmque creatore despecto figmentis sese, ne-
,, moribúsque omnis populus addixisset; Zelo DEI commotus, Iu-
,, dæam terram siccitatis sententiâ & pluviarum sterilitate dam-
,, navit. Tunc subitò anhelat terra, siccatur cœlum, sitiunt omnes,

Eliæ fervidus zelus.

fontes

„ fontes arescunt, omnis humor ima petit, supera deserit, aër „ fervet, serenitas torquet, tranquillitas pœna est, æstuant no„ ctes, dies ardescunt, sata torrentur, arbusta ægrotant; iram DEI universa creatura testatur.

Avaritia furor.

Venit ergo Achab in domum suam indignans & fremens. 3. Reg. 21. Quæ tanti caussa furoris? Avitam Nabothus vineam vendere recusavit. Inexplebilis est avaritia; quò plura consequitur, hoc plura appetit. Hic tortor animum & corpus Achabi cruciavit, nec ullam ei quietis partem concessit, donec Nabothi vineam cupiditatibus suis adijceret. Insigniter *Ambrosius lib. de Nabothe, c. 2.* „ Inflammatur lucrô avaritia, non restinguitur. Quasi gra„ dus quosdam cupiditas habet, quò plures ascenderit, eò ad „ altiora festinat, unde fit gravior ruina lapsuro. Et post non„ nulla: Denique nos docet Scriptura divina quàm miserè e„ geat dives avarus, quàm abjectè mendicet. Rex Achab in „ Israël erat, & pauper Naboth; ille regni opibus affluebat, „ iste angusti soli cespitem possidebat: nihil pauper de posses„ sionibus divitis concupivit; Rex sibi egere visus est, quia vi„ neam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper vide„ tur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Aut „ certè pauper censu videtur; alter est pauper affectu.

„ *Da mihi vineam tuam.* 3. Reg. 21. *S. Ambros. l. c.* Quæ vox „ alia est stipem publicè postulantis, nisi: Da mihi, hoc est: da „ mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere „ non possum. Da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus „ ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substan„ tia. Da mihi, quia tibi Dominus dedit, unde largiri debeas, mi„ hi non dedit. Da mihi: nisi tu dederis, habere non potero. Da „ mihi, quia scriptum est: Date eleemosynam. Hæc quàm abje„ cta, quàm vilia?

Ut faciam mihi hortum olerum. 3. Reg. 21. Idem S. Pater *ibid. cap.* „ 3. Hæc erat igitur, *inquit* insania, hic omnis furor, ut spatium „ vilibus oleribus quæreretur. Non tam ergo ipsi, ô divites, qua„ si utile possidere, sed alios vultis excludere. Major vobis cu„ ra de pauperum spolijs, quàm de vestris emolumentis est. In„ juriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum „ possessione divitis videatur. Damnum vestrum creditis, quid„ quid alienum est.

In jussis divinis non oportet curiosum esse.

Vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait: quia noluisti audire vocē Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cumq; paullulùm recessisset ab eo, invenit eū leo atque

atque percussit. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum : Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit. 3. *Reg. 20.* En pœnam inobsequen-,, tis animi. Audi *S. Chrys. Orat. contra Iudæos.* Qui percussit Pro-,, phetam, evasit incolumis ; qui pepercit, dedit pœnas ; nimi-,, rum ut intelligeres, in jussis divinis non oportere curiosum es-,, se, examinaréque rerum, quæ præcipiuntur, naturam, sed ni-,, hil aliud quàm obtemperare.

Eò quòd venundatus sis, ut faceres malum. 3. Reg. 21. Verba Eliæ ad Achabum. Quasi diceret, ô Achabe, nihil regiæ, neque ingenuæ conditionis habes ; sed velut mancipium vile Jezabeli, dominæ tuæ, venundatus es ; hac instigante peregrinam religionem induxisti, aras Baali struxisti, vineam Nabothi rapuisti, ipsum Nabothum cum filijs suis per summum nefas è medio sustulisti. O quoties etiam hodie verum illud Isa. 3. *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* Calamitas calamitatum gravissima. Portentum est, si pedes, manúsve capiti imperent; non minus ; si marito uxor dominetur. Nec deterior ulla servitus, quàm cùm imperium mala femina obtinet ; ejus arrogantiæ, libidiníque nec pudor est, nec modus. Vir uxorius non agit, sed agitur, imò rapitur, quocunque lubet ipsius Proserpinæ ; etiam ad inferos. Et regnum, & regiam Achabi familiam una Jezabel evertit. Monet Siracides Eccli. c. 9. *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam,* id est, ne auctoritatem & imperium maritale uxori tradas, nisi vis ad indignissimam servitutem adigi. *Cato apud Liv. lib.* 34. monet viros, ne uxores sibi æquari sinant: Extempló enim, inquit, simul ac pares esse cœperint, superiores erunt. Proinde date frænos impotenti naturæ, & indomito animali : desperate, ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis.

Feminarum impotens imperium.

Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, nempe Achabum. 3. Reg. 22. Fuit hic casus fortuitus respectu militis Syri sagittam ex arcu jacientis ; at respectu DEI non fuit casus, sed destinatus ictus : DEUS enim per Angelum direxit hanc sagittam, ut non alium feriret, quàm Achabum. Nimium quantum falluntur cæci homunculi, qui, quæ summô Divinæ Providentiæ consiliô fiunt, casu fieri putant. DEO nihil penitus fortuitum. Idcirco.

Achabus non casu ictus.

——nemo temeraria credat,
Fortuitóve geri mundana negotia casu.
Omnia lege meant, quam rerum Conditor illis
Sanxit ab æterno.

Haccine

Haccine est illa Jezabel? 4. Reg. 9. Sunt verba prætereuntium Jezabelis cadaver, à canibus per agros distractum, & dilaniatum usque ad calvariam, summósque pedes ac manus. Hinc illa semesa ossa spectantium & admirantium exclamatio: *Haccine illa Jezabel?* Regum filia, uxor, mater; stibio nuper & purpurisso ad illecebras intuentium fucata; nunc nausea & pestis oculorum ac narium. Ubi ille vultûs decor, ubi oculorum splendor, ubi regiæ coronæ majestas, ubi prophetarum & totius Israëlis terror? En ignominiose projectam, proculcatam, discerptam, dilaceratam. Hoc fine mundi pompa clauditur: in hanc catastrophen genus, forma, potentia desinit. *Feminarum Fucus.*

O quoties profuit, ista meminisse! Sanctus certè Franciscus noster Borgias, Dux Gandiæ, permotus horrore aspecti cadaveris Isabellæ, uxoris Caroli V. nuper formæ miraculi, quod omnium in se oculos converterat, & alias quasvis venustates extinxerat; animum induxit ad falsa & fluxa bona contemnenda: & cœlestia terrenis, divina humanis, æterna caducis anteponenda.

Elias vaticinando dixit. l.c. *Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrabel.* Ubi advertunt Expositores SS. Scripturæ, alludi ad Etymon nominis *Jezabel* id est, *e Zebel*, quasi dicas: ubi stercus? Unde nonnulli putant à *Zebel*, id est, stercus, diabolum per contemptum vocari *Zabulum*, videl. *stercorarium*; & *Beelzebub*, quasi demum stercoris, cui insidet *Zebub*, id est musca. Huc stulti feminarum Amatores lascivos oculos & nares admovete, & quas delicias insanè depereatis, ex Jezabelis contemplatione discite; quas putabatis rosas, lilia, balsamum; sordes, lutum, cœnum, oletum esse deprehendetis.

NARRATIO LXXXI.

ELIAE VATIS MIRABILIA FACTA.

3. Reg. 17. 18. 19. 21. 4. Reg. 1. 2. 2. Paral. 21.

Ab anno M. 3123. ante Ch 930. ad ann. M. 3139. ante Ch. 914.



Lias, cui natalis vicus Thesbe, cognomentũ Thesbitæ fecit, religioso Numinis cultui deditus à puero, postquã diu secretã à vulgi cõsuetudine vitã egerat in Galaalitide regione, cõtulit se Samariã in urbẽ ad Achabũ Israëlitarũ regẽ, cũ ipsũ tũ populũ ejus

ejus ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reducturus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigiosa (quod narravimus) pluviarum suspensio, & terris Israëliticis inducta siccitas. Exinde, monitu divino, Iezabelis reginæ furori cessurus, vitæ solitariæ se reddidit, corvis dapiferis in quotidianum ministerium usus. Ex ea solitudine jussu DEI profectus, *Sarephtam*, Sidoniorum urbem, idolis addictam, elusis emissariornm oculis pervenit. In ipso urbis ingressu offendit in mulierem viduam, coccula lingna frustatim colligentem. In ejus se colloquium vates insinuat, extinguendæ siti frigidam, mitigandæ fami buccellam panis petit. Excusat illa extremam egestatem, quam triennalis agrorum sterilitas effecerat; neque plus farinæ in hydria superesse, quàm quantum manûs pugillô capi posset: oleum quoque ad ultimas in lécytho guttas redactum esse: restare hoc unum, ut collectitijs ligni fragmentis focum excitet, & illas penoris reliquias sibi, filióque paret suo, ad imminentem mortis necessitatem tantisper remorandam. Hîc Prepheta viam sequenti facturus prodigio, postulare, ut suæ priùs, hospitis, inediæ levandæ panem extemporaneum in prunis torreat, deinde propriæ, filiíque saluti consulat; neque enim vel hydriæ farinam, vel lecytho defuturum oleum, donec æther beneficas in terram pluvias effuderit. Mulier nihil cunctata, accelerat hospitalitatis officia; tantum panis è modica conficit massula, quantum satis erat non ad Eliæ modò, sed totius familiæ sedandam famem, miro repensæ charitatis fænore, dum ex tenui penu, jugis deinceps annona flueret.

Elias viduæ farinam multiplicat.

Ad hoc beneficium, accessit alterum, non minùs admiratione plenum. Filius ejus viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat; cùm bis orba mulier venit ad Eliam gemæbunda, & lacrimis infusa; queritúrque sibi vitæ ab eo servatæ, fructum ademptum, filium, unicum orbitatis suæ solatium: dolores ex eo funere tantò acerbiores à se hauriri, quantò magis sibi sit conscia, illam mortis immaturitatem delictis suis deberi. Miseratus afflictam Propheta, susceptum de materno sinu parvulum defert in suum ipse cœnaculum, reponit in tectulo, in preces effunditur. Inde contractis ad modum puerilis corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, tertiúmque repetito incubitu, & inhalatione spiritûs, animam exanimi corpori reducit.

Filium ejus à morte resuscitat.

Interea trienniô ipsô sicca sterilitas cum idololatrarũ pertinacia pugnabat; cùm Elias veri DEI cultum contra Baalitas asserturus, promittit Achabo regi, se riguas è cœlo aquas in agros devocaturum, si corã frequenti populo Baalitæ pseudoprophetæ ad unum

ad unum omnes in Carmelo monte congregati, secum in disceptationem de Religione venirent, capitis suppliciô alterutri parti propositô, cuius sacrificam hostiam flamma cœlitus delapsa non cremaret. Confluit densè populus, rei novæ eventu suspensus; coguntur quoque Baalis Sacerdotes octingenti, quinquaginta. Experimentum Sacrificij, ut convenerat, bos in frusta sectus, strui lignorum ab ipsis imponitur; tripudia circa aram, inconditis cum clamoribus gyrantur: cultris & lanceolis inciduntur artus ab insanè debacchantibus; nullo tamen operæ successu. nihil oritur flammæ, nihil fumi, amarùm sacrilegis popis insultante Elia. A manè ad meridiem tenuit ea vociferationis & saltationis insania, cœlo nec imbrem dante, nec ignem. Itaque Vates duodenis è saxis, juxta tribuum Hebræarum numerum, aram ipse quoque erigit; in ara ligna, & super hæc, mactati bovis membra collocat, aquâ largiter perfusa, ut è contrarijs luculentiùs miraculum eluceret. Utque suspicio tolleretur fomitis igniarij sub altari, absconditi, fossam aræ circumducit, repletam undâ. Inchoatô vix sacrificiô, demissus è cœlo ignis momentô consumit non victimam modò, sed ligna, lapides, & ipsam adeò lympham scrobi circùm effossæ infusam; ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantium oculos; mentésque ad Veri Numinis reduceret cultum.

Eliæ holocaustum è cœlo inflammatur.

Neque frustravit spes sua Prophetam. Attoniti rei prodigiosæ novitate præsentes, sternunt humi corpora, supplicésque Numinis æterni potentiam, cultúmque contestantur, ac devenerantur. Elias animorum promptitudine tempestivè usurus, auctor est Israëlitis, ut tandem agnitam veritatem in vindicias antiquæ Religionis vertant, manus inijciant in detestabiles Baalitas, conctósque neci dent. Neque difficile fuit persuadere verbis, ubi jam facta quâvis linguâ potentiora præcesserant. Irruit concitata multitudo in sacrificulos, raptósque ad torrentem *Cisonem* (montis *Carmeli* radices alluentem) trucidat ad unum omnes, devolutósque in profluentem, ne scelesta cadavera terram & aërem inficerent, sepelit aquis; Achabô prodigijs territô, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem movere ausô. Impiorum sanguinem ruens cælo pluvia diluit, agrísque fœcunditatẽ, mortalibus saturitatem & lætitiam reddidit.

Confusi Baalis sacrificuli, morte mulctantur.

Ea cæde intellecta Jezabel, in rabiem versa, nullum non lapidem movit, ut Eliam tantæ stragis auctorem dirissimis modis excruciaret. Quare fugâ sibi consulens Vates, peragratis locis desertis, fortè sub junipero consederat, quiete vires refocillaturus. Ibi partim mærore animi, partim lassitudine itineris, cœpit ipsum vitæ tædere, & desiderium subire linquendi terram tot

Elias fugit Jezabelem.

ſcelerum colluvie impiatam. Languorem excepit ſopor: hunc diſcuſſit Angelus cœlo ſubmiſſus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulſa fame, relabitur in ſomnum, noctémque ſub junipero transigit. Redit iterum genius cœleſtis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô reſumptô ingrediatur iter longiùs, ſéque extra diſcrimen in loco tuto conſtituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impranſus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in ſpelunca quadam deliteſcens, Iezabelis inſidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœleſtem percipit, quâ jubetur extra ſpecum prodire, diſceréque, quàm providis DEUS conſilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipſos ſubverſurus & ſaxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concuſſit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas ſpargens. Subſecuta leni ſibilo ſpirans aura, & cum aura, radians è nube ſplendor, déque ſplendore ſonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iebum* in Iſraëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus ſumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem ſibi Eliſæum adſciſcit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Iſraëlis mittit, (impatiens reprehenſionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatē comprehendendum & ad ſe adducendum. Credibile eſt, ad iram vindictæ, amorē vitæ acceſſiſſe, quam etſi conclamatā, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, ſibi prorogatā volebat. Ad montē ubi ſuperbis cū mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inſpiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloſo, horribilíque ſpectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obſequiorū & precū demiſſione exitiū à ſe avertit, Vatémq; permovit, ut ſecū in regiā concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilē moriendi neceſſitatē non minùs animoſa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cū Eliſæo diſcipulo ad *Iordanis* littora progreſſus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere poſſet, pallio, quod erat ex villoſa pelle hirſutum, diviſit fluminis undas, & ſicco per mediū pede tranſijt cū comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ se feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epist. 10. ad Furiam.* „ Recordemur viduæ Sarephtanæ , quæ & suæ , & filij saluti „ Eliæ prætulit famem ; ut in ipsa nocte moritura cum filio, su-„ perstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemosynam ; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Do-„ minicæ præparavit, S. Chrysost. longa oratione ostendit, elee-mosynam, artium omnium esse quæstuosissimam.

Theodoretus laudans demissionis & pœnitentiæ spiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis suis adscribente, Sunt, *inquit*, ad-„ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta sunt pec-„ cata mea , quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum „ auspicium ; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potiùs „ suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit se, atque mensus est super eum. 3. Reg. 17. Mystica hæc est incubatio, & plurium arcanorum sensuum ferax. Inter alia significat animarum Zelum ; est enim peccator , quasi cadaver exanime & frigidum , gratia cœlesti destitutum , quæ est vita animæ. Opus igitur viri , pietate ferventis , & ardore , ad calorem amoris DEI , & detestationis scelerum ei inspirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis , ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, est allegorica, eáque præcipua caussa, repræsentatio Mysterij *Incarnationis* Dei. Nam Christi Deitas se expandit super Humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est , & coœquavit, ut frigidam calefaceret , exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis , refrixit & exaruit ; Christus inhalavit spiritum gratiæ , & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens , exauditus est pro sua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum* , Rom. 9.

Quid significet incubatio super cadaver pueri.

Petivit anima sua , ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor , tantáque consternatio in Elia , qui paullò antè cum Achabo , & Baalitis impavidus concertârat ? Ut disceret, hominem se esse, & præclarè , fortitérque gesta non sibi , sed DEO adscribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exscindenda obstinatum.

Caussa mæstitiæ Eliæ.

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei : egredere , & sta in monte coram Domino : Et ecce Dominus transit , & Spiritus grandis & fortis subvertens montes , & conterens petras ante Dominum : non in spiritu Dominus ; & post spiritum commotio : non in commotione Dominus ; & post commotionē ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior

Moderatio fervoris vindictæ.

scelerum colluvie impiatam. Languorem excepit sopor: hunc discussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulsa fame, relabitur in somnum, noctémque sub junipero transigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur iter longiùs, séque extra discrimen in loco tuto constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impransus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in spelunca quadam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœlestem percipit, quâ jubetur extra specum prodire, disceréque, quàm providis DEUS consilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipsos subversurus & saxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concussit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura, & cum aura, radians è nube splendor, déque splendore sonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iebum* in Israëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem sibi Elisæum adsciscit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Israëlis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatē comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amorē vitæ accessisse, quam etsi conclamatā, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogatā volebat. Ad montē ubi superbis cū mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloso, horribilíque spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obsequiorū & precū demissione exitiū à se avertit, Vatémq; permovit, ut secū in regiā concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilē moriendi necessitatē non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cū Elisæo discipulo ad *Iordanis* littora progressus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per mediū pede transijt cū comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ ſe feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam.* „ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & ſuæ, & filij ſaluti „ Eliæ prætulit famem; ut in ipſa nocte moritura cum filio, ſu- „ perſtitem hoſpitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemoſynam; & in pugillo farinæ ſeminarium ſibi meſſis Do- „ minicæ præparavit. S. Chryſoſt. longa oratione oſtendit, elee- moſynam, artium omnium eſſe quæſtuoſiſſimam.

Theodoretus laudans demiſſionis & pœnitentiæ ſpiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis ſuis adſcribente, Sunt, *inquit*, ad- „ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta ſunt pec- „ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuiſti mihi malum „ auſpicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; ſed potiùs „ ſuis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper eum. 3. Reg. 17. Myſtica hæc eſt incubatio, & plurium arcanorum ſenſuum ferax. Inter alia ſignificat animarum Zelum; eſt enim peccator, quaſi cada- ver exanime & frigidum, gratia cœleſti deſtitutum, quæ eſt vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & deteſtationis ſcelerum ei inſpiran- dum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus ſum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, eſt allegori- ca, eáque præcipua cauſſa, repræſentatio Myſterij *Incarnationis* Dei. Nam Chriſti Deitas ſe expandit ſuper Humanitatem noſtram, ei- que quaſi ſeipſam admenſa eſt, & coæquavit, ut frigidam cale- faceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Chriſtus inhalavit ſpiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9. *Quid ſignificet incubatio ſuper cadaver pueri.*

Petivit animæ ſuæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pa- vor, tantáque conſternatio in Elia, qui paullò antè cum A- chabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut diſceret, hominem ſe eſſe, & præclarè, fortitérque geſta non ſibi, ſed DEO adſcri- bere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furo- rem, in vera religione exſcindenda obſtinatum. *Cauſſa mœſtitiæ Eliæ.*

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & ſta in monte co- ram Domino: Et ecce Dominus tranſit, & Spiritus grandis & fortis ſub- vertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Do- minus; & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; & poſt com- motionẽ ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, *Moderatio fervoris vindictæ.*

scelerum colluvie impiatam. Languorem excepit sopor: hunc discussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulsa fame, relabitur in somnum, noctémque sub junipero transigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur iter longiùs, séque extra discrimen in loco tuto constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibitque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impransus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in spelunca quadam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœlestem percipit, quâ jubetur extra specum prodire, disceréque, quàm providis DEUS consilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipsos subversurus & saxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concussit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura, & cum aura, radians è nube splendor, déque splendore sonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Israëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem sibi Elisæum adsciscit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Israëlis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatẽ comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amorẽ vitæ accessisse, quam etsi conclamatã, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogatã volebat. Ad montẽ ubi superbis cũ mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloso, horribilíque spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obsequiorũ & precũ demissione exitiũ à se avertit, Vatémq; permovit, ut secũ in regiã concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilẽ moriendi necessitatẽ non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cũ Elisæo discipulo ad *Iordanis* littora progressus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per mediũ pede transijt cũ comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ se feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epist. 10. ad Furiam.*
„ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & suæ, & filij saluti
„ Eliæ prætulit famem; ut in ipsa nocte moritura cum filio, su-
„ perstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm
„ eleemosynam; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Do-
„ minicæ præparavit, S. Chrysost. longa oratione ostendit, eleemosynam, artium omnium esse quæstuosissimam.

Theodoretus laudans demissionis & pœnitentiæ spiritum in hac
„ vidua, mortem filij, peccatis suis adscribente, Sunt, *inquit*, ad-
„ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta sunt pec-
„ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum
„ auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potiùs
„ suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit
„ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit se, atque mensus est super eum. 3. Reg. 17. Mystica hæc est incubatio, & plurium arcanorum sensuum ferax. Inter alia significat animarum Zelum; est enim peccator, quasi cadaver exanime & frigidum, gratia cœlesti destitutum, quæ est vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & detestationis scelerum ei inspirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, est allegorica, eáque præcipua caussa, repræsentatio Mysterij *Incarnationis* Dei. Nam Christi Deitas se expandit super Humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est, & coæquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Christus inhalavit spiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9. *Quid significet incubatio super cadaver pueri.*

Petivit animæ suæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque consternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut disceret, hominem se esse, & præclarè, fortitérque gesta non sibi, sed DEO adscribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exscindenda obstinatum. *Caussa mœstitiæ Eliæ.*

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & sta in monte coram Domino: Et ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus; & post commotionē ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior *Moderatio fervoris vindictæ.*

ſcelerum colluvie impiatam. Languorem excepit ſopor: hunc diſcuſſit Angelus cœlo ſubmiſſus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulſa fame, relabitur in ſomnum, noctémque ſub junipero transigit. Redit iterum genius cœleſtis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô reſumptô ingrediatur iter longiùs, ſéque extra diſcrimen in loco tuto conſtituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impranſus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in ſpelunca quadam deliteſcens, Iezabelis inſidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœleſtem percipit, quâ jubetur extra ſpecum prodire, diſceréque, quàm providis DEUS conſilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipſos ſubverſurus & ſaxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concuſſit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas ſpargens. Subſecuta leni ſibilo ſpirans aura, & cum aura, radians è nube ſplendor, déque ſplendore ſonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Iſraëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus ſumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem ſibi Eliſæum adſciſcit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Iſraëlis mittit, (impatiens reprehenſionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatē comprehendendum & ad ſe adducendum. Credibile eſt, ad iram vindictæ, amorē vitæ acceſſiſſe, quam etſi conclamatā, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, ſibi prorogatā volebat. Ad montē ubi ſuperbis cū mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inſpiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloſo, horribilíque ſpectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obſequiorū & precū demiſſione exitiū à ſe avertit, Vatémq; permovit, ut ſecū in regiā concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilē moriendi neceſſitatē non minùs animoſa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cū Eliſæo diſcipulo ad *Iordanis* littora progreſſus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere poſſet, pallio, quod erat ex villoſa pelle hirſutum, diviſit fluminis undas, & ſicco per mediū pede tranſijt cū comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem tranſit.

„ se feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epist. 10. ad Furiam.* „ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & suæ, & filij saluti „ Eliæ prætulit famem; ut in ipsa nocte moritura cum filio, su- „ perstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemosynam; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Do- „ minicæ præparavit, S. Chrysost. longa oratione ostendit, elee- mosynam, artium omnium esse quæstuosissimam.

Theodoretus laudans demissionis & pœnitentiæ spiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis suis adscribente, Sunt, *inquit*, ad- „ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta sunt pec- „ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum „ auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potiùs „ suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit se, atque mensus est super eum. 3. Reg. 17. Mystica hæc est incubatio, & plurium arcanorum sensuum ferax. Inter alia significat animarum Zelum; est enim peccator, quasi cadaver exanime & frigidum, gratia cœlesti destitutum, quæ est vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & detestationis scelerum ei inspirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, est allegorica, eáque præcipua caussa, repræsentatio Mysterij *Incarnationis* Dei. Nam Christi Deitas se expandit super Humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est, & coæquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Christus inhalavit spiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9. *Quid significet incubatio super cadaver pueri.*

Petivit anima sua, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque consternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut disceret, hominem se esse, & præclarè, fortitérque gesta non sibi, sed DEO adscribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exscindenda obstinatum. *Caussa mœstitiæ Eliæ.*

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & sta in monte coram Domino: Et ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus; & post commotionẽ ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, *Moderatio fervoris vindictæ.*

 & concitatior

ejus ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reducturus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigiosa (quod narravimus) pluviarum suspensio, & terris Israëliticis inducta siccitas. Exinde, monitu divino, Iezabelis reginæ furori cessurus, vitæ solitariæ se reddidit, corvis dapiferis in quotidianum ministerium usus. Ex ea solitudine jussu DEI profectus, *Sarephtam*, Sidoniorum urbem, idolis addictam, elusis emissariornm oculis pervenit. In ipso urbis ingressu offendit in mulierem viduam, coccula lingna frustatim colligentem. In ejus se colloquium vates insinuat, extinguendæ siti frigidam, mitigandæ fami buccellam panis petit. Excusat illa extremam egestatem, quam triennalis agrorum sterilitas effecerat; neque plus farinæ in hydria superesse, quàm quantum manûs pugillô capi posset: oleum quoque ad ultimas in lécytho guttas redactum esse: restare hoc unum, ut collectitijs ligni fragmentis focum excitet, & illas penoris reliquias sibi, filióque paret suo, ad imminentem mortis necessitatem tantisper remorandam. Hîc Prepheta viam sequenti facturus prodigio, postulare, ut suæ priùs, hospitis, inediæ levandæ panem extemporaneum in prunis torreat, deinde propriæ, filiíque saluti consulat; neque enim vel hydriæ farinam, vel lecytho defuturum oleum, donec æther beneficas in terram pluvias effuderit. Mulier nihil cunctata, accelerat hospitalitatis officia; tantum panis è modica conficit massula, quantum satis erat non ad Eliæ modò, sed totius familiæ sedandam famem, miro repensæ charitatis fænore, dum ex tenui penu, jugis deinceps annona flueret.

Elias viduæ farinam multiplicat.

Ad hoc beneficium, accessit alterum, non minùs admiratione plenum. Filius ejus viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat; cùm bis orba mulier venit ad Eliam gemæbunda, & lacrimis infusa; queritúrque sibi vitæ ab eo servatæ, fructum ademptum, filium, unicum orbitatis suæ solatium: dolores ex eo funere tantò acerbiores à se hauriri, quantò magis sibi sit conscia, illam mortis immaturitatem delictis suis deberi. Miseratus afflictam Propheta, susceptum de materno sinu parvulum defert in suum ipse cœnaculum, reponit in tectulo, in preces effunditur. Inde contractis ad modum puerilis corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, tertiúmque repetito incubitu, & inhalatione spiritûs, animam exanimi corpori reducit.

Filium ejus à morte resuscitat.

Interea triennió ipsô sicca sterilitas cum idololatrarũ pertinacia pugnabat; cùm Elias veri DEI cultum contra Baalitas asserturus, promittit Achabo regi, se riguas è cœlo aquas in agros devocaturum, si corã frequenti populo Baalitæ pseudoprophetæ

ad unum

ad unum omnes in Carmelo monte congregati, secum in disceptationem de Religione venirent, capitis suppliciô alterutri parti propositô, cuius sacrificam hostiam flamma cœlitus delapsa non cremaret. Confluit densè populus, rei novæ eventu suspensus; coguntur quoque Baalis Sacerdotes octingenti, quinquaginta. Experimentum Sacrificij, ut convenerat, bos in frusta sectus, strui lignorum ab ipsis imponitur; tripudia circa aram, inconditis cum clamoribus gyrantur: cultris & lanceolis inciduntur artus ab insanè debacchantibus; nullo tamen operæ successu. nihil oritur flammæ, nihil fumi, amarùm sacrilegis popis insultante Elia. A manè ad meridiem tenuit ea vociferationis & saltationis insania, cœlo nec imbrem dante, nec ignem. Itaque Vates duodenis è saxis, juxta tribuum Hebræarum numerum, aram ipse quoque erigit; in ara ligna, & super hæc, mactati bovis membra collocat, aquâ largiter perfusa, ut è contrarijs luculentiùs miraculum eluceret. Utque suspicio tolleretur fomitis igniarij sub altari, absconditi, fossam aræ circumducit, repletam undâ. Inchoatô vix sacrificiô, demissus è cœlo ignis momentô consumit non victimam modò, sed ligna, lapides, & ipsam adeò lympham scrobi circùm effossæ infusam; ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantium oculos; mentésque ad Veri Numinis reduceret cultum. *Eliæ holocaustum è cælo inflammatur.*

Neque frustravit spes sua Prophetam. Attoniti rei prodigiosæ novitate præsentes, sternunt humi corpora, supplicésque Numinis æterni potentiam, cultúmque contestantur, ac deveneràntur. Elias animorum promptitudine tempestivè usurus, auctor est Israëlitis, ut tandem agnitam veritatem in vindicias antiquæ Religionis vertant, manus injiciant in detestabiles Baalitas, conctósque neci dent. Neque difficile fuit persuadere verbis, ubi jam facta quâvis linguâ potentiora præcesserant. Irruit concitata multitudo in sacrificulos, raptósque ad torrentem *Cisonem* (montis *Carmeli* radices alluentem) trucidat ad unum omnes, devolutósque in profluentem, ne scelesta cadavera terram & aërem inficerent, sepelit aquis; Achabô prodigijs territô, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem movere ausô. Impiorum sanguinem ruens cælo pluvia diluit, agrísque fœcunditatē, mortalibus saturitatem & lætitiam reddidit. *Confusi Baalis Sacrificuli, morte mulctantur.*

Ea cæde intellecta Jezabel, in rabiem versa, nullum non lapidem movit, ut Eliam tantæ stragis auctorem dirissimis modis excruciaret. Quare fugâ sibi consulens Vates, peragratis locis desertis, fortè sub junipero consederat, quiete vires refocillaturus. Ibi partim mærore animi, partim lassitudine itineris, cœpit ipsum vitæ tædere, & desiderium subire linquendi terram tot *Elias fugit Jezabelem.*

scelerum colluvie impiatam. Languorem excepit sopor: hunc discussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulsa fame, relabitur in somnum, noctémque sub junipero transigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur iter longiùs, séque extra discrimen in loco tuto constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impransus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in spelunca quadam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœlestem percipit, quâ jubetur extra specum prodire, disceréque, quàm providis DEUS consilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipsos subversurus & saxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concussit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura, & cum aura, radians è nube splendor, déque splendore sonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Israëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem sibi Elisæum adscisit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Israëlis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatē comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amorē vitæ accessisse, quam etsi conclamatā, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogatā volebat. Ad montē ubi superbis cū mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidolôso, horribilíque spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obsequiorū & precū demissione exitiū à se avertit, Vatémq; permovit, ut secū in regiā concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilē moriendi necessitatē non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cū Elisæo discipulo ad *Iordanis* littora progressus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per mediū pede transijt cū comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ ſe feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam.* „ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & ſuæ, & filij ſaluti „ Eliæ prætulit famem; ut in ipſa nocte moritura cum filio, ſu- „ perſtitem hoſpitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemoſynam; & in pugillo farinæ ſeminarium ſibi meſſis Do- „ minicæ præparavit, S. Chryſoſt. longa oratione oſtendit, elee- moſynam, artium omnium eſſe quæſtuoſiſſimam.

Theodoretus laudans demiſſionis & pœnitentiæ ſpiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis ſuis adſcribente, Sunt, *inquit*, ad- „ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta ſunt pec- „ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuiſti mihi malum „ auſpicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; ſed potiùs „ ſuis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Quid ſignificet incubatio ſuper cadaver pueri.

Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper eum. 3. Reg. 17. Myſtica hæc eſt incubatio, & plurium arcanorum ſenſuum ferax. Inter alia ſignificat animarum Zelum; eſt enim peccator, quaſi cadaver exanime & frigidum, gratia cœleſti deſtitutum, quæ eſt vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & deteſtationis ſcelerum ei inſpirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus ſum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, eſt allegorica, eáque præcipua cauſſa, repræſentatio Myſterij *Incarnationis* Dei. Nam Chriſti Deitas ſe expandit ſuper Humanitatem noſtram, eique quaſi ſeipſam admenſa eſt, & coœquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Chriſtus inhalavit ſpiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9.

Cauſſa mœſtitia Eliæ.

Petivit animæ ſuæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque conſternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut diſceret, hominem ſe eſſe, & præclarè, fortitérque geſta non ſibi, ſed DEO adſcribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exſcindenda obſtinatum.

Moderatio fervoris vindictæ.

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & ſta in monte coram Domino: Et ecce Dominus tranſit, & Spiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus; & poſt ſpiritum commotio; non in commotione Dominus; & poſt commotionē ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior

scelerum colluvie impiatam. Languorem excepit sopor: hunc discussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulsa fame, relabitur in somnum, noctémque sub junipero transigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur iter longiùs, séque extra discrimen in loco tuto constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impransus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in spelunca quadam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœlestem percipit, quâ jubetur extra specum prodire, discerèque, quàm providis DEUS consilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipsos subversurus & saxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concussit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura, & cum aura, radians è nube splendor, déque splendore sonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Israëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, inque via comitem sibi Elisæum adsciscit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Israëlis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatẽ comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amorẽ vitæ accessisse, quam etsi conclamatã, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogatã volebat. Ad montẽ ubi superbis cũ mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloso, horribilíque spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obsequiorũ & precũ demissione exitiũ à se avertit, Vatémq; permovit, ut secũ in regiã concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilẽ moriendi necessitatẽ non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cũ Elisæo discipulo ad *Iordanis* littora progressus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per mediũ pede transijt cũ comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ ſe feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam.* „ Recordemur viduæ Sarephtanæ , quæ & ſuæ , & filij ſaluti „ Eliæ prætulit famem ; ut in ipſa nocte moritura cum filio, ſu- „ perſtitem hoſpitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemoſynam ; & in pugillo farinæ ſeminarium ſibi meſſis Do- „ minicæ præparavit, S. Chryſoſt. longa oratione oſtendit, elee- moſynam, artium omnium eſſe quæſtuoſiſſimam.

Theodoretus laudans demiſſionis & pœnitentiæ ſpiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis ſuis adſcribente, Sunt, *inquit*, ad- „ miratione digna verba viduæ : Tuo, ait, lumine aperta ſunt pec- „ cata mea , quæ occulta erant. Non dixit, fuiſti mihi malum „ auſpicium ; mala conciliavit mihi tuus adventus ; ſed potiùs „ ſuis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper eum. 3. Reg. 17. Myſtica hæc eſt incubatio, & plurium arcanorum ſenſuum ferax. Inter alia ſignificat animarum Zelum ; eſt enim peccator , quaſi cada- ver exanime & frigidum , gratia cœleſti deſtitutum , quæ eſt vita animæ. Opus igitur viri , pietate ferventis , & ardore , ad calorem amoris DEI , & deteſtationis ſcelerum ei inſpiran- dum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus ſum*, inquit, *infirmus infirmis , ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, eſt allegori- ca, eáque præcipua cauſſa, repræſentatio Myſterij *Incarnationis* Dei. Nam Chriſti Deitas ſe expandit ſuper Humanitatem noſtram, ei- que quaſi ſeipſam admenſa eſt , & coæquavit, ut frigidam cale- faceret , exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis , refrixit & exaruit ; Chriſtus inhalavit ſpiritum gratiæ , & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens , exauditus eſt pro ſua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum* , Rom. 9. *Quid ſignificet incubatio ſuper cadaver pueri.*

Petivit animæ ſuæ , ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pa- vor , tantáque conſternatio in Elia , qui paullò antè cum A- chabo , & Baalitis impavidus concertârat? Ut diſceret, hominem ſe eſſe, & præclarè , fortitérque geſta non ſibi , ſed DEO adſcri- bere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furo- rem, in vera religione exſcindenda obſtinatum. *Cauſſa mœſtitiæ Eliæ.*

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei : egredere , & ſta in monte co- ram Domino : Et ecce Dominus tranſit , & Spiritus grandis & fortis ſub- vertens montes , & conterens petras ante Dominum : non in ſpiritu Do- minus ; & poſt ſpiritum commotio ; non in commotione Dominus ; & poſt com- motionẽ ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, *Moderatio fervoris vindictæ.*

 & concitatior

scelerum colluvie impiatam. Languorem excepit sopor: hunc discussit Angelus cœlo submissus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulsa fame, relabitur in somnum, noctémque sub junipero transigit. Redit iterum genius cœlestis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô resumptô ingrediatur iter longiùs, séque extra discrimen in loco tuto constituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibitque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impransus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in spelunca quadam delitescens, Iezabelis insidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœlestem percipit, quâ jubetur extra specum prodire, disceréque, quàm providis DEUS consilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipsos subversurus & saxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concussit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas spargens. Subsecuta leni sibilo spirans aura, & cum aura, radians è nube splendor, déque splendore sonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Israëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus sumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem sibi Elisæum adsciscit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochozias* Rex Israëlis mittit, (impatiens reprehensionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatẽ comprehendendum & ad se adducendum. Credibile est, ad iram vindictæ, amorẽ vitæ accessisse, quam etsi conclamatã, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, sibi prorogatã volebat. Ad montẽ ubi superbis cũ mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inspiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloso, horribilíque spectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, pariterq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obsequiorũ & precũ demissione exitiũ à se avertit, Vatémq; permovit, ut secũ in regiã concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilẽ moriendi necessitatẽ non minùs animosa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cũ Elisæo discipulo ad *Iordanis* littora progressus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere posset, pallio, quod erat ex villosa pelle hirsutum, divisit fluminis undas, & sicco per mediũ pede transijt cũ comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem transit.

„ se feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epist. 10. ad Furiam.* „Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & suæ, & filij saluti „ Eliæ prætulit famem; ut in ipsa nocte moritura cum filio, su- „ perstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm „ eleemosynam; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Do- „ minicæ præparavit, S. Chrysost. longa oratione ostendit, elee-mosynam, artium omnium esse quæstuosissimam.

Theodoretus laudans demissionis & pœnitentiæ spiritum in hac „ vidua, mortem filij, peccatis suis adscribente, Sunt, *inquit*, ad- „ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta sunt pec- „ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum „ auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potiùs „ suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit „ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit se, atque mensus est super eum. 3. Reg. 17. Mystica hæc est incubatio, & plurium arcanorum sensuum ferax. Inter alia significat animarum Zelum; est enim peccator, quasi cadaver exanime & frigidum, gratia cœlesti destitutum, quæ est vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & detestationis scelerum ei inspirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, est allegorica, eáque præcipua caussa, repræsentatio Mysterij *Incarnationis* Dei. Nam Christi Deitas se expandit super Humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est, & coæquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Christus inhalavit spiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9.

Quid significet incubatio super cadaver pueri.

Petivit animæ suæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque consternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut disceret, hominem se esse, & præclarè, fortitérque gesta non sibi, sed DEO adscribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exscindenda obstinatum.

Caussa mœstitiæ Eliæ.

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & sta in monte coram Domino: Et ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus; & post commotionẽ ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior

Moderatio fervoris vindictæ.

ſcelerum colluvie impiatam. Languorem excepit ſopor: hunc diſcuſſit Angelus cœlo ſubmiſſus, panem ferens & fontem, refectionem jejuno. Elias depulſa fame, relabitur in ſomnum, noctémque ſub junipero transigit. Redit iterum genius cœleſtis, dormientem excitat, hortatur, ut cibô reſumptô ingrediatur iter longiùs, ſéque extra diſcrimen in loco tuto conſtituat. Iterum igitur expergefactus, iterum comedit, bibítque, & redintegratis viribus, dies omnino quadraginta incœnatus & impranſus ad montem *Horebum* contendit, ibíque in ſpelunca quadam deliteſcens, Iezabelis inſidias declinat. Secundùm quietem, vocem denuo cœleſtem percipit, quâ jubetur extra ſpecum prodire, diſceréque, quàm providis DEUS conſilijs, clementiáque cruentas Jezabelis molitiones temperet. Ingens namque exortus turbo, videbatur montes ipſos ſubverſurus & ſaxa contriturus; cúmque remitteret illa ventorum violentia, concitatus infra terram tumultus, omnia concuſſit & tremefecit. Terræ motum excepit incendium, pari terrore flammas & minas ſpargens. Subſecuta leni ſibilo ſpirans aura, & cum aura, radians è nube ſplendor, déque ſplendore ſonus allabens, prænuntiánsque *Hazaëlem* regem in Syria, *Iehum* in Iſraëlitide excitandum ad pœnas de idolorum adoratoribus ſumendas. Ejus rei nuntium utrique defert Elias, ínque via comitem ſibi Eliſæum adſciſcit; & demandato perfunctus munere, in montem Carmelum revertitur. Eò militarem manum *Ochoziæ* Rex Iſraëlis mittit, (impatiens reprehenſionis ob imploratam in morbo, dæmonis opem) ad vatẽ comprehendendum & ad ſe adducendum. Credibile eſt, ad iram vindictæ, amorẽ vitæ acceſſiſſe, quam etſi conclamatã, armatis tamen minis à mirabilium patratore Propheta, ſibi prorogatã volebat. Ad montẽ ubi ſuperbis cũ mandatis venit dux legationis, cum quinquaginta virorum manipulo, Elias peculiari Dei inſpiratione concitatus, devocat è cœlo ignes, & formidoloſo, horribilíque ſpectaculo, manipulares illos exurit omnes. Mittitur altera quinquagenaria turma, paritérq; concrematur, non aliam ob culpam, quàm quòd impio regi obtemperârint. Ablegatur tertia; quæ terrefacta nuntio iteratæ cladis, obſequiorũ & precũ demiſſione exitiũ à ſe avertit, Vatémq; permovit, ut ſecũ in regiã concederet. Ubi decumbenti Ochoziæ inevitabilẽ moriendi neceſſitatẽ non minùs animoſa voce confirmavit, quàm antè prædixerat. Inde cũ Eliſæo diſcipulo ad *Iordanis* littora progreſſus, cùm neque ponte, neque navicula fluvium traijcere poſſet, pallio, quod erat ex villoſa pelle hirſutum, diviſit fluminis undas, & ſicco per mediũ pede tranſijt cũ comite; quem

Elias ignem è cœlo devocat in Satellites Ochoziæ.

Sicco pede Iordanem tranſit.

„ ſe feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epiſt. 10. ad Furiam.*
„ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & ſuæ, & filij ſaluti
„ Eliæ prætulit famem; ut in ipſa nocte moritura cum filio, ſu-
„ perſtitem hoſpitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm
„ eleemoſynam; & in pugillo farinæ ſeminarium ſibi meſſis Do-
„ minicæ præparavit. S. Chryſoſt. longa oratione oſtendit, elee-
moſynam, artium omnium eſſe quæſtuoſiſſimam.

Theodoretus laudans demiſſionis & pœnitentiæ ſpiritum in hac
„ vidua, mortem filij, peccatis ſuis adſcribente, Sunt, *inquit*, ad-
„ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta ſunt pec-
„ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuiſti mihi malum
„ auſpicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; ſed potiùs
„ ſuis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit
„ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper eum. 3. Reg. 17. Myſtica hæc eſt incubatio, & plurium arcanorum ſenſuum ferax. Inter alia ſignificat animarum Zelum; eſt enim peccator, quaſi cadaver exanime & frigidum, gratia cœleſti deſtitutum, quæ eſt vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & deteſtationis ſcelerum ei inſpirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus ſum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, eſt allegorica, eáque præcipua cauſſa, repræſentatio Myſterij *Incarnationis* DEI. Nam Chriſti Deitas ſe expandit ſuper Humanitatem noſtram, eíque quaſi ſeipſam admenſa eſt, & coœquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Chriſtus inhalavit ſpiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9. *Quid ſignificet incubatio ſuper cadaver pueri.*

Petivit animæ ſuæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque conſternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut diſceret, hominem ſe eſſe, & præclarè, fortitérque geſta non ſibi, ſed DEO adſcribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exſcindenda obſtinatum. *Cauſſa mæſtitiæ Eliæ.*

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & ſta in monte coram Domino: Et ecce Dominus tranſit, & Spiritus grandis & fortis ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus; & poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus; & poſt commotionē ignis: non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæreſ. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior *Moderatio fervoris vindictæ.*

ejus ab idolomania ad Religionis avitæ Sacra reducturus. Mirandarum ei rerum initium fuit, prodigiosa (quod narravimus) pluviarum suspensio, & terris Israëliticis inducta siccitas. Exinde, monitu divino, Iezabelis reginæ furori cessurus, vitæ solitariæ se reddidit, corvis dapiferis in quotidianum ministerium usus. Ex ea solitudine jussu DEI profectus, *Sarephtam*, Sidoniorum urbem, idolis addictam, elusis emissariornm oculis pervenit. In ipso urbis ingressu offendit in mulierem viduam, coccula lingna frustatim colligentem. In ejus se colloquium vates insinuat, extinguendæ siti frigidam, mitigandæ fami buccellam panis petit. Excusat illa extremam egestatem, quam triennalis agrorum sterilitas effecerat; neque plus farinæ in hydria superesse, quàm quantum manûs pugillô capi posset: oleum quoque ad ultimas in lécytho guttas redactum esse: restare hoc unum, ut collectitijs ligni fragmentis focum excitet, & illas penoris reliquias sibi, filióque paret suo, ad imminentem mortis necessitatem tantisper remorandam. Hîc Prepheta viam sequenti facturus prodigio, postulare, ut suæ priùs, hospitis, inediæ levandæ panem extemporaneum in prunis torreat, deinde propriæ, filiíque saluti consulat; neque enim vel hydriæ farinam, vel lecytho defuturum oleum, donec æther beneficas in terram pluvias effuderit. Mulier nihil cunctata, accelerat hospitalitatis officia; tantum panis è modica conficit massula, quantum satis erat non ad Eliæ modò, sed totius familiæ sedandam famem, miro repensæ charitatis fænore, dum ex tenui penu, jugis deinceps annona flueret.

Elias viduæ farinam multiplicat.

Ad hoc beneficium, accessit alterum, non minùs admiratione plenum. Filius ejus viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat; cùm bis orba mulier venit ad Eliam gemæbunda, & lacrimis infusa; queritúrque sibi vitæ ab eo servatæ, fructum ademptum, filium, unicum orbitatis suæ solatium: dolores ex eo funere tantò acerbiores à se hauriri, quantò magis sibi sit conscia, illam mortis immaturitatem delictis suis deberi. Miseratus afflictam Propheta, susceptum de materno sinu parvulum defert in suum ipse cœnaculum, reponit in tectulo, in preces effunditur. Inde contractis ad modum puerilis corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, tertiúmque repetito incubitu, & inhalatione spiritûs, animam exanimi corpori reducit.

Filium ejus à morte resuscitat.

Interea triennió ipsô sicca sterilitas cum idololatrarũ pertinacia pugnabat; cùm Elias veri DEI cultum contra Baalitas asserturus, promittit Achabo regi, se riguas è cœlo aquas in agros devocaturum, si corã frequenti populo Baalitæ pseudoprophetæ

ad unum

ad unum omnes in Carmelo monte congregati, secum in disceptationem de Religione venirent, capitis suppliciô alterutri parti propositô, cuius sacrificam hostiam flamma cœlitus delapsa non cremaret. Confluit densè populus, rei novæ eventu suspensus; coguntur quoque Baalis Sacerdotes octingenti, quinquaginta. Experimentum Sacrificij, ut convenerat, bos in frusta sectus, strui lignorum ab ipsis imponitur; tripudia circa aram, inconditis cum clamoribus gyrantur: cultris & lanceolis inciduntur artus ab insanè debacchantibus; nullo tamen operæ successu, nihil oritur flammæ, nihil fumi, amarùm sacrilegis popis insultante Elia. A manè ad meridiem tenuit ea vociferationis & saltationis insania, cœlo nec imbrem dante, nec ignem. Itaque Vates duodenis è saxis, juxta tribuum Hebræarum numerum, aram ipse quoque erigit: in ara ligna, & super hæc, mactati bovis membra collocat, aquâ largiter perfusa, ut è contrarijs luculentiùs miraculum eluceret. Utque suspicio tolleretur fomitis igniarij sub altari, absconditi, fossam aræ circumducit, repletam undâ. Inchoatô vix sacrificiô, demissus è cœlo ignis momentô consumit non victimam modò, sed ligna, lapides, & ipsam adeò lympham scrobi circùm effossæ infusam; ut tanti magnitudo prodigij magis percelleret adstantium oculos; mentésque ad Veri Numinis reduceret cultum.

Eliæ holocaustum è cælo inflammatur.

Neque frustravit spes sua Prophetam. Attoniti rei prodigiosæ novitate præsentes, sternunt humi corpora, supplicésque Numinis æterni potentiam, cultúmque contestantur, ac devenerantur. Elias animorum promptitudine tempestivè usurus, auctor est Israëlitis, ut tandem agnitam veritatem in vindicias antiquæ Religionis vertant, manus inijciant in detestabiles Baalitas, conctósque neci dent. Neque difficile fuit persuadere verbis, ubi jam facta quâvis linguâ potentiora præcesserant. Irruit concitata multitudo in sacrificulos, raptósque ad torrentem *Cisonem* (montis *Carmeli* radices alluentem) trucidat ad unum omnes, devolutósque in profluentem, ne scelesta cadavera terram & aërem inficerent, sepelit aquis; Achabô prodigijs territô, nihil contra Eliæ consilium, & populi conspirationem movere ausô. Impiorum sanguinem ruens cælo pluvia diluit, agrísque fœcunditatē, mortalibus saturitatem & lætitiam reddidit.

Confusi Baalis Sacrificuli, morte mulctantur.

Ea cæde intellecta Jezabel, in rabiem versa, nullum non lapidem movit, ut Eliam tantæ stragis auctorem dirissimis modis excruciaret. Quare fugâ sibi consulens Vates, peragratis locis desertis, fortè sub junipero consederat, quiete vires refocillaturus. Ibi partim mærore animi, partim lassitudine itineris, cœpit ipsum vitæ tædere, & desiderium subire linquendi terram tot

Elias fugit Jezabelem.

„ se feminam pavit Elias. *Et Sanct. Hieronymus epist. 10. ad Furiam.*
„ Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & suæ, & filij saluti
„ Eliæ prætulit famem; ut in ipsa nocte moritura cum filio, su-
„ perstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm
„ eleemosynam; & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Do-
„ minicæ præparavit. S. Chrysost. longa oratione ostendit, elee-
mosynam, artium omnium esse quæstuosissimam.

Theodoretus laudans demissionis & pœnitentiæ spiritum in hac
„ vidua, mortem filij, peccatis suis adscribente, Sunt, *inquit*, ad-
„ miratione digna verba viduæ: Tuo, ait, lumine aperta sunt pec-
„ cata mea, quæ occulta erant. Non dixit, fuisti mihi malum
„ auspicium; mala conciliavit mihi tuus adventus; sed potiùs
„ suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit
„ prophetæ doctrina. Hîc q. 52.

Et expandit se, atque mensus est super eum. 3. Reg. 17. Mystica hæc est incubatio, & plurium arcanorum sensuum ferax. Inter alia significat animarum Zelum; est enim peccator, quasi cadaver exanime & frigidum, gratia cœlesti destitutum, quæ est vita animæ. Opus igitur viri, pietate ferventis, & ardore, ad calorem amoris DEI, & detestationis scelerum ei inspirandum. Ita faciebat Paulus. 1. Cor. 9. *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaciam.* Altera hujus actionis, est allegorica, eáque præcipua caussa, repræsentatio Mysterij *Incarnationis* Dei. Nam Christi Deitas se expandit super Humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est, & coæquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Nam quidquid erat in homine bonæ mentis, refrixit & exaruit; Christus inhalavit spiritum gratiæ, & in vitam reduxit. *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Heb. 5. *Hinc Verbum abbreviatum*, Rom. 9.

Quid significet incubatio super cadaver pueri.

Petivit animæ suæ, ut moreretur. 3. Reg. 19. Unde tantus pavor, tantáque consternatio in Elia, qui paullò antè cum Achabo, & Baalitis impavidus concertârat? Ut disceret, hominem se esse, & præclarè, fortitérque gesta non sibi, sed DEO adscribere. Deinde metuebat non tam mortem, quàm Jezabelis furorem, in vera religione exscindenda obstinatum.

Caussa mœstitiæ Eliæ.

Et ait (Angelus DEI Vicarius) *ei: egredere, & sta in monte coram Domino: Et ecce Dominus transit, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus; & post commotionē ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* 3. Reg. 19. Docebatur, inquit *S. Irenæus lib. 4. cont. hæres. c. 37.* propheta turbatior, & concitatior

Moderatio fervoris vindictæ.

& concitator ad vindictam, mitiùs agere. Igitur spiritus hic lenis, simul erat subtilis & acer. DEUS enim, Deíque sapientia operatur & castigat, tam fortiter, quàm suaviter. Eliæ Zelus moderandus erat, ut non procederet ex ira & perturbatione animi, sed ex lenitate & amore justitiæ. Unde mox eidem vindictæ ratio, modúsque præscribitur, scilicet ut ungat in regem Syrorum, *Hazaëlem*, & *Iebum* Israëlitarum, & Elisæum Prophetam, ultionis divinæ instrumenta futuros.

Instructio hîc præclara adversùs eos, qui iræ & vindictæ impetu longiùs abripiuntur, quales erant duo Christi discipuli Ioannes & Iacobus, qui, quòd in quoddam Samaritanorum castellum non erant admissi, volebant vindicem è cœlo ignem in eos immittere; sed repressi sunt à Christo, illis verbis: *Nescitis, cuius spiritûs estis* Luc. 9. nam spiritus Evangelicus non est vindictæ aut iracundiæ, sed mansuetudinis ac patientiæ. Hic spiritus designatus est per sibilum auræ tenuis, Eliæ perceptum. Neque enim Dominus est in spiritu grandi & forti, hoc est, superbo; non in commotione & perturbatione animi; non in igne iracundiæ, sed in sibilo auræ tenuis, id est, humili & mansueto. Correpturus Dominus Adamum, & punire volens Gen. 3. *Venit ad auram post meridiem*, non in igne & fervore mediæ diei, id est, in iracundia, sed in aura & sibilo mansuetudinis.

DEI modus hominem adducendi ad perfectionem virtutis.

Hôc sibilô etiam significatur modus, quô DEUS pœnitentes & perfectionis studiosos exercet, disponit, atque ad perfectam virtutem perducit. Primò enim eos terrore mortis, judicij & gehennæ, quasi vento validissimo, terræ motu, & igne percellit, compungit, ciet lacrimas; ac deinde ut spiritus auræ lenis eos mulcet, recreat, ad teneritudinem amoris sui provehit.

Explicatio verborum: Currus Israël & auriga.

Elisæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, Pater mi! Currus Israël & auriga ejus. 4. Reg. 2. Quasi diceret: Vale ô Elia, pater mi, qui eras totum robur Israëlitici populi, eúmque magis juvabas tuo zelo & oratione, quàm magna curruum & equorum multitudo. Vel: Vale ô Pater mi, qui simul currus eras & auriga; regebas & regebaris tu subditus DEO, tibi populus. Quasi currus sustinebas onera Reipublicæ; tanquam aurigator dirigebas omnia ad Publici Boni, & Religionis emolumentum. Meruisti virtute tua, ut triumphalem tibi currũ submitteret æther, eóq; te eveheret, ubi familiaris Angelis, lauros exspectas im̃ortales, tibi, tuóq; consorti Enocho olim imponendas.
„ Huc faciunt verba *S. Greg. hom. 22. in Ezechielem.* Quid est (fratres
„ charissimi) quòd Elias currus & auriga Israël dicitur, nisi quia
„ auriga agitat, currus portat? Doctor ergò, qui mores populi

& per

quem quia disciplinæ suæ successorem constituerat, copiam ei fecit postulandi, quidquid luberet, in monimentum amicitiæ, & impositi oneris benè administrandi auxilium. Petijt is duplicem spiritum, miraculorum scilicet & Prophetiæ. Dum eunt, dum colloquuntur, ecce nubes se offert in currûs & equorum igneorum specimen efformata, quæ inter utrùmque super terram discurrens, Eliam subitò rapuit; statímque consurgens ventus, equos ac currum longiùs abstulit ab Elisæo, ultimum Magistro suo vale acclamante, & dejectum ejus pallium, entheúmque spiritum excipiente. Cæterùm Elias rediturus ad mortales est cum *Enocho* circa mundi finem, plurimísque à nefanda Antichristi secta revocatis, martyriô laureatus, Elysias sedes revisurus; interea in secreto quodam aëris, amœnóque secessu (S. Scriptor *cælum* vocat) vitam degit quietam, & jugi DEI contemplatione felicem. *Ex* quo loco, novenniô pòst, quàm à mortalibus recessit, epistolam ad *Joramum* impium pijssimi Iosaphati filium, & successorem sua manu scripsit: cum exprobratione detestabilis impietatis, imitationis Achabi, crudelitatis in fratres; adjectis insuper atrocium pœnarum, cladiúmque minis ac vaticinijs, in caput scelerati regis, irrevocabili Numinis decretô, non multò pòst exonerandis; quod divina historia memorat lib. 2. Paral. c. 21. Lubet hîc ex Saliano nostro apponere Epitaphium seu Elogium, ad limen Carmelitanæ speluncæ ab eo suspensum.

Elias in cælum rapitur.

ELOGIUM ELIAE.

Elogium Eliæ.

HAnc aliquando speluncam incoluit, Viator, qui præter naturæ ordinem factus est paradisi colonus, & immortalitatis in mortali corpore candidatus: magnum illud Prophetarum lumen Elias Thesbites, in veste cilicina, in horrido ac neglecto capillo, in Prophetico pallio, in melote, pelliceáque zona. Hoc ille solum rigabat lacrimis, has tenebras divinarum illustrationum copiâ efficiebat illustres; ipsum deníque informe, olidúmque antrum precum suarum balsamo reddebat odoratum. Hîc spiritum fervoris Vates hauriebat, quô decem Tribus sacrilegæ impietatis reas, duorum & quadraginta mensium sterilitate afflixit; quô impurissimæ vanitatis architectos, magos, ariolos, pseudoprophetas, præstigiarũ convictos, ad octingentos & quinquaginta morti dedit: quô profanũ ipsum regẽ in suâ perniciem conjuratũ increpuit palàm: & verborũ pondere afflictum, ad saccũ & cineres, infimámque compulit humilitatem. Hic ille est Elias, qui quadraginta dierum continentis jejunij prolusione usus, ad bis mille, quingentos, & ampliùs años, jugem, ad hanc diem ac

„ & per patientiam sustinet, & sacri eloquij verbum docet, Cur-
„ rus dicitur & Auriga: currus, quia tolerando portat; auriga,
„ quia exhortando agitat: currus, quia mala sustinet: auriga,
„ quia populum bonis admonitionibus exercet. Adde, quòd hic currus, in quo vir Apostolicus adumbratur, igneus esse debet, qualis etiam à Poëtis dicitur, solis currus, qui, quocunque à spiritu versetur, omnia & splendore illustrat, & exurit flammâ.

In quod cœlum sit raptus Elias.

Ascendit Elias per turbinem in cœlum c. 2. lib. 4. Reg. Et de Enocho, Eccli. 44. *Enoch placuit DEO, & translatus est in paradisum.* De hoc cœlo & paradiso multi multa disputant. Aliqui enim, teste Cornelio nostro à Lapide in hunc locum, arbitrantur cum S. Ambrosio, eos inter Cœlitos agere; alij cum S. Thoma putant, eos in paradisum terrestrem raptos esse; alij, cum S. Gregorio autumant, ipsos in secreta quadam aëris regione felices degere. Quidam eos ad beatissimum Numinis aspectum admittunt; aliqui solo DEI & Angelorum consortio illos frui existimant. Multi cum S. Chrysost. inter incerta ponunt, quæ de ipsorum loco scribuntur; cùm tamen de eorum raptu & in vitam reditu, mortéque pro DEO subeunda Sacra Pagina minimè dubitare sinat. Nos cum pluribus S. Gregorij opinionem amplexi sumus.

NARRATIO LXXXII.

ELISAEVS THAVMATURGUS.

[Lib. Reg. 3. cap. 19. 4. Reg. 2. 4. 5. 6. 7. 13.

Ab anno M. 3127. ante Ch. 926. ad ann. M. 3240. ante Ch. 849.

Elisæi vocatio.

ELisæo natale solum fuit *Abelmeula*, urbs Tribûs Manasséæ, cis Iordanem sita, parenti nomẽ *Saphatus*. Rerum mirabiliter patrandarum omen fuit (quod S. Epiphanius, & Isidorus in vita Elisæi memorant) mugitus aurei vituli, Ierosolymis auditus, quo portendebatur, puerũ idolorũ exterminio natũ. Antequã ab Elia in disciplinã adsciceretur, rus colebat non modicũ, quippe duodenis boũjugis possidendũ. In eũ arantẽ fortè Elias iter peregrè faciens incidit

incidit; útque hominem instituti sui Socium faceret & sectatorem, pallium ei injecit,& cum pallio animum, sequendi hunc vitæ ducem. Elisæus in morem Prophetæ inunctus, continuò relictis bobus, adjungit se Eliæ, id unum expetens, priùs ut liceat sibi ultimum parentibus vale dicere; & quia non fit uxoris mentio, credibile est, ipsum nullis matrimonij vinculis irretitum fuisse. Perfunctus eô humanitatis officiô, paríque boum in epulum amicis mactato; aratrô quoque coquendis cibis combustô (ut ostenderet, se priori vivendi rationi prorsus renuntiare) in montem se Carmelum ad Eliam, perpetuus futurus assecla, recipit. Quô deinde in æthera translatô, ipse prodigiosi hæres pallij, primum potentiæ specimen edidit, quando hirsuta, quam à Magistro acceperat, pelle, Iordanem fluvium percussit, geminásque divisum in partes, siccus inambulavit. Steriles subinde ac noxias Ierichuntis aquas, injecto sale potabiles effecit, & fœcundas. Debebatur hoc beneficium supplicum precibus; at quæ sequitur pœna, derisorum petulantiæ.

Elisæus fluvium Iordanem siccus inambulat.

Aquas amaras edulcat.

Bethélem (oppidum tribûs Ephraimiticæ, monti inædificatum, aureóque Ieroboami Vitulo dedicatum, regni Israëlitici limitaneum) fortè petenti, illudunt pueri malè linguati, tum per colles vagabundi, senile calvitium exsibilantes; eâ Vates offensus procaciâ, magis autem parentum scelere, quibus neque Religio curæ, neque filiorum educatio, supplicium illusoribus imperatur. Præstò habuit evocatam Numinis vindictam; momentô citiùs gemini de silvis ursi prorumpunt, & duo ac quadraginta puerilium corporum infrusta discerpunt, improbam linguam DEO per feras castigante.

Illusores Elisæi pueri ab ursis discerpuntur.

Puerorum cladem, haud paullò major virorum excepit. Rex Moabita, (Iosephus *Misam* appellat) Israëlitarum vectigalis, sub id tempus defecerat, tributariam subjectionem excussurus. Quem ut armis in officio contineret *Ioramus*, tunc Israëlitici regni potens, adscitô in societatem belli *Josaphatô* Iudæ rege; quíque Idumæis imperabat, tertiô expeditionis sociô assumptô, movet in Moabitas. Ut imparatis superveniant, iter instituunt per Idumææ deserta, quà minimè exspectabat hostis. Septiduô jam progressus exercitus, cæpit vehementi siti laborare; In summa aquarum penuria Rex Israëliticus non veritus est, cum DEO ipso expostulare, quòd ternos reges, cum ingenti suorum multitudine in extremam necessitatem (quæ stolido potiùs ipsiusmet, quippe copiarum ducis, consilio imputanda) conjecisset. Displicuit, ut par erat, Iosaphato, hominis impij querimonia; jubet igitur perquiri, num quis in exercitu Prophetes adesset, perquem, quid faciendum, DEUS posset consuli. Indicatur, *Elisæum*, Saphati filium in castris

in castris versari. Itaque ad ejus tabernaculum conferunt se reges, consilium in rebus angustis petunt; Ioramus præcipuè Vatis responsum urgebat. Quem ille cum indignatione rejectum, jussit apud suos veridicos futura inquirere. Haud æquum esse, divina ut oracula impijs & indignis pandantur. Valuit tamen apud virum religiosum Josaphati pietas, ut accersito psalte, qui divinas laudes incineret, veluti quodam enthusiasmo correptus, opem ferret laborantibus. nam ubi pro vatis imperio, aridus torrentis alveus, in complures, profundásq; fossas sulcatus est, tanta repentè aquarum copia eas inundavit, ut & militi, & jumentis abunde ad bibendum suppeditaret. Rem miram mox alia consecuta est. *Moabitæ* audito hostium adventu, in regni finibus occurrunt; & quia subitæ torrentis undæ matutini solis radijs verberatæ rutilabant; illi viso colore sanguineo, rati, Hebræos rabie sitis stimulatos, in semetipsos arma vertisse; impetum in hostilia castra velut ad paratam prædam faciunt. Confertim sine ordine irruentes, excipiunt Hebræi, & ad internecionem cædunt. Vastata latè regione, obsidio urbi regni primariæ, quò se rex Moabita cum paucis suorum receperat, admovetur. Erumpere tentantem, repellunt obsessores, & ad extrema desperationis consilia adigunt. Cùmque, quò se verteret, non haberet, commiserationem hostis, ab atroci facinore captaturus, arripit filium natu primum, regni successorem, productúmque in mœnia, inspectante toto hostili exercitu, Dijs suis victimâ imolat. Qua re conspecta reges fœderati, humanam miserati sortem soluta obsidione recesserunt.

Elisæus sitienti exercitui aquas evocat.

Moabitæ ad Hebræis miro casu cæduntur.

Atq; hæc ad salutē publicā pertinebant; quæ jam memorabimus, in privatā sunt collata. Vidua quædā (uxor *Abdiæ*, œconomi regij, & in profligatos Prophetas benefici, de quo supra, fuisse creditur) ære sic gravabatur alieno, ut solvendo non esset, geminísq; filiis imineret servitus, à creditoribus imponenda. Hæc se ad prætereuntis comodùm Elisæi pedes abijcit, & rebus afflictis auxiliū rogat. Motus feminæ lacrimis senex, pauxillum olei, quod in gutti fundo reliquum, ungendæ vix sufficeret faciei, adeò copiosè jussit fluere, ut excipiendo vasa non superessent, etsi à vicinis non pauca suppeditata; olivitatem diceres autumnalem, quæ nexus non tantùm æris alieni, sed totius angustias familiæ laxavit. Atque sic cum libertate vitam Propheta conservavit miseris; nunc quomodo eam amissam restituerit, referemus.

Elisæus oleum pauperculæ viduæ multiplicat.

Invisurus subjecta sibi Prophetarum collegia, solitam itabat viam per Issacharéæ Tribûs civitatem, cui *Suna* appellatio. Hîc matrona quædam virtutibus æquè ac fortunis prædita, persuadet

 marito,

marito, Vati ut divino sæpius illac transeunti cœnaculum exstruat, reliquis ab ædibus semotum, ea supellectilis tenuitate, qua sciebat Elisæum delectari. Cúmque hospes jam frequentiùs diverteret, & de Symbola hospitali solvenda cogitaret, advertit, ædium dominis ab omni re instructissimis, unum aliquid ad felicitatem deesse; heredem. hunc promittit hospitæ, vix se præ gaudio capienti, & fidem adhibenti; quam confirmavit paullò pòst natus filius. Eam lætitiam haud multo pòst tempore, par mœror extinxit. Trimulus puer ex ardore solis (nam ad patrem ruri cum messoribus agentem erat deportatus) malè habere cœpit, diémque supremum in ipso meridie & genitricis gremio clausit. Hæc non ignara, Prophetam æquè potentem esse in reddenda vita filij, quàm in danda fuerit, ad Thaumaturgum in Carmelum proficiscitur, exponit luctum lacrimando potiùs, quàm loquendo. Permotus mæstitudine parentis senior, famulum *Giezium* amandat, suo instructum baculo, ut eô cadaveri impositô, animam in frigidos artus revocet. Subsequitur cum matrona Vates ipse; recurrit in via famulus, nuntiátque, nihil virtutis in scipione fuisse. Itaque Elisæus *Sunam* usque profectus, reperit funus in lectulo cubiculi sui collocatum; mox igitur incumbere precibus & exanimi corpusculo; membra membris, Eliæ exemplô, commetiri; Et ecce! calefieri puer, aperire os & oculos, ducere spiritum, totus reviviscere, iterúmque parentibus renasci.

Elisæus Sunamitidi filium impetrat; & mortuum ad vitam revocat.

Post hæc Elisæus, suos ad discipulos revertitur in *Galgala*, (locum, Iordanem inter, & Ierichuntem urbem, interjectum) útq; in communi famis calamitate, aliquod eis levamentum adferret, jussit herbas ruri colligi, in edulium famelicis; cúmque accideret, ut is, cui hoc negotium erat mandatum, agrestes cucurbitas, quas colocynthidas vocant, decerperet, concisásque in lebetem immitteret, ac coqueret, ignarus insitæ amaritudinis; non cibus, sed venenum in mensam venit. ab eo palati tormento fames ipsa abhorruit; inspergit Elisæus modicum farris; & ecce, quidquíd erat fellis, emendat, ínque saporem suavissimum vertit, virtute condimenti non è terra, sed cœlo haustâ. Cui miraculo mox alterũ adjecit; dũ viginti panum hordeaceorũ penu, vix totidẽ hominibus suffecturô, virorũ omnino centũ famẽ explevit ita, ut etiã saturatis reliquiæ superessẽt. Aliàs cùm cuipiã è Prophetarũ Collegio in succidẽda pro ædificio materia, securis de manubrio in Iordanis undas fugisset; Elisæus præcisum, in manubrij formã lignũ im̃ittit præterfluenti; Et, ô mirum! rectè illud defertur

Elisæus amaritiem pulmenti emendat.

Paucis panibus multos satiat.

Ferrum natat.

defertur ad fundum, & ad ferrum demersum, inque securis foramen ultro, atque ad lignatoris adnatat manum.

Plus etiam admirabilitatis habent, quæ deinceps memorabuntur. *Naamus*, vir ob res præclarè gestas imprimis charus Regi Syriæ *Benadado*, ejúsque militiæ princeps, fœdum in modum aspersus lepræ maculis, omnium oculos offendebat. Auxilijs nequidquam in arte medica perquisitis, ibi reperit, ubi non quærebat. In famulitio domestico Hebræa serviebat puella, nuper in bello abducta; hæc dominæ suæ narrat mira per Vatem Elisæum patrata; narrata ad maritum defert uxor. Ille impetratis abs rege commeatu, & commendatitijs ad Joramum Israëlitarum regem litteris, è regia Syrorum urbe *Damasco*, *Samariam* contendit, valetudinis spe recuperandæ. Benadadus, quòd magis postulare, quàm petere videretur, suspicionem movit, occasionis belli captandæ. Turbavit ea res vehementer Ioramum; quem mox à timore erexit Elisæus, & hominis persanandi remedium à potenti Numinis manu ostendit. Venit ergo Naamus cum equis & curribus, & stetit ad ostium domûs Elisæi; sed is ne quidem extra limen prodire sustinens, satis habuit per internuntium (Giezium ministrum) significare, iret, & septies in Iordane tinctus illuviem corporis, scabiémque ablueret. Civit indignationem homini gentili inofficiosus nuntius, reputanti, *Abanam* & *Pharpharem*, patrios fluvios, non minùs limpidas quàm Iordanem, undas trahere, quibus lavari possit, si frigida morbum abstergeret. Reditum paranti, intercedunt famuli, útque imperium non grave sequatur, demissè, amicéque hortantur. Paret Naamus modestis precibus, & ablutione septies repetitâ, maculas omnes morbi, atque adeò vestigia; & cum ijs patriæ superstitionis squalorem detergit. Oblata in sostrum à discedente munera non minore constantia repudiavit Vates, quàm adventanti præsentiam suam negavit. Sed quæ herus sanctè recusavit, Giezius servulus ultro depoposcit, pœnam cepit cum munere; lepram Naamo abstersam, sibi suæque posteritati avita contagione contraxit; luémque tradidit per manum avaram. Huic, quod jam narrabo, cum admiratione, etiam lepos adjunctus est.

Elisæus Naamo lepram abstergit.

Benadadus, quod aliàs memini, Rex Syriæ perpetuus Israëlitarum hostis, dolô eos vinceret an aperto marte, perinde habens; cùm collocatas regi Ioramo insidias, per Elisæi, nimis quàm oculatam sagacitatem, non semel elusas intellexisset, omnem hostilitatem in ejus caput convertit; mittit expeditam peditum equitúmq; manū, quæ *Dothainum* oppidum (haud procul urbe Samaria remotum, ubi tum Propheta morabatur) cū homine, consilijs suis

 adversissimo,

adverſiſſimo, in poteſtatem redigat. Terror ingens oppidanis injectus, vim extremam metuentibus. In ea trepidatione ad herum ſuum Eliſæum famulus (alius à Giezio, quem elephantiaſis non à Prophetæ modò, ſed communi hominum conſortio exegit) accurrit, civitatémque ab hoſtibus circumſideri nuntiat. Inconcuſſus ea conſternatione Vates, jubet bonô eſſe animô, & caſtra caſtris contraria intueri, ſimúlque oſtendit ei montem, plenum curribus & equis igneis, cum inſeſſoribus ſuis, utique Angelis, in auxilium contra *Syros*, è cœlo ſubmiſſis: Eô ſpectaculô confirmatus miniſter, ultro cum Propheta extra oppidum progreditur, viámque intendit Samariam verſùs ab hoſtibus maximè infeſtatam. Mirum dictu! Syri minaces occurrunt, & Eliſæum de Eliſæo ſciſcitantur; negat iſte, rectam inſiſti viam hominis deprehẽdendi; quam ſi quærant, non defuturũ ſe ipſis ducem. Nec multa, præit ille; ſequuntur iſti. Et ecce, dum procedunt ſtrenuè, inhiantes prædæ; Subitum oculis glaucoma objicitur; deferuntur, Eliſæo ductore, ipſam in urbem Samariam, maximè hoſtilem. Poterant telis impunè configi, vel gladijs contrucidari, ceu clauſæ in cavea feræ, niſi pietas Eliſæi obſtitiſſet, quæ regi perſuaſit, ut in hoſtes arte non tam humana, quàm divina captos, animadverteret bene faciendo. Quare non jam ut hoſtes, ſed hoſpites excipiũtur lautô conviviô, & poſt illud incolumes dimittuntur. Illi mirati & ſtupeſcentes ſibi pro morte victum, pro interitu cibum, epulum pro pœna paratum, inſolitæ beneficentiæ præcones diſcedunt in Syriam, pedem eò non relaturi hoſtilem, ubi omnia alia meritis, ſumã humanitas occurriſſet.

Eliſæus ab hoſtibus Syris non agnoſcitur.

Syrorũ excæcatio, & humana tractatio.

Malè tamen fuiſſe collocatam gratiam, docent ſequentia. Etenim non diu pòſt, Rex *Benadadus* Samariam arctiſſima obſidione conjecit in extremas anguſtias, ut ne obſcœnis quidem cibis, & humanis corporibus abſtineretur. Ex ſacra hiſtoria conſtat, caput aſininum vænijſſe octoginta ſiclis, ſeu 22. florenis Rhenanis, ſeu 660. ſeſtertijs; libram ſtercoris columbini quinque ſiclis, (unô florenô & 20 crucigeris, ſeu 40. ſeſtertijs) matréſq; ad funeſtas filiorum epulas à fame compulſas eſſe. Inter eas calamitates Rex Iſraëlis *Ioramus*, furore concitatus in Eliſæum, jubet eum ad necem rapi, tanquam accerſitor malorum eſſet, qui averruncator non fuerat; mox tamen mutata mente ipſemet Prophetam adit, & deſperatiſſimis cum eo queſtibus expoſtulat, ut cujus cõſilio retardata Samariæ deditio, cives ad ultima experienda adegerit. Mulcet exacerbatum animum placidis dictis Vates, promittit ingentem annonæ vilitatem in ſecuturam diem. Ei vaticinio fidem adhibentibus rege, ſatrapíſq;; unus aliquis Ducum militarium non ſuſtinuit cedere, ſed ut vanum deriſit. nec impunè. Poſtridie

Samaria à Syris obſeſſa, & afflicta fame.

ridie namque Syri, obsidentes urbem, repentino pavore perculsi, cùm putarent solvendæ obsidioni armatas copias à vicinis regibus supervenisse; fugâ sese præcipites abstulerunt, panicum timorem in pectoribus, salutem in pedibus; hostem, qui nullus aderat, in auribus circumferentes. Eius fugæ indices fiunt viri quidam leprosi. At Ioramus insidias veritus, mittit equites duos, (fames enim cùm reliquas pecudes & jumenta, tum equos ita absumpserat, ut ex ijs non nisi quinque strigosi & malè habiti tota in urbe Samaritana superessent) certiora exploraturos. Illi renuntiant, se viam Iordanem usque spolijs constratam reperisse: jacere sparsim arma, vestes, vasa, commeatum, quæ Syri, expeditiùs fugituri abjecerant. Ad eum nuntium Rex, populúsque incredibili gaudio completus est. Fit continuò irruptio in castra, hoste vacua, prædâ refertissima; nam quidquid rapinæ barbara manus ex omni Israëlitide convexerat, multitudini cessit in direptionem. Cæterùm cùm turba fame rabida confertissimè ad cibum rueret, rex ad portam urbis constituit eum ipsum ducem, qui Vatis prædictionem ludibrio habuit, ut proruentis impetum multitudinis cohiberet, ne se invicem conculcando obtererent; sed is, idem, quod prohibere debebat, passus, proterentium pedibus, juxta vaticinationem, interijt.

Mirabilis solutio obsidionis.

Et hostium internecio.

Irrisor vaticinij malè perit.

Anno demum M. 3240. ante Christum 849. Elisæus annis & meritis gravis (ætatis enim seculum expleverat) post exhibita plurima divinæ mentis argumenta, non tam morbo, quàm senectute solvitur. Ad decumbentem invisens *Ioas*, Israëlitarum rex, quamvis impius, pias tamen lacrimas spargere cœpit, & lamentari communem parentem, reique clypeum publicæ, cujus protectione Israëlitæ semper invicti adversùs Syros, capitales hostes, evasissent. quem jam rebus in arctis futurum præsidio, quem in dubijs oraculo; quem Numinis iram, quem calamitates publicas, privatásque à cervicibus aversurum? optabilius esse, vitam cum ipso relinquere, quàm sine illo, cum acerbissima fortuna conflictari. His querimonijs levamentum adhibiturus Elisæus, afferri arcum postulat, & intendi; deinde eum, superpositâ suâ regis manui manu, per fenestram orientalem, Syriam versùs cum fausta apprecatione, præsagióque exonerari; rursúsq; repetita jaculatione terram feriri; cúmq; tribus emissis telis, rex destitisset; poteras, inquit Vates, totum Syrorum regnum exscindere, si quinquies, septiésve sagittam retorsisses; nunc quia terna emissione contentus, cessâsti, totidem prælijs vinces Syros, & regionem patri tuo ademptam, recuperabis. Ita regis mœror haud mediocriter est relevatus. Prophetes autẽ, simul Ioæ, discipulísq;, jam per Israëlitidẽ propagatis, tunc moriẽti assistẽtibus,

Elisæus moriens regi Ioa victorias de hostibus prædicit.

 salutis

salutis monita: simul DEO beatum spiritum tradidit. Ioas etsi meliora doctus, cum veri tamen Numinis cultu, superstitionem vitulorum Ieroboami, ad imitationem Ioachazi parentis, sociare perseveravit. Adeò profundas radices agit pravitas, majorum exemplis irroborata, ut ne Dei quidem, quà minis, quà beneficijs trahentis, manum sequatur.

Elisæi porrò funus magno luctu, honoréque curatum est; corpus illatum Mausolæo, quale sanctimoniam ejus decebat, in modum specuncæ exciso; quísque vivus in signis edendis mirandus fuit, post vitam quoque à prodigijs non destitit; nam mortuus mortuum suscitavit. Cùm enim in funeris è Samaria elati pompam, latrunculorum Moabiticorum excursio subitum terrorem sparsisset, illíque, qui sandapilæ succollârunt, cadaver, in sepulcrum Elisæi, remotô, quo claudebatur, saxô, tumultuariè & raptim injecissent; res mirissima! è sacrorum ossium contactu corpus exanime statim revixit, ínque pedes erectum, cum ceteris sese fugæ dedit, tantò ocyus, quantò mortis semel exantlatæ metuentius.

Elisæi cadaver mortuum excitat.

Adjungam hisce duo Magni Prophetæ elogia, quorum alterum Spiritus divinus Siracidi dictavit; alterum ex divina historia, gravissimus Annalium Scriptor, Iacobus Salianus, calamo exaravit. Prioris, hoc est; Eccli. 48. *Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus* (id est, Elias, turbine in cœlū subvectus est, & cum pallio entheum sectatori suo Elisæo spiritum pro hereditate reliquit.) *In diebus suis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.* (id est, nullius principis terror Elisæum ab instituti sui ratione dimovit. hinc 4. Reg. c. 3. Ioramo Achabi filio, in faciē dixit: *si non vultum Josaphat regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Et lib. 4. Reg. cap. 6. de eodem intrepidus pronuntiavit: *Nunquid scitis, quòd filius homicidæ*, (nempe Achabi Nabothū lapidantis *misit, ut præcidatur caput meum.*) Auxiliares præterea angelorum copias habuit 4. Reg. 6. *Nec superavit ipsum aliquod verbum, & mortuum prophetavit corpus ejus* (id est, nullæ neque minæ, neque blanditiæ ipsum à recto dimoverunt. Declaratum in Naamo sanitati reddito, cujus munera ut reciperet, adduci non potuit, 4. Reg. 5. uti neque Benadadi regis lib. 4. Reg. c. 8. *Mortuum corpus* dicitur *prophetâsse*, quia cadaver animando, sese prophetam probavit etiam mortuus) *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Ea, qualia fuerint, in præcedente Narratione retulimus. Salianum audiamus.

Elogia Elisæi.

EPITAPHIVM

EPITAPHIUM, SEV ELOGIUM ELISÆI

Elogium.

HIc situs est magni Præceptoris major, si fas est dicere, discipulus Elisæus, qui humili loco natus, ab aratri tractatione, ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ scientiam, ad dignitatem, ad prodigiorum editionem evocatus, impios bellis, obsidionibus, septeñi fame, cædibúsq; castigat: qui feras ad lacerationẽ puerorũ, in vindictam parentũ vocat, turpísque lucri cupiditate sordidos, fœdissima, perenníque lepra contaminat. Hic est, qui ad unam Prophetæ voculam, aut pallij injectionem, ad DEI famulatum incaluit, & patri, matríque valedicens, omnia in profusionem Evangelicæ paupertatis, abdicavit à se, atque contempsit. Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro dives, egentes, obæratásque viduas, inopes prophetarum cohortes, adeóq; copiosos militum exercitus, deserto in loco, siti enectos, divina benignitate locupletat: qui innumerabilium Religiosorum parens atque propagator, ea semina annis penè octoginta jecit, quæ superveniens Evangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit. Qui ut populi sui clades prævidit, atque præluxit, ita ejusdem salutem ac libertatem moriens feliciter parturivit. Vixit annos C. atque eò ampliùs; in Religiosa disciplina XXC. sex regum temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas. Annis VI. & LX. Prohetæ munere functus; eóque unà cum vita perfunctus est anno Ioasi X. Amasiæ regis Iudæ VIII. ante CH. ortum, DCCXIX. Mundi 3204.

DOCTRINA.

Vocatio religiosa.

T*Ulit par boum, & mactavit illud; & in aratro, boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt.* 3. Reg. 19. Elisæus quia festinabat, & gestiebat illicò sequi Eliam, usus est aratro pro lignis, ad coquendas carnes boum. Spiritus S. gratia, Deíque Vocatio, non patitur tarda molimina. Elisæus boves, aratrum, agrum, parentes, omnia reliquit, ut expeditior ad religiosum Institutum advolaret; & virtutis stadium, quò nudior, hòc ad luctamen paratior ingrederetur. Insignem alacritatem testatus est epulò, populari turbæ instructò; Illis imitandò exemplò, quos sibi DEUS secernit, & à mortalibus curis avocatos, ad im̃ortales transfert.

Quales parentes tales filij.

Egressi que sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. Reg. 2. Appositè DEUS immisit ursos, ad devorandos pueros ante ora patrum, ut, quos ad informandos liberos imitari neglexerant, eosdem experirentur in illorum internecione lictores. Ursi enim informes fœtus suos lambendo formant & figurant, teste Plin. lib. 8. cap. 36. Sunt qui putent, illos pueros vitulo aureo & idolis fuisse consecratos. Ubi notandum illud S. Historiæ: *Pueri parvi egressi sunt de civitate* &c. Tanti refert à teneris assuescere seu virtuti,

virtuti, seu vitio. Subsañantium vox erat: *Ascende Calve, ascende calve.* Lusit in eos Poëta:

Condite jam linguas pueri, nec poscite calvas,
Calvas sat multas unica calva dedit.

Credibile est, Sanniones improbos, id convitij à parentibus, quibus Vatis zelus exosissimus erat, sæpius audijsse. Nimirum uti canunt parentes, ita pipiunt filij; qualis avis, talis pullus. In Elisæo irridebatur DEUS, cujus ille cultum summis studijs promovere contendit. Quid autem mirũ, feras carnifices effrenatæ & efferatæ pueritiæ fuisse, maledicósq; dentes, dentibus belluinis plexos? Malè moratos liberos priùs occiderunt parentes prava educatione, antequam ferinam in eos crudelitatem, per imprecationem Prophetæ, immisit DEUS.

Cúmque caneret psaltes, facta est super eum (Elisæum) *manus Domini*, (id est, illustratio prophetica) lib 4. Reg. 3. Mira vis Musicæ, præsertim Sacræ. Hæc Elisæum ad contemplationem, afflatúmq; cœlestium excitavit, sedavítque animum justa in regem Israëlitam indignatione commotum. Sic magnum Augustinum, sic Franciscum Seraphicum moduli Musici in amorem cœlestium rapuerunt. Et verò, animus perturbationum motibus agitatus, nec verum perspicere, nec divinarum radios illustrationum in se admittere potest, nisi compressis discordium affectuum fluctibus, suavis quidam è cœlo spiritus eum in placidam tranquillitatem composuerit, & reclinârit.

Mens tranquilla capax cœlestium influxuum.

Mors in olla, 4. Reg. 4. Sunt verba prophetarum de amaritie pulmenti conquerentium. Usurpes de projectis in pastum ventribus. Dum decumani spumant lebetes, ebulliunt immanes cacabi, ferculorum luxu ingemiscunt mensæ; dum generis omnis dapibus sacrificatur gulæ; satietas transit in nauseam, voluptas in pœnam, præsidia vitæ in instrumenta mortis. ingeritur, quod putrescat; & enervet vires, quod confirmare debebat. Non editur, ut vivatur, sed ut vivendi spatia, gula carnifice, abrumpantur.

Contra gulam.

Descendit, & lavit septies in Iordane, & mundatus est, scil. Naamus, lib. 4. Reg. 5. Elisæus tantò gratiosior apud Superûm Regem, quantò Aulicorum officiorum negligentior. Sperabat Naamus leprâ non magís corporis, quàm animi inflatus, occursurum sibi advenienti Prophetam, & salutationis officia, nescio quibus elegantijs, redditurum. Sed Vates inanem pompam, & latentem sub ambitiosa purpura scabiem aversatus, per Giezium ei famulum significavit, quid opus esset factu. Ubi Naamus de fastu suo remisit, & septies ablutionem repetijt, integer convaluit. Placuit nimirum DEO animi paullò antè arrogantis demissio, quæ fœdam potiùs illuviem,

Tumor animi.

illuviem, quàm unda Iordanis, absterſit. Adeò præſens morbis aulicis remedium eſt modeſtia, & ſolitæ vanitatis depreſſio.

Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque in ſempiternum. 4. Reg. 5 Hic eſt pecuniæ ſacrilegæ fructus. Munera, quæ ſapienter & ſanctè repudiavit Eliſæus; non tantùm admiſit, ſed etiam gravi cum crimine petijt Giezius famulus. Argentum & veſtes accepit; ſanitatem & ipſe, & ejus poſteritas perdidit. Sunt dona quædam, quæ primo aſpectu capiunt oculos, ſed peſtilentem tegunt luem. Nimirum, ut fertur proverbiô: ſunt *dona non dona* plus auferentia, quàm adferentia. De quibus in fabulis eſt, veſtis à Medea ad novam Iaſonis nuptam, Glaucam Creontis filiam, miſſa, quâ genialis domus tota deflagravit. Aut tunica, Centauri delibuta ſanguine, à Deianira dono data Herculi, quibus miſerrimè crematus interijt. Verè Salomon. Prov. 15. *Qui odit munera, vivet.* Poterat Giezius feliciter, beatéque vivere, ſanóque in corpore, mentem poſſidere ſanam; eámque ad ſeros poſteros felicitatem tranſmittere, ſi paupertate Magiſtra, Magiſtríque doctus, noluiſſet fortunam ſuam, accipiendo, vendere. An non ſatis erat dives, cui in contubernio Prophetæ nihil defuit. & quomodo quidquã deeſſe potuit ibi, ubi, ſi quid vel fortuna, vel natura negavit, prodigia ſuppleverunt? Sed avaritia tùm demum ſua damna ſentit, cùm opes avidè hauſtæ ſtrangulant fauces. Pœnarum hic etiam exemplum habent, ſacrorum nundinatores.

Insidioſa munera.

Noli timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. 4. Reg. 6. *Plures*, nimirum Angeli, qui de cœlo pro ſanctis militant. Unde DEUS *Sabaoth*, id eſt, exercituum. Nihil novum, Superûm phalanges auxilio venire hominibus. Quòd ſi, ut dixit quidam: ſapiens dominabitur aſtris; quantò verius de eo pronuntiemus, qui

Integer vitæ, ſcelerísque purus,

Non eget hominum armis, venientis è cœlo auxilij ſecurus. Nos quidem homunculi cum Eliſæi puero trepidamus, non tantùm ad pericula, ſed ad ipſos periculorum timores; cauſſa: mens malè ſibi conſcia, & ab interno hoſte concuſſa; vel in ope humana fidentior, quàm divina. Quem autem virtus, & animus innocens, Numinis fiduciâ obarmat, *terribilis eſt, ut caſtrorum acies ordinata* Cant 6. nam DEUM pro ſe pugnantem habet.

Sacrorum nundinatio.

Fidentia in DEO.

Cúmque ingreſſi fuiſſent in Samariam, (Syri) *dixit Eliſæus: Domine, aperi oculos iſtorum, ut videant.* 4. Reg. 6. In his Syris imaginem quandam intueri licet illorum, qui dum humana curant & fugacia: dum potentiorum aucupantur gratiam, & illorum ſtudijs ac libidini ſerviunt, felices ſe putant, quia quadam *aoraſia*, cæcitate, & rerũ, quas ante oculos habent, ignorantiâ laborant; at dum illis DEUS oculos aperit, quos clauſerat cupiditas, aut ambitio, aut alius

Cæcitas peccatorum.

quivis immoderatus affectus, aut quibus falsæ rerum imagines illuserant, cùm in platea Samariæ, ab hostibus undique conclusi, instare sibi sentiunt inopinatum exitiū; in hora videlicet extrema vitæ suæ, tunc reddito visu lamentantur & plangunt, tunc se captivos, tunc reos agnoscunt.

Liberum arbitrium.

Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. 4. Reg. 13. Ubi nunc, qui negant homini arbitriū liberum? DEUS liberè disposuerat & decreverat, ut Ioas toties percuteret Syriā, quoties telo percussisset terrā; quod DEI decretū sciebat Elisæus; sed jussu DEI, noluit id indicare Regi, ut illius permitteretur arbitrio, toties vincere Syros hostes, quoties sagitta emissa feriret humum. Quòd verò, ter tantùm icerit terram, ideóque ter tantùm Syros percusserit, ejus sceleribus, & vitulorum cultui imputandum. Mirum enim fuit, & prorsus indignum, Regem toties ab Elisæo verbis, prodigijs, victorijs divinitus concessis monitum, in nefandæ tamen superstitionis pertinacia perstitisse.

Preces, sunt arma.

Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. 4. Reg. 13. Verba Prophetæ, jubentis emitti telum per Orientalem fenestram, Syriam versùs. Ita bellum olim denuntiaturi, vel prælium inituri, jaculum in terram hostilem extorquebant. Discant hinc milites, à bonis precatibus, & acclamationibus pugnam ordiri, & tela jacere, *salutis Domini,* Victoriæ Datoris. Deinde sagittæ salutis, sint affectus nostri, per fenestram Orientalem, id est, Oriente mox die ad cœlum evibrandi; & contra Capitalia Vitia (hostes utique capitales) debellanda, militarem in modum, pijs cum votis, & propositis ejaculandi.

Sanctorum reliquiæ honoranda.

Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo. 4. Reg. 13. Ad aridorum ossium tactum, corpus exanime vitam & vigorem recepit. I nunc sectarie, & Catholicos ride, Sacris Divûm cineribus & ossibus honorem deferentes. Ossa Elisæi primo contactu, vitam mortuo dederunt. Potuerunt hoc unius reliquiæ, cur non possiint aliorum? & illæ quidem reliquiæ, hominis nondum cœlo tum recepti? Tu hoc Cœlitum exuvijs denegabis? Nihil eorum possint ossa post vitam, quorum corpora in vita, rerum mirandarum plurimarum, maximarúmque fuerunt instrumenta? Aut igitur Elisæi lipsanis virtutem prodigiosam abjudica, aut de cultu SS. reliquiarum cum Orthodoxis judica.

NARRATIO

NARRATIO LXXXIII.

IORAMVS IOSAPHATI, OCHOZIAS SEU JOACHAZUS JORAMI FILIVS, REGES JUDÆ IMPROBI.

4. Reg. cap. 8. 9. 2. Paralip. 21. 22.

Ab Anno M. 3146. ante Ch. 907. ad annum M. 3150. ante Ch. 903.



Uid mulier pellax in animum juvenilem possit, cùm alijs privatarum, publicarúmque cladium exemplis docuimus; tum luculentum ejus rei documentum in *Joramo* Josaphati filio, natu maximo, habemus. Nihil omisit parens optimus, quod ad institutionem successoris sui attineret. Hinc frequens ei monitor esse, DEO ut vivo & vero, inflexibili constantia adhæreret, detestaretur idola, & undique eliminaret; hinc enixè comendare amorem in fratres, charitatem in subditos; ostendere deteriorum exempla, tot funestis casibus implexa, proponere bonorum palmas, & decora per ævum victura. Sed quidquid demum moneret & instrueret, id omne in irritum cessit, dum illi incautus, & amicitiæ blanditijs evictus, uxorem sociat *Athaliam*, Achabi filiam, mulierem ex asse nequam; de qua in Josaphato meminimus. *Mulier mala exitium viri.*

Collegam regni, trienniô filium habuit Josaphatus: Hôc vivis exemptô, *Joramus* solus imperiô potitus, ipsô statim dominatûs initiô in scelera, quæ reverentia, metúsque parentis texerat, erupit. Nec jam rex, sed tyrannus, crudelitatis tirocinium fecit à cæde fratrum; quibus nomina *Azarias*, *Jabiel*, *Zacharias*, *Azarias*, *Michaël*, *Saphatias*; quos opibus auctos, regiâ fortunâ dignos, pater reliquerat. Verùm quia meticulosa & suspicax ambitio, Joramus diadematis heres, ut sine æmulis regnaret, parricidales manus fraterna cæde cruentavit. Sitit enim tyrannis sanguinem, quem timet. Sed nihilo securiorem crudelitatem reddidit innocentum interfectio; fratrum cruore ebrius carnifex, ut se vindictæ metu liberaret, pari immanitate sustulit è medio nonnullos virorum Principum, quorum integritas & constantia ambitioni, & superstitionibus suis obstitura videbatur. Adeò *Joramus fratrum parricida.* *Et interfector Primatum.*

tyrannis consuetum est,quidquid eminet,suspicere: quidquid suspiciunt,odisse,& quos oderunt,extinctos velle. Nec tamen mirum est, si tam sævus fuerit in mortales, qui DEUM immortalem sacrilegijs irritare non destitit. Excelsa,quæ pater diruerat, ædificavit; idola,quæ contrivit, erexit; & prurientes in cultus dæmonum,ipsâ scelerum licentiâ incitavit.

Impietas Iorami.

Non semper felix improbitas: Sic enim DEUS decrevit, ut, qui regum Iudæ furiosissimus haberetur, esset etiam infelicissimus. Concussus statim regni status, ex una parte, *Lobnâ*, urbe Iudaici regni potentissima, deficiente; ex altera rebellantibus Idumæis. Intus tamen, furenti Principi nihil resistere audebat; adeò terror liberas voces oppressit. Venit grandis & minax ab Elia epistola (quod suprà indicavimus) quæ infamem eius vitam argueret, clades horrendas, & feralem morbum denuntiaret. Non vanus hic nuntius; nam DEUS,ut sacra historia refert, *suscitavit impium spiritum Arabum & Philistinorum*, qui statim ingentibus copijs in Iudæam exundârunt; eáq, dirè vastatâ, gazas opulentissimas diripuere; filijs quoque, & uxoribus in servitutē, miserandum in modum asportatîs; solô *Ochoziâ*, natorum minimô, eiúsq; matre impia, *Athaliâ*, nescio quo fatô, cladi subtractîs. Ita barbara manus cæde filiorum regis, fratrum regiorum Manibus parentavit; justô DEI judiciô, sed nihil apud obstinatum profecturô. *Ioramus* enim, suis ut sceleribus immoreretur, suísque funeribus superstes viveret, alvi doloribus cruciatus, & lenta tabe per biennium confectus, ita ut vitalia quoque mœrens, sed non pœnitens, egereret, sontem spiritum ægrè tandem emisit, anno sive regni, sive tyrannidis octavô; quadraginta haud ampliùs annos natus. Addita cineribus infamia, de qua Scriptura S. *Et non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus eius.* 2. Paralip. 21. Grande regibus monumentum, ut Dominatorem rerum omnium supplices agnoscant, & à proximorum, civiúmque cædibus, religiosiùs abstineant.

Obstinatio Iorami.

Odium Dei, hominúmq.

Interitus.

Reliquit filium *Ochoziam*, viginti duorum annorum juvènem, haud sanè meliorem se. Nam & ipse, ubi regnantium attigit gubernacula, statim nefaria matre Athalia,& ab impuris, de ipsius Achabi Domo consiliarijs circumsessus, omnia impiè, stolidè, infeliciter gessit. Prima hominis hujus clades (ut multorum aliorum) à DEO defecisse, secutum patris exempla, matrísque blanditas preces. Inde aversi ab eo piorum, fortiúmque animi, avi illius Iosaphati pietatem reflorescere cupientes in nepote. Ex prava superstitione turbida mens, & in administrandis

Ochozias haud melior parente Ioramo.

niſtrandis rebus præceps. Cùm expediret regni primordia, paci & ſaluti publicæ conſecrari, Martem ſuſcipit non ſuum, ſed *Iorami*, qui tum Achabi filius, & hæres Iſraëliticum regnum obtinebat. Pugnârunt ambo adverſùs *Hazaëlem*, Syriæ regem infeliciter: nam Ioramus multis vulneribus acceptis, coactus eſt *Iezarëlem*, curando corpori ſecedere; diſcedentem è caſtris conſequitur *Ochozias*, funeſtâ implexus amicitiâ.

Sævus interim utrique ludus apparatur, nam, *Iehu* inter Iorami duces, animi ferocis, & inſtar flagelli, ad evertendam Achabi Domum, adhibitus, Ioramum ſagittâ transverberat; Ochoziam rei atrocitate commotum, & fugientem, in curru per ſuos confici jubet. Reportatur in patrios lares cruentum cadaver, ipſis etiam, qui oderunt, miſerandum. Ad hunc exitum poſt unius anni regnum, familiaritas Principis impij & peſſima conſilia, miſerum juvenem adegere. *Ochozia regis Judæ interitus.*

DOCTRINA.

VNde Iorami tot ſcelera & ruinæ? Cauſſam referunt Literæ Sacræ. 4. Reg. c. 8. *Ambulavitque in vijs regum Iſraël* (cùm tamen ipſe Iudaico regno præeſſet) *ſicut ambulaverat Domus Achab, filia enim Achab erat uxor eius.* Nempe uxor ſacrilega, omnes doctrinæ à genitore pijſſimo ſatæ radices evulſit, omnes pietatis igniculos extinxit; nihil ab illa intactum, nihil cum illa purum. Inde non leviter mutatus in alium Ioramus, ſed totus planè everſus, cœpit religionem ſimul avitam, ſimul humanitatem exuere, & in fraternas opes, ſanguinémque graſſati. Peior carnifice tyrannus; ille ſontes interficit, hic inſontes. Huc virum ſuum Athalia (Iezabelis filiam agnoſceres) rapuit; quæ conjugali conſuetudine, & multiplici blandimento captum maritum, primò in ambitionem, dehinc in parricidia, deniquein nefanda idolorum ſacra impulit. Uſque adeò Venus improba ſævit in animos, quos inſidioſæ formæ pellacia ſibi mancipavit: id quod alibi quoque deploramus. *Uxoria pellacia.*

Porrò fraternæ cædis ad truculentiã ſtimulavit hominẽ partim cupiditas auri, majoríſq; potentiæ, (nam divitijs & munitiſſimis urbibus potiebantur) partim quòd Ioſaphato genitori ſimiliores eſſent, & antiquæ religionis obſervantes. Adjecit reciſis horum capitibus, Principũ quoq; aliquorũ (in quibus eaſdem necis cauſas invenerat) inſontia capita. Pro quo ſcelere, cæteríſque nefariè factis, ab Elia increpari meruit, non ore præſentis, neq; per internuntiũ; ſed epiſtolâ (quis non exhorreſcat?) ex ipſo, quò raptus erat ante noveñiũ, paradiſô ſcripta. Ex quibus apparet; quãta vis, gravitáſque ſcelerũ Joramũ preſſerit: quæ caſtigare Deus non ab alia

alia voluerit, quàm *ardente* manu: nec à ſcriptore, niſi qui *totus* eſſet *Ignis* ore, animo, moribus, deceſſu: nec ex alio denique loco, quàm ex quo ſolo procellæ, tempeſtates, grandines, ac tonitrua, fulmináque proſilirent. In ſumma; grandem fuiſſe regis hujus malitiam oportebat, quæ nubes tranſcenderet: & Eliæ, mortaliũ quietiſſimo, neceſſitatẽ Satyricæ turbulentæ imponeret.

Sacrilegum tyrannum, quod aliàs fieri ſolet, non ferrum, ſed morbus, lentus quidem præmaturô tamen fatô extinxit. Nimirum DEUS manum omni conatu potentiorem injecit. noluit per hominem cædi parricidam, ne violaretur auctoritatis ſignaculum, quod regibus impreſſit; nec voluit ſtatim emori, ne videretur evaſiſſe. In dolores ſervavit, & in exemplum. Sic enim impiorum ſupplicia diſponit, ut mori ſe ſentiant: ut torqueri ſe poſſe, obniti non poſſe, in tanta potẽtia cognoſcant. Quam intulêre vim, omnibus ſuis in viſceribus ſentiſcunt; tot gladij, quot cruciatus; tot vulnera, quot remedia. Inferos portant vivi, quos æternùm experiuntur mortui. Joramus fraternis Manibus exagitatus, ſibi gravis, omnibus inviſus, magna imperij, quod cædibus extendere laborabat, parte exutus, pœnas ſcelerum temporarias, æternáſque DEO hominibúſque pependit, implevítque atavi ſui ſapientiſſimi dictum Proverb. 22. *Qui ſeminat iniquitatem, metet mala; & virgâ iræ ſuæ conſummabitur.* Sive per virgam intelligamus ſceptrum, quo tyrannicè abuſus eſt; ſive flagellum interpretemur, quo criminum ab ipſo commiſſorum, ceu loliorum & tribulorum ſeges & meſſis à DEO excutietur, & igneis inferorum areis triturabitur.

Jorami ſceleſtiſſimi pœna.

Jam ad *Ochoziæ*, filij, perniciem incitamenta fuerunt, cùm parentum exempla peſſima, (matris præſertim moribus & lacte jam tum imbutus, *partus* improbus improbum *ſecutus eſt ventrẽ*) tùm eorum, quos in conſilium adhibuit, ſumma pravitas. Teſtatur id divina hiſtoria 2. Paralip. c. 22. *Fecit igitur* (Ochozias) *malum in conſpectu Domini, ſicut domus Achab; ipſi enim fuerunt ei conſiliarij poſt mortem patris ſui.* Exitiale virus regnantibus, peſſimi conſultores. Nihil cum ijs benè, etiam Rex bonus facit: cum bonis non ſemper malè, deterrimi quoque regum ſe gerunt. At ubi Principi in vitiũ prono pernicioſi conſiliarij, aut miniſtri accedunt, deploratus eſt rerum humanarum ſtatus. Præſtò erat Doëg Sauli, cùm in Sacerdotum cæde baccharetur. Præſtò Salomoni Ieroboamus, cùm delubra dæmonum, aráſque deteſtabiles in gratiam amaſiarũ ſtrueret. Præſtò fuerũt Roboamo ſtultiſſimi juvenes, cùm jugo ſubditorum, & gravibus ærumnis inſultaret. Nec aliter Nero ad palmaria erupit ſcelera, quàm Poppææ meretricis, & Tigillini, hominum propudioſiſſimi conſilijs. Eſt aliqua etiam projectis

Regum pernicies mali conſiliarij.

ſæpe

sæpe verecundia. Retinent immania cogitantem, probi & prudentes ministri, avertunt occasiones criminum, flectunt iras, leniunt sæva, turbida componunt, erigunt lapsa, nonnunquam etiam restituunt desperata. At si bonæ indolis Princeps à facinoroso fuerit obsessus ministerio, eóque versipelli, captus oculis ducitur, quocunq; consulentium impetus tulerit, & graviora peccat, quòd per speciē justitiæ peccat. Litare se DEO, cùm prævaricatur, putat; nec sētit, quod semper experitur, veritatis exiliū. Hæc noster *Nicolaus Caussinus, Dissertat. 86. de Regno DEI.* Hoc confirmat regū experientissimus, Prov. 12. *Cogitationes justorum judicia:* (id est ad normā rectæ rationis, & legis divinæ directæ) *consilia impiorum fraudulenta* (id est, excluso Numinis metu & cultu, ad assentationem, & pseudopoliticam compositæ.) Idem ibidem cap. 25. *aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum: aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur justitiâ thronus ejus.* Hoc est, remove à conspectu & familiaritate regis, impios consiliarios, & adulatores; eorúmque loco substitue viros probos, justos, sapientes, cordatos; tum rex justa sanctáque sanciet, regnúmque suum justitiâ & probitate stabiliet.

NARRATIO LXXXIV.

ATHALIA SANGUINARIA JUDAICI REGNI FURIA.

4. Reg. cap. 11. 2. Paralip. cap. 22. & 23.

Ab anno M. 3151. ante Ch. 922. ad ann. M. 3157. ante Ch. 896.



OVa aspidis Iosaphatus fovebat, cùm Athaliā Achabi & Iezabelis filiam, in regiā induxit; inde statim sæva pestis, & ingens calamitas erupit. Justa tum Ochoziæ Manibus reddebantur, cùm mulier furoris impotentissimi Regnum invadit, & Thronū non aliter stabiliri putat, quàm si nepotes suos, *Ochoziæ* filios, adeóque Davidicum stemma totum, tollat de medio. Itaque regnum vi occupatum, vi & crudeli superbia administrat, vasta & promiscua cæde, quidquid erat regij sanguinis extinguit. In tam cruentas iras rapuit feminam cupiditas dominandi; deinde metus supplicij; sola namque ex Achabi familia superstes, *Athalia tyrannis.*

impurum

salutis monita: simul DEO beatum spiritum tradidit. Ioas etsi meliora doctus, cum veri tamen Numinis cultu, superstitionem vitulorum Ieroboami, ad imitationem Ioachazi parentis, sociare perseveravit. Adeò profundas radices agit pravitas, majorum exemplis irroborata, ut ne Dei quidem, quà minis, quà beneficijs trahentis, manum sequatur.

Elisæi porrò funus magno luctu, honoréque curatum est; corpus illatum Mausolæo, quale sanctimoniam ejus decebat, in modum specuncæ exciso; quíque vivus in signis edendis mirandus fuit, post vitam quoque à prodigijs non destitit; nam mortuus mortuum suscitavit. Cùm enim in funeris è Samaria elati pompam, latrunculorum Moabiticorum excursio subitum terrorem sparsisset, illíque, qui sandapilæ succollârunt, cadaver, in sepulcrum Elisæi, remotô, quo claudebatur, saxô, tumultuariè & raptim injecissent; res mirissima! è sacrorum ossium contactu corpus exanime statim revixit, ínque pedes erectum, cum ceteris sese fugæ dedit, tantò ocyus, quantò mortis semel exantlatæ metuentius.

Elisæi cadaver mortuum excitat.

Adjungam hisce duo Magni Prophetæ elogia, quorum alterum Spiritus divinus Siracidi dictavit; alterum ex divina historia, gravissimus Annalium Scriptor, Iacobus Salianus, calamo exaravit. Prioris, hoc est; Eccli. 48. *Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus* (id est, Elias, turbine in cœlũ subvectus est, & cum pallio entheum sectatori suo Elisæo spiritum pro hereditate reliquit.) *In diebus suis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.* (id est, nullius principis terror Elisæum ab instituti sui ratione dimovit. hinc 4. Reg. c. 3. Ioramo Achabi filio in faciẽ dixit: *si non vultum Josaphat regis Iuda erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.* Et lib. 4. Reg. cap. 6. de eodem intrepidus pronuntiavit: *Nunquid scitis, quòd filius homicidæ*, (nempe Achabi Nabothũ lapidantis *misit, ut præcidatur caput meum.*) Auxiliares præterea angelorum copias habuit 4. Reg. 6. *Nec superavit ipsum aliquod verbum, & mortuum prophetavit corpus ejus* (id est, nullæ neque minæ, neque blanditiæ ipsum à recto dimoverunt. Declaratum in Naamo sanitati reddito, cujus munera ut reciperet, adduci non potuit, 4. Reg. 5. uti neque Benadadi regis lib. 4. Reg. c. 8. *Mortuum corpus* dicitur *prophetâsse*, quia cadaver animando, sese prophetam probavit etiam mortuus) *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Ea, qualia fuerint, in præcedente Narratione retulimus. Salianum audiamus.

Elogia Elisæi.

EPITAPHIVM

EPITAPHIVM, SEV ELOGIVM ELISÆI

Hic situs est magni Præceptoris major, si fas est dicere, discipulus Elisæus, qui humili loco natus, ab aratri tractatione, ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ scientiam, ad dignitatem, ad prodigiorum editionem evocatus, impios bellis, obsidionibus, septeñi fame, cædibúsq; castigat: qui feras ad lacerationẽ puerorũ, in vindictam parentũ vocat, turpísque lucri cupiditate sordidos, fœdissima, perenníque lepra contaminat. Hic est, qui ad unam Prophetæ voculam, aut pallij injectionem, ad DEI famulatum incaluit, & patri, matríque valedicens, omnia in professionem Evangelicæ paupertatis, abdicavit à se, atque contempsit. Hic est, qui religiosæ paupertatis thesauro dives, egentes, obæratásque viduas, inopes prophetarum cohortes, adeóq; copiosos militum exercitus, deserto in loco, siti enectos, divina benignitate locupletat: qui innumerabilium Religiosorum parens atque propagator, ea semina annis penè octoginta jecit, quæ superveniens Evangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit. Qui ut populi sui clades prævidit, atque præluxit, ita ejusdem salutem ac libertatem moriens feliciter parturivit. Vixit annos C. atque eò ampliùs; in Religiosa disciplina XXC. sex regum temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas. Annis VI. & LX. Prohetæ munere functus; eóque unà cum vita perfunctus est anno Ioasi X. Amasiæ regis Iudæ VIII. ante CH. ortum, DCCXIX. Mundi 3204. *Elogium.*

DOCTRINA.

Tulit par boum, & mactavit illud; & in aratro, boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt. 3. Reg. 19. Elisæus quia festinabat, & gestiebat illicò sequi Eliam, usus est aratro pro lignis, ad coquendas carnes boum. Spiritus S. gratia, Deíque Vocatio, non patitur tarda molimina. Elisæus boves, aratrum, agrum, parentes, omnia reliquit, ut expeditior ad religiosum Institutum advolaret; & virtutis stadium, quò nudior, hòc ad luctamen paratior ingrederetur. Insignem alacritatem testatus est epulô, populari turbæ instructô; Illis imitandô exemplô, quos sibi Deus secernit, & à mortalibus curis avocatos, ad imortales transfert. *Vocatio religiosa.*

Egressi que sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. Reg. 2. Appositè Deus immisit ursos, ad devorandos pueros ante ora patrum, ut, quos ad informandos liberos imitari neglexerant, eosdem experirentur in illorum internecione lictores. Ursi enim informes fœtus suos lambendo formant & figurant, teste Plin. lib. 8. cap. 36. Sunt qui putent, illos pueros vitulo aureo & idolis fuisse consecratos. Ubi notandum illud S. Historiæ: *Pueri parvi egressi sunt de civitate* &c. Tanti refert à teneris assuescere seu virtuti, *Quales parentes tales filij.*

virtuti, seu vitio. Subsañantium vox erat: *Ascende Calve, ascende calve.* Lusit in eos Poëta:

Condite jam linguas pueri, nec poscite calvas,
Calvas sat multas unica calva dedit.

Credibile est, Sanniones improbos, id convitij à parentibus, quibus Vatis zelus exosissimus erat, sæpius audijsse. Nimirum uti canunt parentes, ita pipiunt filij; qualis avis, talis pullus. In Elisæo irridebatur DEUS, cujus ille cultum summis studijs promovere contendit. Quid autem mirũ, feras carnifices effrenatæ & efferatæ pueritiæ fuisse, maledicósq; dentes, dentibus belluinis plexos? Malè moratos liberos priùs occiderunt parentes prava educatione, antequam ferinam in eos crudelitatem, per imprecationem Prophetæ, immisit DEUS.

Cúmque caneret psaltes, facta est super eum (Elisæum) *manus Domini,* (id est, illustratio prophetica) lib 4. Reg. 3. Mira vis Musicæ, præsertim Sacræ. Hæc Elisæum ad contemplationem, afflatúmq; cœlestium excitavit, sedavítque animum justa in regem Israëlitam indignatione commotum. Sic magnum Augustinum, sic Franciscum Seraphicum moduli Musici in amorem cœlestium rapuerunt. Et verò, animus perturbationum motibus agitatus, nec verum perspicere, nec divinarum radios illustrationum in se admittere potest, nisi compressis discordium affectuum fluctibus, suavis quidam è cœlo spiritus eum in placidam tranquillitatem composuerit, & reclinârit.

Mens tranquilla capax cœlestium influxuum.

Mors in olla. 4. Reg. 4. Sunt verba prophetarum de amaritie pulmenti conquerentium. Usurpes de projectis in pastum ventribus. Dum decumani spumant lebetes, ebulliunt immanes cacabi, ferculorum luxu ingemiscunt mensæ; dum generis omnis dapibus sacrificatur gulæ; satietas transit in nauseam, voluptas in pœnam, præsidia vitæ in instrumenta mortis. ingeritur, quod putrescat; & enervet vires, quod confirmare debebat. Non editur, ut vivatur, sed ut vivendi spatia, gula carnifice, abrumpantur.

Contra gulam.

Descendit, & lavit septies in Iordane, & mundatus est, scil. Naamus, lib. 4. Reg. 5. Elisæus tantò gratiosior apud Superûm Regem, quantò Aulicorum officiorum negligentior. Sperabat Naamus leprâ non magis corporis, quàm animi inflatus, occursurum sibi advenienti Prophetam, & salutationis officia, nescio quibus elegantijs, redditurum. Sed Vates inanem pompam, & latentem sub ambitiosa purpura scabiem aversatus, per Giezium ei famulum significavit, quid opus esset factu. Ubi Naamus de fastu suo remisit, & septies ablutionem repetijt, integer convaluit. Placuit nimirum DEO animi paullò antè arrogantis demissio, quæ fœdam potiùs illuviem,

Tumor animi.

illuviem, quàm unda Iordanis, absterfit. Adeò præsens morbis aulicis remedium est modestia, & solitæ vanitatis depressio.

Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. 4. Reg. 5 Hic est pecuniæ sacrilegæ fructus. Munera, quæ sapienter & sanctè repudiavit Elisæus; non tantùm admisit, sed etiam gravi cum crimine petijt Giezius famulus. Argentum & vestes accepit; sanitatem & ipse, & ejus posteritas perdidit. Sunt dona quædam, quæ primo aspectu capiunt oculos, sed pestilentem tegunt luem. Nimirum, ut fertur proverbiò: sunt *dona non dona* plus auferentia, quàm adferentia. De quibus in fabulis est, vestis à Medea ad novam Iasonis nuptam, Glaucam Creontis filiam, missa, quâ genialis domus tota deflagravit. Aut tunica, Centauri delibuta sanguine, à Deianira dono data Herculi, quibus miserrimè crematus interijt. Verè Salomon. Prov. 15. *Qui odit munera, vivet.* Poterat Giezius feliciter, beatéque vivere, sanóque in corpore, mentem possidere sanam; eámque ad seros posteros felicitatem transmittere, si paupertate Magistra, Magistríque doctus, noluisset fortunam suam, accipiendo, vendere. An non satis erat dives, cui in contubernio Prophetæ nihil defuit. & quomodo quidquā deesse potuit ibi, ubi, si quid, vel fortuna, vel natura negavit, prodigia suppleverunt? Sed avarítia tùm demum sua damna sentit, cùm opes avidè haustæ strangulant fauces. Pœnarum hîc etiam exemplum habent, sacrorum nundinatores.

Insidiosa munera.

Sacrorum nundinatio.

Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. 4. Reg. 6. *Plures*, nimirum Angeli, qui de cœlo pro sanctis militant. Unde DEUS *Sabaoth*, id est, exercituum. Nihil novum, Superûm phalanges auxilio venire hominibus. Quòd si, ut dixit quidam: sapiens dominabitur astris; quantò verius de eo pronuntiemus, qui

Integer vitæ, scelerísque purus,

Non eget hominum armis, venientis è cœlo auxilij securus. Nos quidem homunculi cum Elisæi puero trepidamus, non tantùm ad pericula, sed ad ipsos periculorum timores; caussa: mens malè sibi conscia, & ab interno hoste concussa; vel in ope humana fidentior, quàm divina. Quem autem virtus, & animus innocens, Numinis fiduciâ obarmat, *terribilis est, ut castrorum acies ordinata* Cant 6. nam DEUM pro se pugnantem habet.

Fidentia in DEO.

Cùmque ingressi fuissent in Samariam, (Syri) *dixit Elisæus: Domine, aperi oculos istorum, ut videant.* 4. Reg. 6. In his Syris imaginem quandam intueri licet illorum, qui dum humana curant & fugacia: dum potentiorum aucupantur gratiam, & illorum studijs ac libidini serviunt, felices se putant, quia quadam *aorasia*, cæcitate, & rerū, quas ante oculos habent, ignorantiâ laborant; at dum illis DEUS oculos aperit, quos clauserat cupiditas, aut ambitio, aut alius

Cæcitas peccatorum.

quivis immoderatus affectus, aut quibus falsæ rerum imagines illuserant, cùm in platea Samariæ, ab hostibus undique conclusi, instare sibi sentiunt inopinatum exitiũ; in hora videlicet extrema vitæ suæ, tunc reddito visu lamentantur & plangunt, tunc se captivos, tunc reos agnoscunt.

Liberum arbitrium.

Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. 4. Reg. 13. Ubi nunc, qui negant homini arbitriũ liberum? DEUS liberè disposuerat & decreverat, ut Ioas toties percuteret Syriã, quoties telo percussisset terrã; quod DEI decretũ sciebat Elisæus; sed jussu DEI, noluit id indicare Regi, ut illius permitteretur arbitrio, toties vincere Syros hostes, quoties sagitta emissa feriret humum. Quòd verò, ter tantùm icerit terram, ideóque ter tantùm Syros percusserit, ejus sceleribus, & vitulorum cultui imputandum. Mirum enim fuit, & prorsus indignum, Regem toties ab Elisæo verbis, prodigijs, victorijs divinitus concessis monitum, in nefandæ tamen superstitionis pertinacia perstitisse.

Preces, sunt arma.

Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam. 4. Reg. 13. Verba Prophetæ, jubentis emitti telum per Orientalem fenestram, Syriam versùs. Ita bellum olim denuntiaturi, vel prælium inituri, jaculum in terram hostilem extorquebant. Discant hinc milites, à bonis precatibus, & acclamationibus pugnam ordiri, & tela jacere, *salutis Domini*, Victoriæ Datoris. Deinde sagittæ salutis, sint affectus nostri, per fenestram Orientalem, id est, Oriente mox die ad cœlum evibrandi; & contra Capitalia Vitia (hostes utique capitales) debellanda, militarem in modum, pijs cum votis, & propositis ejaculandi.

Sanctorum reliquiæ honoranda.

Quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo. 4. Reg. 13. Ad aridorum ossium tactum, corpus exanime vitam & vigorem recepit. I nunc sectarie, & Catholicos ride, Sacris Divûm cineribus & ossibus honorem deferentes. Ossa Elisæi primo contactu, vitam mortuo dederunt. Potuerunt hoc unius reliquiæ, cur non possint aliorum? & illæ quidem reliquiæ, hominis nondum cœlo tùm recepti? Tu hoc Cœlitum exuvijs denegabis? Nihil eorum possint ossa post vitam, quorum corpora in vita, rerum mirandarum plurimarum, maximarúmque fuerunt instrumenta? Aut igitur Elisæi lipsanis virtutem prodigiosam abjudica, aut de cultu SS. reliquiarum cum Orthodoxis judica.

NARRATIO

NARRATIO LXXXIII.

IORAMVS IOSAPHATI, OCHOZIAS SEU JOACHAZUS JORAMI FILIVS, REGES JUDÆ IMPROBI.

4. Reg. cap. 8. 9. 2. Paralip. 21. 22.

Ab Anno M. 3146. ante Ch. 907. ad annum M. 3150. ante Ch. 903.



Uid mulier pellax in animum juvenilem possit, cùm alijs privatarum, publicarúmque cladium exemplis docuimus; tum luculentum ejus rei documentum in *Joramo* Josaphati filio, natu maximo, habemus. Nihil omisit parens optimus, quod ad institutionem successoris sui attineret. Hinc frequens ei monitor esse, DEO ut vivo & vero, inflexibili constantia adhæreret, detestaretur idola, & undique eliminaret; hinc enixè comendare amorem in fratres, charitatem in subditos; ostendere deteriorum exempla, tot funestis casibus implexa, proponere bonorum palmas, & decora per ævum victura. Sed quidquid demum moneret & instrueret, id omne in irritum cessit, dum illi incautus, & amicitiæ blanditijs evictus, uxorem sociat *Athaliam*, Achabi filiam, mulierem ex asse nequam; de qua in Josaphato meminimus. *Mulier mala exitium viri.*

Collegam regni, trienniô filium habuit Josaphatus: Hôc vivis exemptô, *Joramus* solus imperiô potitus, ipsô statim dominatûs initiô in scelera, quæ reverentia, metúsque parentis texerat, erupit. Nec jam rex, sed tyrannus, crudelitatis tirocinium fecit à cæde fratrum; quibus nomina *Azarias, Jabiel, Zacharias, Azarias, Michaël, Saphatias*; quos opibus auctos, regiâ fortunâ dignos, pater reliquerat. Verùm quia meticulosa & suspicax ambitio, Joramus diadematis heres, ut sine æmulis regnaret, parricidales manus fraterna cæde cruentavit. Sitit enim tyrannis sanguinem, quem timet. Sed nihilo securiorem crudelitatem reddidit innocentum interfectio; fratrum cruore ebrius carnifex, ut se vindictæ metu liberaret, pari immanitate sustulit è medio nonnullos virorum Principum, quorum integritas & constantia ambitioni, & superstitionibus suis obstitura videbatur. Adeò *Joramus fratrum parricida.* *Et interfector Primatum.*

tyrannis consuetum est, quidquid eminet, suspicere: quidquid suspiciunt, odisse, & quos oderunt, extinctos velle. Nec tamen mirum est, si tam sævus fuerit in mortales, qui DEUM immortalem sacrilegijs irritare non destitit. Excelsa, quæ pater diruerat, ædificavit; idola, quæ contrivit, erexit; & prurientes in cultus dæmonum, ipsâ scelerum licentiâ incitavit.

Impietas Iorami.

Non semper felix improbitas: Sic enim DEUS decrevit, ut, qui regum Iudæ furiosissimus haberetur, esset etiam infelicissimus. Concussus statim regni status, ex una parte, *Lobnâ*, urbe Iudaici regni potentissima, deficiente; ex altera rebellantibus Idumæis. Intus tamen, furenti Principi nihil resistere audebat; adeò terror liberas voces oppressit. Venit grandis & minax ab Elia epistola (quod suprà indicavimus) quæ infamem eius vitam argueret, clades horrendas, & feralem morbum denuntiaret. Non vanus hic nuntius; nam DEUS, ut sacra historia refert, *suscitavit impium spiritum Arabum & Philistinorum*, qui statim ingentibus copijs in Iudæam exundârunt; eáq; dirè vastatâ, gazas opulentissimas diripuere; filijs quoque, & uxoribus in servituē, miserandum in modum asportatis; solô *Ochoziâ*, natorum minimô, eiúsq; matre impia, *Athaliâ*, nescio quo fatô, cladi subtractis. Ita barbara manus cæde filiorum regis, fratrum regiorum Manibus parentavit; justô DEI judiciô, sed nihil apud obstinatum profecturô. *Ioramus* enim, suis ut sceleribus immoreretur, suísque funeribus superstes viveret, alvi doloribus cruciatus, & lenta tabe per biennium confectus, ita ut vitalia quoque mœrens, sed non pœnitens, egereret, sontem spiritum ægrè tandem emisit, anno sive regni, sive tyrannidis octavô; quadraginta haud ampliùs annos natus. Addita cineribus infamia, de qua Scriptura S. *Et non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus eius.* 2. Paralip. 21. Grande regibus monumentum, ut Dominatorem rerum omnium supplices agnoscant, & à proximorum, civiúmque cædibus, religiosiùs abstineant.

Obstinatio Iorami.

Odium Dei, hominúmq.

Interitus.

Reliquit filium *Ochoziam*, viginti duorum annorum juvenem, haud sanè meliorem se. Nam & ipse, ubi regnantium attigit gubernacula, statim nefaria matre Athalia, & ab impuris, de ipsius Achabi Domo consiliarijs circumsessus, omnia impiè, stolidè, infeliciter gessit. Prima hominis hujus clades (ut multorum aliorum) à DEO defecisse, secutum patris exempla, matrísque blanditas preces. Inde aversi ab eo piorum, fortiúmque animi, avi illius Iosaphati pietatem reflorescere cupientes in nepote. Ex prava superstitione turbida mens, & in administrandis

Ochozias haud melior parente Ioramo.

niſtrandis rebus præceps. Cùm expediret regni primordia, paci & ſaluti publicæ conſecrari, Martem ſuſcipit non ſuum, ſed *Iorami*, qui tum Achabi filius, & heres Iſraëliticum regnum obtinebat. Pugnârunt ambo adverſùs *Hazaëlem*, Syriæ regem infeliciter: nam Ioramus multis vulneribus acceptis, coactus eſt *Iezarëlem*, curando corpori ſecedere; diſcedentem è caſtris conſequitur *Ochozias*, funeſtâ implexus amicitiâ.

Sævus interim utrique ludus apparatur, nam, *Iehu* inter Iorami duces, animi ferocis, & inſtar flagelli, ad evertendam Achabi Domum, adhibitus, Ioramum ſagittâ transverberat; Ochoziam rei atrocitate commotum, & fugientem, in curru per ſuos confici jubet. Reportatur in patrios lares cruentum cadaver, ipſis etiam, qui oderunt, miſerandum. Ad hunc exitum poſt unius anni regnum, familiaritas Principis impij & peſſima conſilia, miſerum juvenem adegere. *Ochozia regis Judæi interitus.*

DOCTRINA.

VNde Iorami tot ſcelera & ruinæ? Cauſſam referunt Litteræ Sacræ, 4. Reg. c. 8. *Ambulavitque in vijs regum Iſraël* (cùm tamen ipſe Iudaico regno præeſſet) *ſicut ambulaverat Domus Achab, filia enim Achab erat uxor eius.* Nempe uxor ſacrilega, omnes doctrinæ à genitore pijſſimo ſatæ radices evulſit, omnes pietatis igniculos extinxit; nihil ab illa intactum, nihil cum illa purum. Inde non leviter mutatus in alium Ioramus, ſed totus planè everſus, cœpit religionem ſimul avitam, ſimul humanitatem exuere, & in fraternas opes, ſanguinémque graſſari. Peior carnifice tyrannus; ille ſontes interficit, hic inſontes. Huc virum ſuum Athalia (Iezabelis filiam agnoſceres) rapuit; quæ conjugali conſuetudine, & multiplici blandimento captum maritum, primò in ambitionem, dehinc in parricidia, denique in nefandá idolorum ſacra impulit. Uſque adeò Venus improba ſævit in animos, quos inſidioſæ formæ pellacia ſibi mancipavit: id quod alibi quoque deploramus. *Uxoria pellacia.*

Porrò fraternæ cædis ad truculentiã ſtimulavit hominẽ partim cupiditas auri, majoríſq; potentiæ, (nam divitijs & munitiſſimis urbibus potiebantur) partim quòd Ioſaphato genitori ſimiliores eſſent, & antiquæ religionis obſervantes. Adjecit reciſis horum capitibus, Principũ quoq; aliquorũ (in quibus eaſdem necis cauſas invenerat) inſontia capita. Pro quo ſcelere, cæteríſque nefariè factis, ab Elia increpari meruit, non ore præſentis, neq; per internuntiũ; ſed epiſtolâ (quis non exhorreſcat?) ex ipſo, quò raptus erat ante noveñiũ, paradiſô ſcripta. Ex quibus apparet; quãta vis, gravitáſque ſcelerũ Joramũ preſſerit: quæ caſtigare Deus non ab alia

alia voluerit, quàm *ardente* manu: nec à scriptore, nisi qui *totus* esset *Ignis* ore, animo, moribus, decessu: nec ex alio denique loco, quàm ex quo solo procellæ, tempestates, grandines, ac tonitrua, fulminaque prosilirent. In summa; grandem fuisse regis hujus malitiam oportebat, quæ nubes transcenderet: & Eliæ, mortaliũ quietissimo, necessitatẽ Satyricæ turbulentæ imponeret.

Sacrilegum tyrannum, quod aliàs fieri solet, non ferrum, sed morbus, lentus quidem præmaturô tamen fatô extinxit. Nimirum DEUS manum omni conatu potentiorem injecit. noluit per hominem cædi parricidam, ne violaretur auctoritatis signaculum, quod regibus impressit; nec voluit statim emori, ne videretur evasisse. In dolores servavit, & in exemplum. Sic enim impiorum supplicia disponit, ut mori se sentiant: ut torqueri se posse, obniti non posse, in tanta potẽtia cognoscant. Quam intulêre vim, omnibus suis in visceribus sentiscunt; tot gladij, quot cruciatus; tot vulnera, quot remedia. Inferos portant vivi, quos æternùm experiuntur mortui, Joramus fraternis Manibus exagitatus, sibi gravis, omnibus invisus, magna imperij, quod cædibus extendere laborabat, parte exutus, pœnas scelerum temporarias, æternásque DEO hominibúsque pependit, implevítque atavi sui sapientissimi dictum Proverb. 22. *Qui seminat iniquitatem, metet mala; & virgâ iræ suæ consummabitur.* Sive per virgam intelligamus sceptrum, quo tyrannicè abusus est; sive flagellum interpretemur, quo criminum ab ipso commissorum, ceu loliorum & tribulorum seges & messis à DEO excutietur, & igneis inferorum areis triturabitur.

Jorami scelestissimi pœna.

Jam ad *Ochoziæ*, filij, perniciem incitamenta fuerunt, cùm parentum exempla pessima, (matris præsertim moribus & lacte jam tum imbutus, *partus* improbus improbum *secutus est ventrẽ*) tum eorum, quos in consilium adhibuit, summa pravitas. Testatur id divina historia 2. Paralip. c. 22. *Fecit igitur* (Ochozias) *malum in conspectu Domini, sicut domus Achab; ipsi enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui.* Exitiale virus regnantibus, pessimi consultores. Nihil cum ijs benè, etiam Rex bonus facit: cum bonis non semper malè, deterrimi quoque regum se gerunt. At ubi Principi in vitiũ prono perniciosi consiliarij, aut ministri accedunt, deploratus est rerum humanarum status. Præstò erat Doëg Sauli, cùm in Sacerdotum cæde baccharetur. Præstò Salomoni Ieroboamus, cùm delubra dæmonum, arásque detestabiles in gratiam amasiarũ strueret. Præstò fuerunt Roboamo stultissimi juvenes, cùm jugo subditorum, & gravibus ærumnis insultaret. Nec aliter Nero ad palmaria erupit scelera, quàm Poppææ meretricis, & Tigillini, hominum propudiosissimi consilijs. Est aliqua etiam projectis sæpe

Regum pernicies mali consiliarij.

ſæpe verecundia. Retinent immania cogitantem, probi & prudentes miniſtri, avertunt occaſiones criminum, flectunt iras, leniunt ſæva, turbida componunt, erigunt lapſa, nonnunquam etiam reſtituunt deſperata. At ſi bonæ indolis Princeps à facinoroſo fuerit obſeſſus miniſterio, eóque verſipelli, captus oculis ducitur, quocunq; conſulentium impetus tulerit, & graviora peccat, quòd per ſpeciẽ juſtitiæ peccat. Litare ſe DEO, cùm prævaricatur, putat; nec ſẽtit, quod ſemper experitur, veritatis exiliũ. Hæc noſter *Nicolaus Cauſſinus, Diſſertat. 86. de Regno DEI.* Hoc confirmat regũ experientiſſimus, Prov. 12. *Cogitationes juſtorum judicia:* (id eſt ad normã rectæ rationis, & legis divinæ directæ) *conſilia impiorum fraudulenta* (id eſt, excluſo Numinis metu & cultu, ad aſſentationem, & pſeudopoliticam compoſitæ.) Idem ibidem cap. 25. *aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum: aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur juſtitiâ thronus ejus.* Hoc eſt, remove à conſpectu & familiaritate regis, impios conſiliarios, & adulatores; eorúmque loco ſubſtitue viros probos, juſtos, ſapientes, cordatos; tum rex juſta ſanctáque ſanciet, regnúmque ſuum juſtitiâ & probitate ſtabiliet.

NARRATIO LXXXIV.

ATHALIA, SANGUINARIA JUDAICI REGNI FURIA.

4. Reg. cap. 11. 2. Paralip. cap. 22. & 23.

Ab anno M. 3151. ante Ch. 922. ad ann. M. 3157. ante Ch. 896.



Va aſpidis Ioſaphatus fovebat, cùm Athaliã Achabi & Iezabelis filiam, in regiã induxit; inde ſtatim ſæva peſtis, & ingens calamitas erupit. Juſta tum Ochoziæ Manibus reddebantur, cùm mulier furoris impotentiſſimi Regnum invadit, & Thronũ non aliter ſtabiliri putat, quàm ſi nepotes ſuos, *Ochoziæ* filios, adeóque Davidicum ſtemã totum, tollat de medio. Itaque regnum vi occupatum, vi & crudeli ſuperbia adminiſtrat, vaſta & promiſcua cæde, quidquid erat regij ſanguinis extinguit. In tam cruentas iras rapuit feminam cupiditas dominandi; deinde metus ſupplicij; ſola namque ex Achabi familia ſuperſtes, *Athaliæ tyrannis.*

impurum

impurum ferro spiritum, juxta interminationem Eliæ, debebat. sexenniô tyrannis ea grassata fuit, nepotibus ex filio *Ochozia* cunctis crudeliter interemptis, præter *Ioas*, anniculum infantem, aviæ truculentiæ, à *Ioiada* Pontifice clàm subtractum, uxoris industriâ & pia fraude, *Iosabe* (seu *Iosabetha*) sororis Ochoziæ, quem sua cum nutrice in secretis Templi ædibus abscondit, aluit, educavit. Regnat interea Athalia gementibus omnibus, nemine recusante; tantus sævitiæ muliebris terror animos oppresserat.

Ioiadæ Pontificis providentia in rege conservando.

Septennis jam erat puerulus Ioas, cùm Ioiada Pontifex, vir ingentis spiritus, & rarissimæ prudentiæ, doluit cives suos non tantùm à Regno, sed à servitute quoque degenerâsse, dum feminæ tyrannicæ, & impietatis antesignanæ turpiter obsequerentur. Cœpit agitare grandia, & operosa consilia, de patria liberanda, & evertenda funditus tyrannide. Primates Regni, fortissimos tribunos ac centuriones, in secretum Templi seductos, postulata priùs arcani religione, eáque per jusjurandum, ante conspectum DEI vivi exactâ, fidenti allocutione affatur.

Objicit lugubrem regni statum, sacra detestabili cultu temerata, oppressa ferro jura, dominante contra patrias leges muliere, eáque extraneâ, de inimica gente, & idolorum cultrice. Nihil illi magis provisum, quàm omnia concutere, ut stet; omnia perdere, ne pereat. Et quid non dirum ab illa exspectandum, quæ à filiorum cæde regnum sit auspicatâ? deturbandam intrepidè de hoc rerum fastigio, antequam omnia cædibus & flammis deleat. Nondum esse, quod avidissimè ipsa cupiebat, Regium omne semen extinctum, superesse ex illa veneranda & æterna Davidis progenie, puerulum unum, legitimum Regem, quem potestati asserere, toto conatu deberent. In promptu rem esse; dimicandum contra mulierem, libidine & socordia pari; nihil illi ab Israëlitico Regno auxilij exspectandum, rebus nuperrima *Iorami* (regis Israëlitæ, cui cognominis fuit Iudæ rex, de quo supra) cæde turbatis, ac penitùs confusis: nihil in hoc sperandum omnibus exosæ, & toties damnatæ. Exspectari tantùm percussorem, nec DEI defuturam pijs conatibus manum. Hæc præfatus, septennem jam infantem educit è latebris; ad cujus conspectum, veneratione omnes & lætitia perfusi, sacramentum præstant, mori pro dilecto capite supra modum parati.

Tum Pontifex ordinem conjurationis pandit, & quem quisq; locum obtinere, quid facere debeat, præscribit: arma quoque in Templo paratissima exstare monet; tantùm viri essent adversùs feminam. Negotium imprimis Levitis committitur, qui magno numero ex cunctis Iudæ urbibus confluxêre, ut omnes Templi aditus,

aditus, valida manu ſepiant, neminémque, ne in atrium quidem exterius (quod Levitarum dicebatur) intrare patiantur. Atque, ut ne conſiliorum aliqua ſuſpicio ad Athaliam emanaret, ij, qui conſtituti erant in excubijs, vices mutabant, alijs atque alijs, tanquam ad miniſteria Sacrorum ſuccedentibus, ut non ad arma conjurata, ſed ad Templi officia conveniſſe viderentur.

Dies lecta tanto facinori; & certatim omnes præſtò fuere. Rex puer acri cuſtodia ſeptus, in Templum ducitur, ornamentíſque regijs indutus, Legíſque Divinæ volumen manu tenens, inungitur, profusíſque vocibus heres ſceptri Iudaici acclamatur. Tumultu excita, (regia namque domus erat Templo proxima) nec deſpondens animos Athalia, feſtinato greſſu advolat familiari cum comitatu, & prætoriana cohorte: inter confuſam turbã, clamoréſque populorum, ad Aram (quę in Atrio Levitico poſita) pergit, excluſis, juſſu Ioiadæ, ſtipatoribus. Mox ubi *Ioam* ſedentem in ſuggeſtu vidit, ſimúlque arma & tubas, choróſque Muſicorum; attonita rei novitate, ſcindit furioſè veſtes, & exclamat: *Conjuratio, conjuratio*! ſi fortè ſuos ad reſiſtendum provocaret. Sed vocem contrà tollente populo, & novo Regi vitam ac felicitatem apprecante, Pontifex dat mandatum militum centurionibus, ut vociferantem, extra Templi ſepta abripiant, & interficiant. Extracta igitur è loco ſacro, juxta palatium regium (ut ibi cæderetur, ubi peccârat) gladio, & cum ea, ſtirps omnis Achabæa tollitur. Inaugurato Regi, & in palatium cum feſta pompa introducto, fides clientelæ præſtita, fœdera mutuò renovata, ſimulacra Baalis deturbata, delubra diruta, Hieroſolyma expiata, Templum inſtauratum, Religio reſtituta, ædes Sacræ, Regiæque fortiſſimorum virorum præſidijs munitæ, *Ioâ* Principis optimi, *Ioiadâ* Tutoris, Patris, Pontificis munia cuncta ſtrenuè exſequente.

Ioas rex ſalutatur.

Athalia meritas pænas dat.

DOCTRINA.

ATthalia (Gotholiam Ioſephus appellat) ſexûs ſui probrum, & ambitioſæ crudelitatis monſtrum, femina, ſupra omnes feras im̃anis & ſæva, documento eſt, quid mulier audeat, ſceptro armata. Eodem furore, quo Ioramum maritum in cędes fraternas ſtimulavit, in ſuorum ipſa nepotum, adeóque filiorum ſanguinem debacchata eſt. Siracides cum ſuſpirio pronuntiat, Eccli. 25. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris*. Et *Chryſoſt. ſerm. de S. Ioan. Bapt.* Exclamat, ô ma-
„ lum omni malo peius, mulier mala. malum intolerabile, vipera
„ irremediabilis, venenũ inſanabile! Si injuriam patitur, inſanit:

Mala femina.

 „ Si honorem

„ Si honorem accipit, extollitur : Si potentis uxor fit, non cessat „ die ac nocte, callidis stimulare sermonibus : blanditur nequiter, „ & quod vult importunè, rapit violenter. O quoties hoc genus furiæ infamârunt secula, & non familiarum tantùm, sed regnorum exitijs ultimæ stetere caussæ! Nam si cupiditatem suam vel auctoritate mariti, vel suomet firmant nomine, nihil est tam periculosum, quod aggredi : nihil tam munitum, quod labefactare : nihil tam Sanctum, quod violare non audeant. Atque ut Poëtis suas relinquamus Medeas, Medusas, Belides, Bacchides, Prognas, Phædras, Clytemnestras, aliáque feminarum monstra; ex historijs notæ sunt, Tulliæ, Juliæ, Fulviæ, Messalinæ Agrippinæ, Pompeiæ, Herodiades, Faustinæ, Fredegundes Drahomiræ, Bhrunichildes; quarum ultima Brunichildis, multorum Franciæ regum mater & avia, ut Regina moreretur, decem reges suâ operâ, consilióque extinxit. Sed tandem à Clothario capta, ac camelo imposita, in populi ludibrium circumducta, denique ad indomiti caudam equi per capillos alligata, raptatáque, cerebrô calcibus equi elisô, dispersóque, reliquis membris per aspera saxa, sentes, & rupes pertractis & discerptis, pares sceleribus pœnas dedit. Haud tamen ignoramus ex hoc sexu fuisse, esséque, quæ summâ prudentiâ, pietatéque, rem publicam, privatámque sustinerent. Quales fuere Zenobia Palmyréna, Pulcheria Byzantina, Indegundis Hispana, quæ S.Hermenegildum maritum ab Arrij secta ad fidem Orthodoxam, & cum eo totam Hispaniam convertit, sub annū 600. Eíque suppar Clothildis, quæ Clodoveum, & per eum Franciam, ad Christum traduxit. Itémque Theodolinda, decus Bavariæ, quæ Agilulphum regem maritum, ceterósque Longobardos ad religionem Catholicam pellexit. Taceo Hungarorum Giselas, Orientis Theodoras, Gothorum Amalazunthas, Francorum Blanchas, aliásque heroinas, quibus imperia, quasi illuminata sideribus refulserunt. Unde meritò Siracides Eccli. 26. *Sicut sol oriens mundo in altissimis DEI, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.* Hoc est, Uti sol manè oriens in cœlo, totum orbem nova, grata, roseáque luce illuminat, exhilarat, condecorat, vegetat, vivificat; sic uxoris bonæ pulchritudo corporis, & magis animi, suæ virtutis fulgore pellit omnes mariti, domúsque molestias & mœrores, totámque familiam (vel Regnum etiam) irradiat, lætificat, exornat, atque ad DEI cognitionem, amorem, & cultum accendit.

Bona femina.

In Ioiada Pontifice suspicienda, Zelus religionis, fortitudo, prudentia politica & militaris, & comprimis fidelitas in Ioam nepotulum suum. *Multi homines misericordes vocantur*; inquit Salom. Prov. 20. *virum autem fidelem quis inveniet?* Quasi diceret; Virū misericordiâ præditum facile est invenire, quia ad commiserationem

Joiadæ fidelitas.

tionem invitat tum benignitas naturæ, tum laus hominum; sed virum fidelem, qui in rebus adversis, DEO, hominibúsque maneat fidus; qui sibi in quavis virtute ubique constet; qui impijs animosè resistat: qui nec minis, nec promissis, nec donis ab officio se dimoveri patiatur; utique rarus est, & difficilis inventu. Talis, si quisquam alius, fuit Ioiada, non citra præsentissimum fortunarum suarum, dignitatis, familiæ, ipsiúsque vitæ discrimen.

NARRATIO LXXXV.

IOAS, REX IVDAE, INCONSTANTIS & ingrati animi exemplum.

lib. 4. Reg. cap. 12. 2. Paralip. cap. 24.

Ab Anno M. 3158. ante Ch. 895. ad annum M, 3196. ante Ch. 857.

POstquam magna omnium cum congratulatione & lætitia, *Joas*, ut diximus, imperij Iudaici sceptro admotus est, continuò cunctorum quoq; votis expetitus *Ioiada* Pontifex, qui Regis infantiã, quíque regnum administret. quod ipse præstitit integrè, sanctéque. Et primùm curavit, quod Regibus pupillis fieri solet, ut esset alta pax rebus; etsi non deerant incitamenta bellorum; nam eodem tempore *Iehu* & per se, & in prole apud Israëlitas regnabat, à quo regis Ochoziæ fratres, & ipsius Ioæ patrui, ferebantur occisi. Noluit tamen ob mala domestica bellum publicum accendere, sed privatas cicatrices felicitate populorum obduxit. Maluit tunc raptorem & homicidam ferre, quàm fatigatis bello animis, novis motibus obstrepere.

Nec dissimili Ioiadæ consiliô, Ioas *Hazaëli* fulmen eripuit: Erat is Rex Syriæ bellicosissimus, cui licet impio, & domini (Benadadi) cæde cruentato, Elisæi oracula dominatum ingentem promiserant. Ibat, infestis armis & signis, Hierosolymam deleturus: Tum Ioas juxta prudentissimi Pontificis mentem, nihil æquare ratus clades, quæ ex bellis tam exteris, quàm civilibus oriuntur, ingenti pecunia tum ex thesauro regis, tum Templi depromptâ, pacẽ pactus, à mœnibus suis diram pestẽ avertit. Omnem deinde operam navavit, in regno per religionẽ & justitiã

constituendo. Mœrebant templi parietes, & DEI spolia ab impijssima Athalia direpta, Baalis fanum ornabant; destruxit sacrilegas ædes, dijs ipsis ruinarum pondere oppressis. Didrachmum, quod per Moysis legem, Templo quotannis à singulis hominibus destinatum fuerat, per injustos Principes derasum, & in bellorum usus detortum, restituunt Sacro Ærario Ioas rex, & Ioiada Pontifex, missis undique Levitis, qui leniter exigerent. Arca quoque ad Templi fores constituta, in quam quisque, quod vellet, pro Templi reparatione conferret; inde populo hilariter & effusè sua largiente, infinita pecunia congesta. Hanc à Sacerdotibus, & suo scriba numerari Ioas curavit. Mox laboriosissimè sategit, ut sarta tecta templi instaurarentur, castigatâ etiam Sacerdotum, qui rem protrahebant, morâ.

Ioas vivente Ioiada optimus Princeps.

Fecit igitur Ioas (ut ait Scriptura) *quod bonum est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis.* 2. Paralip. 24. Sed optimus senex, cui nihil deesse præter immortalitatem videbatur, anno ętatis centesimo trigesimo fatis concessit. Elatus est magnifico funere, certante in eius honorem populo, & Regum sepulcris velut Regis pater illatus.

Ioiada moritur.

Post eius obitum Ioas ferè ex optimo, evasit pessimus. Depravationis exordium à principibus & Aulæ proceribus, qui blanditijs & assentationibus permoverunt regem juvenem, (nam sextum supra trigesimum agebat annum) ipsis ut potestas fieret, ad imitationem instaurati templi Salomonici, *Báalis* quoque lucos, idola, fana restituere, & abolitos nuper per Ióiadam cultus, *Astartæ*, ceterísque dijs suis reddere. ad amorem enim & benevolentiam Principi conciliandam, nihil valere magis, quàm mollē eorum, qui subsunt, tractationem; ingenuos animos ad obsequia non trahendos, sed ducendos, & cùm à natura comparatum sit, ut rebus charissimis maximè timeamus, qualis libertas est; enimverò sedulò considerandum regi, ne, si mentes suorum unius religionis limitibus circumscribere velit, timorem ijs inijciat servitutis; arbitrium sentiendi mortalibus à DEO concessum, humanis legibus infringi non debere. id Ochoziam parentem, id avum Ioramum perspexisse; nihílque regiæ potestati aut reverentiæ detractum putâsse, si quemque suos venerari Deos, suas aras sequi permisissent. Ioas partim ingenij facilitate, partim blandis Principum verbis delinitus, & in præceps actus, idolorum cultū non tantùm permittit, sed ipse quoque, prô pudor & nefas! sprêtô DEI templô, quod magnificentissimè instaurârat, in superstitionem deflectit. Adeò suos affectus facilè transfundit in eos princeps, quorum speciosis obsequijs capitur.

Ioas fit pessimus.

Ioas à Proceribus depravatur.

Non tulit

Non tulit hanc vecordiam, qui cum eo adoleverat, *Zacharias*, Pontifex, Ioiadæ filius, vir ſeveris moribus, & intrepida mente. Is ſpiritu DEI concitatus, ſummo vigore contra Sacrilegos cultus detonuit. Inde Principes accenſi, & Rex efferatus, cum in ipſo templi atrio, ubi tum concionabatur, lapidibus obrui, indigniſſimè jubet. Nihil patris honor ſemper venerandus, nihil infinita beneficia, nihil vita Regis ſervata, nihil dignitas aſſerta, filio contulere; adeò improba vis furoris fuit. Extremæ morientis voces exceptæ: *Videat DEUS, & requirat*; nec in irritum cecidere.

Zacharias Ioiadæ filius occiditur.

Annô evolutô Hazaël, Rex Syrus, permodico exercitu immenſam Iudæorum multitudinem cecidit, Hieroſolymam cepit, primarijs capitibus exciſis, ingentem pecuniam exportavit. In Ioam quoque regem Syri ignominioſiſſima exercuere judicia, plagíſque & contumelijs affectum, dein languore & mœrore confectum reliquere. Tandem in invalidum, & morbo decumbentem, è primatibus duo *Zabad* & *Jozabad* (putantur fuiſſe cognatione Zachariæ annexi) conſpirârunt, eúmque in lecto oppreſſere, diro facinore, & adhuc Iudaicis populis inſuetô. Sed vox ſanguinis Zachariæ tam immaniter effuſi, miſerum urgebat. Addita pereunti ludibria, ut Regum ſepulcris excluderetur. Grande Principibus documentum, ne ſacra, ſacróſque viros lædant. Nihil auſpicatius hoc rege, dum ſeptennis puer, per lætos populi clamores inciperet; nihil felicius ejus vitâ per tot annos, dum Ioiada viveret, innocenter & honorificè peractâ. Nihil fine lugubrius, quem gladius cruentat, infamia proſternit. Denique ob templum cæde & ſanguine Prophetæ pollutum, Oracula & reſponſa divina deinceps ceſsâſſet, tradit Epiphanius in vita Zach. & ex eo Genebrardus in Chronol. Finem regnandi fecit Ioas annô principatûs quadrageſimô; qui an tot acerbis caſibus edomitus reſipuerit, incertum: nam ſævas calamitates deſperatio magis, quàm pœnitentia ſequi ſolet. Putat tamen Salianus, Ioramo, Ioæ, aliíſque eorum ſimilibus, diro morborum cruciatu caſtigatis, æternam ſalutem non abjudicandam. Nam orco deſtinati, & gravibus onuſti criminibus, ferè *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Iob. 21.*

Vindicta divina in Ioam, proceres, populum.

Interfectio Ioa.

Incerta ſalus Ioa.

DOCTRINA.

Fecitque Ioas rectum coram Domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos. 4. Reg. 12. Optima ſpes educationis magna ex parte eſt penes Inſtitutores, quorũ vitia & virtutes in alumnorũ mores influunt. Tanti olim fecere præſtanti virtute Præceptores, ut eos Patres animorũ non vererẽtur appellare; multi etiam cum

Multum eſt ſitum in Moderatore Principis.

Tutelarium geniorum honoribus conjungerent. Proclivis via eſt ad perniciem populorum, malus aut inutilis Rector appoſitus moderandæ Principum juventuti. Delectu hic opus eſt. Ambit ſæpe hanc Provinciam nobilitas gloriâ tumens, & prudentiâ deſtituta, datúrque unius nomini, quod perit omnibus. Nec navim regendam, nec corpus ægrum generis claritati, ſed peritiæ credimus; cur ingentia pignora tam vigili ſapientia, tam acri cuſtodienda curâ, ſpecióſis & inanibus titulis committemus? Atlantem ſuum jactat Hercules, Phenicem Achilles, Chironem Theſeus, Alexander Ariſtotelem, Plutarchum Traianus, Alcuinum Carolus Magnus. Putei olim coronabantur ab ijs, qui ſalubres inde liquores hauriebant; quantò digniores honore, mentéq; grata, à quibus fluunt præcepta ſapientiæ.

DEI Lex ob oculos habenda.

Dederúntque in manu eius tenendam legem, ſcil. Deuteronomij librum. 2. Paral. 23. Prima pars honeſtatis, & regni ſecuritatis eſt, DEI legem intueri, hanc ſectari, ad hanc omnia dirigere, nihil ſecurum, nihil utile, nihil glorioſum æſtimare, quod tam beatos limites tranſiliat. Grande hoc magiſterium eſt, ſub DEO Præceptore diſcere, quid Numini, quid hominibus, quid tibi debeas. Idcirco jubetur hæc Lex perpetuo comitatu ſepire regum otia, negotia, vigilias, ſomnos; cum illis bellare, judicare, peregrinari, ruſticari. Hæc demum eſt honeſtas vitæ, hæc dignitas, ſi timeatur Dominus, ſi colatur Fide, Spe, & ardentiſſima Charitate. Si modeſtia & amore benevolo erga ſubditos, regnetur; ſi jura ſacro moderationis temperamento diſpenſentur, & ſua cuique reddantur. Sed nimirum corrugant ad hæc nares, qui de pſeudopolitici Spiritus cœno hauriunt; qui de Religione nihil tenent præter larvam: qui cæremonias habent pro ludibrijs: qui, ſi ad Bibliorum Oracula vivitur, perdi regna exiſtimant, & cedere ſuperbis in riſum, rapacibus in prædam. Nihil equidem iſtis hominibus, aut afflatu peſtilentius, aut rerum etiam ſucceſſu, ſi finis ſpectetur, infelicius. Expertus id Ioas eſt malô ſuô, nimiùm magnô. Nam

Vix probus in Aula.

Poſtquam obijt Ioiada, ingreſſi ſunt Principes Iuda, & adoraverunt Regem, qui delinitus obſequijs eorum, acquievit eis. 2. Paral. cap. 24. Et quomodo acquievit? *Dereliquerunt Templum Domini Patrum ſuorum, ſervierúntque lucis & ſculptilibus.* Multa hîc obſervanda. Primò, Quantùm poſſit unius viri virtute & ſapientiâ præditi, & auctoritate valentis in Aula vis & efficacia. Quis melior Ioâ, vivente Ioiada? quis deterior, eô extinctô? Deinde, quanta ruina à pravis conſilijs? Ioas in extremas miſerias devolutus eſt, quia Conſultores habuit peſſimos, eos ſcil. quos jam antè

Malitia cōſiliariorum

Athalia

Athalia aut donis, aut artificio corrupit, ut relicta Patrum Religione, peregrina Sacra in Reginæ suæ gratiam sectarentur. Tertiò, mortalium inconstantia. Hinc illud sapientis: *in vita ne laudes quemquam.* Nimiùm quantùm initia distant, & finis, in moribus hominum. Ioas quantùm mutatus ab illo! Miratur hoc *S. Augustinus*, & exclamat *in Solioq. c. 29.* Vidimus multos, Domine, & audivimus à Patribus nostris, quod utique sine magno tremore non credo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodamodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocâsse; postmodùm cecidisse usque ad abyssos. Sequitur turpissimum ingratæ mentis crimen à Ioa comissum.

Inconstantia humana

Non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecit Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius, nempe Zachariam. 2. Paral. 24. Reprehensorem sacrilegæ vecordiæ, Ioiadæ Pontificis, Educatoris sui filium, conjectu lapidum occidit. Ita saxa reddit & excidium, illius stirpi domûs, à qua salutem ipse, latebras, tutelam, regnum & coronam acceperat. Hanc gratiam retulit suæ custodi, & conservatori vitæ. Cùm merita meritis obruere debuisset, salutaria monentem lapidibus oppressit, ne superesset, qui vel beneficia exprobraret ingrato, vel sese opponeret impio. Non impunè tamen.


Ingratitudo Ioa.

Videat Dominus, & requirat. 2. Paral. 24. Dixit moriturus Zacharias, Zelô justitiæ, non vindictæ. Vidit DEUS, & requisivit. Nā 1. Iudæi per Hazaëlem Syriæ Regem gravissimè sunt afflicti. 2. Ioas probris ac plagis ab hostibus affectus. 3. Morbus inde ab eo contractus, & cruciabiles dolores. 4. Servi in eum conjurârunt, mortéque violenta sustulerunt. 5. Quod in narratione indicavimus, Oracula Templi exinde siluerunt. Hanc necem perfidis Iudæis ipse Christus exprobravit, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ &c. ut veniat super vos omnis sanguis justus &c. usque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ* (seu Ioiadæ, ut Divus Hieronymus explicat) *quem occidistis inter templum & altare.* Lapidatus est enim Propheta in atrio Levitarum, quod templo proximum erat, in cujus medio erat Altare holocaustorum, quod modicô intervallô Ædem Sanctam ab Occidente habebat; unde credibile est, Zachariam, cùm lapidum grandine ex atrio & porticibus undique quateretur, intra ipsam Ædem confugere voluisse, sed saxo quopiam dejectum concidisse, ibiq; obrutum esse.

Pœna ob interfectum Zachariam Pontificem.

NARRATIO

NARRATIO LXXXVI.
AMASIAS VNDECIMUS REX IUDAE,
DEO hominibúſque exoſus.
4. Reg. 14. 2.Paralip. cap. 25.
Ab anno M. 3197. ante Ch 856. ad 3225. Ch.822.


MASIAS adminiſtrationem regni à Religione in DEUM, & pietate in Ioam parentem, per inſidias occiſum, auſpicaturus, interfectores eius, meritis ſupplicijs affecit. nec tamen pœnam extendit in filios, quod Scriptura laudat, ſed eam æquitate, non ulciſcendi libidine definivit. Cæterùm repetitæ Iſraëlitarum de Syris hoſtibus victorię ac triumphi, Amaſíam quoque excitârunt ad laudem è Campo Martio referendam. Nec defuit cauſſa belli. Receſſerant quippe *Idumæi* à dominatu Regni Iudæ, tempore *Iorami* regis, ante annos admodum ſexaginta. Igitur delectu habito geminis in tribubus, Iudaica & Benjamitica, conſcribuntur è flore juventutis trecenta armatorum millia; ad eas copias adjunguntur centum millia virorum, quos rex ex Iſraëlitis, grandi pecunia (centum talentis argenti) in militiæ ſubſidium legit. Cùm tanto exercitu propediem moturus erat in hoſtem; cùm interveniens Propheta (nomen eius in Sacra Hiſtoria non editur) jubet Amaſíam Iſraëlitas à ſignis dimittere, neque enim licere pio Principi, per impios defendi. Mira Regis in re difficillima, animi modeſtia, & adverſùs imperia divina ſubjectio. Acquieſcit voci monentis, non ſecus, quàm ſi ab Oraculo fuiſſet edita, exauctorat Iſraëlitas ſtipendiarios, præfatus, ſe ultro donare eis, quidquid mercedis nomine accepiſſent. Suam illi domum diſcedunt; patrius miles contra Idumæos educitur; magnô obſequij DEO præſtiti emolumentô. Nam DEUS ut belli erat cauſſa, ita comes quoque fuit. Hoſtis ingenti clade proſternitur, decem millibus in prælio occiſis, totidémque millibus captis, & ex edita rupe (Divinæ litteræ *Iectebêlem* id eſt, *Obedientiam* vel *exſpectationem DEI*, vocant, ad denotandam cauſſam victoriæ) in præceps actis. Hæc ſtrenuè & piè; cætera impiè & ſtolidè.

Amaſiæ prompti in Deum obſequij premium, victoria hoſtium.

Amaſias tanti memoriam beneficij in lapide reliquiſſe contentus, DEUM, cui ſe, ſuáque omnia debebat, expellit è pectore, éóque

eóque dementiæ delabitur, ut victos, debellatósq; deos, ex Idumæis asportatos, sibi præ cœli Numine venerandos putaret. Reponit in larario domestico pudenda simulacra, eísque thura incendit, quæ flammis inijcere, & meliores in usus conflare debuerat. in eam væsaniam præcipitavit hominem cùm insolentia ex rebus feliciter gestis nata: tum mali dæmonis ex idolis responsa dantis, fallacia. Ita factum est, ut & gloriam debellati hostis turpissimo idolorum mancipatu corruperit: & auxiliatricem Numinis dextram, in suam cladem armârit. nam paullò post sacrilega temeritas magnô ei stetit. *Amasiæ idololatria.*

Initium vindictæ factum ab Israëlitis, qui ignominiam cum militari missione accepisse rati, facto in regnum Iudæ impetu, latè regionem sunt depopulati, jumentorum magnô abactô numerô, cæsísque tribus colonorum millibus. Vates quoq;, cujus monitu mercenarium militem dimiserat, gravis exprobrator accedit, quòd execrandos Idumæorum deos intulerit Hierosolymis; eísque cœlestes honores impertiat, qui suis ipsi cultoribus, nihil afferre opis, nihil securitatis præstare ab armis Hebræis valuerint. Rediret igitur ad mentem, & nefanda simulacra flammis aboleret, séque tanti criminis detestatione, in Numinis offensi gratiam restitueret; nisi tristia quæque in suum caput provocare vellet. Sed furor & impietas præcluserunt aures, maximè salutaria suadenti. Impatiens veritatis homo sceleratus, iram, quâ vindictam de se debebat sumere, in Vatem vertit, cúmque à conspectu suo cum atrocibus minis reijcit. Sed nihil eæ terruerunt animum, DEI præsidio nixum; quin etiam minas minis opponit, & funestas scelerum pœnas impio capiti intentat, quarum eventus mox consecutus est. Nam dum suorum procerum consilia Rex præ divinis audit, bellô sese minimè necessariô, gravíque calamitate involvit. *Idumæi Judæam depopulantur.*

Inflaverat animos nupera de Idumæis victoria, stimulavítque, ad Israëlitas Iudaicæ terræ populatores, armis persequendos. Mittuntur, qui *Joæ* tunc Israëlitidis regi bellum denuntient. Is ad deprimendum *Amasiæ* fastum, contemptim in modũ apologi respondet: olim in monte Libano Carduum à Cedro petijsse, filiam, nuptijs cum filio suo jungendam; aliud verò responsum non impetrâsse, quàm ut immissis in Carduum bestijs, earum vestigijs proculcaretur. quâ parabolâ Ioas innuebat, ut Amasias omitteret grandes illas cogitationes de regno Israëlitico ad Iudaicum adijciendo; neque enim deesse sibi milites, qui belluarum instar, pedibus obterant Iudæos, in aciem prodire ausos. Quibus renuntiatis *Amasias* longè, quàm antè concitatior, in bellum exardescit, DEO sic permittente, & infandæ superstitionis sacrilegia *Amasia victus, vinctus, ante currum triumphantis Ioæ actus.*

 ulciscente

ulciscente. Vix in conspectum hostium erat ventum, cùm tantus repentè pavor & consternatio *Amasiæ* militem invasit, ut priùs quàm manus consereret, jam terga verteret: & alijs aliò diffugientibus, desertus à suis *Amasias*, in Israëlitarum potestatem veniret. Captivus *Ioa* sistitur,(Carduus Cedro)& arbitrium victoris trepidus exspectat. Quem toruo vultu intuens Rex Israëlita, extrema quæque ei minatur, nisi mox efficiat, ut apertis Hierosolymorum portis ipse cum victore exercitu admittatur. Ancipiti malo pressus Amasias, quidvis vitæ postponens, persuadet Solymæis civibus, ut hostem in urbem reciperent. Ioas dirutis ad quadringentorum cubitorum spatium mœnibus, triumphantis more Hierosolymam invehitur, Amasiam ante currum in vinculis agens, documentum futurum posteris, non tam sævientis fortunæ libidinis, quàm vindictæ Numinis, sacrilegam perfidiam castigantis.

Expilatis Templi, regiæque thesauris, & obsidibus abductis, *Amasias* precariò vivere, regnaréque permissus, cristas haud parùm demisit, &, ut credibile est, à nefarijs superstitionibus, pœnitens criminum, recessit. Neque Ioas diuturnum victoriæ fructũ tulit, quippe qui rebus feliciter gestis, Samariam reversus, eô ipsô annô diem supremum obijt. *Amasiam* verò jam contemptũ, & omnibus odiosum, quòd temerariò bellô tantas patriæ calamitates accersijsset, & gentem suam, antehac Israëlitis dominantem, nunc vectigalẽ fecisset, Proceres cũ valida manu obsident in regia; inde clàm elapsus, fugâ evasit *Lachis*, urbem munitissimam; ibi temporum angustijs & conjuratorum vi oppressus, obtruncatur; útque Bono publico videretur occisus, corpus Hierosolymam refertur, & in regijs conditorijs deponitur; postquam annos ætatis implevit quadraginta novem, regni viginti quatuor, relictô filiô *Ozia* sedecim annorum adolescente. Ita perfidiam desertæ Religionis, alia perfidia plexit; sceleribus omnibus viam aperuit *Amasias*, cùm unum idololatriæ admisit; frustráque speravit sibi homines fidos, qui perfidus fuerat DEO. Propiùs fidem est, caussam cædis ejus fuisse, sinistram Procerum persuasionem arbitrantium, pactum tributi Israëlitis pendendi, unà cum paciscente sublatum fuisse, pessimô exemplô, juris & in Regem suum & in fœderatos violati.

Videtur resipuisse.

Amasias à suis obtruncatur.

DOCTRINA.

E*T fecit rectum coram Domino &c. nisi hoc tantùm, quòd excelsa non abstulit.* 4. Reg. 14. Omnia ferè, improborum etiam Principũ initia læta & illustria, progressus scelerum contagione fœdantur. Nimirum nemo repentè malus est; suum habent scelera tirocinium; nec statim in summum erumpit nequitia. Adde quod audacia

audacia adhuc trepida eſt, & tentat, quid ſubditi facere, quid perpeti poſſint. Pergit Sacer hiſtoricus: *Juxta omnia, quæ fecit Joas Pater ſuus, fecit.* Sicut enim Ioas vivente Ioiada, DEUM Verum, ſolúmque coluit, eóque defuncto deflexit ad idola; ſic fecit Amaſias filius, dum ſub finem declinavit ad DEOS Idumæos, qui capti captivum eum reddiderunt. Nam plerumque genus & ſanguis idem, eadem vitia trahit. Et probos etiam Principes facilè evertit, vel rerum ſecundarum proſperitas, vel aſſentantium improbitas. *Fecitque rectum coram Domino, verumtamen non in corde perfecto.* 2. Paral. 25. Nam tametſi ſub regni initijs idola non coluit, aras tamen & lucos idolorum nec ſubvertit: nec eorum cultores pœnis coërcuit, pſeudopoliticorum more, quibus magis eſt curæ *Regio* quàm *Religio*; ſua jura unicè tuentur, DEI convellunt, aut convelli ſinunt, exitu nunquam non funeſto.

Dixitque Amaſias ad hominem DEI: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Iſraël? Et reſpondit ei homo DEI: *Habet Dominus, unde tibi dare poſſit multò his plura. Separavit itaque Amaſias exercitum.* 2. Paral. 25. Fuit iſtud ingentis obedientiæ, & à Politicis legibus alienum. Nam Amaſias centum talentorum (hoc eſt 80000. florenorum Rhenenſium) non contemnendam (illo præſertim tempore) ærario pecuniam amittebat; irritabat deinde potentem exercitum (*centum millia robuſtorum,*) & quem pro ſe nolebat, contra ſe armabat, haud dubiè in ſuos agros erupturum, dum occaſio alliceret, quod ſtatim abunde præſtitit. Prodebat apud ſuos levitatem ingenij, ſubita mutatione conſilij, terrorem hoſtibus copiarum ſubtractione muniebat, augebat militibus advocatis, ſuâ diffidentiâ audendi contra ſe fiduciam, ex fœderatis inimicos habiturus. Hæc tamen omnia poſthabuit, ut hominis DEI præceptis morigerum ſe præſtaret. *Si putas* (inquit Vates) *in robore exercitûs bella conſiſtere, ſuperari te faciet DEUS ab hoſtibus: DEI quippe eſt adjuvare, & in fugam convertere.* 2. Paral. 25. Auſcultavit monenti rex, & tantò validior in hoſtem extitit, quantò plus roboris humani ſibi detraxit, pulcherrimo exemplo, victoriam ab eo exercitu abeſſe non poſſe, cujus Imperator Deum audiat imperantẽ.

Obedientia in re difficili magni meriti.

Tunc miſit Amaſias nuntios ad Joas &c. Veni, & videamus nos. 4. Reg. 14. Bella invitatio ad cruentam Martis aleam. Videntur hæc verba neſcio quid magnum ſpirare; cùm tamen anguſti & infirmi ſit animi, ſi quid ex voto à bona fortuna contingat, efferri immoderatè, atque ita ſibi in poſterum ſecunda promittere, ut nihil ſibi adverſi metuendum putet. Eos verò, qui tali ſunt animo, ſecundæ res non modò inſolentes, ſed etiam fatuos & inſipientes reddunt. Hæc autem veſania tum in alijs ſtudijs, atque

Non oportet rebus secundis efferri.

consilijs perniciosa est, tum in rebus bellicis perniciosissima. Qua de re, gravissima sunt non ad profanos solùm, sed etiam apud Sacros documenta. Sapienter *Paulus Consul apud Liv. lib.* 45. In se-,, cundis, *inquit*, rebus nihil quemquam superbè, ac violenter ,, consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm, quid ,, vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum ,, nec prospera flatu suo efferent, nec adversa infringent. Exierat planè novâ victoria temulentus de potestate sua Rex Amasias, & ut ebrius solet, fingebat sibi successus novos, & victorias majores, quas tam certa exspectatione devorârat, ut hostem otiosum, & id temporis longè potentiorem ultro lacesseret; id enim valet illud: *Veni, & videamus nos.* In quo (ut quidam volunt) nec ulcisci voluit illatas injurias, neque bello repetere, quod foret ablatum, sed tantùm experiri, quantum viribus posset, & militari scientia, quæ, in se omnia summa esse, sibi persuaserat, ex quo Idumæorum colla ferro domuit. Cladibus suis doctus Amasias, docet alios, magnam partem felicitatis esse, felicitatis sensu non nimiùm tangi; fortunæ indulgentiam, nisi modestè habeatur, unô momentô everti.

Respondit ei (Rex Amasias increpanti Vati): *Nunquid Consiliarius Regis es; quiesce, ne interficiam te. Discedènsque Propheta, scio, inquit, quòd cogitaverit DEUS occidere te &c.* 2. Paral. 25. Amasias ex Vate

Viri probi regibus audiendi.

quæsivit, num Consiliarius Regis esset, quasi de nefandis & publicis actibus Principum, Viri DEI, qui in Regium Senatum non sunt allecti, reticere debeant. Nimis familiare est dominantibus, qui prava facere affectant, odisse veritatis assertores. Expedit aliquando, in aula comparere mentes excelsas, & veritati militantes. Sic Davidi Nathan adfuit; sic Ioannes Herodi; Sic Anonymus iste Vates Amasiæ. non cessit minis, non gladio pænè in eius cervicem exerto. Cùm cædem Princeps minaretur, nisi quiesceret; ille quid? cælestem illi plagam, & ferale mortis edictum pronuntiavit. Hos animos addidit DEUS, cujus caussam agebat. Unde Principum ruinæ? nisi quia jubentur quiescere & silere, quorum linguam movet DEUS; loquuntur autem, quos alius quivis honor stimulat, præterquam divinus. Illis sermo nascitur in corde; his in ore. Illi vitam præ virtute contemnunt; isti virtutem deserunt, ne deserant vitam; imò Aulam & Principis gratiam.

Cur tres reges Ochozias, Ioas, Amasias in Christi genealogia omissi.

Circa Iudæ Reges proximè commemoratos, nempe Ochoziam Iorami, Ioam Ochoziæ, Amasiam Ioæ filium, quæstio non levis momenti agitatur, cur eorum nomina in Genealogia Progenitorum Christi, ab Evangelista Matthæo præterita? Respondent plerique, id factũ in odium impijssimi Achabi, cujus filiam

Athaliam


Athaliam duxit Ioramus; ex ea geniti, tres, quos dixi, Reges, ob maledictionem ab Elia, posteros Achabi ad quartam usque generationem diris devovente, 3.Reg.21. indigni visi sunt inter Christi proavos nominari.

NARRATIO LXXXVII.

IONAS MIRUS DEI PRAECO.

Ex libro ejus Prophetiæ.

Anno Mundi 3216. ante Christum 837.



Irca vicesimum Amasiæ regnantis annum, vaticiniis claruit *Jonas*, filius *Amathi*, natione Hebræus, ex oppido *Getha*, ditionis Zabuloniæ, cujus expeditionem in Urbem *Ninum* seu *Niniven* referemus. Quo tempore *Sardanapalus* libidinum omnium mancipium, Imperij Assyrij sedem in Urbe Ninive habebat, datum è cælo negotium est Ionæ Prophetæ, ut iret, & Ninivitis ad ultima flagitiorum prolapsis, excidium denuntiaret. Ionas veritus, ne scelerum pœnitudo vibratum fulmen extorqueret Deo, ipséque vanus territator in ludibrium & pœnas traheretur, aliò quòvis potiùs, quàm *Niniven* abiturus, defertur *Ioppen*, Mediterranei maris portum in Palæstina; conscensáque navi, *Tharsum* versùs, urbem Ciliciæ nobilem, vela facit. Sequitur ultor à tergo DEUS; venti & procellæ in hominis pertinaciam pugnant. jámque nubes undique obductæ tenebris, diem involvere, cœlum omne turbari, mare furere, naves decumanis fluctibus concuti; ea maxime, quâ Ionas vehebat, proximum interitum minari. Discurrunt nautæ ad officia trepidantes, vela subducunt tempestati, & quidquid navigio videbatur onerosum, jactant in undas. Ionam malè sibi conscium, interni magis tumultus, quàm clamores nautarum, & procellarum fragores circumsonant; dúmque quærit in ima navi latebras, mœrore pariter ac sopore opprimitur. Interea tempestas mandata fatorum peragit; mittuntur sortes à nautis, inquiritur victima, irato Neptuno in fluctus præcipitanda; nomen Ionæ ex urna educitur. Confitentem reum, cùm naturæ

Ionas contumacior in parendo jussibus divinis.

nequicquam tentâssent in terra exponere, vi tempestatis magis magísque inhorrescente, eijciunt in undas, ceu piaculum & placamen iræ cœlestis. Res mira! Aquæ, veluti lenitæ essent lustrali hostia, subitò detumescere, ponere fluctus, cœlum & mare tranquillari, nautis ad repentinam mutationem attonitis, & Vero Numini vota ac sacrificia facientibus, cujus potentia unius ob noxam hominis desæviens, ministros vindictę, ad nutum haberet elementa.

Sunt, qui tradant, cùm Ionas à Nautis, qui hominis vitæ, parsum volebant, demitteretur collo tenus in aquas, rursúsque in navim reciperetur, toties conquievisse fluctus, quoties ille mergeretur; iterúmque fremitu & furore efferbuisse, cùm sustolleretur; ideò naviculatores divinæ voluntatis certiores factos, noxium caput in pelagus excussisse. Quod ubi factum est; ecce tibi! prægrandis adest bellua marina, quasi satelles divinæ non minùs clementiæ, quàm justitiæ, quæ Ionam excipiat, eúmque deglutiat ut vindex, servet ut custos. Triduò, belluæ alvo, velut vivo carcere circumvectus est, sepultus, antequam mortuus. Post illud temporis intervallum, Cetus remenso ad littora Ioppes itinere, hospitem suum multa precantem, voventémque revomuit incolumem, in terram. Qui jam è malis suis doctior, & iteratis DEI monitis obsequentior, iter in Assyriâ arripuit, & ad urbem Niniven contendit, tridui itinere, seu viginti leucarum spatiô, in longum porrectam; cujus tertiam ubi partem concionabundus, imminentis excidij præco perambulavit, minacis fama Oraculi ad ipsius *Sardanapali* regis aures defertur; qui, tametsi perditissimus esset luxu, territus tamen denuntiatione propinqui interitûs, deponit insignia regia, imperatoriam purpuram cum cilicino sacco mutat, pro diademate capiti cinerem inspergit. Regis exemplum sequuntur Proceres, populúsque, scelerum pœnas à semetipsis exigentes. Audiuntur ubique flebiles commissorum detestationes, supplices dolentium preces; vindices corporum macerationes placando cœlesti Numini adhibentur; triduanâ inediâ, sitíque, non sexus modò & ætas omnis, sed jumenta & pecora quoque affliguntur; eam afflictationē excepit quadraginta-diale jejunium, non nisi pane & aquâ, sub vesperam solvendum. Valuerunt tanta pœnitentium studia ad immutandum decretum Numinis; vertitur in misericordiam vindicta, suppliciorum minis succedit condonatio criminum, agnitione culpæ deletur pœna; Divini tribunalis sententiam mitigant suspiria, emolliunt lacrimæ, manúmque ad feriendum extentam reprimunt arida jejunijs ora, conspersa pulvere capita, horrida cilicijs membra.

Ionas in mare projectus à ceto excipitur.

Ninivitarum pœnitentia.

Quadraginta

Quadraginta dies effluxerunt, quos ex Oraculo divino decretorios & fatales Ninivæ credebat Ionas. Egreditur itaque ex Vrbe, cum incolis suis mox peritura; conscendit altiorem collem circumfert oculos, spectaturus, si non excidium, ruinas certè aliquas Ninives. Dum sedet sub vmbraculo, quod ipse sibi extemporaneum excitârat, dum præstolatur ignes cœlo volaturos, eruptura saxa, discessuram terram; neque tamen ullæ vel lapidum grandines, vel telluris hiatus, vel fulminum jactus sequuntur, ægrè habere cœpit, doleréque comminationes suas in irritum cecidisse; maluisset perire nocentes, ne fides periret vaticinantis. DEVS medicinam facturus ægritudini, producit hederam folioso germine virentem; hæc tuguriolo supernè aperto inserpit textili fronde, lætámque supra Vatis caput, umbram explicat. Videbatur sub frondoso tentorio suaviter quiescere Ionas, & languor omnis ac fastidium in magnam lætitiam abijsse; cùm unica bestiola eam jucunditatem turbavit. DEUS enim pari efficacia virtutis officium docet, sive pro magistro belluam marinam, sive repentem humi fermiculum adhibeat. Umbra, quam dixi, hederacea vix una die, noctéque tectum præstiterat Vati, cùm ad imperium DEI vermiculus prorepit, plantæ radicem erodit, simúlque hederæ virorem, & Ionæ voluptatem extinguit. Succedit solis ardor, & per denudatam tegmine casulam, radios in inquilinum immittit, tanta vi, ut pertæsus vitæ, Deíque patientiæ, cuperet ipse umbra fieri, & cespite tegi, quem nihil jam ab inclementia cœli tegeret. Hìc tum magisterium absoluturus, sua DEVS ipse voce quærit ex perturbato: Satísne caussę subesse crederet indignationi suæ, super caduci folij fluxum exardescenti? cúmque respondisset Ionas, meritò se irasci bestiæ, suas delicias depascenti. Tum DEVS: Et verò tu jacturam fluxæ herbulæ tam fers impotenter, quam neque plantâsti, neque rigâsti, neque culturâ ullâ affecisti; quæ vix nata, vivere & virere desijt; Et ego radicitus evellam, evertámque Niniven, urbem longè populosissimam, & ad iram meam avertendam, voluntarijs supplicijs dedititissimam; in qua licet reorum magna sit multitudo; innocentes tamen nulliúsque sceleris labe contaminatæ, plus quàm centies vicies mille numerantur animæ, quibus ob ætatis infirmitatem nullum lævi dextríque, nullũ recti pravíque sit discrimen. Et tu nimirũ caussam habes excandescendi ob dejectionem umbratilis folij; ego fons & origo clementiæ, nullo sensu tangar eversionis & excidij tot milliũ mortaliũ? Hæc Deus Ionæ; qua permotione audiētis, sacris litteris haud proditur; verosimillimũ est, Vatē, ea rerũ lõgissimè impariũ cõparatione in rubo-

Iona refractarius genius.

DEI cum Iona disputatio.

in ruborem datum, conceptam indignationẽ in semetipsum vertisse, séque, judiciúmque suum divino, obsequentiùs deinceps attemperâsse.

Avertit igitur Ninive, tunc quidem, impendentem calamitatem; quam tamen, ad ingenium ex inolita flagitiorum consuetudine reversa, non effugit. Annô quippe à minaci Ionæ præconio, decimô septimô, *Sardanapalus*, mortalium omnium effeminatissimus, dignum vitâ propudiosissimâ exitum habuit. Cum feminis muliebri vivebat ritu, meretrice quavis corruptior; parietibus ac tectis nequitiam occultabat; quasi quicquam tam tectum esse possit, quod non dies proferat in lucem. Hunc igitur *Arbaces* Medorum præfectus, purpuram in puellarum choro nentem conspicatus, populo persuadet, ut feminæ, sibi non ferendum imperium putent. Arma contra regem capit, minimè paratum ad resistendum, jámque luxuriâ victum suâ. *Belesô* quoque Babyloniæ Præfectô, alijsque Ducibus rebellantibus, bienniô Nini obsessus, tandem inundatione *Tigris* fluminis, muro labem passo, sibi desperans, gazas & opes, mulierum greges & eunuchorum, luxuriæ regiæ instrumenta, ac seipsum conijcit in rogum, idoneô sanè libidinis suppliciô quæsitô. Urbs Ninive ab hostibus, ruinis & incendijs fœdè deformata, tantúmque non solo æquata (quod postmodùm per Nabuchodonosorem factum) triste exemplum extitit, quàm pervicaci provocatione inveterata libidinum turpitudo cũ DEI Justitia depugnet; nec desistat antè, quàm misericordiam consumpserit omnem. Pudet verò, annis viginti, monstrum illud hominis, Sardanapalum Assyriorum Imperium tenuisse. Quod deinde Duces divisêre; *Arbaci* Medo magna pars obtigit; *Belêso Babylonia* cessit; *Phul* (alio nomine Belóchus) sibi *Ninum* seu *Niniven* seposuit: In quo & successoribus aliquot regnum Assyrium, licet graviter imminutum, stetit adhuc per annos centum; donec ad Babylonios, eversâ planè Ninô, translatum est.

Sardanapali & Ninives interitus.

DOCTRINA.

IOnas, luculentum paradigma hominis est, multa tergiversatione cunctantis in deditionem divinæ voluntatis concedere; eáque de caussa tamdiu variè afflicti, dum voluntatem suam omnem subijciat divinæ. Id quod nobilis ævi huius Scriptor, *P. Hieremias Drexelius* Societatis nostræ, solerter expendit, *in suo Heliotropio lib. 4. c. 4. §. 1. 2. 3. Is igitur*, audiamus, *inquit*, quid voluntas divina præceperit Ionæ: *Surge & vade in Niniven.* Ion. cap. 1. Hæc prima pars præcepti. Altera: *Et prædica in ea.* Surrexit quidem Ionas, & loco se movit, sed Niniven non ivit. *Surrexit Ionas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini.* Duplex hîc inobedientia; in civitate, quâ jubebatur, non tantùm non concionari, sed nec in eam ingredi.

Ionas specimen hominis DEO reluctantis.

Sed

Sed mox DEUS ventis,& mari, & omnibus cœli injurijs pugnavit in obſtinatam Ionæ voluntatem. Necdum tamen advertit fugitivus iſte, in ſe has procellas ruere: *& Ionas deſcendit ad interiora navis, & dormiebat ſopore gravi.* Nihil pejus, nihil periculoſius, malâ ſecuritate. Debuerat Ionas nunc in prora, nunc in puppi, vel ad navis clavum conſiſtere, & tanquam DEI viventis præco ac legatus cunctos alios admonere de illius providentia, poteſtate, judicijs: de mortis contemptu: de cura ſalutis æternæ; ſed ille malè ſibi conſcius, ſolus ſeſe abdit, & procellas divinæ juſtitiæ ſatellites timet. Dormientem excitat Nauclerus, legis quidem ignarus Hebrææ; monet tamen officij, & hortatur ad preces, quibus iram cœleſtem compeſcat, & imminens periculum depellat. Sed nimirum Ionas ſciebat ſuâ culpâ concitatam cæli intemperiem, latere malebat. Deinde, *Niniven* ire juſſus eſt, non *Tharſis*: Deprehenſus igitur per ſortes, quanquam ſuperſtitioſas, DEI tamen providentiâ moderatas, pervicax caput in undas excutitur. Exceptus à balæna: *cùm anguſtiaretur,* inquit, *in me anima mea, Domini recordatus ſum.* incepit igitur *velle*, quod diu malè *noluit*; Niniven proficiſci decrevit. Sed heu inconſtantiam & mobilitatem voluntatis humanæ! quæ modò DEI fuit, iterum incipit eſſe ſua. *Et afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt.* c. 4. Quæ cauſſa turbationis, novíque inter voluntatem DEI & hominis, diſſidij? *Scio, quia tu DEVS clemens & miſericors es &c.* Præſagit animus, me fruſtra minas ſparſurum: non ſucceſſura minis ſupplicia: DEUM citò nimis placandum. Nihil ergo ampliùs videtur ſupereſſe, quàm rogare: *Domine, tolle quæſo animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quàm vita.* Melior tibi eſt Iona, ſed forſan DEO non gratior. Id autem propria voluntas non curat, hoc ſolùm attendens, quid ſibi gratum ſit, & volupe. DEO id placeat, nécne, juxtà habet. *Et egreſſus eſt Ionas de civitate, & ſedit contra Orientem civitatis: & fecit ſibimet umbraculum ibi &c.* Necdum quieſcit voluntas propria, urbem deſerit, ut commodiùs ſpectet excidium urbis. Cùm fruſtra exſpectaret, & exareſcente hedera, (aliqui cucurbitam interpretantur) quæ caput inumbrârat, ſol deſuper æſtuoſior feriret hominem; tum demum Ionas tantam DEI patientiam impatientiſſimè ferens, & feriò excandeſcens, *petivit animæ ſuæ ut moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori quàm vivere.* Interrogatus, num eam excandeſcentiam cenſeret æquam, reſpondet audacter: *benè iraſcor ego, uſque ad mortem.* Quæ cauſſa tam impotentis iræ. *Quia non eſt factum ei, ſicut cogitabat.* Quàm credula eſt voluntas propria, maximè ſibi, ſuiſque perſuaſionibus! Eccur, ô Iona, tam fers indignè miſerationem & patientiam divinam? an neſcis, DEI proprium eſſe, miſereri & parcere? nunquid DEO

inducere vis impatientiam humanam, ut læsus, mox feriat; injurijs affectus, mox fulmina mittat. hoc hominum sapit indolem, non divinam. Sed ô Iona, quid indignaris perijsse hederam? servata est Ninive; servatam & tu velis. Ita visum Superis; tu arbitrium tuum ad cœli placita compone. Hinc videre licet, in quantos errores voluntas propria, sanctissimos etiam viros pertrahat. Hæc ille.

Mundi voluptas & lætitia umbratilis.

Aliud documentum. *Fecit sibimet* (Ionas) *umbraculum, & sedebat subter illud in umbra, & lætatus est Ionas super hederâ, lætitiâ magnâ*, c. 4. O lætitiam & brevem, & inanem! Nam hederacea hæc diæta duplicem hostem habuit, *Solem* & *Vermem*. Ita uno die omnis hæc umbrosa voluptas evanuit. Orbem considera, & plenum reperies his talibus umbraculis. Florent hæc aliquanto tempore, sed proximum semper exitium imminet huic hederæ diversis à vermibus. Humanis ille favoribus nititur. Sed quamdiu? alij voluptatem affert placens uxor, & dulces liberi. Et hoc quamdiu? Alium opes & honores circumfluunt. At hoc quamdiu? Alium Lucullianæ mensæ, & Apicij dapes saginant. Hoc quamdiu? subitò DEUS aufert, quidquid hoc erat umbraculi. *Et paravit DEUS vermem, ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit.* Ionæ c. 4. Parati sunt vermes; sive hodie, sive crastinâ, hospitem te & escam in sepulcro habituri. Hoc fine Mundi felicitas cuncta clauditur. Quidquid demum irascamur cum Iona; nolentes, volentes; seriùs citiùs, ex hac nimis quàm fluxa rerum humanarum Umbra, ad Manes & umbras evocamur.


DEI in puniendo clementia.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur Ion. cap. 3. Formidanda denuntiatio! Similes clamores ad unumquemque nostrûm percellendum, in libris divinis legimus & audimus. Clamat Ioan. epist. 1. c. 2. *Transit mundus, & concupiscentia ejus. Charissimi novissima hora est.* Clamat Paulus 2. Cor. 7. *Tempus breve est.* Clamat Angelus Apocalypticus c. 10. *Post hoc tempus, non erit ampliùs tempus.* Clamat Christus ipse, supremus omnium Iudex. *Videte, vigilate, orate, quia nescitis neque diem, neque horam, quando filius hominis venturus est.* Felices ergo, si cum *Divo Hieronymo* verè dicere possimus: Ego cun-
„ ctis diebus, ac noctibus operior cum tremore reddere novissi-
„ mū quadrantem. *epist. ad Florentium.* Notat hîc *Basilius Magnus*, proprium esse benignitatis divinæ, non tacitè ac clàm pœnas inferre, sed antè, eas, per cominationes prædicere, ad pœnitentiam eos vocando, qui se sceleribus contaminârunt. *Orat. 4. de pænit. Et*
„ *Chrys. in psal. 7.* Hostes *inquit*, &c, qui volunt supplicium inflige-
„ re, non modò id non dicunt, sed etiam id celantes, invadunt,
„ ne, qui sunt puniendi, si resciverint, caveant. At non sic
DEUS

„DEUS, ſed omninò contrariè: prædicit & differt, verbis „terret, & parcit. Hoc etiam fecit Ninivitis; Nam illic quoq; *arcum tetendit, & gladium vibravit* Pſal. 7. jacula paravit, & ictum non inflixit.

Et crediderunt viri Ninivitæ in DEUM: & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem. Priùs crediderunt Ninivitæ, DEUM ſcilicet Hebræorum, verum & unicum eſſe Mundi hujus Conditorem, Rectorem, Iudicem, omniúmque malè factorum Vindicem; eſſe præterea miſericordem & placabilem erga genus humanum, paratúmque ad ignoſcendum, ſi veniam rogetur: ſe verò ſcelerum ſuorum enormitate, extremum exitium commeruiſſe. Sed num crediderunt ſolùm? Fidei adjunxerunt Opera; indixerunt jejunium, criminum de ſe pœnas popoſcerunt. Quidquid gula peccaverat, voluntaria inedia expiat; molles & pretioſæ veſtes in horrida cilicia migrant: capitum ornamenta, in cinerem: laſciva cantica, in lugubres obſecrationes & ploratus: Deliciarum inſtrumenta in ſcelerum ſupplicia. Et quia bruta quoque pecora propter dominorum flagitia, erant noxæ dedenda, ideò caſtigatio ad ea quoque extenditur. Quibus rebus quid conſecuti ſunt? audi, *Et vidit DEUS opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt DEUS ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Ecce opera cum dolore præteritorum, & propoſito meliorum juncta, ſunt criminum piacula! Ecce vim pœnitentiæ, & DEI bonitatis ergà ſupplices pronitatem! Jam Ninivitæ ex ſordidatis reis in DEI filios mutati, propitium cœlum, terrámque habebant; Rex ipſe Sardanapalus amicus non deorum, ſed veri DEI effectus, poterant immortales fauſtitates ſperare; niſi poſt reconciliationem in priſtinas Numinis injurias relapſi, tantò deteriores, quantò poſt agnitionem veritatis protervióres, ſcelerum ſuorum menſuram impleviſſent, divinæque modum Clementiæ exhauſiſſent.

Ninivitarum ſeria pœnitentia.



NARRATIO LXXXVIII.


OZIAS SEV AZARIAS

Duodecimus Rex Iudæ, leprosus.

EIUS SUCCESSOR, ET FILIUS JOATHAN.

4. Reg. 15. & lib. 2. Paral. 26. & 27.

Ab anno M. 3226. ante Ch. 827. ad annum Mundi 3277. ante Ch. 776.



Cciso Amasiâ, remisit se populi furor, & atroces etiam animos cepit funestæ Domûs miseratio. *Oziam*, infelicis illius filium, mira conspiratione in thronum Davidis evehunt. Erat is adolescens annorum sedecim, ætate & ingenio gratus. Primum illi felicitas fuit, quòd *Zachariam, Videntem, Hominem DEI* (nempe Prophetam) Ioiadæ Pontificis nepotem, patri suo, quem suprà à *Ioa* interfectum diximus, cognominem & posthumum, in consilij principem allegit. Fuit hic regni spiritus, quem tot millia traxere, à quo lacerati imperij reliquiæ paullatim compositæ, & pristini statûs fuligo detersa. Ac statim Rex, cùm Hierosolymam, urbem regiam, videret patere prædantium incursibus, munire eam aggressus, turres multas struxit. In turribus collocavit machinas diversi generis, quæ sagittas & saxa jacerent; constituit exercitum trecentorum septem millium, & quingentorum; quem omni armorum genere instruxit. Arcem *Ailam* in finibus Idumæorum ædificavit, qua prædones vagos, & manu promptos sisteret. Subactis sæpe in acie Philisthæis, muros *Azoti, Gethæ, Iabniæ* seu *Iamniæ*, Solymis infensos, detraxit. Ibidem sibi oppida munita, à fundamentis erexit; Arabas & Ammonitas debellavit; finitimas regiones partim nominis sui terrore, partim reverentia composuit. Et postquam alta pax rebus fuit, agriculturam, in qua fundantur regna, mirificè coluit. Vinitores in Carmelo monte, & alibi constituit; pro pecorum stabulationibus & pascuis turres excitavit; quæ futuræ, rei armentariæ ac pecuariæ curatoribus, non commoda tantùm diverticula & receptacula; sed frugum quoque conditoria: cisternas fodit, greges aluit, nihilque eorum omisit, quæ ad industriũ patremfamilias pertineret. Fuit omnino bellicosus

bellicosus foris, domi sedulus; in providendo sagax, in gerendo navus, acer in exequendo, pompæ modicus, parcus verborum, utilium operum assertor, religionis avitæ tenax, & antiquæ probitatis amans.

Sed infinita propè decora magni Principis, miserabilis nævus infuscavit, quòd manum thuribulo sacerdotum admovit; autoritate namque prævalida, & longo rerum successu tumens, transilire positos à DEO limites statuit, & Saulis exemplum, qui illud sub Samuele attrectavit, renovare. Igitur regio non contentus diademate, Sacerdotum insuper ac Pontificum involare tentat munus & infulas, ingreditur templum, thuribulum præter morem arripit, thura super altare thymiamatis incensurus. Obsistit *Azarias* Pontifex, octoginta Sacerdotum globo cinctus; dehortatur à temerario cœpto: nefas esse manus profanas sacris admovere ministerijs; luculentis proditū exemplis, quantas pœnas dederint, qui ad aras non consecrati accessissent. At rex in iras effervescere, & mortis intentare minas, si odiosi esse pergerent. Irrumpentem in aras, illi nihilominus repellere; cúmque summa vi reluctaretur, & ad destinatum opus tenderet; desuper major vis cohibuit; extenta de cœlo DEI manus, audentem sacrilega, percutit leprâ, quæ fœdè in frontem sparsa, horrorem movit spectantibus. Rex prodigijs attonitus (nam eodem tempore Solymam horrendo terræ motu concussam esse, cum Hebræis tradunt S. Hieronymus & S. Cyrillus) de templo festinanter egreditur, impellentibus etiam Sacerdotibus, ut in solitudine positus lugeret, quæ in tanto hominum cœtu præceps admiserat. Itaque publica tractatione rerum abdicata, pulsus arâ, templô, soliô, privatis in ædibus, suimet exul regni, medijs non tantùm Ierosolymis, velut *in Insulam deportatus*, extabescit. Finem vivendi fecit anno ætatis octavo supra sexagesimum, regni quinquagesimo secundo, si triennium ultimum computes, quô privatus vixit. Cadaver quoque horrori fuit, sepultis regum ossibus, extra quorum Mausolæum tumulatur.

Involans Sacerdotum officium, lepra inficitur.

Qui verò paterni regni primùm administrator, & collega; postea verò, morte patris, hæres quoque factus est *Joathanes*: alienô doctus malô, sui genitoris infelicem *superbiam*, sua *modestiæ* (per omnia felicis) habuit *magistram*: regníque sui decem & sex annis, sæculorum omnium promeritus est laudem, atque commendationem. Unum ad consummatam virtutem prætermisit, cùm, æquô timidior, *lucos* unà cum *excelsis*, arísque suis, dimisit inexcisos. In laudibus ejus numeratur, quòd regnum componere studuit magis, quàm augere. Bellum unicum

Joathanes, ejus filius laudabilis Princeps.

 in Ammo-

in Ammonitas gessit, non cupiditate prædæ, non amore gloriæ, sed securitatis affectu. Victos hostes tributis subegit, ac pressit, non ut insultaret, sed ut rebellandi occasionem submoveret. Ædificavit urbes, castella, turres, Templum illustri porta decoravit; totus in divinis, totus in rebus civilibus fuit. Sed in eo præcipuè commendandus, quòd patrem desertum ab omnibus, suo excepit sinu, nec languentis morbus illum sua fœditate deterruit, nec longa ætas fatigavit. Regnum, dum pater viveret, ut alienum consideravit, ut suum administravit, sine tædio filius, sine ambitione Rex, sine fastu Aulicus, sine arrogantia Pater, sobolem magis timuit, quàm concupivit. Annô ætatis quadragesimô primô rebus humanis exemptus est, maturè quidem, ne sentiret acerbitatem fortunæ jam tum regno tempestatẽ minantis, quæ mox in filium *Achazem* erupit, Syrîs & Israëlitîs ultricia scelerum arma Iudaico populo inferentibus.

DOCTRINA.

E*T exquisivit* (Ozias) *Dominum, in diebus Zacharia intelligentis, & videntis DEUM.* 2. Paralip. 26. Oziæ lux & oculus fuit Zacharias Propheta. Unde ostenditur, Ecclesiasticos viros benè moratos, ministerijs regum perutiles esse, & gloriosos. Commendat eos imprimis veneratio dignitatis, vita melioribus disciplinis exculta, tranquilla mens, elisis aut remissis affectibus, benignitas paterna, mansuetudo consiliorum, quibus mitigari potest, quidquid in armis ferox; & pacari, quidquid in negotijs turbidum. Quidam sanctimoniâ verendi, quasi de cœlo missi in Aulas venerunt. Sic Eusebiô Nicomediensi Constantinus Magnus familiariter usus est: S. Remigio Clodovæus, S. Germano Childebertus, Audœno Dagobertus, Arnulpho Metensi Episcopo Pipinus, Turpinô Carolus Magnus, Guidone Crasso (qui postea Clemens quartus Pontifex creatus) Ludovicus sanctus: aliíque alijs regibus ob vitæ probitatem, insignem modestiam, & præclaram prudentiam chari & fructuosi fuerunt.

Viri Ecclesiastici Principibus utiles.

Cúmque requireret (Ozias) *Dominum, direxit eum in omnibus*, 2. Paral. 26. id est, res ei ad sententiam, auxiliante DEO, fluxerunt. *Sed cùm roboratus esset, elevatum est cor eius in interitum, & neglexit Dominum DEUM suum. Ibid. vers. 16.* Prosperi rerum successus cùm debuissent Oziam ad venerationem & amorem liberalissimi DEI magis accendere, arrogantiam & Numinis contemptum ei induxerunt; juxta Salomonem Proverb. c. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos.* Sapientes utuntur rebus secundis ad suũ cõmodũ, & virtutis profectum;

Prosperitas nocet incautis.

profectum; insipientes ad superbiam & *interitum*, quod de Ozia „ S. Scriptor asserit. Pulchrè *S. Bern. lib. 2. de Consid. c. 12.* Prospe„ritas incautis, *inquit*, est hoc ad disciplinam, quod ignis ad ce„ram: quod solis radius ad nivem & glaciem. Magnus, qui „ in adversa incidens, non excidit à sapientia; nec minor, cui „ felicitas si arrisit, non irrisit. Quamquam faciliùs invene„rim, qui sapientiam retinuerunt contrariâ sibi fortunâ, „ quàm qui propitiâ non perdiderunt. Et *Chrysostom. homil. 3.* „ *de verbis Isaiæ*: Non ferebat, *inquit*, Ozias Principatûs magnitu„dinem; sed quemadmodum ex edacitate nascitur inflatio: ex „ inflatione gignitur febris; deinde ex febri plerumque mors: i„tidem & hîc ex actionum eminentia, nata est superbia: mox ex „ superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium, „ nempe muneris Pontificij.

Ingressúsque templum adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Ibid. Tentare injussis divina nunquam impunè fuit. Nec pluere solis est, nec pluviæ illuminare. Sua cuique rei natura, & sors, quam DEUS providentiâ regit, nectit constantiâ. Ut magna maria brevi isthmô divisa, pacatè inter se degunt, dum suis se littoribus coërcent; sublato semel obice videas minacia & in sævas calamitates eruptura. Ita se res habet in Regibus & Pontificibus; utriusque potestatis discrimen, sacra moderatione Christus divisit. Constantius Imperator cùm rebus fidei nimis intemperanter se immiscuisset, Arrianam contraxit labem, non tantùm fœdus, sed crudelis in Orthodoxos. Idem morbus Iustinianum tetigit jam senem, jam orbe composito, & magnificis rebus clarum. Nimis res Ecclesiasticas urgebat, extra officium sedulus, & hinc Protector Eutychiani factus dogmatis, præclaras laudes corrupit. Luctuosior rei Christianæ Heraclius fuit; qui post Cosroën calcatum, & ereptum hosti salutis nostræ pignus, in Monothelitarum hæresin lapsus, disputare senex incipiebat, qui bellare tam feliciter à pueritia didicerat. Quà ratio deerat, authoritate pugnabat, & volebat credi, quidquid per eam posset cogi. Dum rixatur in Græcia; exurgit in Arabia Mahometes, ferale portentum, quod opprimere confestim & potuit, & debuit; neglectum per dissidia gementis Ecclesiæ, in omnium perniciem emisit. Plura in hanc rem exempla brevitatis caussâ præterimus, eorum regum & Principum, qui funesto exitu Iura Sacra Profanáque confundere attentârunt.

Principes profani non se immisceant rebus Sacris.

Sanctiùs Constantinus M. cujus in Concilio Nicæno partes fuere,

fuere, revereri Episcopos, sana sentientes audire, tumultus compescere, studere paci, favere veritati, sectari solida magis, quàm curiosa. Non disputare, non contendere; ire, quà bonorum auctoritas, & concors Ecclesia duxit.

Sacerdotes restiterunt Regi, atque dixerunt: non est tui officij, Ozia, ut adoleas incensum DEO, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium 2. Paral. 26. *Chrysostomus homil. 4. de verbis Isaia.* Vide, *inquit*, „libertatem: vide mentem servire nesciam: vide linguam cœlos attingentem: vide orationem imperterritam, & nullô fastigiô humanô concutiendam. Hac libertate usus est magnus Ambrosius, cùm Theodosium Imp. intra cancellos Chori, sacratorum hominum locum, rei divinæ assistentem, jussit inde recedere, cum dicto: Purpura Imperatorem facit, non Sacerdotem. Et ille non minùs promptè demissèque paruit, quàm fortiter Ambrosius imperavit. Abeste ab aris profani; *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à DEO, quemadmodum Aaron.* Heb. 5. In faciem Oziæ, corporísque totius cutem vindicta de prunis prosilijt, quibus adolere thus parabat; Subita lepræ illuvies frontem maximè, infulæ locum, fœdavit; decebat enim talem Pontificem, talis lamina. Videtur tamen juxta mentem Saliani nostri, superbia regis hujus, & sacrilega temeritas expiata, quòd & vivens hominum consortiô, & mortuus regum sepulchris sit exclusus. Severiores SS. PP. in eum censuræ, conveniunt tempori, quô, in templo peccavit.

Sacerdotum libertas in officio suo tuendo.

NARRATIO LXXXIX.
ACHAZ, REGVM IUDAE SCELERATISSIMUS.

4. Reg. 16. 2. Paralip. 28.
Ab anno M. 3294. ante Ch. 759. ad an. M. 3309. ante Ch. 744.



IOATHANI successit filius, viginti annorum adolescens, *Achaz* nomine, patri, avóque longè dissimillimus. Præceps ruit in idola, & infandos gentilium cultus, impietatis portentum ultimum. Hic primus omnium Iudę Regum, adeò DEUM penitus ejuravit, ut, quod nec Salomon, nec Roboamus, & Abias, Ioramus,

Detestanda scelera Achazi.

Ioramus, Ochozias, Athalia fecerant; ipſe nec alijs, Majorum Sacra permitteret, & ſaniora ſequentes, inſuper pœnis inſectaretur. *Baalis*, cæterorúmque Deorum ac Dearum fictilium ſtatuis & aris, urbes Iudæ cunctas, & Vrbis principis Ieroſolymorum angulos omnes, per ſummam impietatem implevit. In *Tophet*, (vallis eſt Hieroſolymæ proxima, quæ à nomine, ejus poſſeſſoris *Ennon, Bebennon*, aut Gehinnon, ſeu Gehenna dicta; ubi execrandæ & barbaræ ſuperſtitionis Antiſtites aram excitârunt, eámque idolo Mólocho conſecrârunt)natum ex ſe puerum in brachijs ſtatuæ Molochéæ cremavit; filiorum cæteros, per eandem traductos flammam, ritu barbarico luſtravit.

Hæſit nefandis ſupplicium peccatis. Primus, *Raſin*, Rex Syriæ, in eum fecit impetum, maximíſque calamitatibus affecit, vaſtata latè regione, & opimis ſpoliîs, unà cum rege, Damaſcum aſportatîs. E captivitate reducem, & *Aila*, urbe nobiliſſima mulctatum, *Phacée* Rex Iſraëlitarum invadit, centum viginti millibus bellatorum interfectis: ex imbelli multitudine ducentis millibus, cum immenſa præda in *Samariam* abductîs. Quo tempore, Propheta quidam, *Oded* nomine, ſpiritus Iſraëlitarum inſolentes, & truces, gravi oratione repreſſit, perfecítque, ut captivos non ſolùm intactos & incolumes, ſed etiam cibo refectos, veſtitóſque ad civitatem uſque Ierichuntinam, quæ non procul aberat Hieroſolymis, deducerent. *Diverſis bellis exagitatur.*

Atque ut in bello primi ſucceſſus hoſtilitatem, & ſpem majoris prædæ acriùs exſtimulant; fit conſpiratio inter reges memoratos: junguntur copiæ; omnibus viribus Hieroſolyma obſidetur. Achaz, cùm à DEO, tot nominibus à ſe abalienato, auxilium nec petere, nec ſperare ſuſtineret, animum adjecit ad Aſſyriorum manum advocandam. Conſilium *Iſaias* Propheta diſcuſſurus, regem accedit, graviter eum à malè concepto propoſito dehortatur, jubet ſpes ſuas potentiore in manu, DEI ſcilicet, reponere, & opem ab ea longè præſentiorem exſpectare. Quod ſi vaticinijs & promiſſis ſuis minus fidei habendum putaret, paratum ſe ad ea ſignis prodigioſis, juxta regis optionem, confirmanda. Sed nihil potuit apud animum malè conſcium, Vatis adhortatio; quid enim (ſecum impius reputabat) mihi adjumenti è cœlo fingam? neque enim vel mea de Numine merita, vel illius erga me beneficia, ſunt ita comparata, ut me in ſpes tam grandes inducere queant. Haud equidem otioſis victoria ab æthere in ſinum devolat; pari robore opus eſt ad vim hoſtilem repellendam; fortunam quiſque ſuam non in linguis vatidicis, ſed in armata gerit manu. Itaque ſpretô Iſaiæ conſiliô, mittit legatos ad *Theglathphalaſarem* Aſſyriorum regem, ſuppetias ab eo poſtulaturos; non ſine *Rejectô conſiliô Iſaiæ, barbarorum auxiliū invocat.*

gravissima Numinis offensa, cujus auxiliarem manum aspernatus, ad hominis impij præsidium, impius se convertit, cum privata, publicáque ruina.

Rex igitur Assyrius cùm demissis Achazis regis precibus, tum magnis promissis illectus, sese cum ingenti exercitu infundit Syriæ. Qua re intellecta *Rasin*, Syrorum rex, soluta obsidione Solymorum, cum infestis signis occurrit; conseritur prœlium; vincit Assyrius, Urbs *Damascus*, regni caput, occupatur & diripitur; Rex ipse cæditur; habitatores captivi in *Mediam* transportantur; Cúmque populabundæ Assyriorũ copiæ *Samariam* quoque infestarent, *Phacée*, Rex Israëlita, relictâ Hierosolymâ, ad regni sui defensionem accurrit, brevíque pòst per insidias interficitur. Ex eventu tam prospero cur non consilia sua metiretur Achazes? Bonam cum extero Rege fortunã in regnum suum invitâsse, credi poterat, communi mortalium vitio, qui præsentibus intenti, futura non perpendunt. Sed Achazes magno perfunctus discrimine, in majus etiam incurrit. Nam seu gratiam captaturus, seu gratias acturus, in regis Assyrij occursum, Damascum usque, ubi is cum exercitu victore resederat, contendit, Conservatorem suum Hierosolymam, triumphantis in morem inducturus. Auspicium benevolentiæ, munera fuerunt, ex auro & argento sacro, prophanóque corrasa. Quibus tamen irritavit magis, quàm saturavit barbaram cupiditatẽ, hirudinis instar, non missuræ cutem, quàm sanguinẽ omnem exsuxisset. quod mox memorabimus; si priùs exposuerimus, quid in urbe *Damasco* Achazes rerum egerit. Hîc eò dementiæ venit, ut non regẽ modò adulandum, sed Damascenos quoque Deos sibi adorandos censeret. Ingressus idolorum fanum, & aram contemplatus, non vulgari artificio confectam, cœpit ejus formâ capi, jam antè nefaria superstitione occupatus; ideam aræ mittit Hierosolymam *Uriæ* Pontifici, ad ejus exemplum imitandum. Pudenda res! paret Pontifex; altare curat exstrui, quod diruere debebat, siquis alius excitâsset. Redit post menses aliquot Ierosolymam Achazes, unà cum Rege Assyrio, quem summâ, quâ potuit, magnificentiâ deducit, & in urbe regia excipit; primus ipse, in ara detestabili, rex simul ac Sacerdos Dîs Syriacis immolat, non tantùm nihil Uriâ, & Sacerdotibus, contrà nitentibus; sed insuper aram profanã ad Sacrificia Hebræa adhibentibus.

Hierosolyma ab Assyriis expilatur.

Achazis idololatria.

Cæterùm barbarus se Hierosolymis gessit, non ut socium & amicum, sed ut hostem & prædonẽ; pecunijs & opibus exhaurit templum & urbem; tributum grave imponit regi ac regno. Achazes furore animi agitatus, indignationem, quàm in Theglathphalasarẽ non potuit; in DEUM ipsum per summam insaniam

insaniam effundit. Templum Salomonicum quater direptũ, tandẽ & profanatum, confractis vasis sacris, altari dejecto, obstructis valvis claudit, ut nec ipse cœlesteNumen coleret, nec illud à quoquam alio coleretur. In foribus pœna fuit.

Vix enim Assyrij, ingenti præda onusti domum abierunt, in Orientem; cùm Idumæi & Philisthæi ab Occidente prorumpunt, terrísque Iudæis ferro ac flam̃â vastatis, præter urbes aliquot captas, recuperant etiam *Getham*, *Azotum*, *Gazam*, *Ascalonem*, *Accaronem*; nobilem Palæstinæ tractum, Achaze nihil neque contra movere auso, neque valente. Is igitur tam animi, quàm pietatis inops, & insuper tributorum oneribus oppressus, post multiplices injurias DEO illatas, etiam in homines injurius esse cœpit; ad extremas enim fortunarum suarum incitas redactus, leges instituit iniquissimas condere, pauperes, viduas, pupillos diris exactionibus vexare. Denique sceleribus suis immoritur, cùm trigesimũ sextum ætatis annum ageret; (nam juxta Salomonem Prov. 10. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur*) cujus memoria non solùm infamis, sed etiam execrabilis præ omnibus regibus Judæ, qui eum antecesserunt, utpote hominis, qui toto regni sui tempore impius fuit, & in eadem impietate diem clausit extremum; ejúsque magnitudine actus in rabiem, ferrum quodammodo distrinxit in ipsum DEUM, cujus aram, quod diximus, evertit, templum expilavit, sacra contemeravit, indignus regum sepulchris: dignus gehennâ, quam infandis ignibus accendit. Successit Ezechias filius, annô ætatis vigesimô quintô, sanctissimus & religiosissimus Princeps: DEO providente, ut delicta patris Natus emendaret. Mirum, ex corruptissimo trunco, prodijsse ramum incorruptum.

Judæa vastatur ab Idumæis & Philisthæis.

Achazes in impietate decedit è vita.

DOCTRINA.

Pete tibi signum à Domino DEO tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra. Isaiæ. 7. Sunt hæc verba Isaiæ Prophetæ, jussu DEI, ad Achazem prolata, quibus conabatur fiduciam ei addere divini sperandi auxilij; in ejus confirmationem licebat Achazi petere prodigium, vel ex terra, vg. ut ea sese grandi hiatu diducat; vel ex alto, ut vg. Sol in medio cursu consistat immobilis, quod tempore Iosuæ factum. Sed Achazes respondit: *Non petam, & non tentabo Dominum.* ô hypocrisin! ô improbum os! ô impietatem extremam! Quare non tentabis Dominum, perfide, nisi quia aversus à DEO, judicas eum impotentem ad te juvandum; fidentiam verò ponis in idolis Syrorum, & Assyriorum armis? Erubescis nimirũ oculos & manus cœlo attollere, religionis nefande violator & desertor. Hinc illa abjectio animi & desperatio. Hæc vis est malæ conscientiæ, hic morsus; quod ipsi Gentiles

Quare Achaz à DEO noluerit petere signum.

 pervideruns

„ perviderunt *Tacitus 14. Annal.* Perfecto demum scelere, magni„ tudo ejus intelligitur. Et *Curt. lib. 6.* Qui misericordiam consum„ psit, ampliùs sperare non potest. Potuisset tamen, ac debuisset Achazes spe cœlestis opis niti, nisi voluntariâ insaniâ in interitum suum ruisset. Quid quod grandius etiam nefas latet in illa tergiversatione petendi miraculi. Timebat quippe homo perditissimus, ne DEI reverentia editis signis cresceret, idolorum vilesceret; quô quid pòtest esse detestabilius? Verissimè Salomon Prov. 18. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* In hoc barathrum gradus sunt, audacia peccandi, cæcitas mentis, contumacia, contemptus DEI, desperatio.

Et quid indignius, quàm quòd homo in disciplina Ioathanis parentis optimi educatus; non ignarus victoriarum, quas Majores sui sæpius de hostibus reportârunt; non inscius beneficiorum DEI, quibus pios est remuneratus; & suppliciorum, quibus in impios animadvertit; poterant ejus rei exempla avus, proavus, abavus in memoria esse. Et quid fidei ac observantiæ non mereretur Isaiæ testatissima probitas, & spiritus arcanorū DEI conscius? Hic, ut secundis rerum futurarum vaticinijs ignavum excitaret, *noli*, inquit, *timere, & cor tuum ne formidet, à duabus caudis titionum fumigantium istorum* Isa. 7. scilicet *Rasis* Syrorum, & *Phacea* Israëlitarum Regis; qui titionum instar in extrema sui parte ardentium & fumigantium, nescio, quas irarum flammas videntur in Iudæos spirare; mox tamen extinguendi, & suis cum regnis evertendi. Quem non erigerent hæc oracula? quas spes non animarent tam fortia promissa? Nihil potuerunt apud Achazem, cui mentem eripuerunt omnem falsissimi dij. Quod sacer historicus dolenter exponens, 2. Paral. c. 28. *Insuper*, inquit, *& tempore angustiæ suæ, auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz immolavit Dijs Damasci victimas, percussoribus suis, & dixit: Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi; cùm è contrario ipsi fuerint ruinæ ei, & universo Israël* (id est populo fideli, seu Iudaico) Huc denique prolapsa est sacrilega dementia; idolis aras ubique posuit, & sacra instituit in veri Numinis odium. Et quibus idolis? Dijs scilicet Damascenis, ut nimirum spurcissimos illos dæmones vel mulceret iratos (cladem quippe à Syris passus fuerat) vel exarmaret minaces: & haberet protectores, quos senserat hostes. O incredibilem vesaniam! post tot & tam luculenta divinæ potentiæ argumenta in gente sua edita, & ex Vatis promisso, edenda, convertit sese mortalium scelestissimus ad inania simulacra, & auxilium divinum à fictilibus truncis exspectat. Nescio, an non hoc idem faciant, quicunque se crimine

Peccatoris extrema dementia.

lethali

lethali contaminant. Hinc enim eos DEUS invitat, uti Achazem per Isaiam invitavit; hinc diabolus; suis uterque pollicitis: DEUS veris, cacodæmon mendacibus. Sed prô dolor! repudiatur DEUS, Tartarei jugum Tyranni suscipitur. Quot pravæ cupiditates dominantur in animo, tot idola statuuntur, quibus ceu victimæ, cogitata, dicta, facta improba immolantur, tantâ injuriæ in DEUM atrocitate, ut meritò pœnis nunquam finiendis plectantur; quas Achazes in orco pendit æternúmq; pendet.

Servus tuus, & filius sum ego: ascende, & salvum me fac de manu Regis Syriæ, & de manu regis Israël 4. Reg. 16. Hæc summa erat legationis Achazianæ ad Regem Assyriorum, utique vecordiâ & ignominiâ plenæ. *Servus tuus, & filius tuus sum ego.* Si hac verborum formula cœli Domino supplicâsset, quàm formidabilem sese hostibus suis effecisset! Nunc contemptor Numinis, fit adulator hominis: renuntiat amicitiam DEO ter Optimo maximo; concedit in servitutem tyranni teterrimi. Nomen ambit filij, apud eum, quem pro patre habiturus est prædonem, pro benefactore direptorem, pro servatore perditorem. Conqueritur DEUS apud Jeremiam cap. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* O quoties neglecto bonorum omnium fonte, itur ad rivulos & cœnosas lacunas: spreto Creatore amantissimo & liberalissimo, ad res creatas longè vilissimas, & ad ipsos adeò cacodæmones, nocendi cupidissimos. *Spes impij*, ait Salomon sap. 5. *tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur: & tanquam fumus, qui à vento diffusus est.* Expertus est Achazes, bonis pariter amissis, temporaneis & æternis. E contrario. *Quis permansit in mandatis ejus*, inquit Ecclesiasticus cap. 2. *& derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit eum?*

Quid sit relicto Creatore ad creaturam se convertere.

Fecit igitur Urias Sacerdos, juxta omnia, quæ præceperat ei Rex Achaz. 4. Reg. 16. O caput indignum Sacerdotiô, & quidem summô. Uriam ab officio deduxit partim metus servilis, partim assentatio turpis. Non ignorabat, muneris sui partes esse, priùs extrema omnia perpeti, quàm Sacra sibi commissa perfidiosè prodere: quàm jussa hominis, DEI mandatis anteponere. Sciebat, quantâ constantiâ, paucis abhinc annis Azarias Pontifex, cum sacerdotibus suis, Oziæ Regi, Sacerdotale ministeriũ involanti, restiterit. Ad quid mitra in capite, & lamina aurea circa frontem, *gloria honoris*, ut Siracides ait cap. 45. *& opus virtutis*, si caput terræ cœlóq; venerandum nefandis idolis inclinavit; si Decus Pontificale ad execrandas aras prostravit; si Virtutem, fortitudinem religionem, honorem, gloriam, per summam ignominiam prostituit

Curatores animarum ignavi & timidi.

 & projecit

& projecit. In impios tã Reges, quàm Sacerdotes detonat Osee, c. 5. *Audite hoc Sacerdotes, & attẽdite domus Israël, & domus Regis auscultate; quia vobis judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi*, (id est offendiculum & scandalum facti estis ijs, qui vestræ speculationi seu curæ commissi sunt) *& rete expansum super Thabor.* id est, similes estis laqueo & reti ad capiendas aves & feras in monte Thabore extento; vos quippe perniciosis exemplis, vos vestra fraude & malitia, implicatis cæterorum animos, & unà vobiscum in exitium trahitis. Hoc genus homines Isaias cap. 56. *canes mutos*, appellat, *non valentes latrare.*

NARRATIO XC.

EZECHIAE, REGIS JUDAE, RELIGIOSISSIMA PIETAS.

4. Reg. 18. 2. Paral. c. 29. 30. 31.

Ab an. Mundi 3309. ante Christ. 744. ad ann. Mundi 3337. ante Christum 716.



EXecranda parentis Achazis facta, successor filius *Ezechias*, Princeps longè optimus, quoad potuit, rectè factis emendavit. Principiô statim regni, quam ad res divinas mentẽ, sensibus insitã habuit & apportavit: eam omni populo suo, nullius obicis habita ratione, posuit in aperto. Nihil ei fuit antiquius, nihil in votis magis, quàm ut collapsam religionem restitueret, &, quæ superiorum regum, & parentis proximè concussit impietas, instauraret, solidarétque. Quare quidquid fovere poterat superstitionem, & ad impium cultum incautos & ignaros allicere, illud undecunq; locorum removendum & perdendum curavit. Impij patris vix dum infosso cadavere (quod ipse quoque vetuit, meliorum regum sepulcris inferri, miscerívе) primo gubernationis anno menséq;, Calendis Martiis, occlusum ab Achaze templũ reclusit, apertis, reparatísque, quas pater deformârat, valvis. Altare reposuit, quod à parente remotum, locum fecerat Damasceno, nefarijs Sacris dedicato. Idola, simulacrorum aras, & lucos ac delubra locis omnibus, non Judææ solùm, sed paullatim & *Samaritici* regni destruxit, contrivit, exussit: cineribus ac bustorum sordibus cæteris, in *Cedronem* rivum, aliósq; profluentes alibi

Ezechiæ fervor in exscindenda idolomania.

alibi, spársis & abjectis. In his & *serpentem* illum confregit æneum; à Mose quondam benè, Numinis imperiô, propositum, & è sublimi monstratum; sed processu sæculorum, malitiâ Hebræorum, versum, in superstitiosum, sacrilegúmque cultum. Quippe non thus duntaxat adolebant ei, ceu morborum depulsori DEO; sed illius etiam, aliásque similes, aut dispares, incisas saxo figuras & imagines, in spiræ, vel aliam quamcunque formam ductas, abscindebant, abradebántque: collóque suspensas, adversùs valetudinum omne genus, circumferebant; tanquam post ista, DEO, precibúsque morbos avertentibus jam non indigerent: utpote, nec ulli deinceps necessitati, nec usui futurís. Sustulit igitur Ezechias, Colubri priscum illud simulacrum. Pari quoque sollicitudine (siqua fides est Eusebio & Anastasio Nicæno) scrutatus est Rex; siquid in libris esset Salomonicis, super plantarum, omnísque generis animantiũ naturâ, morborúmque remedijs; quod in superstitionẽ pronis Judæis, irritamentum esse posset ad magica consectanda Sacra. Quidquid autem generis ejus reperit: totum illud & edicto sustulit; &, quà potuit, factis abolevit.

Ezechiæ summa cura in instaurando DEI cultu.

Non contentus tamen, noxia submovere; super hæc, etiam universa, quæ valerent ad Religionem DEI priscam, tum reducendam, tum etiam amplificandam, excogitavit ac perfecit. Ipse, dimissis in omnem Chananitidem, & tabellarijs, & præconibus; ad Paschæ, vetustate pœne jam collapsi, quàm exactissimè peragendam sollemnitatem, Israëliticum omne nomen invitavit. Ipse, suismet ut plurimùm impensis, illius eiusdem festi cæremonias, omni cum populo, non octo solis (sicut veteri receptum more fuerat) sed quatuordecim ipsis diebus, obivit alacriter. Idem, evocatos ex Iudæ, Benjaminísque, quin & Ephraimi, Manassísque tribubus mortales; eádem Paschæ celebritate, largis epulis excepit: ac religione summâ divinis operatos, denique domum quemque suam remisit; fictiliũ Deorum, & omnis impietatis odiô conjuratô plenos & ardentes. Ipse restituto, sicut olim sub Davide, ministeriorũ Leviticorum ordine; nequid ad Antiquæ Religionis ornamenta deesset, instrumenta concinnavit musica, quæ statis in templo temporibus resonarent. Ipse restituit *Iuge sacrificium*, cæteráque suo cũ apparatu, Sacra. Quóque Divinis alacriùs omnes, & ex animo, vacarent, dispensatores constituit; qui suâ, principúmque, totiúsq; populi liberalitate, sacris ærarijs illata munera, largitionésque, Sacerdotibus ac Levitis, cũ fide dispertirent: & ad

diem,

diem, annonam sacram admetirentur. Fecit denique, quidquid ad DEI veri gloriam ampliorem, crederet esse conducturum; Ad cujus voluntatem rationes omnes suas & consilia referebat: in cujus leges & honorem unicè intuebatur, longè posthabitis iis; quæ captat vulgarium animorum aut infrenata cupiditas, aut præceps ambitio.

Ezechia cura Politica.

Pro quibus meritis, quantùm Ezechiam invicem & DEUS extulerit: argumento, tum alia complura, tum victoriæ, prodigiáque circa regis incolumitatem esse possunt; quæ cuncta, non de vulgo fuere, Numinis in eum beneficia; à nobis, sequentibus narrationibus referenda. Cæterùm tantus in divinis cùm esset, non fuit tamen civilibus curis impar; circa ærarium sedulus, infinitas congessit opes, quas nulla vis extorsit, sed partim industria peperit, partim effusus civium amor obtulit. Urbes alias munivit, alias à fundamentis extruxit, annonæ, & fontibus, cæterísque populorum commodis solertissimè ab eo provisum; nec pauperes neglecti, quos acerba tempora penitus exhauserant. Militiã quoque instruxit, bello paratus magis, quàm intentus. Primus omnium divinis innixus opibus, Assyrium rupit & fœdus, & jugum; quod tanti pater eius Achazes, formidine servili fecerat: ut illud omni tum sacro, tum prophano thesauro, turpiter egesto, redimendum sibi persuaderet. Cum gente deinde Philisthæa, semper adversùs DEI populum insolente, & pro mobilitate ingenij, adversis æquè ac prosperis Iudæ casibus, inquietâ, prœlio congressus, eam fudit, profligavit: exutámque castris & præda grandi; maritimis urbibus atque castellis, omníque circumcirca ditione, victor nudavit: victam stipendio, servituteque multavit.

Et militares.

Cùm autem post hæc Assyriorum imperator *Sennacheribus*, ruptum ab Ezechia fœdus, negatúmque stipendium, bellô vindicaturus, in Iudæam irrupisset: ac non solùm copijs peditum, equitúmque longè maximis, sed maledicis insuper in DEUM regémque verbis, Ierosolymitas in terrorem ultimum conjecisset; DEUS regis, & Isaiæ vatis precibus, Davidísque præterea grata recordatione provocatus, Angelũ cœlo demisit: qui noctu barbarorum aggressus castra, centum & octoginta quinq; millia fortissimorum militum interemit; ac Sennacheribum, cum decem haud ampliùs comitibus superstitem relictum, turpem in fugam avertit; id quod fusiùs jamjam prosequemur.

DOCTRINA.

DOCTRINA

PErquàm sanè mirum est, Ezechiam ex Achaze, optimum ex pessimo genitum, ex spinis rosam, è tenebris lucem exortam esse. Cùm tamen plerumque genus & sanguis idem eosdem in mores fluat; & malæ stirpes malos fructus progenerent. Unde ergo tanta virtus Ezechiæ? Ex divina historia intelligemus, cujus verba sunt: *Nomen matris ejus* (Ezechiæ) *Abi, filia Zachariæ.* 4. Reg. 18. Videlicet Martyris, de quo in *Joa* rege, neptis *Joiadæ* Pontificis. Ex hac matre quid aliud, quàm pietatem sugeret Ezechias? Unde Scriptura mox subdit: *Fecitque, quod erat bonum coram Domino.* Observant scriptores sacri, profaníque, ex improbo patre probos non raró prodire filios; vix tamen unquam ex matre moribus corrupta, prolem existere incorruptam. Documento sunt plerique Iudææ Reges, quorum improbitas ab impietate matrum profluxit. Caussa ejus rei non una. Nam *primò*, quanta vis partem in utramque, lactis est materni, quocum non corporis modò vitia, sed animi quoque imbibuntur? *Deinde* novem illa mensium in visceribus genitricis comoratio, quas & quàm diversas affectuum intemperies maternorum subire non debet? *Præterea* institutio & educatio à teneris unguiculis est penes matres. quid rasæ tabellæ hinc non imprimitur? Adde matrum cum liberis in ætate etiam firmiore familiarem consuetudinem, & quotidiana in oculos & aures ingesta exempla. In quem finem licet usurpare illud Pauli, Rom. 11. *Si radix Sancta; & rami.* Nempe liberi sunt frondibus & fructibus arborum similes, pater stirpi, mater radici; hæc si est bona & sana, arborem quoque felicem reddit. sin' radix vitiosa, nihil tibi bonorum fructuum ex hac stirpe promitte. *Iuvenalis* versus sunt:

Ex mala matre vix unquam boni liberi.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
Atque alios mores, quàm quos habet?

Ezechias quòd bonus fuerit, bonæ debuit parenti, quæ, siquid pater depravâsset sanguine, disciplinâ correxit.

Præclaro & brevi elogio Spiritus Sanctus laudes Ezechiæ, hoc est, regis pij, fortis, sapientis complexus 4. Reg. 18. *In Domino*, inquit, *DEO Israël speravit.* Principium commendationis ducitur à spe in DEO fixa. Quô verbô multa continentur ad laudem religiosi pectoris pertinentia. Nam qui in aliquo sperat, eidem servit diligenter, illum amat, colit, consulit; nec ab eo divertit animum aut oculos. Fiducia in DEO locata excelsum & magnanimum Ezechiam reddidit, & ad excutiendam Assyrij tributi servitutem animavit; & ad dissipanda sacrilega fana & idola, à quo cæteros reges popularis vel aura, vel timor absterruit.

Ezechiæ magnanimitas.

Ezechiæ quomodo nullus regum similis.

Sequitur: *Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neq; in his, qui ante eum fuerunt.* Mirum hoc. quis enim nescit, quanta sanctimoniâ excelluerint, quantísque laudibus efferantur David & Josias. Nempe comparatio non tam ab æqualitate, quàm similitudine desumpta est. Quia dissimiles inciderunt occasiones & tempora, quibus alia atque alia virtus magis in uno, quàm in altero eluxit, ideò tres isti reges omnium laudatissimi, similes in dispari virtutis argumento non fuerunt.

Constantia in benè captis.

Pergit Sacra pagina. *Et adhæsit Domino, & non recessit à vestigiis ejus.* Rex optimus benè cœptis constantiam addidit, & ab innocentia sua, quod de se Iobus cap. 5. pronuntiat, non recessit. Nullæ rerum humanarum vices Ezechiam à vestigijs in via mandatorum DEI positis, abducere potuerunt.

Exempla efficaciter imperant.

Hinc est, quod subjungitur: *Fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi:* Exemplis præivit, quibus nihil est efficacius. Quæ fieri voluit à suis, priùs ipse præstitit. facienda jussit non tam verbis, quàm factis. Nervosè *Numenius Stoicus* dixit: Regem esse opus DEI, legem Regis, legis Iustitiam, justitiæ felicitatem. Per pietatem & justitiam regna stant, vigent, propagantur. Nec immeritò dixit *Polybius* optabilem illum esse principatum & firmum, in quo & privatim, sanctè & innoxiè vivitur, & publicè justitia ac clementia vigorem suum obtinent. Quamobrem invigilandum Principibus, ut justè, sanctéque in regno omnia administrentur, & ipsi exemplo præluceant, quibus convenit esse „ innocentiæ templa, arásque justitiæ. Nihil in suis penatibus, „ *ait Cassiodorus lib. 4. epist. 12.* venale habeant; nihil ambitioni atque „ avaritiæ pervium; omnia favori potentium, & libidini clausa. Quid, quòd subditi vehementer ad virtutis studium excitantur, si vident eos, qui præsunt, incitamenta magis factis quàm præ„ ceptis præbere, nam, ut *Plutarchus in Nicea* docet, oportet Prin„ cipem (& quemlibet magistratum) moribus imperium do„ cere.

Vnde regū felicitas.

Prosequitur encomium divina Scriptura: *Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis; ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Minimè dubia consequentia: DEO duce procedunt expeditè cuncta. Magna & necessaria virtus in rege, Sapientia, non tam labore parta, quàm de cœlo indita. Ezechias sua consilia ex DEO hausit, ínque honoris divini, Boníque publici incrementa refudit. Unde superiorum labes regum, nisi, quia cæcos sequebantur cæci, & neglecto Æternæ Sapientiæ fonte, emolumenta, sua in humanæ prudentiæ rivulis consectabantur? Sapienter Aristides: Reges optimè res humanas administrant, cùm se reddunt DEO similes. Ezechiam pietas cum DEO conjunxit: DEI

familiaritas

familiaritas sapientiam ei peperit: sapientia thesauros & opes attulit, tam regni, quàm animi, nullis fortunæ incursibus eripiendas. Ex his consecuta est illa felicitas, quam DEUS 1. Reg. 2. promisit: *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

NARRATIO XCI.

EZECHIAS AEGROTANS, ET PRODIGIOSE CONVALESCENS.

4. Reg. c. 20. Isaiæ 38.

Anno Mundi 3322. ante Christum 731.

POst Sardanapalum cum omnibus luxuriæ instrumentis, in rogo deflagrantem, Assyrium imperium Duces diviserunt, uti narravimus in Iona, *Arbaci* Media & Persia, Beleso Babylonia, Phuli Ninus seu Ninive cessit, in quo & Successoribus species quædam imperij Assyriaci mansit per annos centum, donec id ad Babylonios, eversâ planè Ninive, translatum est. *Phuli* successit *Theglatphalasar* filius, qui luctuosa cæde Israëlitas affecit, vastata penitus regione, captivísque abductis ingenti numero. Eodem genitus, *Salmanasar*, recusante tributum pendere Israëlitico seu Samariticò rege *Osea*, Samariam regni sedem obsedit, expugnavit, Israëlitas omnes, in quibus Tobiam cum familia, Ninum in captivitatem deduxit. Salmanasari vitâ functo, subrogatus *Sennacheribus*, cognomento *Sargon*, tributariam, in Iudæos quoque reges, tyrannidem, quantò patre ferocior ac tumidior, tantò constantiùs & imperiosiùs exercere perseveravit.

Salmanasaris furor in Iudæos.

Sennacheribi ferocia.

Quæ principiò quidem ab Ezechia, Solymæo rege, tacito cum dolore tolerabantur; ubi verò rerum indignitas & insolentia crevit, excutiendum suis à cervicibus Assyriacum sibi jugum existimavit. Igitur consueti tributi stipendia Sennacheribo solvere detrectat, divina sibi, humanáq; ad bellum sustinendũ præsidia multò antè præparat, Ierosolymam præcipuâ diligentiâ firmat, ac comunit operibus, milite, commeatu, & introductis in urbem subterraneis aquarum canalibus. Sennacheribus ob negata tributa imensum diversis ex gentibus exercitum in terrã Chananitidẽ

Ezechiæ providentia militaris.

 ducit

ducit, complures urbes capit, evastátque, infestus non hominibus modò, sed Deo quoque. Fastum eius inflabant victoriæ varijs in provincijs per Duces relatæ, tanto omnium terrore, ut Ezechias quoque argenti talenta trecenta, & auri triginta (faciunt duos milliones, trecenta, sexaginta duo millia librarum, seu florenorum Gallicorum, singulos, viginti sestertijs computando) exactionis nomine penderet; collectis in eum finem undique thesauris; valvis quoq; & laminis aureis, ita necessitate cogente, Templo detractis.

Legatio Sennacheribi ad Ezechiam.

Eâ pecuniâ receptâ, non stetit pactis barbarus. Mittit è Ducibus legatos Ierosolymam cum militari manu, qui deditionem suaderent; Legatorum cæteris ferocior *Rábsaces*, per internuntios regem Ezechiam, (ad colloquium enim venire, vel hostes in urbē intromittere detrectabat) & ipsum etiam Hebræorū Deum superbè, sacrilegéque insectatur. Ezechias interea Deo per preces & hostias placando intentus, ab *Isaia* propheta, Numinis interprete, spe successûs optimi completur, promissa Ierosolymorum securitate, & Assyriorum contrà interitu. Rábsaces cum legationis socijs, postulatorū irritus, ad regē suum redit. Qui cognitâ Ezechiæ in abnuenda deditione constantiâ, totis exercitûs sui viribus ad oppugnandam Ierosolymam accingitur. Sed retrahit ab eo proposito nuntius, de *Tháraca* rege Æthiopum, adversùs Assyrios exercitum ducente. Contra quem maximis & ipse cum copijs festinat: missis priùs ad Ezechiam iteratò mandatis, de Solymorum deditione: litterísque in Deum blasphemis, & in Ezechiam arrogantibus; quas ipse litteras, & caussam suam in Templo, cognoscendam Deo committit, fervidis in cœlum supplicationibus effusis.

Superbæ litteræ Sennacheribi.

Gravis morbus Ezechiæ.

Inter hæc, dum Sennacheribus apud Ægyptios & Æthiopas sursum omnia deorsúmque versat, Ezechias implicatur morbo gravissimo, ulceris intestini, lethiferóque pure collecti; quod humanis artibus immedicabile, non per homines tantùm medicinæ peritos, sed per Oraculum quoque divinum, Isaia denuntiante, declaratum. Ei morbo caussam suppeditâsse creditur turbatus ab Assyriorum armis ac vastatione, Iudææ status; &, qui Ierosolymam nuper, imprimísque regem ejus, à Sennacheribi minis circumvallavit, terror; in corporis, uti fit incommoda, pestémque se diffundente trepidantis animi solicitudine. Nec parùm ægritudinem promovebant, contumeliæ Divinæ Majestati per barbaros illatæ; quibus accessit occultior providentiæ cœlestis ratio, clientis sui virtutem, infirmitate tam experientis, quàm illustrantis. Divus Hieronymus existimat immissum Ezechiæ à Deo morbum, ne de victoria, adversùs Assyrios triennio

trienniô post obtinendâ, insolesceret. Hæc ut ut se habeant, gravis & periculosa invaletudo attinebat regem. Ad decumbentem invisit Isaias, Deíque, summi Dictatoris nomine, jubet ad abitum se parare ægrotantem. Indicta supremæ necessitas horæ, largas regi lacrimas, preces, obtestationes expressit; altùm ingemiscenti, telam sibi vitæ in ipso ætatis vigore (quintum & trigesimum agebat annum) præcidi; moriendum sine liberis, sine herede (*Manasses* enim nondum erat natus) qui promissum Davidis solium occuparet, qui genus ad venturum Messiam extenderet. Pondus habuere gemitus. Redit jussu Numinis Vates, pollicetur non liberationem tantùm ab hostibus, sed integram quoque valetudinis restitutionem, intra tridui spatium; In confirmationem adjecta prodigij, ceu pignoris, sponsio.

Placuit siderum & astronomicæ disciplinæ perito, signum è cœlo petere; quódque petijt, DEUS indulsit: Ut, quot in *Achazis* horologio (id ab eo sacrilegè ex altari templi æneo conflatum, tradunt aliqui) gradibus, umbra radij ferrei regrederetur; totidem etiam diei partibus in cœlo sol retrocederet; quare, cùm per decem umbra lineas sub ipsum meridiẽ retroageretur in solario, seu horologio Sciatherico, sole quoque pari se intervallo, cum orbibus cœlestibus, aut certè orbium sideribus regyrante, accesserunt ad consuetas diei horas quinæ, fidémque fecerunt ægroto recuperandæ valetudinis; quam etiam mox reduxit cataplasma ficuum, ulceri superimpositum; salute, quindecim insuper vitæ subsequentis annis accumulatâ. quanquam inficiandum non est, plus divinæ virtutis in illa medicina, quàm naturalis efficaciæ fuisse. Eô DEUS ostentô palàm fecit, & terris se dominari, & astris; tantíque à se unum probum fieri hominem, ut non dubitet ejus in gratiam naturæ leges immutare. Ezechias ex integro consanatus, nihil habuit prius, quàm Soteria Numini in templo persolvere, ejúsque beneficij memoriam compositô à se carmine evcharistico posteritati consecrare.

Ezechiæ prodigiosa consanatio, & solis retrocessio.

DOCTRINA

IN *diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem.* 4. Reg. 20. DEUS, quos amat; arguit, castigat. Religiosissimus olim senex discipulo suo ægrotanti dixisse fertur: Ne tristeris, fili, ob morbũ
„ corporis. Si ferrum es, per hunc ignem, rubiginem exues;
„ si aurum es, novum nitorem indues. Eleganter *S. Augustinus*
„ *serm. 3. de tempore barbarico.* Si aurum, *inquit*, es, quid times ignẽ?
„ Si frumentũ es, quid times tribulam? non apparebis, qualis an-
„ tea eras in spica, nisi tribula conterendo, à te separaverit paleas.
„ Si oleum es, quid times pressuram preli? non declarabitur spe-
„ cies tua, nisi etiam pondus lapidis à te secreverit amurcam. Et

Res adversæ probant hominem.

 in psal 61.

„ *in Psal. 61.* In fornace ardet palea, & purgatur aurum; illa „ in cineres vertitur, hoc à sordibus exuitur. Fornax est mun-„ dus, aurum justus, ignis tribulatio, paleæ reprobi. *Et lib.* „ *1. de civit. DEI, c. 8.* Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea „ fumat; ita una eadémque vis irruens, bonos probat, purifi-„ cat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Morbus est lapis Lydius, examinator virtutis, scrutator conscientiæ, excitator pœnitentis animi, monitor æternitatis. Ezechias initiò ægritudinis, non dubitavit ad Deum in vota flectendum, innocentiam suam prætendere. *Obsecro,* inquit, *Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, &, quod placitum est, coram te fecerim.* At ubi acrior subiit doloris sensus, penitiùs sese introspiciens, minimas etiam labes deprehendit, & suæmet accusator vitæ, *Recogitabo,* ait, *tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa. 38. Hoc est, quod *Augustinus* dicit: Væ „ etiam laudabili vitæ hominum, si eam semotâ misericordiâ di-„ judices. Deinde virtus Ezechiæ, quod Apostolus asserit, in infirmitate perficiebatur; nam, quæ *nocent, docent.* Iterum *Augustinus*: Quàm multi scelerati sani sunt, qui innocenter ægrotarent.

In morbo Ezechias se cognoscit.

Præcipe (Isa. 38. *Dispone*) *domui tuæ: morieris enim tu, & non vives.* 4. Reg. 20. Hæc est *peremptoria* sententia in divina Curia contra Regem decreta, & ab Internuntio Isaia liberè pronuntiata. *Dispone,* id est, ad supremam necessitatem te para; inevitabilis est enim.

Omnes eódem ducimur, omnium
Versatur Urna.

Meditatio mortis.

Fatalem nulli licet proferre diem, vel advenientem præcavere: Quid namque morte certius; quid incertius mortis horâ? *Augustini* sapientissimum monitum est: Latet ultimus dies, ut ob-„ serventur omnes dies; serò parantur remedia, cùm mortis „ imminent pericula. Miser homo, *ait Bernardus,* quare non omni „ hora te disponis? cogita te jam mortuum, quem scis necessa-„ riò moriturum. Et *Gregorius*: Horam ultimam idcirco DEUS „ nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta. Et *Seneca*: Venientem nemo hilaris mortem excipit, nisi qui ad illam se diu composuerit. *epist.* 12. & 101. Incertum est, quô te locô mors exspectat: itaque tu illam omni loco exspecta. Et Christus ipse, Dominus vitæ & mortis, in Evangelio Matth. 24. *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Et apud Luc. cap. 16. *Redde rationem villicationis tuæ.* Nam juxta Ecclesiasten c. 12. *Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in judicium.* Ecclesiasticus verò cap. 11. *In fine hominis denudatio operum ejus.* Mors removet siparium

& in apertum

& in apertum producit, quidquid dictorum, factorum, cogitatuum in intimis pectoribus latebat.

Morieris enim tu, & non vives. Hoc tonitru surdas etiam percellit aures. Moriendum est, velis, nolis; sive propitiô Deô, sive iratô. Humanæ vitæ prologus est, *Nasci*: Narratio, *Dolere* Epilogus, *Mori.* Nulli mors parcit capiti; æquo pede pauperum tabernas pulsat, regúmque turres. Moriendum, id est, convasandum est, & hinc emigrandum. Lessum *Venusinus* Poëta canit:

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor: neque harum, quas colis arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.

Sed quid ais, ô Propheta: *morieris, & non vives.* Enimvero contra tuum effatum provixit Ezechias. Nempe si vis morbi secundùm naturam spectaretur, conclamatus erat Ezechias, nulláque curabilis arte humana; Si auxilium divinum attenderetur, poterat fieri per prodigium, quod effici nequibat per naturam. Est verò duplex vitæ periodus; Una, à natura: altera, à Deo constituta; Hæc semper certa est & fixa, nec augeri potest, nec minui; illa verò potest à Deo contrahi, extendíque; uti prolata est Ezechiæ. Iobi assertio est cap. 14. *Constituisti terminos ejus,* (hominis) *qui præteriri non poterunt.* Quidquid in cœlesti diphthera consignatum est, ratum manet & immobile. Terminum vitæ naturalem, post Ezechiam, etiam Siracides sibi prolongari petijt, Eccli. c. 51. *Pro morte defluente deprecatus sum.* Est enim mors instar fluvij impetu ruentis, & nunc istum, nunc illum secum rapientis. Per nativitatem fluimus in ortum & vitam, per mortem diffluimus in interitum & occasum. ipsáque vita nihil est aliud, quàm continuus ad mortem fluxus. Siracides igitur deprecatus est, ut, quoniam mortis lethifer incursus, pro communi mortalium sorte, à se averti non posset, paullisper tamen à se deflecteretur, séque ad aliquot annos intactum illæsúmque relinqueret.

Duplex vitæ periodus.

Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4. Reg. 20. Isa. c. 38. Lacrimas morituro excussit primò, orbitas; nam carebat prole (Manasses enim primùm post triennium fuit genitus) in Davidis solio successura, & genus ad Messiam propagatura. Deinde timor mortis, amor vitæ. Nam mors senibus est matura, juvenibus acerba. Ezechias viridi florebat ætate. hinc vox ejus lugubris: *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi,* id est, ad sepulchrum; Isa. c. 38. ad quadragesimum namque annum deerat unus. Eum in modum etiam Iob conqueritur c. 20. *Et sic repentè præcipitas me?* Est enim dulce vivere, triste mori. *Annæi*

Mortis horror.

judiciô,

,, judiciô, *epist.* 82. Mortem terribilem reddit, sui amor, & per-
,, manendi, conservandíque se insita voluntas, atque aspernatio
,, dissolutionis: quia videtur multa nobis bona eripere, & nos ex
,, hac, cui assuevimus, rerum copia educere. Illa quoque res
,, morti nos alienat, quòd hæc jam novimus: illa, ad quæ transituri
,, sumus, nescimus, qualia sint, & horremus ignota. idem *epist.* 101.
,, Quid tandem est vivere, nisi diu mori? Tanquam vita expetitur,
,, supplicij mora. Cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. Quid est autem vita nostra nisi unius mora dieculæ, Ezechias triginta novem annos quomodo computat. *De manè*, inquit, *usque ad vesperam finies me.* Is. 30. Volucris (de culicum genere) ad Hypanim fluvium est, Hemerobios dicta, quæ non ultra diem vivit, sed eadem omnino luce, qua lucem inchoat, finit; morientíque soli commoritur: eodem die pueri, juvenis, senis ætatem experta. Manè nascitur, meridie viget, vesperi consenescit. *Plin. lib.* 11. *c.* 36. His limitibus circumscribitur Area, in qua tam grandia molimur.

Vana hominum studia. Hîc *anni nostri sicut aranea meditantur.* psal. 89. Hîc telas teximus, quæ repentè præciduntur. Ezechias hoc expertus: *Præcisa est*, inquit, *velut à texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me.* Isa. 38. Aranea laboriosè telam suam orditur, diu multúmque discurrit, hac illac circuit, in idem sæpius redit, seipsam consumit, exenterat, eviscerat, dum suam illam multiplicium filorum rotulam absolvat. Denique labor omnis & opus textile ad levem scoparum ductum intercidit & perit; misella aranea vel in telâ suâ interficitur, vel eâ velut laqueo trahitur ad mortem, pede obterenda. Ita prorsus mortales discurrunt, fatigantur, sudant, enervantur: & cùm omnia fecerint, reticulum texuerunt ad muscas capiendas. fit sepulchrum, quod palatium esse censebant. Verè, maximam partem *meditantur* tantùm; pauca faciunt, & plerumque quæ rectiùs non facerent; &, medijs in cæptis interrupti, opera imperfecta, vitámque relinquunt. *Væ vobis,* inquit Ieremias. c.6. *quia longiores factæ sunt umbræ.* Ad vesperam vitæ tenditis, & tamen vitæ filum abscindi non advertitis. Ezechias queritur: *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Vix in auras prodimus, cùm abimus. Morimur, dum orimur. Omni momento aliquid de vitæ stamine præcidit feralis illa dea, quam Poëtæ *Parcam*, nos moriendi necessitatem appellamus. Felix, qui telam pertexuit, non tam vivendo diu, quàm benè.

NARRATIO

NARRATIO XCII.

SENNACHERIBI, REGIS ASSYRIORUM, STRAGES.

4. Reg. 19. Isaiæ 37.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.



AD propriam ruinam festinatò pervenit, qui impotenter graditur ad alienam; documento est *Sennacheribus*. Qui, ubi superbi victoris partes, variæ crudelitatis exemplis apud Ægyptios & Æthiopas implevit; jámque nullius nomen, gentibus illis terribilius esset, quàm Assyrij regis, & exercitûs ejus, repetita adversùs Iudæos expeditione, Palæstinæ sese, cum equis, viris, armis, quadrigarúmque bellicarum multitudine infudit. Quacùnque ferebatur, fœda locorum ubique, miserandáque facies. Qui suas ubi copias propiùs Ierosolymam admovit, tum verò pars populi major ac teterior, non lacrimas, non questus, non lamenta continere; adversùs Regem *Ezechiam*, ejúsque Vatem *Isaiam* quiritari, deditionem urgere, urbem coitionibus & turbis miscere. Rex contrà cum Proceribus, & meliore parte civium, cilicino pœnitentium habitu, DEO supplicare votis ardentissimis, cinere capita perspergere, in pavimentum corpore, vultúque se abijcere; turbidos, & turbatores, quà verbis ad tempus accommodatis, quà minis iræ divinæ propositis castigare. Cùm interim Assyrij epulis ac vino, profundissimum in somnum provoluti, totis passim campis collibúsque sparsi, sub tentorijs & dio sterterent.

Obsessi a Sennacheribo Solymæ in quantis angustijs.

Iámque nox adultior cœlum & terram obtexerat, cùm missu Numinis Angelus, spississimas inter tenebras, in Assyria descendens castra: momentô temporis, solô cum paucis exceptô Sennacheribô, barbarorum universum circa Ierosolymam delevit exercitum. Ferebantur deletarum tot simul animarum millia (nam centum octoginta quinque millia ceciderunt) in profunda Tartarorum: adhuc ignorantium quomodo, vel quonam funeris auctore cecidissent.

Assyriorum strages per angelum facta.

Modus porrò tam atrocis interfectionis à Scriptore Sacro non traditur; potuit Genius Percussor singulorum cervices, &

maximè somnô stratorum, unico statim ictu resectas, in mortem absolvere; potuit cum violentia repentè vel spiritum intercludere: vel compressione corda elidere; potuit suscitatis & immissis incendijs intestinis (quod non paucis videtur factum) unico temporis puncto sigillatim ac viritim, Assyrios in cineres ac favillas redigere, salvis per prodigium armis, atque vestimentis; cadaveribus autem simulacra & facies hominum animâ carentium foris retinentibus. Clades hæc non antè patuit, quàm omni demum nocturna depulsa caligine, sol reductus diem, & dies rerum omnium faciem aperiret. Sennacheribus manè postero experrectus, frustra suos ad ministeria solita præstolatur, inclamat, quærit. Oculis tandem suismet credere coactus, videt exercitum suum altiore quadam vi, internecione deletum. Idem pauculi nonnulli adhuc superstites (non plures erant denis) ab Angelo relicti, regi nuntiant: & ad fugam incitant. Quibus acquiescens, eorum in comitatu, relictis omnibus, celeriter & ignominiosè suam repetit Assyriam. Quorum strage & fuga per exploratores compertâ, Solymæi catervatim urbe egressi, prædam inveniunt longè maximam, diripiunt, asportant, avehunt. Eâque tam se ipsum quisque, quàm regem Ezechiam, præ cæteris ditant, Deóque prodigiosæ victoriæ datori meritas grates persolvunt. Sennaheribus Niniven reversus, omnium in se odijs jam antè concitatis, tumultuantiū seditione exterritus, ad delubrum confugit, dúmque idolo suo *Nesrocho*, de filijs suis duos, natu majores, *Adramelechum* & *Serasarem* victimam humanam, votô promittit; ab ijs, consiliô patris cognitô, ad ipsam aram trucidatur. Parricidæ in Armeniam profugi, *Assaraddoni* natu minimo, regnum reliquerunt; quô deinde victo cæsóque à *Merodacho* Babyloniorum Prætore, Imperium Assyriacum penitus est eversum, vastata Ninus, & *Merodachus* (seu *Berodachus*, & nomine regio *Nabonassor*, privatô *Baladan*) Babyloniorum, totiúsque Orientis Dominus evasit. Ita tyrannus tyrannum subjugat, & potentia scelere parta per aliud scelus opprimitur. Vaticinium Isaiæ fuit cap. 33. *Væ tibi, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?*

Sennacheribus à filijs trucidatur.

DOCTRINA.

Impij instrumentum iræ divinæ.

V*Æ Assur, Virga furoris mei, & baculus est.* Isa. 10. Væ tibi Sennacheribe, rex Assyriæ, quem ad plectendas gentes flagellum adhibui, & lictorem ac satellitem iræ meæ. Volebam te Virgā esse ad probos castigandos; baculum ad obduratos peccatores contundendos,

non ad delendos, & exſtirpandos. *Sed tu dixiſti: In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi: & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum.* &c. Iſa. 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? quomodo ſi elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt. Ibid.* Quid potentiam & vires tuas jactas, qui merum es inſtrumentum ultionis meæ, & utra limites tibi à me poſitos in nocentes, innocentéſque deſævis? Quàm parùm ſecuris, ſerra, virga, baculus de ſe moveri poteſt; tam parùm habes cauſſæ, cur tuo robori ſucceſſus adſcribas bellicos, & ſubjugationem gentium.

Sinebat DEUS Sennacheribum, victorijs alijs ex alijs inſolentem, volitare per diverſas regiones & provincias, quamvis deteriora multò promeritum: improbóſque flagellabat, ſed per Lorarium improbiorem. At nimirum id illud eſt; quod divinè jam olim Salomon obſervavit, Proverb. 16. *Univerſa,* quantumvis humanæ prudentiæ diſcoloria videantur, *propter ſemetipſum,* & ad ſapientiæ ſuæ pertexendam telam, *operatum eſſe DEUM.* In his autem, *& Impium ad diem malum.* cujus nigra fata ſuis ipſa quoque decurrerent, & evolverentur horis. Et cùm *Abominatio Numinis ſit omnis arrogans,* (uti porrò rex ſapiens ſubjungit): quantò minùs vindicem illius effugere manum Sennacheribus debebat, arrogantiæ Luciferianæ ſimulacrum? Differebatur igitur, umbraticæ ſuæ felicitatis interea quaſi paſtu quodam pinguiores in pœnas: uti luxurians aliquis in herbis, ſed jugulaturo cultro, jam nunc deſtinatus, *Vitulus Faliſcus.* *Denique DEUS flagellat eos, per quos flagellat alios.*

Hìc obſervandum, quod *Auguſtinus* commonet *in pſal. 61.* „ Noli timere inimicum; tantum facit, quantam acceperit poteſtatem. Eum time, qui, quantum vult, tantum facit, & qui injuſtè „ nihil facit. Et *in pſal. 93.* Quidquid acciderit juſto, Voluntati divinæ deputet, nõ poteſtati inimici. Quid ſibi ergo plaudit iniquus, „ quia flagellum de illo fecit pater meus. Illum aſſumit ad miniſterium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus, „ quantum permittat injuſtis, ſed quantum ſervet juſtis. Facit „ hoc DEUS, quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortaſſe qualecunque ſarmentum, cædit inde filium: ac deinde proijcit ſarmentum in ignẽ, & filio ſervat hereditatem. De malitia mali flagellatur malus, & de ſervo emendatur filius. Idem *in pſal 98.* DEUS, & „ cùm blanditur, pater eſt, & cùm cædit, pater; blanditur, ne deficiamus: cædit, ne pereamus. Quãdo bene eſt, lauda miſericordiã; quãdo malè eſt, lauda juſtitiã. Neque tamen exiſtimes, DEUM, cùm per malos punit, & exercet bonos, eſſe tyrañidis auctor ẽ;

 permiſſor

permissor & director est voluntatis pravæ, ad demonstrandam suam vel misericordiã vel justitiam, uti ex Augustino retulimus.

Ita flagella DEI fuerunt, séque nominârunt Attila, Tamerlanes, Totila, aliíque prædones orbis, ebrij semper, & nunquam saturi humano sanguine. Pulcherrimè, memoratus Ecclesiæ Do-„ ctor, *in psal.31.* Ad DEUM tuum, refer flagellum tuum: quia nec „ diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper ha-„ bet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam „ impijs, ad disciplinam filijs: *flagellat autem omnem filium, quem* „ *recipit.*

Incredibilis Sennacheribi jactantia, & in DEUM contumelia. Prioris, est testis Isaias c. 36. ubi introducit hominem tumidissimum, ita loquentem: *Quis est ex omnibus dijs terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea?* Cum enim non gentes modò, sed gentium insuper deos, deásque prostravisset, Iudæorum quoque DEO bellum inferre decrevit, terror ipse cœli terræque & quorũvis Numinum contemptor. Posterioris meminit liber quartus Reg. cap. 19. *Cui exprobrâsti, & quem blasphemâsti? Contra quem exaltâsti vocem tuam, & elevâsti in excelsum oculos tuos? Contra sanctum Israel.* O homuncule, ô lutum, ô cœnum! contra quem insurgis? quem injuria & convitio lacessis? Eum, quem *Columnæ cœli contremiscunt, & parent ad nutum ejus* Iob. 26. Cujus unus unicus ex infinitis millibus minister angelus, tantam una nocte in castris tuis stragem edet. *Maledicti erunt,* inquit Senior Tobias, *qui contempserint te; & condemnati erunt omnes, qui blasphemaverint te* Tob. 13. Verissimè Ecclesiasticus c. 27. *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Maledicta in DEUM, Deíque amicos jacta, saxa sunt, in caput jaculantium relapsura. Id Sennacheribo contigit.

Arrogantia Sennecheribi deprimitur.

Blasphemiæ parens fuit, intoleranda superbia. Sennacheribum depinxit Siracides cap. 5. *Ne dixeris: quomodo potui?* (efficere & consequi, quod volui & concupivi.) *aut quis me subijciet propter facta mea?* (quis me deprimet, perdomabit, substernet?) *DEUS enim vindicans vindicabit.* DEUS DEUS est, qui tibi cornua franget superbe; qui te propter facta tua fræno constringet, & circulum ponet in naribus tuis. DEUM apud Isaiam audiamus cap. 37. *Cùm fureres adversùm me, superbia tua ascendit in aures meas; ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Quasi diceret: Tu me, clientémque meum Ezechiam admotis Ierosolymæ copijs, subsannâsti, linguâ petulanter exertâ, ore turpiter distorto, naso ridiculè crispato. Hinc contumeliæ attemperabitur supplicium; plectéris ibi, ubi peccâsti, inglorius & ignominia plenus, instar reluctantis bubali, insertô naribus annulô, retrahéris fugâ in Assyriam tuam, & funestum interitum. Nam

Sequitur


Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

His thrasonibus sapienter occinit *Prudentius*, *in psychom.* Humilitatis & superbiæ:

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur;
Disce supercilium deponere.

Dejecit castra Assyriorum, & contrivit illos Angelus Domini. Nam fecit Ezechias, quod placuit DEO, & fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus, & fidelis in conspectu DEI Eccli. 48. Describuntur hîc arma, quibus Ezechias dejecit hostem crudelissimum. 1. *Fecit, quod placuit DEO.* Hoc est, divinæ voluntati morem gessit in omnibus; hinc Deus Ezechiæ quoque voluntati & desiderijs facilem se præbuit. 2. *Fortiter ivit in via David*, nefarias superstitiones eliminando, & avitam religionem stabiliendo, cùm non deessent plurimi, qui reclamarent, & vim ostentarent. 3. Audijt consilium Isaiæ, viri undequaque sanctissimi, usque adeò, ut videretur id pro mandato habere. Unde spes in arduas erectus auxiliarem è cœlo manum habuit. Tanti interest, quibus auctoribus reges, vim vel inferant, vel propulsent. Id certè consecutus est Ezechias, quod Regius Psaltes jam ante prædixit psal. 144. *Dominus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.* Utriusque exempla Ezechias & Sennacheribus. Non est validius rebus in arctis præsidium, quàm contra hostes impios, pietate dimicare, & armis humanis, divina opponere. Ezechias tamen ita spem in auxilijs cœli posuit, nihil ut negligeret eorum, quæ militaris providentia requirebat. Feliciter navigat, qui remis utitur & velis; illis everberat fluctus infrà frementes: his excipit ventos ex alto juvantes. Et sapientum pronuntiatum est, sic præsidiis utendum humanis, tanquam si abessent divina: sic nitendum divinis, tanquam si non adessent humana.

Quibus armis superbum hostem fregerit Ezechias.



NARRATIO XCIII.
EZECHIAE OSTENTATIO A DEO PUNITA.

4. Reg. 20. 2. Paralip. 32. Isa. 39.

Anno Mundi 3324. Ante Christum 729.



NOn raro laus, quæ in rebus adversis efflorescit, in secundis corrumpitur; & qui ferocientē repulit hostem; blandientem non cavit. id Ezechiæ evenisse, narratio hæc ostendet. Rebus Assyriacis immensa clade prostratis, *Merodachus*, hactenus Sennacheribi, in Babylonia Prorex, aut certè vectigalis, vicariam potestatem convertit in absolutum dominatum, liberúmque sibi regnum, contractâ cum alijs regibus amicitiâ, stabilire cœpit. Unde factum, ut etiam ad Ezechiam legationem expediret, partim ut regi gratularetur valetudinem recuperatam, regníque tranquillitatem; partim ut exploraret ostenti cœlestis caussas; nam fama prodigij, solis scilicet viam retro legentis (quod toti mundo commune factum) apud Babylonios imprimis inclaruit; partim, ut regem ad mutui fœderis nexum invitaret; non sine splendido munerum additamento. Delectatus est adventu Legatorum Ezechias, quippe à magno se Principe honorari sentiebat, videbátque delatam ultro amicitiam, magno sibi præsidio fore adversùs quamvis hostilitatem. Ut verò ipse quoque majestatis aliquod regiæ specimen Babylonijs exhiberet, non temperavit sibi, lætitiæque suæ, Rex alioquin modestissimus, quò minùs opes regias universas, quas ex præda Assyria mirum quantum instruxerat, auxerátque: & se ipsum insuper barbaris ac profanis illis aperiret, improvida simplicitate. Aurum, argentúmque copiosum: unionum ac gemmarum, & aromatum peregrini pretij thesaurus ingens. Abacorum vasa plurima, magnóque constantia: refertissimum castrensibus instrumentis armamentarium: olei, vini, frumenti divites apothecæ. Pecoris, ac jumentorum & gregum vis innumerabilis: urbes regni validiores, aut ex integro recentes conditæ: aut muris, turribúsque, siquà concidissent, instauratis repositæ. Lethales sanè divitiæ, quas nec celare tutum, nec proferre.

Merodachi legatio ad Ezechiam.

Ezechiæ ostentatio.

Hoc

Hoc facinus (ut sanè facillim' est ab ostendente transitus ad ostentantem) jactantiæ non omnem speciem evitavit. ac tametsi veniâ dignum; DEI tamen incurrit reprehensionem, & Isaiæ Vatis in seros posteros præsagas minas; futurum quippe, ut, quos erat geniturus liberos; & thesauros, quibus intumesceret, Babylonij in terras suas prædando deportarent. Adeò DEUS suos, quantò majores efficit, tantò cupit in seipsis contractiores. Elucet hinc divinorum severitas judiciorum, quæ, cùm ad gravissima impiorum scelera, non rarò conniveat; minoribus proborum delictis acre supplicium constituit. Hos enim, ut Augustinus loquitur, hîc urit, hîc secat, ut ibi parcat; Illis hîc parcit, ut æternùm cruciet. Severo Numinis decreto, mira se demissione rex pientissimus subjecit, id unum obtestans, vindicem vellet DEUS manum suspendere, vitæ tempore, ab ejus sibi clementia concessæ. Obtinuit, quod rogavit; post exactos quindecim indulgentiæ cœlestis annos, in alta regni optimè constituti pace, extremum, diúque prævisum clausit diem, apparatè ductis exequijs, Majorum conditorijs illatus; Ætatis anno quinquagesimo quarto, regni vigesimo nono; Mundi trigesimo septimo supra ter millesimum, trecentesimum; ante Christum, septingentesimo, decimo sexto. Fuit pessimi patris natus sanctissimus; & pessimi nati pater sanctissimus; nam Manassem genuit, quô pejorem, si finem demas, nulla vidit ætas.

DOCTRINA.

Elevatum est cor ejus (Ezechiæ): *& facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem.* 2. Paral. 32. Humanum aliquid passus est Ezechias: erravit, plusculum felicitati tribuit, & laudi suæ. Huc convenit illud Horatianum

—— Tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & multò rixæ minus, invidiæque.

Sic Ezechias thesauros Assyrijs ostendendo, invitavit rapaces manus ad dulce spectaculum; & per aureas species sitim cupidis & potentibus, in regni perniciem accendit. Meritò *Cassianus* ait, Ezechiam sole & morte retrogressis, elationis telo „ concidisse. Accomodatè *Bernardus.* time sagittam, (gloriam va„ nam) leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi, non leve „ vulnus infligit. Vana gloria vitium subtilissimum, & tam multiplici vaframento insidiosum, ut evitari possit difficillimè: Crescit è virtutibus, & vires acquirit. Cetera vitiorum

Pestis vana gloria.

„ vitiorum genera, *Cassianus* ait *lib. 11. c. 6.* solent eos tantùm impu„gnare, quos superârint in certamine; hoc vitium suos victo„res acriùs insectatur. Irruit audaciùs in eos, in quibus plus præsidij cernit. Ut pirata non aggreditur navim, nisi onustam; nempe animum virtutibus locupletem. Ezechias, non Fortunæ, sed Favoris divini corculum, displicere cœpit DEO, quando paullò elatior placuit sibi. Stabat excelsus, dum mentis eum demissio deprimebat; curvabatur, cùm animo extollebatur, juxta Magni Augustini verbum.

Ezechias propter levem culpã graves pœnas dedit.

Qualiscunque tamen hæc culpa erat, gravis non erat. Opum ea ostensio, signum erat exultantis, nec satis, depulso timore, se capientis animi. Lubet hîc attexere, quæ *in Annalium epitome, Salianus* noster pro Ezechia adfert, ad annum M. 3337. Præterire non possum, *inquit*, animi demissionem, & propriæ apud DEUM voluntatis depositionem in re tanta, quanta illa Isaiæ postrema comminatio continebat. Lætatus erat Rex in Legatorum longinquæ regionis adventu, gratulatus sibi erat, suam ab exteris regibus amicitiam expeti, Deique erga se benevolentiam, prodigijs declaratam, agnosci: ostentârat opes suas, & hostibus erepta spolia; quod vulgò principes non in crimine, sed in laude ponunt. Et tamen audit: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, usque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quidquam, ait Dominus.* 4 Reg 20. Fortunæ igitur omnes, avitæ, recentésque regi peribunt. Et quod amplius est. *Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Durissima sunt omnia. Quæ tamen audit sine murmure, sine excusatione, sine querela, ac penè sine gemitu: non lacrimatur, non percutit femur, non elevat culpam, non dilacerat purpuram suam.

Ezechiæ demissio ad pœnas intentatas.

Dixisset aliquis: quid feci? quod est peccatum meum, ut tam severa animadversione puniatur? Num ostentatio bonorum meorum, impiorum rapinis & latrocinijs vindicanda est? Quis mercatorem merces suas, populis inaniter commonstrantem, prædonibus propterea addicendum putet? Sed esto, superbia mea, & ingratus in DEUM animus, qui me tot promeritis & prodigiis in altum extulit, dejectionem istam mereretur: quid meruêre filij mei, pueruli, damnati antequam nati? servituti addicti, nondum degustata libertate? Nihil horum ille; *Sed bonus sermo Domini, quem locutus es*, ô Isaia. O demissionem animi singularem! ô religiosam, ac planè regiam obedientiam, & longè plebeios animos transcendentem! Meruit sanctissimus princeps, ut regum omnium Principi Christo, tanquam figura illius nobilissima conferatur. Hæc ille.

NARRATIO

NARRATIO XCIV.

VTRIVSQVE TOBIAE MULTIFARIA VIRTUS, ET FORTUNA.

Ex libro Tobiæ.

Potiſſima contigerunt ab anno M. 3315. ante Ch. 738. ad ann. M. 3335. ante Chriſtum 718.

TObias Senior, patriâ Galilæus, tribu Nephthalæa, familia non ignobili ortus, caſtæ religionis à puero cultor, maturitate morum annos ſupergreſſus, procul habuit animum ab ijs rebus, quibus puerilis ætas delectari ſolet; impietatis præſertim oſor acerrimus, execrabatur nefariam ſuperſtitionem *aurei Vituli*, quâ plerique Iſraëlitæ, in quibus ipſe fuit, inſaniſſimè tenebantur; & ne quid contagij ſibi, ſuiſve afflaretur; ab hominum improborum conſuetudine non ſecus, quàm à veneno abhorrebat. Ardua res inter malos bonum eſſe, & in media peſtilitate, nihil luis contrahere. Etiamnum puer, orbatus utroque parente, ſub aviæ *Deboræ* ſanctiſſima diſciplina adolevit, & contribulium pleríſque idolorum delubra frequentantibus, ipſe Ieroſolymam ſe ad Religionis arcem conferre ſolebat, avitis ibi, ſtatíſque Sacris adſtiturus, & frugum primitias, decimáſque penſurus. *Tobias à puero pietati addictus.*

Cæterùm ea tempeſtate, quæ totam Iſraëlitidem oppreſſit, Tobias quoque involutus eſt. Cùm enim *Oſeas*, Iſraëlitarum ſeu Samaritarum Rex, (quod ſuprà quoque meminimus) vectigal anniverſarium *Salmanaſari*, Aſſyriorum Regi, exolvere renuiſſet; hic cum validiſſima peditum, equitúmque manu, regnum omne Samariticum pervagatus, obſiſtente nemine, prædas, incendia, quæque cætera belli licentia ſecum affert, exercebat. *Vitulum* item *aureum*, qui *Betbele* jam ſolus reſtabat, dejectâ columnâ, cum cæteris ſacris, profaníſque ſpolijs aſportavit: Ut adeò miſerrimis Iſraëlitis Numen ſupereſſet nullum; quippe qui DEUM verum jam olim à ſe proſcripſiſſent: & tunc DEOS, etiam falſos amiſiſſent. Pervaſtatô verò, magna celeritate, nec minore paſſim clade, regnô, *Salmanaſar* eodem adhuc anno, qui fuit *Oſeæ* ſeptimus, & *Ezechiæ* Iudææ regis quartus, belli vim omnem in regni caput *Samariam* (Ægyptio rege *Suâ* ſuppetias pactas altùm diſſimulante,

dissimulante, contra spem Oseæ) convertit. Hanc omnibus copijs circumsessam; postquam armis, viris, machinis, ac ballistis, fame denique quibusvis tormentis bellicis potentiore, diutissimè, sed frustra fatigâsset (tanta murorum firmitas erat, & oppidanorum intus obstinatio) post triennium tandem expugnavit: Oséam vivum cepit; captum in catenas & carceres, ut plebejum ac servile caput, compegit: urbem diripuit: incolis arma detraxit, ac libertatem. Omnibus denique, quorum caussâ venerat, in regno Samaritico compositis, ac sub arbitrium suum redactis; Regnum ipsum Samariticum, quod sub Israëlitici nomine, uti supra indicavimus, ducentis annis & quinquaginta steterat, funditus evertit: Regémque, compedibus, ferreísque manicis oneratum, custodiâ quidem eduxit; sed in arctiorem aliam, secum trahens in Assyriam, conijciendum dedit. Quibus in vinculis Oséas, non ut Rex, sed ut exempla novissima meritus *flagrio* consenuit, atq; consumptus est. Ne verò superessent in posterum, qui more suo reges, ubi non invenirent, è corpore suo, per factiones suscitarent; indéque nunquam finis & modus fieret adversùm Assyrios, in populo seditionum amantissimo rebellandi: *Salmanasar*, quidquid electioris aliquantò populi superfuit, quod non aut in Iudæam, aut trans Iordanem, ad Moabitas & Arabas, aut in speluncas deníque profundásq; silvas, fugâ se recepisset; in Assyriam primò secum transportavit. In *Medorum* deinde regiones, urbésque; nominatim autem, *Halam* & *Háborem*, aliásque flumen *Gozanem* (seu *Araxem*) adjacentes, eos trajecit. Qui deinde sabulosi pulveris aut palearum instar, è vaticinio Mosis ad *quatuor cœli cardines*, *ac Ventos* difflati. Vicissim in regnum Samariticum coloniæ deductæ, improbæ, sacrilegæque nationes; progeniem Israëliticam, quæ Salmanasaris manum effugerat, colluvione sua, mixturáque corrumpebant. Edocti postea legem, cæremoniásque Mosaicas coloni illi; in impietate tamen sua nihilo segniùs pergebant: singulę gentes, singula sub simulacris suis dæmonia barbarica venerantes; ut tandem nomen esset infamiæ, *Samaritam*, hoc est, partim *Mosicolam*, partim *Cacodæmonum* cultorem esse.

Salmanasar captâ Samariâ, Israëlitas in Assyriam transportat.

Samarita, nomen infame.

Sed ad *Tobiam* redeamus; qui inter alios, quos dixi Captivos, unà cum *Anna* uxore, & *Tobia* filio anniculo, *Ninum*, in urbem regiam, abductus est. Atque ut virtus in hoste quoque probatur, & barbaros etiã oculos ferit probitas; Tobias breví apud Salmanasarẽ, eum gratię locũ invenit, ut ob perspectam fidẽ & industriam rei pręficeretur Oeconomicæ, quod ille munus non minore integritate gessit, quàm beneficentiâ in miserorũ & exulũ cõmoda cõvertit. Postea verò quàm *Salmanasaris* successor *Sennacheribus*, barbara crudelitate in Israëlitas, maximè post acceptã ab Angelo Percussore cladem,

Tobias est in gratia apud Salmanasarem.

cladem. , sæviebat; passímque interfectorum cadavera in sterquilinia, viásque publicas abjecta, miserandum oculis spectaculũ præbebant. Ibi tum Tobiæ se pietas præclarè exeruit, in conquirendis occisorum reliquijs, & corporibus terræ mandandis. Quo nomine regi delatus, ad cædem ipse quoque deposcitur. Non repertum verò (quoniam virum hunc propter mores sanctos, tam suis, quàm exteris amabilem, ipsi quoque *Ninivitæ*, cum uxore, filióque parvo celabant) tyrannus domô, fortunis, ac proscriptione multat. nec erat alius pœnæ titulus, quàm quòd improbissimo sub rege, pæne solus ipse, probitate contenderet super omnes eminere. Dies porrò novemdecim hæ Tobiæ latebræ tenuere, cùm inter hæc Ninivitarum adversùs regem suum orto jam pridem murmure; posteáque paullatim, ex eius in captivos innoxios crudelitate, magis ac magis increbrescente: res ad seditionem tandem, &, è multorum conjuratione privata, publicas ad turbas spectare cœpit; eóque demum eruperunt odia, ut suismet à filijs homo crudelis jugularetur. Redijt ad domum, & pristinas fortunas, ac officia charitatis Tobias, egentium & afflictorum portus, & commune perfugium: interemptorum verò nobilis vespillo; quorum ipse cadavera, furtiva pietate rapiens, quę interdiu suis in ædibus texerat, medijs de noctibus sepeliebat, non sine amicorum acri reprehensione, quòd plus curæ susciperet in componendis mortuis, quàm in servandis vivis; Tobiam tamen nullæ vel insectationes, vel pericula à funebri officio dimovere potuerunt.

Tobiæ pietas in sepeliendis mortuis, & vitæ discrimen.

Fortè accidit, ut eo humandi labore fatigatus, reveniret domum, séque ad quietem componeret, oculis, animóque, in cœlum priùs intentis. cùm ex hirundinum nido delapsę sordes, utriusque luminis usum abstulerunt. Orbitas illa oculorum, cujus ipse tam patiens erat, quàm studiosus sepulturę, adeò rem turbavit familiarem, ut ei utcunq; sustentandæ non aliud esset fulcrũ, quàm textrices uxoris manus; cujus propterea, amicorúmq; exprobrationibus aures viri patientissimi nõ leviter vapulârunt. Ille tamen im̃otus, felicitatem suã, tolerantiæ legibus metiebatur, Annũ jam quartũ cum cæcitate, paupertate, ac propinquorum cavillis, improperiisq; luctabatur, ætate (sexagesimum agebat annũ) & multis ærumnis confectus. Institit igitur, à Deo finem vivendi petere, ea voluntatis in divinã transcriptione, totus ut ab illius penderet arbitrio, cujus devinctum obsequijs spiritũ à prima pueritia ducebat. Inter suprema, ut credebat, hortamenta, & præceptiones pietate plenissimas, filiũ *Tobiam* com̃onuit de pecunia (decẽ erant argenti talenta; nostrate moneta, floreni Rhenani octies mille) apud *Gabélum*, contribulẽ, *Ragibus*, civitate *Medorum*, habitantem, depositâ,

Tobias excęcatur.

 positâ,

positâ, & juxta cautionem Syngraphæ, recipiendâ; iret igitur, & itineris adjunctô sibi Sociô, fidóque dúce, pergeret in *Mediam* cum chirographô, & reveheret argentum concreditum. Morigerus ad omnia filius, promptus obtemperat mandatis; nullâ interpositâ morâ in forum provolat, quærit viæ comitem ac ductorem; citò offendit in juvenem facie perquam liberali, accinctum itineri, personatum Angelum, qui se *Azariam* appellabat, cùm in cœlo audiret *Raphaël*. Adducitur is ad Tobiam patrem: de nomine, gente, domo, viarum notitia rogatur; cúmque se per omnia probâsset seni, spémque fecisset brevì recuperandi visûs, filiique salvi & incolumis reducendi; suscipitur profectio, dicitur vale parentibus, haud mediocriter ex filij discessu mœstis, matre præsertim, unicum senectutis suæ solatium ægrè à se dimittente, & fausta omnia cum marito discedentibus precante.

Tobias junior Raphaëlem Archangelum pro duce & comite itineris nanciscitur.

Prima profectionis die *ad Tigrim*, fluvium delati, ubi diversorio successerunt, Tobias simul fatigationem, simul pedum pulverem abstersurus, egreditur ad amnem. Hîc subitò aquatica bellua caput undis effert visu terribilis, serratis dentibus, oculis in summo vertice fixis, ore inter oculos hiante, *Callionymus* seu *Uranoscopus* piscis fuisse creditur. Qui dum fauces immanè diducit, jam jam invasurus juvenem, & in alvum absconsurus. Tobias insolito partim belluæ aspectu, partim periculo imminenti territus, anxius opem comitis implorat. is consternatum animat ad audendum, jubet balænam branchijs fortiter apprehensam ad ripam extrahere, sepositóque in medicinam *corde, felle, jecinore*; quod reliquum esset piscis, assare, saléque conditum in commeatum accipere. Strenuè jussa peragit Tobias, capit piscem, eviscerat, & in usus præscriptos servat, mirâ Numinis providentiâ, remedium diversis malis, ex fluviali præda parantis.

Tobias cetū capit, & eviscerat.

Hunc in modum cibarijs instructi, cœptum prosequuntur iter, mutuis illud sermonibus levantes, argumentum præbebat virtus variè salutaris viscerum dissecti ceti. Inter ea colloquia deveniunt *Ecbatana*, metropolin *Mediæ*; divertunt apud *Raguelem* quendam, inter alios ex Chananitide in ea loca transportatum. Excipiuntur multa humanitate, docet enim miseria succurrere miseris & Mosis lex, peregrinis benigna; fit sciscitatio de patria, de familia, de parentibus; agnoscitur filius *Tobiæ*, non Tribu tantùm, sed sanguine quoque conjunctissimi. Itur in grâtulationes, in complexus, in oscula, in lacrimas, quas *Anna* comprimis Raguelis uxori, & *Sara* filiæ dulces elicuit cognati, primáque specie rapientis oculos forma juvenis. Igitur properantur officia, parantur epulæ, accurantur cætera, quæ in adventu charissimorū fieri solent. Antequam discumberetur, Tobias cupidior,

sponsæ,

ſponſæ, quàm cibi, quippe à comite ſibi laudatæ, promiſſæque petit de Angeli conſilio, matrimoniô ſibi copulari *Saram*, unicam *Raguelis*, & *Annæ* filiam. Cohorruit ad eam petitionem parens, qui ſciret, quô fatô ſeptem mariti, Saræ deinceps conjuncti, tumulum in thalamo reperiſſent, occulta ſpiritûs ſtygij manu ſuffocati; quare veritus, ne idem cognato ſanguini, primô flore juventæ vernanti, contingeret, diſtulit annuere, tacito plura gemitu, quàm voce locutus. Hîc Angelus, nuptiarum conciliator, jubet timorem ponere, connubiali vinculo Tobiam & Saram ſecurè colligare; quorum pietas & pudicitia innoxium eſſet redditura thalamum, hominum intemperanti libidine flagrantium interitu funeſtatum. Quid multis? Tanta vis orationis erat Angelicæ, ut Raguel morâ, metùque abjecto, Tobiæ filiæque manus & connubium jungeret, ſolenníque formula ſponſis cœleſtes favores apprecaretur. Scribuntur connubiales tabulæ, dos deſpondetur, ſponſalia dantur, nuptiæ geniali convivio celebrantur.

Tobias uxorem ducit.

A ſponſis in thalamum ubi ſeceſſum eſt, Tobias memor moniti, quod ab itineris comite acceperat, partem jecoris de piſce exenterato prunis imponit; &, quod mirum, fumo, nidoréque, utique arcaniorem è cœlo vim trahente, libidinum incentorem cacodæmonem, *Aſmodæum* nomine, fugatum in Ægypti deſerta aſpellit, ubi religatus à Raphaële, tenetur, necubi fædæ ſcintillas flamæ difflare queat. Novi verò conjuges precibus ac votis intenti, auſpiciô jugalis conſortij à pietate ductô, trinoctiô abſtinent uſu genialis thori; multùm inter hæc ſollicitô ſocerô, metúmque jam poſitum revocante curâ, nequid triſtius accidat genero. Effoſſum igitur ſepulchrum, & libitinarij parati. Sed periculum ſtetit intra ſollicitudinem; noctis innocentiam diluculum oſtendit; nihil potuit Orcus in tam caſtè amantes. Quare geminantur gratulationes inter parentes, amicos & vicinos, epularúmque hilaritates in plures dies ſequentes producuntur.

Aſmodæus cacodæmon fugatur.

Quæ dum fiunt, Raphaël rogatu Tobiæ, pergit iter ad *Gabelum*, Ragibus Medorum, ut diximus, habitantem. Ab eo recipit creditam pecuniam, ipſúmque Gabélum ad nuptialem celebritatem ſumma omnium cum lætitia adducit. Diebus peractis genialibus, inſtitit Tobias diſceſſum à ſocero exorare; qui traditâ genero filiâ, pijs monitis ſapienter inſtitutâ, ambos denique cum dimidia fortunarũ parte (altera dimidia hæredes poſt fata parentum manebat) fauſtáque cum prece, & multâ familiâ, impedimentíſque dimittit.

Pecunia à Gabelo recipitur.

Raguel filiâ cum ampla dote dimittit.

Parentes intereaTobię, abſentia filij, moras peregrè trahentis gra viſollicitudine, mœrore, luctu afficiebat; matrẽ præcipuè, quæ

multis infusa lacrimis, dies computabat & horas, redituro filio præstitutas; quæ cùm fefellissent, mors videbatur, quidquid temporis sine Tobia suo viveret. Ille verò cum amplo comitatu jam pervenerat ad urbem *Charan*, medio spatio inter *Ecbátana* & *Niniven* interjectam. Ibi cœlestis genius auctor est Tobiæ, iter ut ipsi duo accelerent; lentiore dum pede, familia sequatur. Intra triduum deferuntur Niniven, præcurrente & caudam blandè agitante cane, quod divinus Scriptor non omisit meminisse. Adventantes conspicata de supercilio montis (unde quotidie speculari solebat) grandæva genitrix, nihil habuit priùs, quàm ut gressus properaret aniles, ad maritum lætô nuntiô exhilarandum. qui & ipse, ducente puero, quâ poterat festinatione, tardos impellere pedes, obviàm cum uxore se ferre filio, venientis collum brachijs invadere, dissuaviari, gaudiorum lacrimis rigare. Mox laudes DEO, & gratias dicere; felicémque animæ suæ dimidio, reditum magis affectibus, quàm verbis gratulari. Expletis primæ salutationis officijs, considetur; & quia salus parentis, ante omnia curæ & cordi erat juniori Tobiæ, omissîs alijs, promit è pera collyrium, fel pisci exemptum, eóque linit patrios oculos. Et ecce! dimidiæ pòst horæ spatiô, albugo superfusa, in modũ membranulæ abstergi, caligo discuti, dies cæco reduci, visus integer restitui, incredibile dictu, quanta omnium cum lætitia & congratulatione. Septiduô pòst accessit in gaudij cumulum adventus Saræ, cum lauto utriusq; sexus famulitio, magnáq; auri, argenti, supellectilis, jumentorũ, pecorúmque copia. Inde Tobias uterque ad curas remunerandi viæ ducis conversi, deliberant, de præmio tantæ fidei rependendo. placuit dimidiam offerre partem omnium, quæ advecta erant ex Media. At ille gratias DEO comprimis, cunctorum Largitori bonorum habendas docet; tum memorat, quô locô sint apud Superos rectè factorum promerita, à Tobia frequentata, cœlíque ærario, sua manu illata: commendat *jejunij* & *eleemosynæ*, cum *oratione* conjunctionem: addit de necessitate virtutis per ardua & difficilia periclitandæ, cuius illustrissima documẽta ipse cæcus dedisset; deniq; nomen suũ edisserit, & dignitatem inter septem Angelorum proceres. Quæ narrationis tam insperatæ novitas cùm piam oppidò turbâsset familiã, procumbunt in faciẽ tremebundi omnes; quos Genius comiter erigens, iteratò monet, de gratijs, laudibúsque Numini persolvendis, ejúsque mirandis operibus evulgandis; simùlque se in astra, unde venerat, recepit. Illi tres ipsas horas humi strati, DEUM præconijs amplissimis efferunt, agendísque gratijs concelebrant. In pedes ubi se retulerunt, divinorum famam

Tobias ingenti cum gaudio domum revenit.

Tobias senior visum recipit.

Angeli oratio ad Tobiam.

Gaudium & gratiarum actio ob accepta per Angelũ beneficia.

famam & memoriam beneficiorum passim spargunt, eámque ad posteris etiam seculis propagandam, litterarum monumentis consignant. Ætas porrò, ne quid ad felicitatem deesset, in multos annos, cum constanti pietate, prolongata, seniorem Tobiam, ad annum centesimum secundum; Juniorem ad nonagesimum nonum, & generationem quintam vivendo, perduxit. Nimirum virtutis præmium, prolixior vita. Salomonis dictum est, Prov. 10. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breviabuntur.* De Tobia filio Sacra historia, Tob. 14. *completis annis nonaginta novem in timore Domini,* abijt ad piorum sedes; ubi jam ante genitor in sinu Abrahæ quiescebat. Fuit belluæ marinæ domitor, cacodæmonis profligator, Angeli discipulus, socius, herus: patris medicus, paternæ virtutis heres, exemplum, in longa secula proseminator. Parens verò inter impios pius, inter hostes amicus, inter aulicos modestus, inter funera officiosus, suæ vitæ contemptor, alienæ mortis honorator, inter pericula intrepidus, inter insectationes placidus, inter ærumnas constans, in adversis felix, in paupertate dives, in cæcitate perspicax, in varia fortuna immutabilis, omnia bona reliquit filio, dum ei priùs factis, deinde verbis, *Timoris DEI* præcepta, & Angelum præceptorem dedit.

Utriusque Tobiæ encomium.

DOCTRINA.

TObiæ utriusque historia tota, quid est aliud, quàm præclara ad omnem virtutem institutio? Hinc meritò vocatur à quodam libellus verè aureus, haud secus ediscendus à pueris, quàm decalogus, & in imo pectoris diligentissimè condendus; in quo nihil nisi mera pietatis semina, imò flores & fructus inveniuntur. Inter historias, ait alius, primum tenet locum liber Tobiæ; nam & exemplis vivis omnia, & salutaribus præceptis demonstrat. Nos pro more nostro, de multis, aliqua libabimus.

Quem (filium Tobiam pater) *ab infantia timere DEUM docuit, & abstinere ab omni peccato.* lib. Tob. c. 1. Quod germinibus, idem sanguini evenit, bonæ stirpes bonos fructus progignunt. Vita parentum, est disciplina liberorum. Tobias genitor *cùm esset junior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere*, teste S. Scriptura, Tob. 1. Quid mirum igitur, filium quoque, vestigia paterna sequentem, timorem DEI, & innocentiam vitæ in primis curis habuisse? Plurimùm sanè refert, quod etiam alibi inculcamus, quid ætati imbecilli, tanquam chartæ puræ inscribatur, quámque in partem arbuscula tenera flectantur. Lycurgus Spartiatarum Legislator, quod Plutarchus memorat, in geminis catulis

Quantùm in prima educatione situm sit.

catulis, altero ad ollam, altero ad venatū educato, ostendit, quàm ingens momentum sit consuetudo & disciplina. Ieremias cap. 7. conqueritur: *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem.* Certum est, non naturâ, sed disciplinâ, ut Clemens Alexandrinus docet, viros bonos & honestos fieri. Quoties educatio correxit, quod naturæ defuit! Ingenium excellens, disciplinâ non excultum, plerumque declinat ad deteriora; sicut terra ipsa, quò melior est naturâ, eò magis corrumpitur, si negligatur, ait Plutarchus.

Timoris DEI fructus.

Ex timore DEI, omnis felicitas utrique Tobiæ profluxit. *Radix Sapientiæ,* ait Siracides Eccli. c. 1. *timere DEUM, & rami ejus longævi.* Virtutem pariter & progeniem ad seros posteros extenderunt Tobiæ. De eodem Numinis timore, quem perpetuò cum Sapientia conjungit, aut ipsam sapientiam vocat Salomon, est ejusdem pronuntiatum Prov. c. 3. *Longitudo dierum in dextra ejus, & in sinistra ejus divitiæ & gloria.* Unde tot bonis affluxerunt Tobiæ, nisi quia timorem DEI ingenuum intimis pectoribus infixū habebant. Hic fuit eis magister virtutis, custos innocentiæ, dux vitæ, in utraque fortuna præsidium, & quædam quasi bonorum Cornucopia.

Hic, eos ex hoc mortalitatis stadio, post cursum inoffenso pede peractum, eduxit ad felicitatis metam. *Timenti Dominum,* ait Ecclesiasticus c. 1. *benè erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur.* An non benedicti Tobiæ, Tobæáque posteritas, de qua Historia Sacra, Tob. c. 14, *omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in Sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam DEO, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* An quidquam gloriosius dici, scribíque potest de ulla familia in terris clara?

Æquitas animi in rebus adversis.

Non est contristatus (Tobias Senior) *contra DEUM, quod plaga cæcitatis evenerit ei. Sed immobilis in DEI timore permansit, agens gratias DEO, omnibus diebus vitæ suæ.* Tob. c. 1. Paucis verbis, laudum Panegyricus Tobiæ contextus. Tobiam cæcitas, paupertas, alíæque ærumnæ graviter usserunt, immobilis tamen in timore & obsequio DEI permansit. Hîc locum habet illud Horatij: Justum & tenacem propositi virum, non civium (imò domesticorum & propinquorum) ardor prava jubentium: non vultus instantis Tyranni (Sennacheribi): nec fulminantis magna Iovis manus (Numinis calamitates immittentis) mente quatit solida. Rupem dixisses inter circumsonantes miseriarum fluctus immotam. *Agens gratias DEO,* Nihil, *inquit Chrysostomus* hâc linguâ sanctius est, quæ in rebus adversis, gratias agit. Sic David ad regem *Achis* exul, & pænè malis simul omnibus oppressus: *Benedicam* inquit, *Dominum in omni tempore.* psal. 33. Sic Iobus jam omni pecore abacto, inter tot liberorum funera, ulceribus scatens, inter vermium agmina, ad fimetum veluti cadaver elatus, canit tamen & gratias agit:

agit: *Sit nomen Domini benedictum.* Sic Hebræi juvenes in flamis Babylonicis, velut in æstiva pergula canunt; *Benedictus es in throno regni tui, & superexaltatus in secula.* Daniel 3. *Joannes Avila* peritissimus interioris hominis magister, dicere solebat: Plus valet in ærumnis, & doloribus unum *DEO gratias*, quàm sex millia in rebus prosperis, & bona valetudine. Nam DEO gratias agere, *inquit*, tempore consolationis, est omnium: atqui tempore calamitatis, propriè proborum. Qui enim tunc solùm gratias agit, cùm ei quis beneficium tribuit, is debitum reddit: qui verò gratias agit, cùm quis eum affligit, is debitum acquirit. Hæc altitudo mentis unde consurgit, nisi ex intima voluntatis humanæ cum divina conjunctione? Egregiè *Hieronymus*, *ad Paulam de obitu Blesillæ.* „Bonus est DEUS, *inquit*, & omnia, quæ bonus facit, bona sint „necesse est.

Sed cur DEUS Tobiam virum integerrimum tot malis conflictari vel voluit, vel passus est? Hæc quæstio non Tobiam modò attinet, sed homines omnino omnes, quorum virtus rebus duris & asperis exercetur. Hujus rei caussas aliquot enumeremus. *Cur probi affliguntur.*
1. Ut illustris virtus & patientia Tobiæ singularis se DEO dignam præberet, & luctando inter adversa cresceret. 2. Ut eadem virtus alijs quoque innotesceret. Eruditè canit Poëta.

Quæ latet, ínque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis. *Ovid. 4. Trist.*

3. Ut eminentissimam Tobiæ virtutem, non solùm alij scirent, sed & imitarentur, velut ideam actionum illustrium. Hanc assignans caussam sacer Historicus: *Ut*, inquit, *posteris daretur exemplum patientiæ ipsius.* Tob. c. 2. 4. Ut probaretur Tobiæ virtus, & ejus apud DEUM promerita plurimùm augescerent. Id indicavit Raphaël Angelus c. 12. *Quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* 5. Desiderium ac sitis DEI in promovenda salute nostra. Quod „expendens *Ambrosius*; Quanta est, *inquit*, circa nos DEI nostri sollicitudo! illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos „acquirat; eorum cruciatus, nostros vult esse profectus. 6. Ut virtutis studiosi non nimis altè sapiant, & sese plus æquô extollant, aut ab alijs extollantur, DEUS illis præcidit alas, opes subducit, valetudinem affligit, obtrectatores & adversarios non reprimit, in communes cum alijs miserias deijcit. 7. Ut immensa DEI potentia hinc effulgeat, quæ suis animum, vires, tolerantiam suppeditat, & demum à periculis, & malis universis liberat. 8. Ut mundus tam turbulentus, ut præsens vita tam amara desipere incipiant: atque ut hoc vitæ tædium cogitationes crebras & sanctas de abitu ad meliorem vitam, de beatitudine, de paradisi gaudijs inflammet. 9. Ut ij, qui plura & graviora patiuntur,

documento & solatio sint cæteris, ne in rebus acerbis à DEO recedant. 10. Ut afflictiones & ærumnę velut piaculares flammę, commissas noxas aboleant & extinguant. DEUS enim cùm solvendo nō simus, suę justitię satisfacit de nostro tergore, ídq; ex gratia. Melius est hîc uri & secari, ut in æternū parcatur. Exemplo sunt purpuratus Epulo, & Lazarus. Ad rerum adversarum tolerantiam,
„ egregiè animans *Seneca lib. de Provid.* Quare, *inquit*, viri boni quę
„ dam dura patiuntur? Ut etiam alios pati doceant, nati sunt in e-
„ xemplar. Puta itaque DEUM dicere: Quid habetis, quod de me
„ queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Alijs bona falsa
„ circumdedi, & animos inanes, velut longo, fallacíque somnio
„ lusi. auro illos, argento, & ebore ornavi. intus boni nihil est.
„ Vobis dedi bona certa, mansura. Permisi vobis, metuenda
„ contemnere, cupienda fastidire. non fulgetis extrinsecus: bona
„ vestra introrsus obversa sunt. Sed Tobię DEUS non interiora tantùm bona, sed exteriora quoque in calamitatum mercedem rependit. In exilio Tobias longè felicior fuit, quàm in patria; DEUS illum periculis plurimis subduxit, & eas concessit facultates, quibus familiam honestissimè aluit, insuper & egenos juvit. Macello destinatus & lanienæ à Sennacheribo Rege, incolumis evasit, Angelum negotiorum suorum curatorem habuit, à Gabelo pecuniam mutuò datā recepit, optatissimū sibi matrimonium vidit, visum perditum recepit, ætatem longissimam vixit. *Sic DEUS fecit cum tentatione proventum.* 1. Cor. 10.

Audi fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe. Tob. c. 4. Moriturus opinione sua Tobias (longiùs enim multò provixit,) ultima mandata, præceptáque filio dabat, quæ non possum non hîc apponere tanquam ideam & prototypon vitæ Christianæ. Primò docuit illum, quî se gereret erga Deum; deinde, quî erga homines; tertiò, quî erga seipsum. Officium erga Deum ternas præceptiones complectitur. *Prima* est Religio & Pietas: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto DEUM.* Quibus verbis filio assiduam divinæ præsentiæ venerationem commendavit. *Altera* est, Laudatio DEI continuà: *Omni tempore benedic DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* *Tertia* est, Aversio ab omni peccato perpetua: *Cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta DEI nostri.*

Præceptiones à seniore Tobia, juniori datæ.

Officium erga homines, quod in charitate potissimùm & justitia consistit, præceptionibus senis conprehenditur. *Prima* est erga Parentes: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.* *Secunda*, erga pauperes: *Ex substantia tua fac eleemosynam: Quomodo potueris, ita esto misericors.* Ubi etiam docet, quibus, quomodo, ex qua crumena, quo fructū sit largiendū. *Tertia*, erga mercenarios: *Quicunq; tibi*

tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue. *Quarta*, erga consiliarios: *Consilium semper à sapiente perquire.* *Quinta*, erga defunctos: *Panem tuum, & vinum tuum, super sepulturam justi constitue* (id est, epulas seu sportulam pauperibus eroga, ut ad preces pro mortuis fundendas moveantur) *Sexta* erga quoscunque alios: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias.* En sapientissimum Charitatis & Justitiæ breviarium.

Officium erga se ipsum, est victoria sui, & decórum, quod præceptionibus tribus continetur. *Prima* est, Submissio & Modestia: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* *Secunda*, Omnis lasciviæ & adulterij fuga: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* *Tertia*, paupertatis & aliarum ærumnarum tolerantia: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa habebimus, si timuerimus DEUM.* Atque hoc est vitæ secundùm virtutis normam exigendæ compendium.

Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Tob. 5. Raphaël is erat Angelus, vestitu viatorio, & nomine *Azariæ* personatus; in quo, velut in imagine subijciuntur oculis præcipua Angelorum in hominem officia. *Duxit* is Tobiam juniorem, & *reduxit* ad parentes. Stat juvenis iste, Angelus, à primo uniuscuiusq; ortu præcinctus, & paratus ad ambulandum, iter monstraturus ad cœlum, patriam nostram. Suam nobis tutelam & fidem obligat. In rebus adversis perpetuum solatij rorem instillat. Cacodæmonis technas detegit; ab eius insultu defendit; ut fratres nos amat, ut dominis servit. In periculis protegit: In rebus dubijs illustrat: Ad opera pietatis instigat, & ad omnimodas virtutes inducit: Preces in cœlum defert. Omni bonorum genere cumulat: Denique in mortis lucta tuetur. *Angelorum in hominẽ officia.*

Dæmonium, nomine Asmodæus occiderat eos (septem Saræ maritos) *mox ut ingressi fuissent ad eam.* Tob. 3. Caussam occisionis dat Angelus cap. 6. *Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* *Asmodæus*, quasi perditor & vastator truculentissimus dicitur ab Hebraico *Schamad*, id est, perdere & vastare; Rex geniorum, qui ad libidinem, & corporis voluptates, hominum genus inflammant. In hujus Tyranni ditione sunt incestus, adulteria, stupra, concubinatus, verborum obscœnitates, impuræ tactiones, sordidæ cogitationes, prostibula, & quidquid fuliginosis illis voluptatum gurgustijs obtectũ. Ad hunc Veneres omnes, earúmq; ministri, & instrumẽta spectant, lenones, perductores, philtra, carmina, *Asmodæus incensor libidinis.*

theatra, & quidquid flagitiosos amores incendere consuevit. Innumeros habet satellites, qui incredibili quadam celeritate totum terrarum orbem pervolant, ad eúmque de flagitijs omnibus referunt. Ex spurcis hisce spiritibus fuit importunissimus ille, qui purissimam adolescentis Antonij eremitæ mentem cogitationibus polluere, frustra studuit, adeò, ut tandem coram eo, qualis est meritò, talis appareret & vultu, puer horridus & niger. (bellus scilicet matris Veneris pusio, toties in fabulis & historijs decantatus) Qui, ut refert *S. Athanasius in vita S. Antonij*, ad Anto-
„ nij se genua provolvens, humana voce flebat, dicens: Multos
„ seduxi, plurimos decepi: nunc autem ut à ceteris Sanctis, ita
„ & tuo sum labore superatus. Quem cùm interrogaret Anto-
„ nius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum forni-
„ cationis amicus, ego multimoda adversùm omnes adolescen-
„ tes, turpitudinis arma suscepi, hinc & spiritus fornicationis vo-
„ cor. Quantos pudicè vivere disponentes fefelli? quot tenuiter
„ incipientes, ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum, pro-
„ pter quem propheta lapsos increpat, dicens: Spiritu forni-
„ cationis seducti estis: & reverà per me illi fuerunt supplanta-
„ ti. Ego sum, qui teipsum sæpe tentavi, & semper repulsus sum. Confessio vera ex ore mendaci.

Conjugalis castitas. Occisi sunt septem illi Saræ mariti propter effrenatam libidinem, quâ instar equi & muli adhinniebant uxori. Rectè *S. Ful-
„ gentius epist. 1. c.* 3. Conjugalis potestatis inculpabilis est usus, of-
„ ficio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum trans-
„ gredi, libidinosus non permittatur excessus. Et *Clemens stromate.* 2.
„ Matrimonium propter liberos, non propter voluptatem esse
„ debet. Ideóque *Menander* ad Seminandos, *aiebat*, liberos, tibi me-
„ am trado filiam. Sapientérque *lib. 6. de legibus Plato.* Oportet pa-
„ rentes gignere, & educare liberos; qui vitam tanquam lampa-
„ dem posteris tradant, ut sint semper aliqui DEUM colentes jux-
„ ta ipsius legem: Et *Xystus* Pythagoricus Philosophus: Adulter *in-
„ quit*, est in suam uxorē, omnis impudicus amator ardentior; quia
„ solā quærit voluptatem, non prolem. Unde S. Francisci discipulus
„ *Ægydius* uxorato cuidam de castitate conjugali, & fide thori,
„ glorianti: Vide, *ait*, quem te laudes, potest enim quis inebria-
„ ri vino, quod ex propria cella & dolio venit. Propterea monitum est. Apostoli ad Heb. 10. *Honorabile conjugium* (sit), *& thorus immaculatus.*

NARRATIO

NARRATIO XCV.

MANASSES RESIPISCENS. AMON EIUS FILIUS, MALE PERIENS.

4. Reg. 21. lib. 2. Paral. 33.

Ab anno Mundi 3338. ante Christum 715. ad annum Mundi 3393. ante Christum. 660.



Chazis in *Manasse* sanguis, qui per *Ezechiam* fuerat defæcatus, in eo rurius se per fæces agere, & ebullire supra modum, visus est. Successit in regno Judæ laudatissimo Principi, sceleratissimus filius; cujus vita quid aliud erat, quàm vitia? Fuit is (ut in compendium scelera contraham) simulacrorum instaurator, Deorum fictilium adorator; religionis publicæ corruptor; prophetarum interfector; somniorum observator; auguriorum sectator; maleficarum artium discipulus simul ac magister, tyrannus & homicida, si quis alius usquam gentium ac terrarum, cuius gladius Jerosolimam cæsorum innocentium cruore replevit. Denique quæ cæteri regum ad id usque temporis singuli deliquerunt, hæc omnia *Manasses* patravit, genitoris per omnia antithesis, hôc unô patris speculum, quòd eius imaginem reddidit è contrario. Nam *Ezechias* initio statim regni sui, quidquid in cultu divino violatum erat, summa religione reparavit; *Manasses*, quæ parens circa pietatem stabiliverat, contumeliosè pessundedit. Ille errorũ tenebris involutos ad veram religionis lucem perduxit; iste pietatis avitæ cultores ad impietatem pertraxit. Ille nefanda simulacra è Templo sustulit, iste in Templum intulit. Ille lucos sacrilegos excidit; iste instauravit, & restituit. Ille DEI Sacerdotes & levitas accivit in ministeria Templi; iste proscripsit, eorúmque locô idolorum sacrificulos subrogavit. Ille ariolos & magos regno eliminavit; iste sibi eos inter familiares & domesticos ascivit. Ille DEI prophetã *Isaiam*, reliquósque Vates, tanquã Numinis interpretes & arcanorũ conscios, ac prodigiorũ effectores maxima veneratione prosecutus est; hic, inter alios viros DEO sacratos, *Isaiã*, multa canitie venerãdũ, sanguine proximũ, triũ institutorẽ regũ, sapientia, sanctitate, eloquio, supra humanũ omne cõstitutũ, plagis antè malè mulctatũ, deinde acerbissimo cruciatûs

Antithesis inter Ezechiam & Manassem.

 genere

genere necavit, medium crudeli serra dissectum. Ille prolem masculam calentibus à DEO precibus & lacrimis impetravit; hic filium execrabili ritu, lustratum igne, malis dæmonibus consecravit. Ille DEUM per Prophetas, Sacerdotésque consuluit; iste spiritus orcinos incantationibus, & maleficis artibus sollicitavit. Ille famulantem sibi habuit solem, & cum sole sidera universa, omnium Creatore DEO, desiderijs ipsius obsecundante; iste in contumeliam Conditoris solem & lunam, cæteráque sidera (quæ Sacra Pagina *cæli militiam* vocat) honore divinitatis affecit. Ille nocentibus, & scelerum reis, DEUM supplicationibus conciliavit; iste innocentum sanguine Solymæam urbem inundavit. Ille divinitus de hoste potentissimo victoriam, sine sanguine & sudore obtinuit; iste ulciscente Numine, in hostium potestatem redactus, catenis servilem in modum vinctus, in carcerem Babylonicum abreptus est. Adeò caput impium priùs patrem; deinde hominem exuit, & suis ut libidinibus terrorem sociaret, proborum omniũ hostis in DEUM ipsum, omnibus scelerũ machinis pugnavit.

Duodecim erat annorum, cùm regnum adijt, mox aulicorum falsis obsequijs in fraudem inductus, idolomaniæ habenas permisit infelix puer. Caussa corruptionis, orbitas; aberat paterni jus imperij: aderat summa agendorum licentia, & actorum impunitas. Accessit juvenum leve, & solutis moribus contubernium. Illi fuere venti, qui tam sævum mare continuis flatibus concivere. Repressa castis Ezechiæ censuris, audacia erupit; nihil non movere isti: nihil ille detrectare, nulli flagitio parcere. Non defuere grandes, & vitæ contemptores animi, qui furenti obsisterent, sed omnes, quos potuit, inauditâ sevitiâ trucidavit.

Vnde corruptela Manassis.

Iratum tot sceleribus Numen, vindex adstitit pede non lento. Nam vix septennium exegerat in regno, cùm *Babylonij*, apertâ jam per Achazem januâ, crebris in Palæstinam excursiónibus volitantes, Manassem sanguini & saginæ immersum, abjectis regni curis improvidum, & socordem cepere. Direptô regnô, vinctum catenis atque compedibus, cum flore nobilitatis Regem ipsum Babylonem asportant, & carceri mancipant, sceleribus jam antè constrictum. Felix ei fuit calamitas. Ubi libertatem amisit, mentem recepit: inter custodiæ tenebras, lux ei divinorum oborta, vidit, quæ patravit; acerrimo dolore cordis infractus ingemuit, preces & suspiria ad Dominatorem Regum convertit, detersit squalore peccatorum sordes, lavit fletu crimina, abluit manus tot iñocentũ cæde cruentatas; exosculatur vincula, scelerum suorum pœnas; perdius & pernox tundit pectora, rumpit suspiria, se detestabilem æterno Vindici accusat, lamentabili voce misericordiam cæli inclamat. O inexplica

Manasses à Babylonijs captivus abducitur.

In carcere redit ad mentem.

O inexplicabilem Numinis clementiam! Is, qui flagitiorum teterrimorum enormitate diras omnes in caput provocârat, qui mille fulminum jactibus obnoxium se reddiderat, auditur à DEO. immittitur *Merodacho*, (seu Nabuchodonosori) qui miserum habebat in vinculis, cogitatio de fortuna Regum, & rerum humanarum vicissitudine; jubet exsolvi captivum, & exceptum comiter ac magnificè, remittit in patriam, eo ipso tempore, quô Ducem suum *Holofernem* immenso cum exercitu universis immisit gentibus, terrarum orbem imperio suo subjugaturum, non advertens, Manassen, si regno suo fuerit restitutus, consilijs suis in Iudæa remoram injecturum. Sed nimirum haud temere humana volvuntur negotia, DEO barbari regis animum ad destinatos à se fines vertente. Manasses in libertatem asseritur, in solio suo reponitur, novis felicitatibus mactatur; adeò vincebant scelerum atrocitatem pœnitentes lacrimæ. Cæso, cum exercitu, Holoferne, reflorescit res Judaica; Manasses alius à se ipso, pristinæ fortunæ redditur, particeps fit triumphalium patriæ plausuum. Ad victoriæ plenitudinem ne quid deesset, seipsum debellare aggressus, ædificat, quæ nuper destruxerat; destruit, quæ nuper ædificârat, lucos exscindit, idola exterminat, aras nefarias evertit, DEI cultum instaurat, sacrificia frequentat, malè facta benè factis emendat; verbo; de impio se pium, de sanguinario mitem, de sacrilego sanctum præstat; &, qui nuper impietatis vexillum publicè sustulerat, nunc omnes antesignanus ad virtutis exempla præcedit. Itaque recuperatô regnô, felix, pius, potens, ætate provectus, (nam annum agebat septimum supra sexagesimum) denique decessit vitâ, reductus in spem felicitatis æternæ, qui tam multis, & verbis, & exemplis aditum ad perpetuas calamitates patefecit. Accessit honor sepulchri; nam in mausolæo, ab ipsomet magnificè excitato, conditus est. Neque tamen post factam culpæ gratiam, vindex DEI manus pœnam removit, quam à Manassis posteris per Nabuchodonosorem exigere perseveravit. Quæ postea namque Judæam pessum dedere mala, Manassis omnia sceleribus (etsi ab auctore suo defletis) originem debuere suam, implacabilem se præbente posterorum fortunis DEO, propter inextinctam in illius memoria Regis unius, plùs quàm carnificis, immanitatem.

Mira DEI dispositione rex Babyloniæ Manassem libertati restituit.

Manassis felicitas & probitas.

Manassis scelerum pœna in omnem posteritatem redundârunt.

Post eum *Amon* filius, annorum imperij paterni (quinquaginta quinque) flagitia cuncta, per compendium pravitatis, in unicum biennij sui, quô regnavit, curriculum ita congessit: ut nequitiâ non modò par, sed planè superior evadens; *consummatus in brevi* (nec enim ultra vicesimum quartum progressus est annum) *expleverit* improbitatis *multa*

Amonis biennale imperium flagitiosissimum.

tempora

tempora: pœnitentiæ verò, nec horam, aut momentum. Ita non refert, nec ad bonitatis, nec ad malitiæ summam; quamdiu malè quis, sed quantùm, quámque vehementer agat. Oppressus est autem à suis domestico scelere, DEO celeriter eius sceleribus finem, & aditum secuturi regis pietati faciente. In interfectores animadvertit populus; ipsum in paternum monumentum intulit, & regnum eius filio *Josiæ* tradidit, octo tum annorum puero. Posset Improbitas sibi ex Manassis salute felicitatem promittere, nisi in Amone filio documentum acciperet, unius gratiâ, multorum spes in ruinam trahi.

DOCTRINA.

Vis pœnitentiæ.

QUi (Manasses) *postquam coangustatus est, oravit Dominum DEUM suum: & egit pœnitentiam valde coram DEO patrum suorum.* 2. Paral 33. Porci (ut aiunt) nunquam cœlum aspiciunt, nisi supinè prostrati; nec Manasses de divinis cogitavit, antequam ferro vinctus esset, & in carceris profundum abjectus. Quædam arbores adeò tenaces sunt fructuum suorum, ut non facilè quidquam dent, nisi percussæ. Eius generis sunt nuces, amygdalæ, quercus. nihil impetrabis, nisi fustibus in eos pugnaveris. Ita DEUS Manassen excussit, ut saperet ictus, & pœnitentiæ redderet fructus. Potuit dicere, quod David olim. *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* psal. 118. Misericordiæ divinæ grande paradigma Manasses est, caput impium, & adeò sceleratum, omnes ut antecessores atrocitate flagitiorum superârit; sed dolentes lacrimæ non vincula tantùm corporis, verùm animi quoque ruperunt. Flendo *dissolvit colligationes impietatis.* If. 51. Pœnitentia commissorum magna res, & in Regibus stupenda. Tot ante Manassem Iudæ reges flagitiis & sceleribus contaminati, ubi unus, excepto Davide, peccata deflevit? ubi habitum mutavit? ubi se jejunijs & corporis afflictationibus maceravit? Achabus quod fecit, plus timoris servilis, quàm animi seriò crimina detestantis fuit. Et illa ipsa dolentis species quàm citò evanuit! Postrema „ fuerunt deteriora prioribus. Atqui, juxta *D. Gregoriū* Pœnitentia „ est, perpetrata peccata plangere, & plangenda non committe- „ re. Magnas illa vires habet; gladium divinæ Vindictæ extorquet, & majestatis terrorem, in patris amorem convertit. Egre- „ giè *Cyprianus de laude pœnit*: O pœnitentia, quid de te non referā? „ Omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adver- „ sa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu luci- „ das, omnia desperata tu animas. *Et Bernard. super Cant.* Lacrimæ „ pœnitentium sunt vinum Angelorum. O beatum lacrimarū pluviam,

,, pluviam,(ait D. Ambrosius) uberrimam gloriæ segetem, profe-
,, rentem. Et *Tertullianus lib. de pœnit.* Lætantur (*inquit*) Angeli pœ-
,, nitentiâ hominis Luc. 15. Heus tu peccator, bono sis animo;
,, vides, ubi de te gaudeatur. Dolet peccator, cœlum gaudet; lacri-
,, matur peccator, cœlum exhilaratur; pœnitentiam agit pec-
,, cator in terra: gaudium magnum est in cœlo.

Et ô immensam Numinis misericordiam, tam detestabili reo, tot annis parcentis non modò, sed etiam, tam imanium scelerum condonationem impertientis. Verissimè Psaltes psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum DEUS non despicies.* Testis est Ezechiel cap. 33. qui clementiæ DEI constitutus est internuntius hisce verbis. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Et ibid. *Impietas impij non nocebit ei, in* *Magnitudo misericordiæ divinæ.*
,, *quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. Basilius ait*: Peccata &
,, numero, & magnitudine possunt definiri; miserationes autem
,, DEI, neque numerò, neque magnitudine possunt circumscribi.
Extollens DEI misericordiam Siracides Eccli. 2. *Secundùm*, inquit, *magnitudinem ipsius* (DEI,) *sic & misericordia illius cum ipso est.* c. 2. Tanta nimirum est mensura misericordiæ divinæ, quanta majestatis. Et quamvis Justitia, Sapientia, Potentia, cæteráque DEI attributa sint cum DEO; Misericordia tamen, in intimis DEI visceribus inhærere videtur, unde Zacharias Ioannis Baptistæ parens, *per viscera misericordiæ DEI nostri*, hoc est, ex infinita misericordia Solem illum æternum, Christum Jesum, Messiam, mundo exortum esse dicit, Luc. 1. Iterum Ecclesiasticus, c. 17. *Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se!* Alia versio habet: *Quàm ingens est misericordia DEI nostri, quàmque obvia sanctè conversis ad eum, ipsius placabilitas!* Vis scire, quanta sit misericordia hæc: Metire primò, quanta sint inferorum tormenta; horum enim mensura, est mensura misericordiæ DEI; hæc enim illis peccatorem liberat. Metire deinde vilitatem & miserias hominis peccantis: has enim omnes absorbet misericordia DEI, sicut mare guttas pluviæ. Unde abyssus miseriæ nostræ, invocat abyssum misericordiæ divinæ. Metire tertiò multitudinem & enormitatem peccatorum omnium: hæc enim cuncta in imensum transcendit DEI misericordia, condonat, & abolet quoad culpâ & offensâ; nec rarò quoad pœnam quoq;, aut aliquâ certè partem pœnæ. Verè ergo *superexaltat misericordia judicium.* Iacobi 2. *& miserationes eius super omnia opera ejus.* psal. 144. Huc facit illud Sap. 11. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas*; juxta Græcum textum. O amator animarum ardentissime, *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ibid. tanquam pater amantissimus.

Manasses partes omnes verè pœnitentis implevit, quod

ostendit in illa lugubri deprecatione, quæ tametsi inter Canonicos S. Scripturæ libros non sit recepta, tamen à nonnullis SS. Patribus citatur, & in calce Bibliorum apponitur. In ea Manasses peccata non excusat, non minuit, sed pleno ore extendit: *Peccavi*, inquit, *super numerum arenæ maris*. Subit magnanima voluntate pœnas sibi pro delictis impositas. *Non sum dignus intueri altitudinem cœli, incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi.* Tandem à misericordissimo implorat veniam; *flecto genua cordis mei, precans à te bonitatem.* Emendationem vitæ plenissimam spondet, cùm ait. *Et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ, quia te laudat omnis virtus cœlorum, tibi est gloria in secula seculorum.* Dignos pœnitentiæ fructus fecit Manasses, dum criminum à se commissorum punitionem vel sponte suscepit, vel à DEO impositam cum maxima demissione accepit. Non sufficit enim, *ait Augustinus in homiliis.* 50. mores in melius commutare, & à factis „ malis recedere, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satisfiat DEO „ per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Fructus sunt post flores; flos quidam pœnitentiæ apparet in contritione; sed fructus in executione, *Membra* juxta Apost. Rom. 6. *servientia iniquitati, serviant & justitiæ.*

Oratio pœnitentis Manassis.

Sed unde hæc Manassi gratia? Donum DEI fuit, DEI perditam gratiam agnoscere, & lugere. *Non est volentis* (ait Apostolus) *neque currentis, sed miserentis DEI. Augustinus de prædestinatione & gratia,* „ Pharaonis & Nabuchodonosoris exempla adducit. Quantum ad „ naturam, *inquit*, ambo homines erant: quantùm ad dignitatem „ ambo Reges: quantùm ad culpam, ambo captivum DEI populum possidentes: quantùm ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti; quid ergo fines eorum fecit esse diversos? „ Nisi, quòd unus manum DEI sentiens, in recordatione propriæ „ iniquitatis ingemuit: alter liberô contra misericordissimam „ DEI pietatem pugnavit arbitriô. *Et S. Greg. in psal.* 7. Pœnitentia, „ *ait* est unum de perfectis donis, descendentibus à patre luminū.

Unde gratia pœnitentis animi.

Habemus itaque reconciliatum DEO Manassem quoad *culpam*, sed non absolutum quoad *pœnam*. Nam lib. 4. Reg. c. 1. *Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum dicens: Quia fecit Manasses Rex Iuda, abominationes istas pessimas &c. Ecce ego inducam mala super Jerusalem & Iudam, ut, quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius. Et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus domûs Achab; & delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam & ducam crebriùs stylum super faciem eius.* Qui aliquid non temerè, atque inconsideratè faciunt, sed prudenter & attentè, illi rem totam diligenter explorant: atque ideò *ad amussim, ad regulā, normam, mensurā, pondus*, facere dicuntur.

DEI vindices ira in scelera Manassis.

dicuntur. Deus quia nihil in populo Judaico, tum sua sponte, tum pessimis Manassis exemplis in omne nefas ruente, invenit solidum aut rectũ; ideò nihil fuit, quod non dissiparet & perderet. *Pondus domûs Achab*, significat, pœnas Achabo inflictas etiã Manassis sceleribus, instar gravissimi ponderis incubituras: Altera similitudo desumpta est à tabulis ceratis, in quibus stylo characteres exarare solebant antiqui, quos cùm delere volebant, conversa posteriori, & latiore parte styli, exiguos illos sulcos complanabant, ita ut planè non apparerent & legi possent, quod *inducere characteres* Latini dicunt. Ita dixit DEUS: *Delebo Ierusalem, sicut deleri solent litteræ in tabulis cera obductis exaratæ.* Et primò induxit in eam stylum regis Babylonis, cùm ex ea Manassem, & primores regni in Babylonem captivos abduxit. 2. Paral. 33. Secundò, cùm *Pharao Nechao* Rex Ægypti *Iosiam*, qui tota erat Judæorũ spes, occidit, eiusque filium *Ioachazem* in Ægyptum abripuit. 4. Reg. 23. Tertiò, cùm Nabuchodonosor *Ioakimum* fratrem *Ioachazis*, cepit & vinxit. Quartò, cùm idem, *Ioachimum* filium Ioakimi cum magno nobilium & populi numero in Babylonem transmisit. Quintò & ultimò, cùm idem *Sedeciam*, ultimum Iudææ regem cum reliquis abduxit, urbémque Solymam & templum concremavit. Atque ita juxta minas Dei, Iudæa excisa, deleta, oblitterata, erasa est instar characterum ceræ inscriptorum. Hic stylus, atque hic est gladius Iusti Numinis, in impios, ingratos, & misericordiæ suæ contemptores, animatvertentis.

Fecitque (Amon) *malum in conspectu Domini; sicut fecerat Manasses pater eius.* 4. Reg. 21. Et 2. Paral. 23. *Non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus Manasses pater eius: & multò majora deliquit.* Imitatus est Amon patrem peccantem, sed non pœnitentem. *Glycas in Annal.* refert, Amonem dixisse: Pater meus à puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit; quare & ego in hac ætate pro animi libidine me geram, & deinde ad Dominum me convertam. Idem asserit *S. Clemens lib. 2. Constit. Apost. c. 23.* Terreat hoc juvenes, quos licentior ætas audaces facit ad spes vitæ & frugis in longum jaculandas. *Non tardes* (inquit Ecclesiasticus c. 5.) *converti ad Dominum* (id est, emendandæ vitæ remoras omnes abrumpe & perfringe) *& ne differas de die in diem* (usurpando corvinum illud Cras Cras) *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Nemesis divina laneos habet pedes, sed ferreas manus improvisa venit, & graviter ferit, uti contigit Amoni. Hinc illa Sapientis cautio Prov. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies* Et Eccles. 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines*

Procrastinatio pœnitentiæ.

in tempore malo (instantis subitò mortis) *cùm eis extemplò supervenerit*. Sic omnino juvenes improvidi, velut pisces in undis, in delicijs & vanitatibus natantes ac ludentes; & instar avium, insita levitate ac superbia in sublime tendentes, repentè mortis implicantur reti,& breve gaudium longa æternitate luunt. *S. August.*
„ *serm. 17. de Verbis Dom.* Ipsa res est, *inquit*, quæ multos occidit;
„ cùm dicunt: Cras, Cras; & subitò ostium clauditur; remansit
„ foris cùm voce corvina, quia non habuit gemitum columbi-
„ num. *Idem. in psal. 114.* Deus, *ait*, pœnitentiæ tuæ indulgentiam
„ promisit, peccanti diem crastinum non promisit. *Et S. Anselmus*
„ *epist. 1.* Qui differt in futurum, & forsitan non futuram æta-
„ tem, suam vitam corrigere, certum bonum dimittit pro du-
„ bio, & contemnendo quod perdit, probat, se non amare, quod
„ exspectat,& meretur non accipere. Quocirca David. psal. 94.
„ *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Quin & *Sene-*
„ *ca lib. de brevit. vitæ*: Non pudet, *inquit*, te reliquias vitæ tibi reti-
„ nere, & id solum bonæ menti reservare, quod in nullam rem
„ converti possit? Quàm serum est, tunc incipere vivere, cùm
„ desinendum est! Præsumptio est, quæ hominem, sola DEI misericordiâ confidentem, & ad peccandũ audacem facit, uti fecit Amonem. *Ne dicas*, inquit Siracides cap. 5. *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.* Triste documentum Amon est. Rectè igitur Propheta psal. 100. *Misericordiam & Iudicium cantabo tibi Domine.* Mediò Justitiam inter & Misericordiam tutissimus ibis.

NARRATIO XCVI.

ISAIAS PROPHETA EVANGELICUS, ET MARTYR.

4. Reg. 19. 20. ex Prophetia. Isa & Martyrol.

Ab anno Mundi 3277. ante Christum 776. ad annum Mundi 3340. ante Christum 711. quô occisus est.



IN ceteris Manassææ crudelitatis exemplis, etiã *Isaias*, quod suprà indicavimus, fuit; vir si quisquã alius, cœlo charus & vaticiniorum celebritate eminens. *Amosus* ei parens, regio natus stemmate, quippe *Amasiæ* regis Iudæ frater & Manassis, uti

S. Hieronymus

S. Hieronymus tradit, prófocer. Numinis acturus Interpretem, ante omnia linguam ad id officij attulit, *Seraphico* quodam ardore succensam. Nam ex eo Cœlestium Geniorum Ordine quispiam advolavit, & calculum, seu carbunculum flammeum manu præferens, eiúsque tangens labia, Prophetam ipsum consecravit. Eâ flammâ non lingua modò, sed pectus quoque exarsit adeò, postularet ut à DEO, munus sanè arduum, & plenum discrimine, Præconis Oraculorum divinorum ad Judæos agendi; utique postquam per extasin extra se positus, conspexit DEUM ipsum in solio præfulgido Majestatis suæ, speciem exhibentem, audivitque à cœli choraulis cantari trisagion illud: *SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS*; non sine horrore sacro, nec Templi magis, quod oculis obijciebatur, quàm mentis concussione; & utrique superfusa caligine; quæ tamen mox tanta luce Vatis collustravit animum, ut de Christi venturi mysterijs edoctus, videretur de præteritis potiùs historiam texere, quàm de futuris vaticinari; unde factum, Vatis ut Evangelici meritò encomio condecoretur.

Isaias ab Angelo initiatur Propheta.

Nec à vaticinio vita ablusit; verbis accesserunt facta, eáque prodigiosa. Constat Angelum illum, centum octoginta quinque millium Exercitûs Assyrij interfectorem, eius potissimùm precibus è cœlo devocatum: Solem retractum: annos Ezechiæ jam conclamati, in tria lustra productos. Ad Christum, præconijs, non tantum fatidicis, sed ærumnis quoque exantlatis, & rebus cum eximiæ virtutis fama gestis, accessit quàm proximè. Emicuit in eo sui contemptus insignis, cum rara sanctimonia conjunctus. Nam quid despicabilius, quàm virum canitie venerandum, regio ortum genere, auctoritatis summæ, Hierosolymis, in urbe patria, publicáque luce, plateas obire, tribus omnino diebus, sine calceis, sine pallio, sine toga, brevi succinctum lacerna, lymphatici instar, cum risu multorum & ludibrio, eum pro fanatico habentium; cum aliorum verò, quibus viri sapientia magis perspecta, admiratione attonita, & tristi rerum eventurarum exspectatione. Eius rei imperium accepit à DEO; triduana Vatis obambulatione, triennalem Ægypti, Æthiopiæque sub Assyrio jugo calamitatem præsignante. Jam quanto miserationis affectu suos in cives ferebatur; quæ pietas in cõsolandis afflictis; quæ teneritas animi in alienis miserijs sublevãdis! *Consolatus est*, inquit Siracides c. 48. *lugentes in Sion*; illo præcipuè tẽpore, quo *Sennacheribus* ultima quæq; Solymæ intentabat; & quia non barbarorũ modò hostiũ, sed *Manassis* quoq; tyrãnis in optimum quemq; crudeliter desæviebat, haud destitit Isaias animos fractos erigere, & ærũnosis

Isaia contemptus sui.

Charitas & fortitudo.

 spem addere

ſpem addere, ab adventu Meſsiæ promiſsi. Nec minor in eo fortitudo, conſtantia, libertáſque reprehendendi Regum ac Principum vitia, imperterritáque vis in cominandis, prædicendíſque pœnis, à DEO infligendis; cùm haudquaquam ignoraret, quanta ſibi, ſuæque familiæ ob eam cauſſam eſſent odia ſubeunda. Tanta laudatorem virtus meritò Paulum habet, qui ad Rom. 10. *Iſaias* (inquit) *audet, & dicit.* id eſt, ardenter, liberéque hortatur, arguit, denuntiat Summis Infimíſque, quæ de mandato Numinis erant edicenda.

Sed hæc obſequia, quantum gratiæ apud Deum, tantum invidiæ apud homines collegerunt. Raſit auriculas Veritas, exulceravit animos; ſaluberrimis monitis, extremam carnificinam repoſuit furor. Cauſſa necis & Martyrij præcipua, (quod graves auctores ſcribunt) quòd Propheta non dubitaverit, impios idolorum & flagitiorum omnium cultores, appellare *Principes Sodomorum, & Populum Gomorrhæ; gentem peccatricem, populum gravi iniquitate, ſemen nequam, filios ſceleratos.* Iſa. c. 1. quos proinde DEUS ſit *reprobaturus, & pro eis gentes vocaturus.* Quidquid horum ſit, Manaſſes certè, Manaſsíſque purpurati proceres, cùm inviſum Monitorem aliter reprimere non poſſent, capitis ei ſupplicium intulerunt, longè immaniſsimum; à ſummo quippe ad imum ligneâ ſerrâ diſſectus eſt; hòc acerbiore cruciatu, quò lentiore. Ut inde non mireris, alias quoque cædes, flagitia, magiam, parricidia, & quæ audet in poteſtate ſumma improbitas, erupiſſe. Honos à populo habitus eſt funeri: diſſiſſum corpus, humatum ſub quercu, cui à vicino fonte, *Rogelis* appellatio. Filium reliquit *Iaſubem* nomine; vir omni laude major, Prophetarum clariſsimus, in media lege Moſaica, quod Salianus aſſerit, Chriſtianus; integrum pænè ſæculum, vivendo exegit, virtutum omnium coronide, fuſíque pro DEO ſanguinis laurea nobilitatus. Eius meritis debetur Manaſsis in vinculis pœnitudo, revocantis in mentem, veriſsimi Vatis præſagia, & intonatas ſcelerum pœnas. Hanc vindictam expetit Innocentia.

Elogium Iſaiæ.

DOCTRINA.

ET dixi: *væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi, polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Iſa. 6. Iſaias audita ſuavitate, & ardore, quo DEUS à Seraphinis, mirabili illo triſaglo laudabatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ eius.* Mutum ſe putavit & elinguem, quòd ſuas ipſe laudes

laudes concentibus Angelicis jungere non posset; agnovítque, quàm imparis esset conditionis præ cœlestibus illis Majestati Divinæ Encomiastis; quámque indignus, qui tam tremendi Domini præconem ageret; præsertim cùm videret Seraphinos faciem, pedémque velantes alis, summámque Conditori suo reverentiam exhibentes gestu, habitu, voce, aspectu, & ipsa denique statione, ut S. Chrysostomus advertit Homil. 1. de verbis Isaiæ. Habet nimirum hoc, DEI cognitio, ut homini profundos suæmet despicientiæ sensus ingeneret. Nam qui DEUM videt, seipsum videt, advertítque, quanto intervallo pulvis & cinis ab illa Numinis majestate distet; quàm nihil omnino sit homunculus, ad æterni Regis immensitatem comparatus. Quòque clariorem notitiam, tam DEI, quàm sui ipsius adipiscitur, eò majore admiratione & reverentia æternæ Majestatis afficitur; sui verò deprimendi, deijciendíque studiô fertur. Sic Abraham locuturus cum Domino, se *pulverem & cinerem* appellavit Gen. 18. Sic Tobias cum suis, agnito Raphaële Archangelo, prostratus per tres horas, *benedixerunt DEUM*. Tob. 12.

DEI cognitio ingenerat homini despicientiam sui.

Sic Daniel videns Antiquum dierum in throno, ait, *non remansit in me fortitudo, emarcui, nec habui quidquam virium* c. 10. Sic Ezechiel viso Deo in curru Cherubico, *cecidit in faciem*, & quasi in deliquium mentis c. 2. Sic viginti quatuor Seniores *coram throno DEI procidebant*. Apoc. c. 4. Sic S. Franciscus spiritu elevatus, dicebat: Quis tu Domine, quis ego? Tu abyssus essentiæ, veritatis & gloriæ: ego abyssus nihili, vanitatis, & miseriæ.

Et volabat ad me unus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, &c. Isa. 6. Calculus hic fuit gemmeus, seu carbunculo, seu pyropo similis, miro relucens igne, quippe sumptus non ex terrea quadam ara, sed cœlesti; designat virtutes Evangelici præconis, nihil ut ab eius ore sonet, nisi purū, (quod igneus splendor denotat) nisi Evangelicum, nisi divinū. Spirent labia ignem illum cœlestem, quem Christus venit mittere in terram, Luc. 12. quô accensi Apostoli die Pentecostes, terrarum orbem inflammârunt; ardentes sibi, lucentes alijs: ardentes intus, lucentes foris, ardentes animo, lucentes linguâ. *Nam* ut *Bernardus* testatur, tantùm lucere, vanum est; tantùm ardere, parùm; ardere autem & lucere, perfectum.

Evangelici concionatoris munus.

Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego: mitte me. Isa. 6. Non cogit, inquit Hugo, Deus, sed quærit DEUS voluntatem hominis; quæ sola meretur præmium. *Et quis ibit nobis?* ad nostram gloriam, non ad suam

Prompta & ardua obedientia Isaiæ.

jactantiam. Per *mittam* essentiæ unitas; per *nobis*, demonstratur personarum Trinitas. *Quem mittam*? (ad Iudæos promissionum, & minarum mearum internuntium). Interrogantis hæc vox erat, non jubentis. Audijt eam Isaias; neque opus erat expresso mandato; satis ei fuit, signum desiderantis accepisse. Hinc illa promptitudo: *Ecce ego: mitte me.* Video enim me designari à te, DEUS Optime Maxime; eò, quòd sentiam labia mea calculò mundata, linguam solutam, & animo meo libertatem, desideriúmque prophetandi à te inseri; stimulátq; me gloria majestatis tuæ, quam attonitus conspicio; accendunt me Seraphini, quos volantes, & paratos ad omne tuum obsequium intueor. Hæ rationes addebant animos, ut magnanimè sese offerret, ad rem valde arduam, voluntatis divinæ apud pervicaces & impios interpretandæ; à quibus sciebat, se muneris sui prœmium, diram necem relaturum. Unde Apostolus, quod in Narratione significavi, *Isaias*, inquit, *audet*. Utique fortissimè, & longè gloriosissimè, Schema viri Apostolici: Idea obedientiæ perfectæ; quâ, DEO non imperanti, sed insinuanti duntaxat, ultro sese obtulit ad omnia discrimina pro gloria divina, exantlanda. Observatè notandum, quod Isaias cupiat *mitti*; nam qui se officio Verbi DEI annuntiandi ingerit sine legitima Vocatione, *Lupus* est, non *Pastor*.

NARRATIO XCVII.
IOSIAS ABSOLUTA BONI REGIS IMAGO.

4. Reg. 22. 23. lib. 2. Paral. 34. 35.

Ab anno M. 3395. ante Christum. 658. ad annum Mundi 3427. ante Christum 628.



Mone, quod narravimus, sceleratissimo bipedum, post alterum regni annum, per domesticam proditionem interemptò, filius eius *Josias*, puer octennis, Judæorum regno inauguratus est. Cædis paternæ auctores, meritis statim supplicijs affecti. Novi regis nomen auspicatissimum, jam annos ante trecentos & quinquaginta (juxta computationem Saliani) divinitus fuerat editum. Quo tempore Prophetes quidam, Judaicæ tribûs, *Jeroboamo* prędixit, Israëlitarum regi: nasciturum è domo Davidica, qui idola, eorúmq; cultores exstirpaturus, religionem instauraturus, & populares

Nomen & facta Josiæ diu antè prænuntiata.

& populares, ad avitam pietatem revocaturus esset, adjecto quoque JOSIÆ, quod ortu suo puer ille sortiturus esset, expressissimô vocabulô. id verò significat *DEI* vel *munus*, vel *ignem*, ob Zelum videlicet regis optimi, & ignita sacrificia. Is post nequissimi parentis brevẽ, turpissimúmq; dominatũ ita successit in regno, ut in Iudæ regibus nemo fuerit illo melior. Vivendi modum eum instituit, DEUM ut ubique locorum præsentem haberet, & ad ea unicè animum intenderet, quæ existimabat illi placitura. Quare ut ei nihil antiquius aut potius fuit, quàm ut divinus honor magis in dies singulos ac magis augeretur, quæque ad illius spectant cultum, magnificè semper ac legitimè fierent; sic eò primùm appulit animum, ut, quæ ad religionem pertinent, eo essent ordine ac loco, ut neque indecorè peragerentur, neque unquam intermissa deficerent; aut in illis obeundis Sacerdotum, aut Sacratorum hominum studia languerent. *Zelus religionis ardens in Josia.*

Neque hic pietatis ardor Hierosolymis sese, aut intra fines duarum tribuum *Juda* & *Benjamini* continuit; ultrà progressus, Idolorum, & omnis sacrilegi cultûs excidium, in terras etiam tribuũ *Simeonis*, *Ephraimi*, *Manassis*, ac *Nephtalæorum* extendit & circumtulit. *Bethele* potissimùm, Ephraimitarum oppidô præcipuô, jam antiquitus, ob *aurei Vituli* sacrilegam adorationem infamî, non solùm altaria destruxit, & cum simulacris impijs, *lucos* & *Excelsa* vastavit, delubra diruit; quidquid vasorũ in tẽplo Solymæo repertum idolorũ sacrificijs dicatum, combussit, cinerémque dispersit; cæteráq; idololatriæ sive instrumenta; sive monumenta (quæ jam antè per *Manassem* disturbata, ab *Amone*, omnium scelerum turpitudine corruptissimo, fuerant reparata & reposita) evertit, confregit, combussit, sustulit. In ijs fuere prostibula & lupanaria, in quibus intra ipsos Sacratissimi Templi parietes promiscuæ libidini operabantur: Currus etiam *Solis*, & equi; vel artificiosè elaborati, vel vivi; ei Planetæ, Gentilium more, mactandi & sacrificandi. Pythones insuper, ariolos, augures, divinos, & quidquid id generis impietatis & spurcitiæ erat, exterminavit. Hebræos sacerdotes, impuris Sacris contaminatos, ab aris castis removit; & passim, per oppida *Samaritarum*, quos vivos reperit, Deorum sacrificulos; eos super suasmet aras interemptos, fecit victimas: & quos invénit jam olim sepultos; eorum super eadem altaria reliquias, ossáque concremavit. Béthele cùm esset, & eius urbis loca omnia circumspiceret, in sepulchrum incidit illius ipsius Vatis, qui tribus ampliùs antè sæculis, Nomen *Iosiæ* virtutémque prædixerat; agnitum è signis illi monimento impressis (quale *Iehova* nomen esse potuit); pepercit tumulo, &

honorem cineribus habuit; Sacrificulorum autem omnia cum ossibus atque bustis, monumenta profanavit, & evertit.

Parum fuit malorum omnium omnem occasionem subtrahere; totum se bonis impendit. Templum toties deformatum, nec satis unquam post deprædationes restitutum, summo vigore ad pristinum splendorem & ornamenta reduxit. Reparatum quidquid vel longo attritum usu, vel hominum injuriâ, temporúmve collapsum, aut ruinæ proximum. In ea cura dum totus est, Domúsque DEI sarta tecta restaurat per fabros, accidit, ut cæmentarij librum invenirent ruderibus obrutum; vel, ut alij cum Josepho scribunt, in Arca repositum, & à Pontifice *Helcia*, dum aurum depromit, repertum. Fuit is liber, *Deuteronomium*, (aliqui totum *Pentateuchum* fuisse volunt) qui à Sacerdotibus, ne cum libris sacris pietas omnis interiret, absconditus creditur sive in muro perfosso, sive in ærarij sacri scrinio regnante *Achaze*, & divina volumina, impietatis suæ testes, flammis abolente. Neque Achaze melior, si ultima tempora excipias, *Manasses*, eiúsque filius *Amon* extitit, in quibus par contemptus tam legis divinæ, quàm librorum legis fuit. Ut improbitati plus esset licentiæ impudentiæque, remoti sunt ex oculis sacri codices, officij monitores, sacrilegij exprobratores. Rex certè Iosias, tanquam novum aliquid inaudijsset, toto cohorruit corpore, cùm *Saphan* scriba recitaret inventum legis divinæ librum; testandóque dolori, vestem disrupit, perpendens, quàm amplis DEUS prœmijs ad virtutem alliceret: quàm gravibus minis à vitijs absterreret; Comparabat inter se hinc justitiam, majestatemque, legem ferentis; inde contumaciam ac vecordiam, legem accipientis. Vidit, quàm omnia alia DEUS præcepisset; alia verò majores sui, populúsque fecissent. Majoribus igitur studijs ad DEUM placandum conversus, ex Prophetis discere voluit, quibus rationibus tantorum immanitas criminum expiaretur.

Inventio librorum Sacrorum.

Helciam itaque Pontificem, cum viris alijs primarijs mittit ad *Holdam* Prophetidem, (aberat enim tum Jeremias, totum regnum concionibus suis obiens) à qua intelligerent, quibus piaculis propitiandum esset Numen. Legatis respondit fatidica mulier, decretas à vindice DEO pœnas, nullis posse supplicationibus averti; gentem Judaicam sedibus suis eijciendam, & varijs propter commissa scelera calamitatibus jactandam; Vatum sacrorum hortatus & minas, adhuc protervè spretas, tristissimis eventibus comprobatum iri. injectam tamen imminenti tempestati moram esse à regia pietate; Josia vivis excedente, velut rupto obice, omnia mala Judæam inundatura. Quibus regi

Holda Prophetidis responsum.

regi renuntiatis, nihil priùs duxit, quàm ut quaquaversùm nuntios dimitteret, qui ætatis omnis & conditionis Hebræos Hierosolymam convocarent. Ingens breví multitudo confluxit; quâ in templum congregatâ, rex in editiore consistens loco, sacramentô adegit universos, ad Divini Numinis cultum, legésque omni contentione tuendas & conservandas. Non ardentiùs id Iosias exegit, quàm ipsi se præstituros receperunt; sed more suo, inconstanter; quod in Jeremia docebimus. In confirmationem eius fœderis, cum DEO initi, magno mox apparatu sacrificia patrata; Paschalísque celebritas, quanta potuit solennitate, peracta; *Ieremiâ* & *Sophoniâ* Prophetis tam Regis, quàm populi studia, ferventi cohortatione inflammantibus.

Atque hic tantus, ac factis suis tam inclitus Rex (ô mira DEI judicia) à *Nechaône* tamen Ægypti rege, interimitur in acie! Ieremiæ Vatis lessô, lacrimísque, tunc statim exequias illius rigantibus, ac deinceps funeris eius favillas rigaturis. Nihil in vita gessit omni, tam pœnitendum; quàm quòd optima mente, conscientiáque, sed inconsultô militaris ardoris impetu, nullóque prævio Numinis oraculô, regi congressus Ægyptio; ceciderit acie, qui steterat semper à DEO. Belli caussa Nechaôni, cognomentô Pharaoni, si Iosepho credimus, fuit cupiditas potiundæ Asiæ. Cui cùm innoxium per Iudæam transitum petenti, negâsset Iosias, sive quòd hominis fidem suspectam haberet; sive quòd Assyrijs, in quos movebat Nechao, amiciùs, quàm cautiùs consultum vellet, alienum periculum in sua damna transtulit. Nam ventum est ad arma, consertum prœlium in campo *Mageddone*, vulneratus sagittâ Iosias, lethalíque collapsus plagâ, traxit secum in ruinam, nulla sua voluntate, *Iudaea* rem, ac fortunam omnem, *Sacram* & *Civilem*, juxta Holdæ vaticinium. Exanime corpus Hierosolymam revectum, communi omnium luctu, funere magnifico paternis monumentis illatum est, Ieremia, quod dixi, epicedium ei lugubre canente. Vivendo explevit annos triginta novem, regnando triginta unum.

Iosias à barbaris interficitur.

Erratum Iosiæ.

Ex occasu Iosiæ Iudæa in ruinam tracta.

DOCTRINA.

Quid caussæ est, quòd DEUS Iosiam regem, vitæ longè probatissimæ, & religiosissimæ, morte non tantùm præmatura, sed etiam cruenta voluerit è medio tollere? Princeps longè iñocentissimus de vita extruditur ævo viridi; lethali jacet sagittâ prostratus, pius ab impio, à profano sanctus, misericors à crudeli. Ubi religio? ubi acta per tot palmas virtutum vita? ubi vigiles bonorum Angeli? ubi Protector DEUS?

Cur pij citiùs aliquando, duriùsque è vita revocantur, seriùs impij.

Respondet Cornelius noster à Lapide, in hunc locum. Ne videret mala gentis suæ, scilicet excidium regni & templi, ob Judæorum delicta, jam supremo in Tribunali decretum. Ita Ludovicus rex Galliæ pientissimus, in medijs *Terræ Sanctæ* recuperandæ conatibus, captus, iterúmque liberatus, denique peste absumptus est; qui in omni fortuna sibi similis, tantò ardentiùs regno cœlesti inhiavit, quantò pluribus pro DEO exantlatis laboribus, eius obtinendæ certiores spes habuit. Vicissim verò impijs non rarò tyrannis longa obtingit vita; nimirum diu vivunt, ut diu crucientur, sibi graves, omnibus exosi. Et si quid boni per tot mala fecere, remuneratur id æquissimus Iudex vita temporali, qui æternâ sunt carituri. Deinde aggreditur eos DEUS, feralibus sæpe morbis, & lenta morte cruciatos demittit ad inferos. Evaderent hîc, si liceret festinanter perire. Exempla Herodes, Tiberius, alij.

Præterea DEUS viros Sanctos citiùs, vel etiam duriùs è vita evocat; tum quia improbi non sunt digni diuturniore proborum consortiô; tum ut acerbiore mortis genere, expiati noxis, quas humana fragilitas contraxit, sine tormentis ignis lustrici, rectà in cœlum evolent. Verissimè Salomon Prov. 11. *Si justus in terra recepit* (pœnas, ob labes minores) *quantò magis impius & peccator* (ob gravissima scelera castigabitur.

Elogium Iosiæ.

Præclarum Iosiæ elogium composuit Siracides c. 49. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris, facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in convivio vini.* Ut enim thymiama (ad quod alludit Ecclesiasticus) varijs ex odoramentis componebatur, sic memoria, famáque Iosiæ variarum spargebat odorem virtutum; pietatis præsertim ac religionis, quæ miram fragrantiam in cœlum usque exhalabat. Unde nomen eius, laudésque apud omnem posteritatem manebunt. Neque contentus Sacer Panegyristes suavitatem memoriæ Josianæ per odoratum expressisse; gustum addidit, dulcedine mellis palatum oblectantem; & quasi nondum satis explicâsset tantæ virtutis per ora hominum, mentésque volantis laudationem, adjecit similitudinem ab auditu, quem jucundissimè pascit, mulcétque delicata musica, genialibus epulis insparsa. Idque ita accidisse, liquet ex 2. Paral. c. 35. ubi de mortuo Iosia dicitur: *Universus Juda & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maximè: cuius omnes cantores, atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israël*, ut de ijs, quasi de re usitata, & omnium ore celebratâ,

dicatur:

dicatur : *Ecce scriptum fertur in lamentationibus* , hoc est, in Epicædio Josiæ per Jeremiam scripto, cantatóque. Quæ tamen lamentationes (utique diversæ ab eiusdem Prophetæ threnis) jam non extant.

Habet hoc Virtus, ex oculis exempta, ut suavissima sit eius, gratissimáque recordatio, fama, gloria. Neque monumentum est magnificentius ullum, quàm quod erigit sibi vita integra; nec sceleris tantùm pura, sed etiam rebus ad honorem DEI præclarè gestis impensa. Lapides & metalla vetustas exedit, aut vis inimica deijcit; cippi, columnæ, tituli, pyramides intereunt; sed *memoria Iusti cum laudibus*, Proverb. 10. *perennabit.* Et psaltes Regius psal. 111. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.* Quidquid ogganniat os impiorum, Virtus intaminatis fulgens honoribus, rapit in admirationem etiam malos; in commendationem verò & amorem bonos. Non moritur apud mortales; & semper vivit inter immortales. Æternat eius memoria, quia deleri non potest, quæ scripta est *in libro Vitæ.* *Memoria Iusti.*

Atque hic est Iosias ille, de quo Siracides cap. 49. *Præter David, & Ezechiam, & Iosiam omnes* (reges Iuda) *peccatum commiserunt.* Nam cæteri, dum *Excelsa* non auferunt, id est, delubra in montibus excitata, etiam ea, in quibus DEO Vero, contra vetitum tamen, sacrificabatur, vitia vel induxerunt, vel indulserunt. Hi verò soli Regum Judæorum, scelus idololatriæ nec commiserunt, nec permiserunt. Nimirum rarum est in natura spectaculum rex immaculatus. Rerum potentibus, stat virtus omnis in lubrico; per tot hominum obsequia, per tot delicias aut sopitis, si mulceantur; aut irritatis, si quid sensibus adversetur. Stimulat undique ambitio, inflammant libidines, ira præcipitat, urit ardor vindicandi, laxat fræna cupiditatibus infinitis, omnia audendi, faciendíque licentia. Præter indolem bonam, Iosiæ pondus ad pietatem ingens addidit optimi libri lectio, quē Helcias Sacerdos in templo reperit, regíq; tulit. Accessit magna vis ex Ieremiæ prophetæ consilijs saluberrimis, quæ Regis animum ad omne pietatis studium accenderunt. Tanti interest, quibus Institutoribus Principem informandum committas. Iosias etiam tum octennis, in ipsa herba fructus protulit, quia satum è cœlo accepit; E pueritia probè culta, in juvenem excrevit & virum, cuius *odor esset, sicut odor agri pleni.* Gen. 27. raræ virtutis, & famæ sempiternæ fragrantiam spargentis. Ite alij reges, funera balsamo condite, busta de cinnamo *Cur tam pauci reges laudabiles.*

 struite,

ſtricte, urnas imbre croceo rigate; Joſias vivit extinctus, & ſine pollinctore redolet unguenta ſepultus; ſi tamen ſepeliri potuit, cuius glorioſa memoria mori non potuit.

Epitaphium Ioſiæ. Hic eſt ille Ioſias, qui Principum ſanctiſſimus, ſtetit invictâ pietate contra tot ſcelera; qui portenta domuit, qui religionem in plenam libertatem aſſeruit; qui ruentis imperij ruinas per annos triginta ſuſtentavit; qui ereptus mundo, cùm jam patriæ tempus immineret, quô nullus eſſet mundus. Ea morte extinctus eſt, qua florentiſſimi duces ſolent; in campo Martis, in ipſius honoris throno; ſuo trabeatus ſanguine, ad Mauſolæum, velut ad Capitolium proceſſit, Primùsque poſt obitum triumphavit. Si dura eius fata, ſi miſeram mortem, quia violenta eſt, judicamus, mendacem DEI ſpiritum arguimus, qui per *Holdam* prophetidem, Ioſiam *ad ſepulchrum in pace colligendum* maniſeſtiſſimè prædixit. Nimirum magnarum mentium profectus & coronæ per adverſa computantur. *Hic eſt habitus innocentiæ, hæc palmata veſtis, hoc curru triumphamus,* ait Tertullianus.

NARRATIO XCVIII.
IOACHAZES, SIVE SELLUM; ELIACIMUS SEU JOAKIMUS; JOACHINUS SEU JECHONIAS; REGES JUDÆ IMPIJ, MISERI.

4.Reg.23.24. 2.Paral.26.

Ab anno M. 3425. ante Chriſtum. 628. ad annum Mundi 3436. ante Chriſtum 617. quo Iechonias captivus Babylonem abductus.



Ioſiâ terris ſubductô, univerſa, quod retulimus, felicitas Hebræa corruit. Primas turbas dedit *Ioachazes*, filius Ioſiæ ſecundò genitus, qui factione populari (ſive quòd animos promiſſa religionis libertate corruperit; ſive quia militaris eius ferocia, patriæ præſidio contra hoſtes futura credebatur) regnum inauſpicatum invaſit, annô ætatis vigeſimo tertiô excluſô per injuriam *Eliacimô*, fratre majore, viginti quinque annos natô. Exordio ſtatim dominationis nuntium DEO, paternæque pietati remiſit, populóque nihil admodum religionis ſinceræ, præter externam ſpeciem præferenti, dux ad omnia ſcelera fuit. Et quia metus, perpetuus comes eſt mentis

Ioachazes invaſor regni, & tyrannus.

malè

malè consciæ, *Joachazes* veritus, ne vel intestinis seditionibus à fratribus, (*Eliacimo* & *Mathania*, postea *Sedecia* dicto, natu minimo) vel externis armis ab Ægyptijs peteretur, cœpit avarè, crudeliter, unde unde potuit, pecunias, belli nervum corradere. Sed nulla est diuturnitas in regno iniquè parto; post trimestre dominatûs spatium, *Necbao*, Rex Ægypti indignè ferens, Regem sine sua auctoritate, solio sibi tributario impositum, magnis iterũ cum copijs Iudææ infunditur, prælióque cum *Ioachaze* consertô, victoriam reportat; non incruentam tamen; capútque belli vinctum in Ægyptum abducit. id, quod Ezechiel cap. 19. vers. 4. indicare videtur: *Et audierunt de eo* (Ioachaze) *gentes, & non absque vulneribus ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti.* Alij scribunt, Ioachazem non vi, sed dolo, in potestatem hostium venisse, quippe Nechaoni post commissam infeliciter cum Babylonijs (quos etiam Assyrios vocant, ob horum imperium ad illos translatum) pugnam, redeunti per Palæstinam, occurrisse Eliacimum, & tanquam ad arbitrum, fratris injuriam detulisse: opem, non sine muneribus, majorum exemplô postulâsse: vectigalem se, si sceptrô sibi debitô donaretur, pollicitum. Nechaonem per simulationem componendæ controversiæ, Ioachazem quoque evocâsse in urbem *Reblam*, seu, quod aliqui putant, *Reblatam*, (Galilæi tractus) quem ut intra casses habuerit, conjecisse in vincula, & in Ægyptum amandâsse. Ut ut sit; certum est, Ioachazem captivum abstractum, squalore & mœrore obrutum, extremum in Ægyptio carcere spiritum exhausisse. *Ioachazes victus & captus.*

Itaque subrogatus est *Eliacimus*, quem mox immutatô vocabulô, Rex Ægyptius *Ioakimum* dici jussit. Is ut apud *Pharaonem* (cognomentum est Nechaonis) gratiosus esset, acerbis exactionibus plebem vexavit, auróque & argentô per fas & nefas coactô, se, regnúmque suum superbo tyranno substravit.

Diutius ille quidem, fratre suô *Ioachaze*, rerum est potitus, sed pari, vel etiã majori crudelitate. Undecim enim annorum rex, sed potentioris regis (Nabuchodonosoris) stipendiarius, objurgatorem ac vastationis imminentis Vatem *Uriam*, DEI Prophetam ex Ægypto, quò profugerat, retractum, impiè trucidat; cadavérque trucidati, super plebejorum tumulos abjectum, à prophetarum sepulcrali societate discludit. Quâ tamen infamiâ funeris neque Prophetam obscuravit; quem tantopere profectò posteri non scirent, nisi latere rex illũ etiã in cineribus, laborâsset; & ille vulgus præterea cadaverũ ignotorũ nobilitavit; cùm eorũ tumulos promiscuos, omnîque nomine carentes, velut pyramis quædã, & epitaphiũ gloriosum, deinceps insigniret ac coronaret. *Crudelitas Eliacimi seu Ioakimi.*

Urias

Urias Propheta superinjectus. Ita nimirum frequenter dum obtegere scelera conamur, illustramus. *Virtutis sepulcbrum.*

Cœpit ea tempestate regnum Judaicum miserabiliter inter Ægyptios & Babylonios (seu Chaldæos) velut inter Scyllam & Charybdin jactari. Hæc enim Principum sors est, qui potentiores intermedij sunt, ut pax unius, sit bellum alterius. Non placuit Nabuchodonosori, regi Babylonio, tantum sibi Ægyptium sumpsisse, ut reges suo arbitrio conflatos & exsufflatos, gauderet. Irritabat quoque superbi hominis iram, societas armorum & animorum conjunctio, quam Joakimus cum Pharaone Babyloniorum hoste perpetuo, (cuius operâ ad regnum pervénit) inierat. Venit igitur insperatus, Ierosolymam milite cingit, eámque brevi, quòd ad obsidionem ferendam minimè parata esset, seu vi, seu fraude, seu terrore capit, regémque catenis vinctum cum parte vasorum, & electis proceribus (in quibus *Daniel* cum socijs fuit) Babylonem transportat. Tandem miseratione commotus, (nam incertæ sunt mortalium vices; & reges præcipuè, adversa fortuna suî miserabiles facit) eundem in regnum restituit, indicto grandi, & supra spoliati vires tributô. Hoc tribus annis ægrè persolvit; quarto in Ægyptium pronior, si qua inde acerbæ lenimenta fortunæ inveniret, rebellavit. Fluxa jam Ægypto fides, & robur invalidum. Redit Nabuchodonosor, & cruorem spirans, indefensum capit, & anno regni undecimo interfectum atque insepultum abijcit, tristi regiæ sortis spectaculo. Sic illi ab Hieremia propheta denuntiatum c. 22. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & projectus extra portas Hierusalem.* in modum cadaveris asinini, feris & volucribus depascendi. Flos juventutis Jerosolymitanæ unà cum rege interfectus est. Perfidiæ *Joakimus*, & crudelitatis pœnas dedit; alteras debuit rupto cum Babylonijs fœderi: alteras *Uriæ* Vati sceleratè occiso, sceleratiùs honore sepulcri, spoliato. Hic idem Joakimus Jeremiam quoque, sanctissimum Prophetam, indignis exagitavit modis. Quem Regem, omnis impietatis juratum mancipium satis constat, à morte *notis* in cadavere *magicis* passim dispunctum, & insignitum fuisse repertum: prodidisséque post vitam, cuiusnam disciplinæ fuerit ante mortem.

Nabuchodonosor Jerosolymam capit, Ioakimum cum proceribus captivum abducit.

Ioakimus rebellans necatur, & insepultus abijcitur.

Ioakimus magiâ infamis.

Substitutus Ioakimo, filius *Ioachinus*, parùm nomine diversus à nomine genitoris: omni verò regni tempore (quod trium mensium, ac dierum fuit decem) moribus, & institutô patri similis, & Idololatra. Porrò *Ioachinus* hic, est is, quem omnes passim, & cum his Matthæus Evangelij conscriptor etiam *Iechoniam* appellant. Hunc admodùm adolescentem (octavum & decimū agebat annum) non passa est divina Nemesis diutius paternæ impietatis

Ioachinus seu Iechonias haud melior patre Joakimo.

impietatis sequi vestigia; incitavit in eum Regem Babylonium, ut regium, quod nuperrimè dederat, beneficium auferret ingrato; imminentem Ieremiâ cladem nequicquam prænunciante. Obsidet igitur *Nabuchodonosor* (qui postea *Magnus* dictus est, *Nabolassaris* seu Nabuchodonosoris senioris filius) Hierosolymam, veritus ne *Ioachinus* memor patris *Ioakimi*, per injuriam occisi, regionem ad defectionem perpelleret; cui cùm resistendo *Ioachinus* non esset, datis obsidibus, cavit barbaro de fide servanda, tributóque pendendo. Sed Nabuchodonosor pactis non stetit; (quod in idolorum cultore minùs mirandum) simul enim Urbem, quam amici specie ingressus est, in potestate habuit, vim & animum hostilem exeruit. Capit regem cum matre & uxoribus, omníque gaza; & siquid in viris dignum irâ, aut servitute restabat, Babylonem abducit. Inter captivos fuere Principes regni, tribuni militares, & fortissimus quisque, unà cum Sacerdotibus, Sacris Vatibus, populíque decem millibus. Rex ipse *Iechonias* annos omnino septem ac triginta, degens in carcere Chaldaico, precariò, mendicíque sorte, victitavit: donec vix serò tandem, caput illotum, ad nuntium emissionis, ac libertatis allevaret. Caussa liberationis fertur familiaritas cum *Euilmerodacho* Nabuchodonosoris filio (quem in eandem custodiam à patre conjectum fuisse Hebræi, & cum his graves scriptores tradūt) in vinculis contracta; Animos enim non rarò similitudo fortunæ conciliat, & experientia miseriarum ad misericordiam inflectit. *Euilmerodachus* de carcere ad solium evectus, *Iechoniam* quoque exemit è custodia, & regiæ dignitati restitutum, inter primos amicos coluit. Eius salus, sicut & *Sedeciæ*, in ambiguo est; diu toleratus carcer, in expiationem criminum: & Danielis præsentia: tum divina circa *Nabuchodonosorem* prodigia, credibile est, meliorem ei mentem, & præteritorum pœnitentem injecisse. Juxta Chronologiam Saliani, attigit ætatis annum undesexagesimum; ab adito regno quadragesimum primum.

Iechonias captivus cum magna multitudine in Babyloniam transfertur.

Cæterùm ei dejecto, successor à Babylonio rege datus est *Matthanias*; immutato postea nomine *Sedecias* appellatus. Is *Iechoniæ* fuit patruus; *Ioakimi* frater, ac *Iosiæ* regis filius: rex constitutus misellæ & exhaustæ plebis; à patrijs & ipse degener, nihil autem à fraternis institutis. Miser, qui quotidie salutaria denuntiantem *Ieremiam* Propheten, fame, siti, nervô, taureis, cænóque lutulentis puteis torquere maluerit; quàm audire cum profectu. Qua proinde regis contumaciâ factum est; ut sicuti *Surdo* priùs cantabantur Oracula, tanquam *fabulæ*: sic *Cæco* postea *Tragædia* daretur in catenis; sine lacrimis *proprijs* (quippe raptis jam oculis) sinéque lamentis *alienis*. Vix unum enim inveniebat, sui

Matthanias seu Sedecias.

causfâ dolentem: eò, quòd retinerent omnes memoriam, invectæ per eum regno cladis; eversæ religionis; rupti fœderis; violatique jurisjurandi: quod interposito veri DEI nomine, Babylonio regi ediderat. Nec enim defleri dignus est, qui scelere suo facit, ut nemo, nisi flere, possit. Sed de hoc Rege in sequenti narratione plura.

DOCTRINA

Vaticinium Ezechielis de tyrannis.

HAnc egregiam nobis suppeditat Ezechiel cap. 19. Ibi DEUS Prophetam, hunc in modum alloquitur. *Et tu* (Ezechiel) *assume planctum super Principes Israël*, (deplora, & luge calamitatem Iudaicorum Principum & regum) *& dices*: *Quare mater tua leæna* (quare Ierosolyma, similis leænæ ob nobilitatem, audaciam, sævitiam incolarum) *inter leones cubavit* (intrepida olim quievit inter vicinarum gentium reges, velut inter leones) *in medio leunculorum enutrivit catulos suos?* (inter alios Regum & Principum filios, brevi tempore multos genuit reges, nempe Joachazem, Ioakimum, Ioachinum, Sedeciam) *Et eduxit unum de leunculis suis*, (Ioachazem ad regium solium extulit) *& leo factus est*: (superbo & crudeli dominatu cœpit instar leonis rugire, & sævire in subditos) & *didicit capere prædam, hominémque comedere* (subditos per avaritiam pecunijs: per crudelitatem vitâ exuere. *Et audierunt de eo Gentes* (Nechao, rex Ægyptius) *& non absque vulneribus suis ceperunt eum*. Præliô cruentô decertantem, vulnerârunt, & vulneratum ceperunt Ioachazem, juvenem bellicosum, & more leonis ferocem. Heb. *Captus est in fovea eorum*. quibus verbis innui videntur insidiæ, in quas conjectus est. *Et adduxerunt eum in catenis in Terram Ægypti*. quod suprà narravimus.

Quæ (leæna, nempe Ierosolyma) *cùm vidisset, quoniam infirmata est* (orbata catulô suô, & rege Ioachaze) *& perijt exspectatio eius*; (quòd res, ut speraverat, non succederent.) *tulit unum de leunculis suis* (Eliacimum, seu Joakimum) *leonem constituit eum*. (à Nechaone seu Pharaone cum consensu populi factus est rex.) *Qui incedebat inter leones*; (fœdera cum vicinis regibus inijt, & inter tyrannos incessit tyrannus.) *Et didicit prædam capere, & homines devorare*: *didicit viduas facere*, (occisis earum maritis, & bonis occupatis) & *civitates eorum* (hominum scilicet, quos occidit) *in desertum adducere*: (civitates fecit desertas, & civibus spoliatas) *& desolata est terra, & plenitudo eius, à voce rugitûs illius*. (incolæ namque sævitiâ Ioakimi territi, profugerunt, sicut fugiunt animalia audito rugitu leonis.) *Et convenerunt adversùs eum Gentes undique de provincijs, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est*. (Babylonij suis copijs, quasi reti ceperunt Joakimum, & abduxerunt eum

in Babylonem,

in Babylonem, non fine vulneribus inflictis, acceptísq;) *& miserunt eum in caveam &c. ne audiretur vox eius ultrà super montes Israël.* (Hoc habet tyrannus, qui alios leonino rugitu perterrefecit; nunc inclusus caveæ, & denique mactatus, solvit dignas scelerum suorum pœnas. In eandem foveam inciderunt reliqui quoque duo, Solymææ leænæ catuli, Joachinus seu Jechonias, & Sedecias.

Aptissimè sanguinarij tyranni leoni comparantur, quibus idem præstat potentia, quod leoni ferox spiritus, & sitiens sanguinis furor. Fertur enim in prædam, eámque ut vestiget, & capiat, agros omnes ac silvas aspectu suo, fremitúque conturbat; atque in eam ubi primùm inciderit, concerpit & devorat. Idem fecerunt regij hi catuli; quorum tamen non minùs brevis, quàm funestus fuit exitus. omnes simul, vix annis 22. regnârunt. Verè „ *Seneca lib. 1. de Clementia*: Reges, *ait* consenescunt, liberísque „ ac nepotibus tradunt regna. tyrannorum execrabilis ac brevis „ potestas est. Meritò Salomon, Proverb. 19. *Sicut fremitus leonis: ita & regis ira.* imò cujuslibet scelerati Principis, aut magnatis; grassatur illa per rapinas, cædes, expilationes, in subditos. Talis fuit etiam Nero, de quo Apostolus 2. Timoth. 4. *Liberatus sum*, inquit, *de ore leonis*, videl. Neronis. *Senec. Tragœd.* 6. Gravis regum ira est semper. Et alibi: Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. Per iram homo hominem exuit, feram induit. Iracundus cum apris spumat ore, dentes acuit attritu; cum tauris jactat cornua, & arenam pulsu pedum spargit; cum leonibus fremit, & rugit, cum serpentibus irritata colla inflat, cum rabidis canibus tristis ei & minax aspectus; Tuta tamen est inter feras similitudo morum. Homo homini leo, lupus, canis est.

Tyranni leonibus comparantur.

Iracundus.

Inter alias Iudaicarum calamitatum caussas, etiam hæc fuit; Societas cum Gentilibus regibus contracta. Hic Ezechiel: *Incedebat inter leones.* (Joakimus, aliíque Solymæi reges, jam ad Ægyptios, jam ad Babylonios, aliásque Gentes animum adjicientes, pessimo semper eventu.) Ex apologis nota est, *Societas Leonina.* Leo, inquit Æsopus, cum asino & vulpe societatem contraxerat, ut, quod venando cepissent, id inter se dividerent. Ergo cùm venatu prædam essent nacti, mox jubet Leo, ut asinus eam dividat. Ille, ut erat stolidus, in tres æquas portiones partitus est. Ob eam partitionem indignatus leo, quòd ceteris æquaretur, asinum adortus discerpsit. Inde jussit vulpem divisorem esse prædæ; hæc asini clade cautior, omnem pænè prædam attribuit leoni; sibi particulam exiguam reservans. Leo, probata distributione, rogat, ecquis illam dividendi artem docuisset. Cui vulpes: calamitas, inquit, asini. Id expertus est Joakimus dum Joachazem fratrem ad Nechaónem detulit; Utrúmque leo discerpsit.

Societas leonina.

De Iechonia, & quovis peccatore, terribile est, quod DEUS per Ieremiam intonat, cap. Ierem. 22. *Vivo ego, dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* Quasi dicat, si Iechonias mihi esset tam conjunctus (quod revera non erat) quàm est annulus vel amantis, vel signantis, nunquam deponi solitus; proijciam tamen à me, & proteram pedibus. Concedamus homini tot meritorum opes, quot omnium omnino cœlitum sinu continentur; hunc si vel unâ graviori noxâ infici contigerit, illicò omnis illa meritorum congeries in auram dissipabitur; & fiet ex amico DEI intimo, hostis execrabilissimus, æternorum reus ignium. *Odio sunt* enim *DEO impius & impietas eius* Sap. 14. Et Ezechiel 18. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem &c. omnes justitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.*

Abominatio peccati lethalis.

Nunc videamus, quas pœnas etiam temporarias peccatum invexerit in Iudæam impiam. O quantùm diversi à pientissimo parente Iosia, tergemini filij Ioachazes, Ioakimus, Iechonias! (quartus *Iohanan* nomine, præmaturô fatô è vivis subductus est.) Degenerem indolem DEUS per os Ieremiæ exprobrat, cap. 22. *Pater tuus* (Iosias) *nunquid non comedit & bibit*, (rerum omnium abundantiâ affluens) *& fecit judicium, & justitiam, tunc cùm bene erat ei?* (nunquid eius felicitas ortũ habuit ex æquitate & integritate regendi?) *Iudicavit caussam pauperis, & egeni in bonum suum*; (justè judicando, & neminem, quamcunq; exilis fortunæ hominẽ opprimendo, non tam pauperum consuluit commodis, quàm proprijs; Deô prosperos successus eius virtuti largiente) *Nunquid non ideò, quia cognovit me, dicit Dominus?* (Unde rerum ei prosperitas hausta, nisi ex studio me religiosè colendi, mihíque placendi?) *Tui verò oculi, & cor ad avaritiam, & ad sanguinẽ innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis?* ô studia nimiùm contraria, ideóq; contraria merces! Id prædictus Propheta eodem capite minaciter intonat: *Terra, Terra, Terra* (ter repetit vocem Terra, quia ter Judæa monita est à DEO, puta, in trina trium regum clade, nempe Ioachazis & geminorum fratrum) *audi sermonem Domini.* Et quis ille sermo, nisi futurorum malorum horrifica denuntiatio?

Peccati damna virtutis præmia.

Præter Ieremiam, audiamus Ezechielem cap. 19. *Mater tua, quasi vinea in sanguine tuo super aquã plantata est: fructus eius & frondes eius creverunt ex aquis multis.* (Ierusalem mater tua, ô Ioakime, imò mater vestra, ô reges Iudæ, instar frugiferæ vineæ seu Vitis, juxta aquã plantatæ, & riguo humore fæcũdatæ, pampinorũ & palmitũ ornatu luxuriavit; *In sanguine tuo*, hoc est regio sanguine & progenie tumida, familijs, civibus, potentia, divitijs, gloriâ aucta est.) *Et*

Ezechielis vaticinium de interitu Iudæorum regum.

est.) *Et facta sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius inter frondes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum* (*Palmites* sunt, soboles Regia, sceptro nata; *frondes*, Principes opibus potentes; proceritas staturæ, Celsitudo regni Judaici, vel urbis Solymææ; *multitudo palmitum* (intellige *minorum*) seu sarmentorum aut flagellorum, nempe multitudo civium & incolarum;) quam ubi vidit Ierosolyma, videndo sibi placuit, & superbivit. O superbiam ruinæ proximam! Time, Jerosolyma, tempestatem & naufragium; jactaris. Surgunt in altum fluctus, ut deruant violentiùs. Imò, ut ad *vitem* & *Vineam* redeam, time tibi inflata Ierosolyma; jam securis ad radicem posita est; excidêris, & eradicaberis; veniet frigidus aquilo, qui exurat germina tua, & perdat opes tuas. Comminatur id porrò Ezechiel loc. cit. *Et evulsa est* (Vinea) *in ira, in terrámque projecta, & ventus urens siccavit fructus eius: marcuerunt & arefactæ sunt virgæ roboris: ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum, in terra invia & sitienti. Et egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit; & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum. Ventus urens* est hostium Chaldæorum in Iudæam impetus; *siccati fructus*, cives Solymæi & opes exhaustæ; *arefactæ virgæ*, Principes, regum filij, reges fortunis suis eversi. Ignis *adurens & depascens*, ultio divina. *Transplantatio*, est abductio & Translatio in Babyloniam, ubi captiva Ierosolyma rerum omnium tenetur indiga, tanquam in solo arenti & deserto. Ignis ille vindictæ divinæ *egressus est*, id est, excitatus est ab impietate regum & principum; præcipuè, sufflante *Sedecia*, qui fuit caussa excidij, & quo regnante, funditus vastata Hierosolyma; *Nec remansit virga* aut palmes, heres aut filius, qui in regnum succederet; nam cum parente Sedecia, nati in captivitatem abstracti, & interfecti sunt; pater exoculatus & ærumnoso carceri mancipatus. Quod jam paullò explicatiùs referemus.

NARRATIO XCIX.

SEDECIAS, IOSIAE FILIUS, REX JUDAE ULTIMUS, IMPIUS, PERIURUS, PERFIDUS, CALAMITOSUS.

4. Reg. 25. lib. 2. Paral. c. 36. Jerem. 39. 40. 41.

Ab anno M. 3463. ante Christum. 617. ad annum Mundi 3446. ante Christum 607. quô annô Jerosolyma cum rege suo Sedecia capta est.

NArravimus, binis Assyriorū seu Babyloniorum in Judæam irruptionibus, præter deprædationes ac mala cætera, captivorum insuper abactiones (quas Transmigrationes nominant) in Babylonicam servitutem esse factas. Abactione quidem prima, *Joakimum*, Solymorum Regem, in catenis Babylonem abductum; iterúmque remissum in patriam, stipendiarij nomine; sed cùm deserto Babylonio rege, fidem amplexus fuisset ac fœdus Ægyptij regis: à Chaldæis denuo comprehensum, & extrema calamitatum expertum. Transmigratione verò proximè sequente, *Jechoniam* Joakimi filium, & à patris obitu successorem, cum multa præda & flore nobilitatis in eandē captivitatem abstractum. Nunc tertia nobis in Babyloniam abductio memoranda, quæ septuaginta jugum annorum collo recepit; ac neque postea quidem, tam longum sub intervallum, id satis cervicibus suis excussit. Ea *Sedecia* Rege, comitéque, quin & auctore conflata, confectáque: traxit unà secum, quasi malorum omnium uno quodam involucrô, regem *Nabuchodonosorem Magnum*, insuperabilē Judæis hostem, & avitæ potentiæ eversorem.

Sedecias igitur, quem à parente *Iosia* Matthaniam vocatum diximus, *Ioakimò* fratre à Chaldæis interemptô, eiúsque filiô *Iechonia* Babylonem traductô, à *Nabuchodonosore* regnum patrium accepit; priùs adactus in Sacramentum clientelare, vocatóque in testem DEO, se Babyloniorum stipendiarium, datam regi fidem servaturū integram, illibatámque. Annū agebat vicesimum primum; cùm regni gubernaculis admotus, luxuriare statim potentiâ cœpit, DEI, sacrorúmq; contemptor; neq; faciē Ieremiæ Prophetæ saluberrimè monētis erubuit, neq; tot DEI nuntios extrema minitātes. Septeñiô cliēs Babylonij regis, & vectigalis fuerat;

fuerat; cùm munita jam urbe, ubi satis præsidij visum, ad libertatem fatali dementia aspirare cœpit. Sollicitabat animum Ægyptus, progenitorum olim hospes, sed dura. Trita in eam magis via, & vis propior ad nocendum, ad auxiliandum promptior. A Babylonijs nihil exspectabatur, nisi arrogans & durum, fastum regnantium, & præteritorum experientiam reputantibus. Itaque ex clandestinis simultatibus in apertam se rebellionem conjecit; fœdus inijt cum Ægyptijs adversùs Babylonios, communes hostes. Eius defectione compertâ, Nabuchodonosor instructis celeriter copijs, in Iudæam armatus irrumpit, Ierosolymam vallatam & clausam acerrima vi obsidet. Accendit obsessorum animos salutis desperatio, implacabilis regis sævitia; & fiducia subsidij Ægyptiaci. Neque prorsus ea vana fuit. Nam obsidionem Pharaonis Ægyptiorum regis, cum auxilijs adventus, tantisper disiecit, & in se Chaldæorum arma convertit. Quô profligatô, arctiùs quàm ante, Hierosolyma circumsidetur ab hostibus.

Sedecias rebellat Babylonio regi.

Babylonij Hierosolymam obsident.

Deditionem continuis vocibus Jeremias, à DEO monitus, suadebat; sed obstinatis. Principes malè mulctatum, ut impatiens est melioris consilij superbia, detinuerunt in vinculis, oppressa veritate. Surrepsit tamen auribus Regis & Reginæ, obtestans & adiurans, ut urbe dedita, hostis animos placarent; omnia mitiora fore, victoris arbitrio maturè se permittentibus. Inclinabat interdum Rex in tutiora consilia; sed mente invalidum, ac nutantem, Procerum animi abripiebant in præceps. Propè bienniô jam steterat obsidio, & dirissima fames urbem urgebat; è fame pestis, è peste cadaverum copia; & ex hac sepulturæ neglectus; hinc belluæ, quæ funeratos juxta, semivivósque lacerabant; hinc in oppugnata civitate nihil nisi pavor & pallor, ac lamenta. Defecerant animi bellantium, nec jam enectis corporibus, idem ardor pectoris.

Ieremias frustra deditionem suadet.

Extremum malorum, in fuga perfugium, sed serum. Rex tandem urbem clàm deserit, quam tenere ultrà non poterat. Beneficiô noctis per regios hortos, mœnibus contiguos, elapsus scribitur, cum aliqua bellatorum manu. Fugientem senserunt excubitores Chaldæi, & insecuti sunt. Ibat per avias solitudines Regiæ familiæ agmen miserabile, paucis, ut dixi, militibus cinctum. Insiliunt in eos Chaldæi, *aquilis perniciores*, & dissipatis custodibus, Regem cum suis capiunt. Interea luctuosissima Hierosolymæ dies illuxit; post decimum nonum oppugnationis mensem, venit & ipsa in barbarorum potestatem. nihil tum ad sumam crudelitatem

Sedecias fuis capitur.

Ierosolyma vastatur.

tatem desideratum. Crudelis Chaldæorum in urbem irruptio; crudelior per urbem discursus, præda, cædes. Miscentur truculenter Sacra profanis; victoris furori, rapinis, contumelijs, libidini cuncta cedunt. Populi nongenta millia trucidata feruntur: captivorũ innumera raptata multitudo; Pontifex ipse *Iosedecus* inter eos fuit. *Arca* tamẽ, & *Tabernaculum*, & *altare Incensi*, cum *Igne Perpetuo*, noñulláq;, quæ facilè asportari poterant, jam antè Templo subducta, & subterraneo in quopiam loco abscondita, Jeremiæ potissimùm hortatu & curâ.

Nabuchodonosoris ira in Sedeciã.

Mensem in ea vastatione absumpserunt Chaldæi, cùm diripientium manus non sufficerent prædæ. Sedecias verò cum suis adductus est ad Nabuchodonosorem, tunc *Reblátha*, urbe peramœna, & quatuor dierum itinere Hierosolyma; distante, agentem, eminùsque belli Iudaici successus spectantem. Coram irato Victore ut vinctus stetit, mox ardere libidine vindicandi sævus domitor, nec usitata feritate contentus, tetra & horrenda machinari. Inde fremens, & truci vultu captivum contuens: Et hæc, inquit, gratia meritis nostris refertur? huc reciderunt promissa tua impie, fœdifrage, perduellis? hæc pastorum fides? hæc clientis in dominum suum obsequia? Siccine potestatem regiam, quam à me accepisti, in beneficij auctorem armâsti, DEO, hominibúsque injurie, perjure, perfide? Dabis, dabis nunc perfidiæ tuæ, meíque, tuíque spreti Numinis pœnas, detestandum caput. Magnus ille dominator siderum, quem perjurio, scelestissime, violâsti, tradidit te ultrici furori meo. Ut sentias te mori, per moras dispensabo funera; per liberorum corpus, tua rimabor viscera. I, miles, in conspectu latronis, execrabilem sobolem interfice: impurus sanguis hauriendus est ad guttam, ne repullulet. Interemptis catulis, caput arripe canis, exscinde oculos, in catenis Babylonem rape; ubi lancinantis inter animi tormenta, & squalorem carceris longa scelerum supplicia solvat. Dicto audientes satellites, catenatos in conspectum vincti patris, adducunt filios, & sub eius, ac cæterorum captivorum oculis, regios puerulos, quos ætas tenera poterat miserabiles facere (genitor quippe trigesimum secundum nondum excesserat annum) obtruncant, parente miserorum sanguine respersо, & in singulis moriente. Qui fatis ubi suorum in funera fuit oculatus, eruuntur illi lumina, & informe jam cadaver cladibus suis superstes, Babylonem abducitur. Oneratum ferro, & inclusum caveæ, accedente ad crudelitatem ludibrio, Ducẽ funesti faciunt agminis; hòc uno feliciorem cæteris, quòd suam ipse miseriam, exsculptis oculis non videret. Sequuntur captivi bini, ternívе longo agmine. In ijs filiæ eius, quarum Ieremias meminit nominatim, cum cæteris

Sedeciæ filij in conspectu parentis trucidantur.

Sedecias exoculatus Babylonem abducitur.

cum cæteris mulieribus, uxoribus, & concubinis. Sed eæ sunt *Godoliæ* cuidam, natione Iudæo (qui maturô transfugiô sibi Nabuchodonosoris clementiam conciliârat, & ab eo præfecturam Iudææ acceperat; in qua nihil ferè, præter vinitores, agricolas, vulgúsq; proletarium, relictum) permissæ, privatámq;, in sortem redactæ. Quô deinde ab Ismaële quodã, de regio Iudæorũ sanguine, per proditionẽ interfectô; (nam invidebat eam dignitatem Godoliæ) cùm Iudæorum reliquias ultima desperatio (obstante nequicquam *Ieremia*, & divina oracula opponente) in Ægyptum transfugas egisset, eò uxores, & Virgines etiam regiæ, ad majorem ignominiam, & corporum contumeliam raptatæ sunt.

Uxores & filiæ Sedeciæ ludibrio affectæ.

Cæterùm, ubi satis cædibus, & populationi datum; consulunt Nabuchodonosorem militiæ Principes, quid urbe Solymæa fieri placeat. Ille negotium committit ducum cuidam, *Nabuzardani* nomine, ut vastatam urbem intret, totámque flammis succendat. Neque segniùs effectum est, quàm imperatum fuerat. Urbs, urbis muri, regiæ Davidis & Salomonis ædes, omnísque Hierosolyma flammis deletur; Templi priùs spoliati gloria fundamentorum tenus excisa, quæ quadringentis viginti quatuor annis à primo jacto lapide viguerat, in cinerem & lapidũ cumulũ desidet; *Judææ* regnũ, quod à Saule quadringentis & octoginta quinq; se sustentârat añis, concidit, & in Chaldæorũ arbitria concedit. Arsit, quidquid auferri non potuit. Faces ædibus subjectæ ex intimis cavernis exegerunt latentes, & Chaldæorum furori objecerunt. Sedeciam mœror animi, oculorum cruciatus, liberorum orbitas, templi, regníque interitus, vinculorum & carceris durities sensim confecerunt. Qui si ex catenis illis Babylonicis in Inferorum ergastulum non est detrusus, id enimuero *Ezechielis* & *Danielis*, captivitatis Sociorum, adscribendum est precibus, & pijs monitis, è quibus didicit, futura mala præsentibus redimere. Tradunt Hebræi, eum cum plangore, Babylone sepultum more regio; argumentum lessi fuisse: *Heu cecidit Sedecias, qui fæcem bibit omnium seculorum*; miserrimus scilicet supra omnes antecessores suos; quippe cuius perfidiosa Babylonici fœderis, pactíque violatio, supremum Regni Iudaici fatum, & irreparabilis vastitas fuit. Usque adeò sancta debet esse jurati reverentia verbi.

Solymæa urbs funditus exscinditur.

Sedecias mœrore contabescit.

DOCTRINA.

Locutus est cum eo judicium. 4. Reg. 25. Nabuchodonosor Accusatorem & Iudicem egit; postulavit Sedeciam violati jurisjurandi, reúmque condemnavit in *Reblátha*; quam aliqui Provinciam Syriæ interpretantur; alij *Emathiam* vocari putant, & mutato postea nomine, *Epiphaniam*, ab Antiocho

Pœna violati jurisjurandi & fidei.

Epiphane dictam; longiúsque removent ab urbe Ierosolyma; Nos cum multis eam ad Libani radices ponimus, non ultra quadraginta leucas Solymâ dissitam. Sed ad *Judicium*, quod Babylonius Rex cum Judæo rege constituit. Reus, ut dixi, actus est fractæ fidei, damnatúsque; nec injuriâ. Sedecias enim cùm Nabuchodonosori, interposita Numinis Veri auctoritate, fidelitatem jurâsset, vocavit eum Babylonius rex Sedeciam, hoc est, *justitiam DEI*; nomen ut ipsum fidei, justitiæque commoneret, sanctè, constantérque colendæ; injuriam enim ruptæ fidei, non tam in ipsum Nabuchodonosorem, quàm in Hebræorum DEUM redundaturam. Respondit pœna peccato. Sedecias juramentum præstaturus, suspexit in cœlum, Deúmque dictorum & promissorum testem, ultorémque vocavit. Hinc oculorum supplicium, occisi in conspectu filij, & lumen frontis ademptum, quod jam antè perjuriô temeravit. Altera excæcationis caussa, impiorum consiliariorum cæca consilia, Ieremiæ *Videntis* divinis effatis præhabita. Verè Salomon Proverb. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Nam si rex religionem juramenti conculcat, quis Procerum idem sibi licere non putabit? Sæpiùs tamen Principes ipsi impelluntur in ruinam, quàm impellunt; Sedecias quòd Ieremiam non audierit, Palatini obstiterunt; communi Aularum vitio, quibus splendida placent magis, quàm solida; & hostes debellantur verbis, non armis. Ultimas fert Religio, primas Assentatio.

Impij consiliarij.

Fides etiam hosti servanda.

Disce, quàm fides etiam hosti sit servanda, quàmque fractæ vindex sit DEUS. Sic perfidiosus Sedecias se, suam stirpem, regnum evertit. Sic Saulis familia vitam & genus suum in cruce finivit; Gabaonitæ quamvis fraudulenti, contra fidem tamen datam à Saule occisi, DEUM ipsum injuriæ Vindicem, suppliciíque Dictatorem habuere. *Non decet Principem labium mentiens*, asserit Principum sapientissimus Prov. 17. In omnium ore turpe mendacium; turpissimum in ore Principis; cuius verba divinis eò similiora debēt esse, quò propiùs ad DEUM dignitate & imperio accedūt. Monet *Isocrates* Principē: Verbis tuis, *inquiens*, major sit fides injuratis, quàm juratis aliorū. Fama stant imperia; quâ si Princeps exciderit, quid erit nisi Larva, amicis pariter, inimicísq; ridenda? Fides, *ait Seneca epist.* 89. Sanctissimum humani pectoris bonum est. Fides stabilit regna; perfidia evertit. Tolle fidem, tolles religionē, societatem humanam, DEUM. Unde Pseudopoliticorum vox illa detestabilis apud *Euripidem*: „ Jus, regnandi gratiâ violandum est; „ alijs rebus pietatem cole. Quos refutans Salomon, Proverb. 19. *Qui mendacia, inquit, loquitur, non effugiet.* Certè non effúgit Sedecias, cuius, S. Chrysostomo teste, perjurium Hierosolymam incendit, muros

muros subvertit, & atrociùs quàm flamma, gladiúsque hostilis grassans, cives cum civitate sua, Regémque cum liberis & regno perdidit. Memorabile est, quod *Bonfinius* de Uladislao Rege Hungariæ tradit *lib.* 26. Hic contra fidem, pactáque, bellum Amurathi Turcarum Imperatori; sibi verò, regnóque maximam cladem intulit. Videbatur initium prœlij favere perfidiæ; magna cæde fugantur Turcæ. quod animadvertens Amurathes, depromit è sinu codicem initi sanctissimè fœderis, intentísque in cœlum oculis, contestatur Christum JESUM, ut & nominis sui, juramento interpositi, & Turcarum ulciscatur injuriam. Audijt vindex DEUS; fortuna vertitur; Hungari cæduntur, fugantur; Rex ipse Uladislaus, mali caussa, trucidatur. Possunt equidem falli homines; non fallitur DEUS; Testis simul est, & Ultor: vocatus adest. Malè illudenti.

Nabuzardan, Princeps militiæ, servus regis Babylonis, venit in Ierusalem, & succendit domum Domini, & domum regis: & domos Ierusalem, omnémque domum combussit igni &c. 4 Reg. 25. Septuaginta vertunt Archimagírus, seu princeps coquorum. Hebræ. princeps mactantium. Unde per eum *S. Gregorius* mysticè accipit gulam, quæ templum animæ nostræ evertit. Audi eum 3. *p. Pastor. Admonit.* „20. Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem. Princeps „namque cocorum venter est: cui magnâ curâ obsequium à „cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur: Muri „autem Jerusalem, virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ „pacis (quam significat Jerusalem nomine suo) elevatæ. Coco„rum igitur princeps muros Jerusalem deijcit; quia dum ven„ter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruun„tur. Et *lib.* 30. *Moral. c.* 12. Nullus palmam spiritualis certami„nis apprehendit, qui non priùs per afflictam ventris concu„piscentiam, carnis incentiva devicerit. Neque enim ad confli„ctum spiritualis agonis assurgitur, si non priùs intra nosmet„ipsos positus hostis, gulæ videlicet Appetitus edomatur; quia „si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus, inaniter „ad ea, quæ longiùs sunt, impugnanda transimus. incas„sum namque contra exteriores inimicos in campo bellum ge„ritur, si intra ipsa mœnia civis insidians habetur. Quocirca „Abbas *Pœmen in Vitis Pat.* Nisi, *inquit*, Nabuzardan princeps co„quorum venisset, templum DEI non arsisset; hoc est, nisi desi„deriũ gastrimargiæ irrepsisset, anima libidine non conflagrâsset.

Nabuzardan princeps cocorum, gulam designat.

Stupeat verò quis, *inquit noster P. Nicolaus Caussinus, Dissertat.* 96. *de Regno DEI*, tam severa per misericordem DEUM flagella, in ipsius DEI populum immissa. Sed tantam abominationum seriem recogitanti, cui non parva & fera Numinis vindicta censebitur?

Cur Iudæi tam graviter à DEO flagellati.

sebitur? Toties spreta religio, toties sacra conculcata, toties effusus prophetarum sanguis, cœlum & DEUM sollicitabant. Incisa tum etiam *Manassis* peccata in cornu altaris stylo ferreo, ungue adamantino, cuius etsi reatum pœnitentia absolvit (de quo nos etiam suprà meminimus) pœnas tamen divina Justitia in feros nepotes reservavit. Scripta tum in cœlo lex de Solymæ interitu, quam *Iosias* distulit, non delevit. At cur in Josiæ, Principis optimi, filijs Regnum desijt? mirabitur quis fuisse miseros, qui tam improbi fuerunt? Caini interfector septuplùm punitur, quòd Cain nullum habuerit pœnæ exemplum, quô deterreretur à scelere. At verò *Lamech*, cùm Cainum videret propter admissam cædem tam horrendis, tam diuturnis cruciatibus exagitatum, audaciùs in crimen irrupit, nec cœlestibus minis avocatus, quò factum, ut graviùs puniri mereretur. Obversabatur Josianis Regibus imago pœnarum horrenda, quas impij Reges in se concitaverant. Erat etiam in manifestissima luce parentis integerrimi pietas: nihil erat, quod non revocaret à facinore, nihil quod non incitaret ad decus. Perfregerunt omnia pudoris claustra, ut venalem animam gentium superstitioni, sacrísque abominandis, & flagitijs innumeris prostituerent. Debuit DEUS injustus esse, si adulteri legis, & Prophetarum irrisores per eum viverent, per eum regnarent, quos Regno & vita privari, ipsorum delicta sanxerant. Non pepercit Ascensor cœli suo sanctuario, non throno; omnia concussit, ut justitiæ satisfaceret. Reservari non oportuit ad nova flagitia, qui crimen unum, alterius gradum continuò fecisse gloriabantur. Deletum igitur hoc regnum Iudæ, antequam attingeret unius è longævis Patriarchis ætatem, ut Christo soli Regi sæculorum deberi censeretur æternitas.

Cur pij affliguntur impij prosperantur.

Exoritur hîc alia quæstio, quam cap. 12. movet Ieremias, magna pars cum plurimis alijs innocentibus, harum calamitatum. *Quare*, inquit, *via impiorum prosperatur; bene est omnibus, qui prævaricantur, & impiè agunt?* Quid enim? Babylonij, mortalium scelestissimi, victorijs latè grassantur, & orbem sibi terrarum subjiciunt. Et multos, è populo DEI insontes, in servitutem abripiunt. Iactabatur hac fluctuatione etiam David, cùm ait psal. 72. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei; Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns;* Quasi dicat: Nutare cœpi, & parum abfui à lapsu, dubitando circa justitiam & providentiam DEI, res iniquorum adeò prosperantis. Unde minùs mirum, quòd tanta proborum infelicitas, & improborum felicitas gentes idolorum cultrices in varios errores induxerit. Est enim hinc factum, ut vel omnino negarent, Deos esse. Unde canit ille:

Errores Gentilium circa felicitatem improborum.

Marmoreo

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo.
Pompeius nullo; credimus esse deos?

Et *Claudianus lib. 1. in Rufinum.*

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras; an nullus inesset
Rector,& incerto fluerent mortalia casu.

Mox subdit caussam huius dubitationis:

Nam cùm res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, lętósque diu florere nocentes,
Vexarísque pios; animo labefacta cadebat
Religio.

Alter ethnicorum error fuit,quòd crederent quidem, esse deos, sed terrena & humana non curare. Ita sensit *Plinius lib. 2. c. 7.* Irridendum est,*ait*,agere curam rerum humanarum illud,quod est Summum. Et caussam addit: An tam tristi, atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemúsve? Tertius error, à Dijs universo duntaxat generi humano; non autem singulis hominum consuli ac provideri. Quasi verò Mentem illam æternam,infinitam,immensam,omnipotentem: omnia videntem, audientem,scientem; omnibus vel meritas pœnas, vel prœmia retribuentem, quidquam vel effugere possit latendo,vel distrahere providendo. Quod autem sontes florere sinat, & premi insontes, idipsum ad sanctissimam eius Providentiam pertinet. Unde David abjecta priore dubitatione: *Noli* ait psal. 36. *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fænum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Vult dicere: Non te conturbet impiorum prosperitas, quasi DEUS humana nec sciat, nec curet. Non est enim impiorum solida felicitas, sed fluxa, caduca, fallax & instar virentis graminis mox falce metenda, vel solis calore exurenda. Vidit hoc ipsum Gentilis Poëta, quem supra adduxi:

Et circa DEI providentiam.

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absolvítque deos; jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror; tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

E contrario DEUS probos in hac vita deprimit: ut altiùs extollat in vita futura.Id confirmans *S. August. in sententijs n. 239.* DEUS, *inquit*, per malos erudit bonos, & per temporalem potentiam damnandorum, exercet disciplinam liberandorum.Non enim DEUS im̄ittit tyrañis voluntatē nocendi iñocentibus,quodCalvinus vult,sed eorū voluntariâ malitiâ,& à se prævisâ,utitur tanquā lictore & executore justęVindictę suę.Hinc.Jer. 25 *Mittā* inquit,*Nabuchodonosor regē Babylonis,servū meū, & adducā super terrā istā &c. Servū* dicit,

 & *suum*


& *suum* quidem; cur? Quia non interest, qualis sit carnifex, sed qualis justitiæ Præses. Sed num impunè aliena scelera plectet sceleratus? Neutiquam. *Cùm impleti fuerint* (ait DEUS) *septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam &c. & ponam in solitudines sempiternas.* Lictorem lictori immisit, pérque Persas, Chaldæos perdidit, talione tyrannidi repenso.

NARRATIO C.

IEREMIAS SACERDOS, DOCTOR, PROPHETA, MARTYR.

Ex libro Prophet. Jerem.

Ab anno M. 3407. ante Christum. 646. ad annum 3448. ante Christum 605.



Eremias oriundus oppido *Anathothe*, non procul Jerosolymâ dissitô, patre *Helcia* Sacerdote, tribus Benjaminéæ; antequam lucem aspexit, illustratus àDEO, & labe purgatus originariâ, Propheta consecratus est. Argumentum prophetiæ, Solymæum excidium per Chaldæos inferendum. Cujus tela ut minùs ferirent prævisa, ipse fatidicus, arcum ostendit, è cœlo minantem; tantò oculatior in arcanis DEI perspiciendis, quantò puriorem in ea secreta immisit oculum, virginitatis per omnem vitam cultor. Admodum adolescens (neque enim quartum aut quintum supra decimum, ætatis annum superaverat) primas futurorum imagines objectas habuit *Virgam amygdálinam* floribus oculatam, & ad feriendum mobilem: *lebetem* præterea fervidè ebullientem: præsaga Judaicæ cladis signa. Postquam innotuit, adolescentem Spiritu prophetico divinitus afflatum, mox supra ætatē crevit eius auctoritas & reverentia. Ipse verò non contentus Oracula de cælo hausisse, nisi, quæ didicerat, doceret alios, & quasi lumen de lumine accenderet, rerum occultarum cognitionem ad popularium salutem transtulit. Igitur cœtibus sese concionabundus immittere, entheâ quadam verborum vi, hominum aures percellere, mirè versare animos, & impendentium seriem calamitatum ob omnium oculos ponere, atque ad Vindicis iram Numinis placandam exhortari. Cuius iræ, post *Virgam vigilantem & ollam* igne fervescentem, Symbolum vidit *Calicem*, cunctorum peste malorū spumantem, cum cæteris exhauriendum

Ieremiæ prophetica signa: Virga, olla, calix, lumbare, laguncula, calathi ficorum.

hauriendum gentibus, tum Judæis maximè. Idem ei repræsentatum, per *lumbare* seu Cingulum lineum, lumbis accinctum, juxtáque fluvium *Euphratem*, defossum; iterúmque, ubi computruit, protractum. Huic ænigmati velum removit consecuta Hebræorum in Babyloniam deportatio, longæque servitutis squalor ac illuvies.

Aliàs obtutui Prophetico *laguncula* obversabatur, merô plena, præsignans, cœlestis mensuram vindictæ completam, Iudæos instar testæ collidendos & dispergendos. Iterúmque species ei duorum calathorum oblata, quorum alter agrestes & exsuccas, alter maturas & dulces ficus exhibebat; ostendente DEO, bonorum, malorúmque de gente Hebræa discrimen, suæque in alteros benevolentiæ, in alteros aversionis disparem affectum. Sed hæc visio magis animi, quàm corporis fuit; quæ sequuntur, manifestam lucem habuerunt.

Ieremias ligneum cervici jugum circumdat.

Jeremias ut factis magis, quàm verbis servitutem Chaldaicam denuntiaret, DEI jussu, ligneum cervici jugum adaptavit; cúmque palàm illud circumferret in collo, tanquam prognosticum subjugandæ Judææ signum; opponunt se infaustis vaticinijs falsidici Vates quidam & arioli; quos inter, *Hananias* collum Jeremiæ invadit, numellas, seu collare ligneum deripit, & in conspectu populi diffringit; ea se ratione Numinis oraculum elusisse ratus; cuius ipse veritatem non diu pòst sensit, morte præproperâ, uti Jeremias prædixerat, abreptus ad Tartara. Persistit in sententia Numinis interpres Jeremias; & quia sub illud tempus diversorum Regum legati Hierosolymam convenerant ad Sedeciam, in novum fœdus adversùs Chaldæos consociandum, Vates de libertate asserenda cogitantibus, durissimam servitutem minatur: & ijs, qui legati aderant, dat fragmenta jugi sibi detracti domum ferenda, tristium fatorum, & multis populis communium portenta.

Ieremia alapa infligitur.

Ieremias in nervum mittitur.

Sed hæc præsagia plurimorum odijs, constabant Vati; quíque primi debebant esse ad fidem adhibendam, præ cæteris adversabantur. In ijs fuit quidam, *Phassur* nomine, de Sacerdotum numero. Hic cùm aspiceret Prophetam in corona circumfusi populi vas quoddam fictile arripientem, ínque frusta comminuentem, cum dira casuum iminentiũ interminatione; impatiens mali præsagij, cùm verbis illud refellere non posset, verberibus refutandum putavit. alapam liberalem incutit faciei, & insuper odiosum Vaticinatorem in nervum & tormenta mittit: nihilosecius in funestis Solymorũ ruinis predicendis perseverantem. Mox igitur libertati redditur, cùm nexis frustra pedibus, manibùsq;, lingua vinciri non posset. Sed ea dicendi libertas, aliquantò pòst iterũ est arctata carcere; non cõpressa tamẽ. Sedecias territus

territus denuntiatione impendentis exitij, jussit invisum augurem in vinculis luere, intentatas barbarorum catenas. Etiam has minas sprevit constantia viri divini. emittitur iterum è custodia, paullò pòst in tetriorem conijciendus. Nunquam enim vel Odio vel Invidiæ deest ansa, innocentiæ in suspicionem & pœnas trahendæ.

Adverterat Ieremias Regem *Sedeciam*, Procerũ pravis consiliis magis atque magis in suam, regniq; perniciem transversum agi; quare maluit Hierosolymis excedere, quàm diutiùs canere surdis. Eum abitũ *Ierias*, Hananiæ nepos (qui tum ad portam Urbis Benjamiticam excubabat) cupiditate ulciscendi avi, interpretatur transfugium ad hostes; itaque virum innocentem calumniâ proditionis opprimit, efficítque, ut flagellis cæsus, in foveam subterraneam, tenebris & fœtore horridam detrudatur, non nisi sceleratissimis subeundam. In eo horrore duobus, tribúsve mensibus exactis, redeunt ad obsidionem Solymæam (quod proximè præcedenti narratione scripsimus) Chaldæi; redit ad novos metus *Sedecias*, & Ieremiam in mitiorem custodiam transfert, in vestibulum scilicet comuni carceri præstructum, ubi ab omnibus adiri audiríque poterat, manicis tamen, compedibúsque ligatus. Cùm verò etiam hoc in loco, ultima quæque prænuntiaret, suaderétque deditionem Solymæis civibus, ancipiti tunc malo pressis; foris enim territabat obsidentium Chaldæorum gladius; intus cum fame & peste confligendum erat; novo furore concitantur in eum Primates, nec antè quiescunt, quàm consentiente rege, Ieremias, tanquam suis concionibus dissolveret civium animos, & enervaret, rapiatur ad suppliciũ, sanè crudele. Cœnosus ac profundus erat puteus; in hunc seminudum collo tenus demergunt, ut ibi frigore, fame, pædore, diutina crudelíque morte extinguatur. Adfuit DEUS deplorato, & auxilium, unde non sperabatur, submisit. Degebat in Aula Sedeciæ, Evnuchus quidam, *Abdemelechus* appellatione, æthiops gente, inter paucos apud regem gratiosus; hic comiseratione erga virum innocentem, & vitæ sanctimoniâ præstantem, motus, accedit regem, accusat procerum adversùs immeritum sævitiam, rogat sibi copiam fieri, eius è profundis sordibus educendi. Conceditur. *Abdemelechus*, assumpto secum triginta virorum præsidio ad vim, siqua inferretur, arcendam, confert se ad puteum (S. Scriptor *lacum* vocat) demisśisq; in altum funibus, extrahit captivum, penè exanimem, restituítque carceris atrio seu vestibulo, vinculis tamen innexum.

Ieremias flagellis cæsus, in specum horridam demittitur.

Seminudus in profundũ puteum demergitur.

Per Abdemelechum inde liberatur.

Venit interea tempus ineluctabile; effringunt Chaldæi portas urbis, factáque irruptione, fœdant & vastant omnia promiscuâ

miſcua cæde, rapinis, incendijs. Ieremias inter alios captivos, Babylonem abducendos, *Nabuzardani*, Chaldaicæ militiæ principi, in catenis ſiſtitur; & pro fama virtutis, benevolè accipitur; vinculis ſolutus, ad profectionem Babylonicam humaniter invitatur; id ſi minùs allubeſceret, datur optio, vel remanendi in patria, vel aliò quócunque commigrandi. Maluit Vates in patrio ſolo ſubſiſtere, ut & Iudaici reliquias naufragij colligeret, & acerbiùs lugeret miſerias, quibus præſens aderat. *Ieremias in devaſtata patria remanet.*

Cæterùm quæ facies fuerit Solymorum urbis à Chaldæis devaſtatæ, teſtantur threnodiæ, ſeu lugubria Prophetæ carmina, quibus lamentatur civitatem illam *decóris perfecti, dominam gentium, principem provinciarum, gaudium univerſæ terræ*; templum illud Salomonicum, Hebraicæ gentis gloriam, mundi miraculum, exemplar divinæ architecturæ: in disjectorum murorum acervos, everſarum ædium cumulos, rudera, parietinas afflatas fumo, fuligine nigricantes, in cinerem abijſſe. Porrò *Godoliâ* Iudææ Præfecto (cui Nabuzardanus, nomine regis ſui, Ieremiam præcipuè commendatum volebat) per inſidias (quod ſuprà narravimus) interfectô, veriti Iudæi, ne ſuſpicione cædis in ultrices Babyloniorum manus inciderent, fugam in Ægyptum arripiunt, ductô ſecum Ieremiâ, ejúſque ſcribâ *Baruebo*, utroque nequicquam reclamante, promiſſámque divinitus incolumitatem, ſi in patria perſiſterent, inculcante. Invitô igitur tam Deô, quàm Vate, fit fuga in Ægyptum; ibi tantùm abeſt, ut hominibus deſperatis pœnitentiæ ſenſum fortunæ acerbitas inijceret, ut etiam projectiores in idolorum cultum redderet, cauſſam calamitatis, quam impietas intulerat, pietati imputantes. Quorum pervicaciſſima malitia, cùm diuturnas & vehementes Prophetæ objurgationes ferre nequiret, eò denique furor inſanus prorupit, ut crudeles in eum manus armarent, qui ſuas toties manus cœlo tollebat, ad iram cœleſtem ab eorum cervicibus avertendam. *Tanis* ſeu *Taphnis* urbe (regum Ægyptiorum ſede) tunc agebat Ieremias, & iminentem, etiam id loci, Numinis perduellibus à Chaldaico ferro cladem in obduratas aures ingerebat. Terror prædictionis haudquaquam vanæ, egit in rabiem, ſuâ dudum conſcientiâ reos. In communem patrem inſurgunt parricidæ, & pœnam ſceleribus ſuis debitam, vertunt in caput innocentis; Ieremias inter hoſtes ſecurus, inter barbaros tutus, lapidibus obruitur à civibus ſuis, & à DEO poſt tot relatas palmas, martyrij laureâ coronatur, anno ætatis quinquageſimo quinto, prophetici muneris quadrageſimo primo. *Jeremias à Iudæis in Ægyptum vi abducitur.* *Ieremias martyr.*

Imanitati popularium, æterni notam dedecoris inuſſit alienigenarum (ut Epiphanius ſcribit) humanitas. Memoriæ viri

Jeremias ex tumulo prodigiosus.

clarissimi magnificum Ægyptij sepulcrum exstruxerunt; qui ut vivus serpentum depulsor fuit; ita ex tumulo quoque esse perseveravit, abrasi pulveris virtute, morsibus aspidum medente, crocodilos profligante. Porrò Ieremiam *Taphnis* melioris Philosophiæ incunabula posuisse, non ignobiles auctores tradunt; cuius famâ excitati Græci, peregrinationes in Ægyptum susceperunt, Philosophicæ scientiæ inGræciam derivandæ caussâ. *Plato*, tametsi Jeremiâ ducentis annis posterior, sapientiam tamen ab Ægyptijs, quam ipsi à Jeremia & Hebræis hauserunt, perdidicisse fertur. Adeò DEUS novit è malis elicere bona; & siccatis alibi fontibûs, riguos aliò rivos deducere. Jeremias verò magisterium virtutis fortiter dicendo inchoavit, fortissimè patiendo absolvit; purpuratus veritatis testis, constantiæ decus, viva imago non tantùm hominis, felices inter ærumnas probati; sed etiã DEI, inter eas morituri.

Ieremias melioris Philosophiæ in Ægypto autor.

Laus Ieremiæ.

DOCTRINA.

E*T dixi, A, a, a, Domine DEUS: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ierem. 1. Verba sunt Ieremiæ, à DEO ad prophetandum vocati: Nimirum, ut ait *S. Greg. lib. 35. Moral. c. 2.* Sancti „ viri dum divinitatis arcana audiunt; quantò magis contem- „ plando proficiunt, tantò ampliùs despiciendo, quod sunt, aut „ nihil, aut propè nihil se esse cognoscunt. Sic Moses etsi omni Ægyptiorum sapientiâ instructus, impeditioris tamen & tardioris se linguæ arguit. Exod. 4. Sic Jobus insipienter se locutum, &, quæ ultra modum excederent scientiam suam, c. 42. demissè confitetur. Sic Isaias virum labijs pollutum se appellat c. 6. Sic Ezechielis quatuor animalia, cùm fieret vox supra caput eorum, stabant, & submittebant alas suas. Ezech 2. Sic Ieremias hîc defectum ætatis, scientiæ, eloquentiæ, per totidem interjectionis litteras profitetur. Et verò, quisquis à DEO destinatur ad magna; tantò paratior ad illa accedit, quantò sese imparatiorẽ agnoscit. Animus ipsi sibi vilis, vas est, hòc cœlestium capacius gratiarum, quò per exinanitionem sui, vacuum magis & inane sibi videtur. Est autem *facilè in oculis DEI subitò honestare pauperem.* Eccl. 11. & *linguas infantium disertas facere* Sap. 10. Ita Ieremiam & Danielem, etiamnum pueros repentè Prophetas dedit, regibus & populis formidabiles. Atque ut Isaiæ labia Seraphinus ignito calculo ad prophetandum inauguravit; sic Ieremiæ quoque submissus est Angelus, *qui tetigit os eius*, eîque verba indidit divina, & ancipiti gladio penetrabiliora.

Quò quisque sibi vilior, hòc cœlestium capacior.

Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Ibid. Hoc est officium Doctoris

Officium sacri Doctoris.

Doctoris & Concionatoris, *inquit Greg 3. p. Past. c. 35.* ut priùs *evellat & destruat*, postea *ædificet & plantet*. Quia nisi perversa destruat, ,, ædificare utiliter recta non potest; & nisi ab auditorum ani- ,, mis priùs evellat vitiorum spinas, frustra in eis sanctæ prædi- ,, cationis verba plantat. Priùs dedocenda sunt mala, quàm doceantur bona. Semen etiam bonum inter urticas & tribulos jactum, perit malè.

Virgam vigilantem ego video. Ibid. Nimirum DEI Vindicta semper excubat & vigilat in nocentes. Cùm minimè timent, feriuntur. DEUS totus est Oculus, qui nunquam clauditur; etsi quandoque connivere videatur. Hinc Ægyptij, *Osiridi* Numini suo, sceptrum tanquam Regi appingebant apertô supernè oculô insculptô. Et Phryges Virgam proponebant sole illustratam. Licebit his thema addere: VIDET, ET FERIT. *Oculata virga quid.*

Et dixi: *Ollam succensam ego video.* Ibid. Explicat hoc *S Hieron in* ,, *c. 1. Ierem.* Vigilat Virga, *inquit*, cuncta peccata populi consi- ,, derans, ut percutiat, & corripiat delinquentes. Septuaginta vertunt Baculum nuceum, sive amygdálinum. Sicut enim nux, vel amygdalum amarissimum habet corticem; & testâ durissimâ fructus eius dulcissimus cingitur. Sic omnis correptio & labor, amarus quidem videtur ad præsens, sed fructus parit gratissimos. Unde vetus verbum: Litterarum radices amarę, fructus dulces. Olla verò succensa designat supplicium æternum, præparatum ijs, quos impœnitentes virga correctionis non emendavit. Hæc Hieron. *Quid virga ex amygdalo, & olla succensa.*

Ne formides à facie eorum: Nec enim timere te faciam vultum eorum: Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Ibid. Mirus est Agonótheta DEUS; non tantùm spectat Athletas suos, sed etiam roborat. Jeremias puer erat; quid infirmius? DEI legatus erat; quid difficilius? extremorum denuntiator malorum erat; quid odiosus? *Ne tamen fromides* Jeremia. Arduum munus aggrederis; sed viribus cœli; non tuis. Impugnent licet reges, principes, sacerdotes, populus terræ; *Civitas* es, munita Fortitudinis propugnaculis; expugnari non potes. Irruant probra, alapæ, verbera, fames, carceres, saxorum grandines; *Columna ferrea* es, deijci non potes. Crudelitas arietem mille terrorum & minarum admoveat, *Murus æreus* es, lædi non potes. His nimirum certaminibus DEUS Olympionicas exercet suos, hoc robore firmat, hac victoria donat, hoc prœmio coronat. *Virtus duris probatur.*

NARRATIO CI.

IVDITHA, HEROINA, VICTRIX, TRIUMPHATRIX.

Ex lib. Judith.

Anno Mundi 3346. ante Christum. 707.

EXpositâ Regni Judaici variâ fortunâ, quâ cum per Reges suos, tum per hostes exteros sæpius concussum, per Ægyptios labefactatum, denique per Chaldæos radicitus evulsum concidit; & Jerosolyma, velut triste funus, inter cædes, rapinas, incendia, elata, ipsa sibi rogus & bustum fuit, lessum ei canentibus Isaiâ, Jeremiâ, Ezechiele, aliisque Prophetis; restat, ut lugubribus lætiora subjungamus: *Iudithæ*, Hebræorum Amazonis, Victoriam & Triumphum. qui tametsi in nonum Manassici imperij annũ incidit; duximus tamen eum suo tempori non reddendum, ne historia Regum Iudæorum interrumperetur; quæ, ut inter se cohæret, ita scriptione conjungi, commodius videbatur. Illis igitur expeditis, nunc in conspectum dabimus Heroinam Iuditham, Formæ & Virtutis miraculum.

Merodachus (is, qui regem Ierosolymorum *Manassem*, Babylona tractum, in vincula, pœnitentiæque necessitatem compegit) occisô *Dehce Arphaxado* Medorum rege, rebus elatus secundis, Orientis se Monarcham, assumptô *Nabuchodonosoris* cognomentô, ferre cœpit. Cui cùm constitutum esset, totum terrarum orbem sceptrô suo subijcere, communicatô cum ducibus ac dynastis consiliô, præ cæteris *Holofernem*, natione Persam, virum bellicosum ac ferocem, militiæ Principem delegit, eique negotium dedit, uti cum numerosissimis peditum equitúmque copijs, quidquid in Occidentis terris adhuc Deorum, hominúmque, juris esset externi, Babylonio substerneret imperio. Tota igitur bellandi caussa, libido dominandi quàm latissimè.

Nabuchodonosor cogitat sibi terrarum orbem subijcere.

Regnabat autem apud Iudææ reliquias, (nam incolarum plurimos Babylonia captivitas tenebat) ea tempestate *Manasses*, Ezechiæ filius, jam novennium, sed exiguis admodum, nuperriméque reparari cœptis potentiæ viribus: ut, quem in custodiam (quemadmodum memoravimus) abductum Babylonicam, arctéque

arctéque catenatum, vixdum precariò tandem solutum, è compedibus in libertatem *Merodachus* remiserat. Quiescebat hic igitur, ac tacitus quamcunque belli fortunam opperiebatur. Atque hęc caussa fuit, cur *Holofernes*, cùm in universa circùm regna, populósque impetum faceret; & ipsam adeò Galilæã bello premeret, ac Samaritis ei finitimis iminerct: Iudæam tamen, ac regẽ eius Manassem, armis hactenus intactos vel negligeret, imbecillitatis cõtemptu; vel in victoriarum suarũ quasi mantissam differret; certissimus interim, Ierosolymorum nihilominus Templum (ut alia gentium aliarũ omnia) redigere tandẽ in potestatem suã: & vel in Merodachi venerationem illud penitus transferre; vel, si Iudęi refragarentur: id eversione, flamísq;, sicut jussus erat, eradicare.

Cúmque belli tempestas multas regiones sæviendo percurrisset; Victor urbium, gentiúmque cunctarum in Chananitide substitit, donec omnes undique copiæ, quæ varias provincias depopulabantur, unum in locum confluerent. Cæterùm tantus terror nationes omnes ac terras pervaserat, ut non hominũ, sed voracissimarum agri pestium ac locustarum innumerabiliũ, ac tigridum Hyrcanarum imago quædam esset horrifica. Quácunque comunis, Asiæ Syrięq; tyrannus in cesserat; inde pecora, jumenta, facultates abigebat: oppida, castella, munitiões exscindebat: segetibus ac messibus, abundans ipse frumento, flamam inijciebat: oliveta cum vineis & hortis exstirpabat. Dìs præterea sacratos lucos ac nemora, nullo Veræ divinitatis studio, sed omnis omnino, cuiuscunq; Numinis, abolendi furore, deijciebat, ut Merodachũ suum extolleret. Ad hæc mares, bello vel inhabiles, vel invitos, bellô tollebat. Iuventutis omne robur, ac fortissimum quemque, sua sequi castra compellebat. Quod verò feminarum esset, id omne vel in servitutis ludibrium, vel in libidinis ministeriũ abstrahebat. Quod autem aspectu, sensúq; miserrimum erat; crudelitatẽ illius animi, furorísque violenti rabiem ne obsequium quidem, ac deditio supplex; nec in servitutem inclinatæ cervices, ac preces legationum, emolliebant. *Holofernis ferocia, & immanitas.*

Tantis fortunę, victoriarúmq; successibus inflatus, & in dies factus elatior: ad extremum, eò dementiæ, quâ carere non potest ulla superbia, progressus est: ut ne Veri quidẽ, in his, quę bello necessaria, salutariáq; forent, patiens, adulatoribus solis totum se daret: quorũ ore ter maximus, & omnis ævi, memoriæq; mortalium, imperator agminũ invictissimus, ac belli Fulmen proclamabatur. *Achiorem* contrà, gentis Amonitice, fidũ sibi, tributariúmq; ductorẽ, quòd is super Israëlitice natiõis, quę Galilęę montanas regiones insederat, origine, viribus, & urbibus interrogatus, ex ana- *Holofernes gentiũ terror; arrogantissimus.*

 lium

lium priscorum, & famæ fide retulisset id, quod res erat; idque non sine laude gentis illius, nec sine fida pro Duce sua sollicitudine; truculentus ille, partim purpuratorum indignatione, partim insitæ sibi superbiæ stimulis agitatus, tanquam vaniloquum explosit. Nec contentus arrogantiæ plenis verbis, quibus æquè Cœli DEUM, ac mortalium omne genus & robur præ se, suóque rege despiciebat: cum ingenti stomacho, fastidióque submovit à castris suis Achiórem. Cúmque certissimæ, nec multò post secuturæ necis interminatione, contemptim eum, à partibus deinceps *Circumcisiorum* stare jussisset; ad arborem insuper hostilis soli, manibus revinctum ac pedibus, Israëlitarum exposuit arbitrio. Plura quoque, nec inferioris insolentiæ, sævitiæque specimina, dum ad *Bethuliam*, Zabuloniæ Tribûs oppidum in Galilæa, sedet, edidit: obsidij malis omnibus, quæcunque commeatibus & aquatione prohibitâ, pati possunt oppida circumsessa; DEI populum innoxium, mœnibus illis conclusum excrucians: ad supremam vitæ desperationem, quantum consilij, mentísque suæ fuerat, compellens. Sed hunc talem Deorum pariter, hominúmque fastigia fastu suo, barbariéque deijcientem, DEUS superborum destructor, post dies Bethuliensis obsidionis minùs, quàm triginta, dejecit invicem: non sanè centum viginti millibus peditum, equitúmque viginti duobus millibus, quibus Holofernes Bethuliam premebat; sed unius Feminæ quinque digitis, quibus hæc complexa acinacem illius (S. Scriptor pugionem vocat) ebrietate tunc natantis, ac Veneris certissima designatione sopiti, caput à cervicibus recídit. Ea, Juditha fuit, *Merari*, viri inter suos potentis, filia, Bethuliensis vidua; de Tribu Simeonica, formæ cum virtute certantis, raritate præ cunctis illius ævi viraginibus conspicua: fortitudine verò manûs, & animi, seculorum omnium heroidas longissimè supergressa.

Achioris rejectio.

Bethulia obsidetur.

Liberatæ porrò civitatis series hæc est. *Achior* vinculis ab ijs solutus, qui exploratum ex urbe egressi fuerant, adducitur Bethuliam, amicè, honorificéque habetur. Is ubi exposuit insolentiam, & minas truculenti *Holofernis*, vehementer auxit curam, *Oziæ* jam antè, ceterísque Principibus civitatis injectam, omni suppliciorum genere Divini Numinis propitiandi. *Eliachimus* quoque seu *Ioachimus*, Solymæus Pontifex nihil omisit earum rerum constituere, quæ vel ad DEI, vel ad hostis iram arcendam pertinere videbantur; ab hoc Oziam, virum primæ dignitatis, & belli peritum, confirmandis Bethuliensium animis Hierosolymâ submissum, idonei Scriptores volunt. Interea de die in diem cuncta fiebant obsessis arctiora; Bethulia cum extrema aquarum penuria conflictatur, incisis & aversis fontium canalibus;

canalibus; aut militari custodia præseptis. Unde comploratio- nes, lamenta, desperatio: nihil jam restare salutis ad ultimam necessitatem redactis; foris instare hostem; intus deficere vitæ subsidia; DEO se invisos, atque ab eo desertos tradi barbarorum in manus; incusare magistratus, quòd protollendo deditionem, crudelitatem obsidentium exasperarent; satius esse, vivos in arbitrium Holofernis concedere, quàm acerbissimo mortis genere, siti enecari. Rursus revocata in mentem superbi victoris immanitate, & vicinarum urbium exemplis perculsi, divinæ spem misericordiæ in se ipsos reflectere, sublatisque cœlo manibus, Numen æternum, sui Vindicem honoris obtestari, magnis planctibus clementiam implorare. Quibus fatigati clamoribus & fletibus, primores civitatis, & omnium princeps Ozias, pollicentur se urbē hosti, nisi quintum intra diem cœlo veniant suppetiæ, permissuros.

Bethuliensium desperatio.

Intellexit eam animorum abjectionem Iuditha; evocat Oziam ad se (tantum auctoritatis fuit in præclara matronæ virtute gravitatéque, ab arrogantia fastúq; procul alienæ) & duos è primatibus, *Charmium* ac *Chabrium*; habere se, quæ ad comunem patriæ salutem cum ipsis communicaret. Neque dubitârunt illi, sanctimoniâ vocantis permoti, venire. Præsentes gravi oratione coarguit, quòd certorum præfinitione dierum, divinæ modum Providentiæ statuere non vererentur; viderent etiam atque etiam, ne diffidentiâ, usque adeò Bonitati Numinis injuriosâ, furorem accenderent potiùs, quàm misericordiam provocarent. Nunquam adesse DEUM propiùs, quàm cùm longissimè abesse videtur; nihil non posse apud eum preces demissas, confitentium reorum suspiria, flexas in obsequium cervices, & animos quidvis antè perpeti, quàm religionem prodere paratos. Sic Abrahamum, sic Isaacum, Iacobum, Mosen, DEO per omnia probatos, viam sibi, adversarum tolerantiâ rerum, ad magnas felicitates munijsse. minora peccatis esse supplicia; nec certius ad ea avertenda remedium suppetere, quàm mentem æquam, & in quacunque fortunæ concussione, divinô præsidiô nixam. exemplis se Majorum doceri, populum DEI jactari posse, mergi non posse. Id ita sentire eos præcipuè, par esse, quos suprema potestas officio patriæ, religionísque tutandæ admovisset; ipsos esse columina, quæ nutantes sustentare, non autem in ruinam impellere debeant labantes. Urbes defendi magis pectoribus, quàm propugnaculis; sanguinem in caussa tam honesta propinantibus, vel è pumice fluxuras aquas, quibus suam ipsi sitim, hostium ferociam extinguant. Meminissent autem, DEO nec diem posse dici, nec præscribi.

Iuditha fortitudo in reprehendendo timido magistratu.

Dedit in

Dedit in ruborem viros constantia feminæ, conciliante dictis eius fidem ac reverentiam, rara laude, famáque apud omnes, integritate vitæ, collectâ. Quid enim illâ castius; quid pudicius? quartum jam annum viduata marito, (*Manassi* nomen erat,) ita vivebat domestico cum gynecæo, domus ut eius schola probitatis, illa verò magistra haberetur. Hinc in ea, amplis quamvis opibus affluente, ætate formáque florente, summa vestitûs modestia, corporísque edomandi severitas; nam *lumbos* (quod sacer historicus meminit) aspero cilicio stringere solebat, & quotidianis penè jejunijs illud affligere; Precandi verò studio sic erat addicta, superiorem ut ædium partem in formam, cuiusdam sacelli conformaret, ubi ab aditu hominum, strepitúque remota, cum puellari contubernio, pijs meditationibus, precibúsque vacabat. Hæc pietas effecit, ut DEO juxtà, hominibúsque chara, facilè suam in sententiam flecteret Proceres. Citra quorum consensum, cùm nemini, noctis præsertim tempore, patefierent urbis portæ, exitum nocturnum Iuditha petijt; cuius caussam ut nollent tantisper cognitam, rogans, donec eam eventus aperiret: Esse quædam consilia tamdiu tuta, donec tecta; id modò agerent, & meditati progressum facinoris, communibus DEO precibus commendarent. Quid non persuaderet facunda prudentia; cùm non posset non subesse arcanior vis, cæteroquin de die quoque publicum fugienti? Domum redeunt suam Primates; ipsa sublimiore acta spiritu in familiare se sacrarium (sacræ litteræ *Oratorium* appellant) refert. hîc pugnæ sese instanti præparans, cum lacerna ex pilis horrida, tanquam latiore *lorica*, hispitum cingulum mutat; galeam suppeditat *spes*, in auxiliari Numinis dextra collocata; pro *telis* sunt ardentium suspiria precum, in cœlum evibrata. Præludium diceres, sed totis exercitibus fatale.

Iudithæ virtutes.

Iudithæ armatura in hostem.

Atque hæc in umbra. Mox in campum proditura, satis ubi munitam se vidit ad vim propulsandam; ad vim quoque inferendam, se comparavit. Oris venustati nativæ ornatum addit vestimentorum cultu; pretium formæ excandefacit muliebri mundo; aptatur mitra capiti, digitis induntur annuli, appenduntur auribus elenchi, pedibus sandalia inducuntur; totũ corpus spirat balsamum; spicula hæc erant ad pectus barbari Ducis sauciandum: tormenta ad potentiam ferocem sternendã. quamquam ipsa, quidquid hoc illiciorum blandiebatur, non ad libidinem, sed ad patriæ salutem, Numinísque honorem referebat. Holofernis amorem excitare voluit, sed honestum; parata etiam ad connubium cum eo ineundum, ut vel ad DEI Veri cultum traduceret,

Iudithæ casta intentio in ornanda se.

ceret, vel è Iudæa, aut etiam vita (id enim facultatis ab altiore potestate acceperat) eijceret hominem. Et verò nihil in eius ornatu, consilióque improbum fuisse, divinæ paginæ testantur, quæ Iudithæ *pulchritudini incomparabilem* è cœlo *decorem* adjectum fuisse memorant. Fuit itaque hic belli apparatus haudquaquam ad lasciviam incitandam, sed ad victoriam de hostibus DEI reportandam, instructus. Nunc ad certamen veniamus.

Nox erat adulta, & Iuditha, comitante *Abra* famula, commeatúmque frugalem (nam & hic pio strategemati serviturus erat) in ascopera, gestante, mœnibus urbis egreditur, fausta Primatum apprecatione eam prosequente; nemine tamen conscio propositi. Post partem noctis in precibus positam; adeò nihil sine Numinis auspicio tentabat; die jam illucescente, in speculatores Assyrios incidit; transfugium simulat; accipitur humaniter, gratiam ei & benevolentiam comparante mirabili oris majestate. Dea aliqua videbatur in casses incidisse, digna Imperatoris connubio. Adducitur ad Holofernem lectissima præda, mox futura prædatrix; tantò namque vincebat faciliùs, quantò minùs timebatur. Sedebat barbarus sub conopéo purpureo, auro & gemmis radiante; prosternitur in faciem venerabunda Iuditha; statim sublevata, capit Ducem, antequam retia explicaret; quot nictus ex oculis, tot faces jaculari; quot verba promere, tot amoris illecebras spargere visa, rapuit attonitum tantæ venustatis miraculô.

Iuditha ad Holofernem adducitur.

Successit ex voto prima velitatio; graviore de hinc manu pugnabitur. Diversorium advenæ assignatur, illud ipsum Tabernaculum, cui Holofernes thesauros suos crediderat, & inter eos, hanc feminarum gemmam. Accurantur cætera, quæ ad demerendam hospitam tam nobilem idonea credebantur. In ijs erant dapum lautitiæ, de mensa imperatoria ei constitutæ; quas illa modestè recusans, negabat sibi per religionem fas esse, alijs vesci cibis, quàm quos secum attulisset. Hoc unum, magni beneficij locô se petere, ut liceat sibi sub noctem, & diei crepusculum extra tentorium se efferre, ad statas ablutionum & precum vices, pro more gentis suæ, obeundas. Nihil negatur petenti. Per trinoctium igitur itum & reditum iterantem, procul suspicione habebant excubitores. Post quatriduum in castris actum, jubet Holofernes apparari convivium Assyrio splendore, & Iuditham ad id vocari. internuntius est *Vagao*, Eunuchorum princeps, & Duci à cubiculis, artis lenocinandi callidissimus. Condicit invitata, comparet, assidet, bibit, edit; sed non alijs de cibis, quàm quos secum in sportula domo extulerat. Babylonij Proceres epulari hilaritate longiùs provecti, poscũt majoribus se poculis, coronant

Holofernes inebriatur.

in orbem vina, donec offusa capiti caligo temulentos deposuit. Ante omnes ratio pedésque labant modimperatori; quare merô, somnóque gravis defertur cubitum. Inducitur idem in conclave Juditha; obserantur fores; omnia parata sunt ad flagitium. Columbam diceres in accipitris unguibus, nisi fortior protegeret manus. Sed nimirum Spiritus ille, qui Juditham excitavit ad facinus supra sexum suum moliendum, adfuit in arena consistenti, séque flagrantibus votis ad ictum paranti. incendebat animum ad audendum sobrius pudor, patriæ amor, fiducia DEO plena.

Tyrannus interea altos de pectore somnos proflare, & sui, & cogitati immemor, impósque flagitij. Monuit opportunitas matronam exequendi consilij; quare facinus longè fortissimum aggressura, novum è cœlo robur precatibus haurit; arripit deinde acinacem, seu gladium Persicum, ad caput lectuli pendentem (lampas de tholo suspensa lumen præbebat) quantóque potest virium nisu, in obesam cervicem incutit; geminatum ictum, sequitur caput. id illa mox conopeo (sub quo Tyrannus considere assueverat) involvere, truncum corpus in terram evolvere, caput abscissum pedisequæ foris præstolanti tradere; hæc illud peræ suæ immittere; inde properanter ambæ castra & vigilias prætergredi, mœnibus Bethuliæ silentiô noctis succedere, datóque adventûs sui indiciô, in urbem admitti. Ingens continuò civium & magistratuum concursus, tantò majori omnium noscendi aviditate, quantò minore revidendæ Iudithæ exspectatione. Factô silentiô, rem omnem enarrat Virago, capútque Holofernis cum conopeo ostentat. vix habetur fides oculis; hærent aliquamdiu attoniti in aspectu truculenti vultûs. mox securi cædis peractæ, incredibile dictu est, quantis congratulationum & gratiarum actionibus DEO, Judithæque laudes ingeminatæ. Evocatus nominatim Achior, ubi verticem barbari Ducis oculis subjecit, in stuporem & animi defectionem datur. Sibi redditus, provolvitur ad pedes Heroinæ, deosculatur manus triumphales; & ne quid ad comunem lætitiã deesset, se quoq; victũ professus, ejuratis idolis Amoniticis, Iudaica Sacra amplectitur.

Ebrius à Iuditha obtruncatur.

Iudithæ reditus: Achioris conversio ad Iudaica Sacra.

Cæterùm ubi illuxit, & dies suspensum pro mœnibus Bethuliæ, Holofernis caput ostendit; tantum hostibus terroris, quantum audaciæ civibus injectum est. Erumpitur è civitate; magnis animis & clamoribus in Barbaros itur. Turbatur, & tumultuatur totis Assyriorum castris. Concursio, & confusio ad arma conclamantium, ac Imperatorem ad curas militares vocantium. Accurritur ad Ducis tabernaculum, excitatur nequicquam strepitus; denique per fores surdas irrumpitur. Et ecce, horrendum spectaculum! truncum, tabóque cruentum Holofernis cadaver apparet,

Assyriorum fuga & cædes.

apparet, humi provolutum; Juditha frustra quæritur; *Mulier Hebræa,* cædis auctor, per omnia castra diris, devotionibúsque jactatur. Tum verò, ubi hinc Bethulienses ferociter imminebant; inde, nec qui imperia dividerent, nec qui acciperent, erant; velut amentes & lymphati, quà cuique ad fugam patuit via, per campos & colles, præcipites feruntur Babylonij, sine signis, sine ordinibus. Nec arduum fuit Judæis, undique jam concurrentibus, palabundum exercitum, sine capite truncum concidere. Passim cædes, spolia, triumphi; colligendæ prædæ vix spatiô mensis sufficiente. Opimæ Ducis manubiæ, prout par erat, omnium inter applausus & gratulationes Victrici Heroidi cedunt; quas tamen ipsa pro suo modestiæ & religionis affectu, DEO Victoriæ Largitori pro anathemate & trophæo, in Templo Solymæo consecravit; ubi votis & gratijs solenniter instauratis, tanti memoriam beneficij, auctore Joachimo, Pontifice Sũmo, trium consequenter mensium festi dies celebrârunt, & redeuntibus añis iterârunt.

Annos erat natà triginta tres Juditha, quando nobilissimum facinus patravit; provixit ab eo tempore septuaginta duos: universim centenos quiños, omnium laudum, æternæque gloriæ femina; virtutis ac pietatis, etiam inter Christianos admirandæ, imitandæque. Longè clarior ex triumpho, quem de se ipsa, quàm quem de Babylonio hoste egit. In ætate florida castitas sine labe, inter discrimina pudicitia sinę læsione, in formæ prodigio, concordia honestatis; viduitas inter opes, afflictatio corporis inter illecebras vitæ; frequentia precationum in ampla familia; demissio mentis in summis honoribus; tenor probæ juventæ in longæva senecta; constans præconium in inconstanti vulgo, totidem sunt Triumphales Tituli, quos secum intulit monumento laureato; consors eius in tumulo, cuius fuerat in thalamo; redijt ad eum mortua, post quem, admisit alium nullum viva, communi cum Manasse marito, sepulcro condita. Virtutis odor, post tot annos à relata victoria lapsos, spiravit etiam tum, cùm publico luctu elatæ, Senatus, Populúsque Bethuliensis septiduum exsequiale impendit. Sed encomiorum omnium summa est, eius fuisse Typum Virginis, quæ pedibus contrito Serpente, Holoferne infernali, Populo DEI in extrema miseriarum adducto, præsentem salutem & triumphum attulit, dum Filium suum, Mundi Salvatorem dedit. Huic nobiliore titulo conveniunt illa Judithę præconia; *Tu gloria Jerusalem, Tu lætitia Israël, Tu honorificentia populi nostri.*

Encomium Juditha.

DOCTRINA.

HIstoriam enarravimus scitu non minùs amœnam, quàm morum informatione fœcundam. E multis, pro more nostro quædam seligimus.

Cùmque introiſſet (Iuditha) *ante faciem eius, ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.* Cap. 10. Mirum illicium, in feminea forma & lingua. De Iuditha *Salianus* noſter, *in Annal.* Hæc eſt, quæ mellitam linguæ facundiam, quæ Angelicam faciei dignitatem, quæ fulgurantes oculos, quæ frontis hilaritatem, quæ genarum purpuram, quæ corallina labra, quæ totius oris honeſtatem in arma & ſagittas convertit, quibus barbarus caperetur furor, & irrita potentia ſterneretur. Salomon Proverb. 6. *Non concupiſcat pulchritudinem eius* (mulieris) *cor tuum, nec capiaris nutibus.* Syrus vertit: *Ne ſis præda venationis oculorum eius, & palpebris ſuis captivum te faciat.* Nimirum in oculorum nutibus, in palpebrarum ictibus ſunt feminarum retia, fulgura, ſagittæ. *Carneades Philoſophus,* Forma, *inquit,* eſt regnum abſque ſatellitio. Vim adhibet ſine vi; impetrat, quidquid vult; blandus tyrannus, ſuave tormentum. Siracides cap. 9. *Virginem ne conſpicias, ne fortè Scandalizeris in decore illius.* Impellunt in ruinam ætas florens, forma nitens, mollities ſexûs, blandimenta linguæ, veſtium cultus. Præclarè *Alexander M.* abſtinens oculos à „ captivis Darij filiabus: Non committam, *ait,* ut, cùm viros vicerim, „ à mulieribus vincar. IuxtaNoniũ, Forma à forvo, ſeu ferveo dici- „ tur. Urit aſpicientem. Hinc illa *Thais apud Apul. lib.* 2. Diſcede, *ait,* „ à me miſelle, à foculo diſcede: nam ſi te vel modicè meus igniculus afflaverit, uréris intimè. Senſit Holofernes ignem, arſit, perijt.

Libidinoſus viliſſima re capitur.

Et mirum eſt, quod cap. 9. dicitur: *Sandalia eius* (Iudithæ) *rapuerunt oculos eius* (Holofernis). Tantum potuerunt involucra pedum, ex animalium pellibus, aut bombycum tela, conſuta. Calcei, quibus humũ terimus, ſordes calcamus, ignobiliſſimam corporis partem, plantas contegimus, rapuerunt oculos Tyranni, ſuperbo faſtu deos, hominéſque deſpicientis. Cui ſupplex ad pedes magna pars orbis accidebat, is affectus ſuos, & altos illos ſpiritus, mulieris pedibus ſubſternit, ſandalijs ſubijcit. Tot gentium domitor adhæreſcit captivus ad feminæ crepidas. Hæc fuerunt huic Prometheo Caucaſus, ad quem ſuis libidinibus alligatus tenebatur. Habet hoc amor impurus; viliſſimæ rei ſeſe mancipat. Trahitur uno crine colli. quid levius? unô calceolô capitur. quid abjectius? textili quadam nebulâ irretitur. quid inanius? O pudendum Cypridis imperium, quæ Martis fulmina, vertit in mancipia, calcibus ſuis ſubjecta! Quid, quòd (nefas eſt dicere) effeminati juvenculi Bacchum ducant è calceis, Veneris pædore infectis. ô probrum! ô dedecus! ô porci, quibus nectar eſt illuvies; pincerna, ſpurca cupiditas; calix, calcium ſentina!

Non vere-

Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum; ut honorificetur ante faciem eius, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate. c. 12. Verba sunt *Bagoæ* seu *Vagaonis* turpissimi lenonis & perductoris, Juditham ad flagitium invitantis. Apparet hinc pestilentissimum virus lenocinij. Quàm callidè nebulo aggreditur hanc pudicitiæ Arcem expugnare! Primò vocat *Puellam*, quasi dignam & aptam amoribus, dum suadet ætas, dum vernat forma; dum calet sanguis. Addit: *Bonam*, id est, promptam & facilem in obsequia; non difficulter exorabilem. Adjungit: *Ne vereatur introire.* Adimit timorem periculi, & jacturæ pudoris, tantô pretiô pensandi. Nam ibit: *ad Dominum meum.* qualem & quantum! qui in maximo feminarum delectu, ad ipsam adjecerit oculos & animum; à quo summos honores, divitias, faustitates exspectet. Subjungit: *Ut manducet cum eo, & bibat.* Nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Distentus epulis venter, facilè despumat in libidinem, ait Hieronymus. Viciniss͏ima sunt, Vinum & Venus. Poëta canit: *Insidiosum lenocinium.*

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Adnectit: *in jucunditate.* O insidiosam hilaritatem! ô triste gaudium! cuius initium risus & blanditiæ; extrema flagitium & luctus. Cave tibi, quisquis, aut quæcunque pudicitiam amas, ab his lenonibus & lenis. *Vir iniquus*, ait Salomon Prov. 16. *lactat amicum suum: & ducit eum per viam non bonam.* O quoties innocentia per huiusmodi conciliatores & conciliatrices à virtutis & castitatis tramite, in turpitudinis lustra pellicitur. Verè Sapiens loc. cit. *Semita justorum declinat mala: custos animæ suæ servat viam suam.* Cui propositum est, duce & custode Timore DEI, in via mandatorum eius ambulare, cane peiùs & angue fugit, odítque Veneris emissarios, inflammatores libidinis, pudicitiæ proditores, castitatis prædones; quibus fœdari, est *honorificari*, quod Vagao impurissimus nequam dixit.

Sed quid est, quòd Juditha, castimoniæ speculum, sanctimoniæ exemplum, petierit à DEO c. 9. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Græci habent: *Da mihi labia dolosa.* Nonne hoc est, à DEO ter Optimo postulare prava. An verò dolis, fallacijs, deceptionibus uti licet, etiam in hostem? an perpetrare mala, ut eveniant bona? *An non virum dolosum* (pariter feminam) *abominabitur Dominus*? psal. 5. Et illa unguentorum fragrantia, ornamentorum splendor, sermonis blanda suavitas, quid spectabant aliud, quàm lapsum Holofernis? Quid erant illa lenocinia, nisi totidem offendicula, ad hominem evertendum? Deinde, quis eat inficias, præsentissimo vitæ, castitatísque periculo exposuisse se Juditham? In Assyriorum castra vadit sola, inermis, mulier. & formæ tam pellacis; & ad barbaros, tam in flagitium projectos. *Quomodo Iudith allicere Holofernem; se verò periculo castitatis & vitæ exponere potuerit.*

 Respondent

Respondent Auctores graves,& in ijs Nicolaus Serarius Soc. nostræ, duplicem esse Dolum, bonum & malum. Gratia vultûs, venustas orationis naturæ sunt Deique dona, ex se media, boni, malive; & quæ possunt invitare ad amorem seu honestum, seu flagitiosum. Stabat penes Holofernem, utro capi vellet. Et quia facundè, suavitérque loquendi facultas, est quædam veluti Suada per sese illex animorum, fit ut eâ decipiatur alius in bonum, alius in malum; Sic Paulus 2. Corinth. 12. *Cùm essem astutus, dolo vos cepi.* Dolo captus est Holofernes bono, nam ad finem honestum directô; quem quòd in pravitatem deflexerit, ipsius effrenis concupiscentia in caussa fuit.

Ad secundum, negatur, cultum & ornatum Iudithę vitiosum fuisse. Nam si pulchritudo à natura insita, expers est delicti; cur in crimen vocetur vestium elegantia? Naturam imitatur ars. Naturalem venustatem corporis adjuvat, augétque artificium vestimentorum. At, inquies, Cultus iste proritabat ad lasciviam. Respondeo, id etiam facere naturalem corporum speciem. an ideo in culpa? Deinde vestium forma à more patrio non abhorrebat. Et Iuditha amorem intendebat castum; pérque eum, religionis ac patriæ propugnationem. Testimonium habemus à Spiritu S. cap. 10. *Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.*

Ad Tertium; quòd vitæ, castitatísque gravissimum periculum adierit, Respondetur, potuisse sibi Iuditham meritissimò persuadere, se cum DEI gratia & auxilio (quod tot precibus, lacrimis, jejunijs, austeritatibus implorârat) omnia vitę & pudicitię discrimina evasuram; præsertim, cùm sentiret, se cœlesti quodã impulsu instinctúque agi ad facinus, arduum quidem, sed unde Numinis honor, patriæque incolumitas penderet, audendum & perficiendum.

Principes Betbulienses ob varia peccata, meritò reprehensi à Iuditha.

Hos quinque dies exspectemus à Domino misericordiam. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis. c. 7. Meritò reprehendit Iuditha hanc hominum istorum de divino auxilio diffidentiam. Unde ait cap 8. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est sermo iste, qui misericordiam provocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Peccârunt Bethulienses Principes multifariàm. Primò enim, ideò certum præstituerunt diem, ut DEUM veluti cogerent, ut, si quidem religionem, templum, & sacra sua sarta tecta vellet, interibi opem ferret. Unde & fuit quædam contra DEUM ira, murmuratio, vindicta. Fuit etiam quædam DEI tentatio, quia experiri voluerunt, an posset ac vellet intra id, quod suo ipsi arbitratu definijssent spatium, obsessos liberare. Tertiò, quia non

non petierunt eo modo, ac tempore juvari, quô DEI bonitati ac ſapientiæ videretur, ſed quaſi DEO ipſo ſapientiores eſſent, certum ei temporis orbem circumſcribunt, exploraturi ſapientiam Numinis ac bonitatem. Quartò nondum, quod in ſe eſſet, totum fecerunt. Difficillimè, *inquit Veget. lib. 4. c, 10.* vincit ſitis eos, qui, quamvis exiguâ aquâ, ad potum tamen in obſidione ſunt uſi. Quintò de fontibus cum hoſte manus nondum conſeruerunt. Centenarios, quos per ſingulos fontes, in gyrum conſtituerat Holofernes, propellere nunquam conati ſunt. Miraculum videlicet volebant, & divinos è cœlo imbres, uti Græcus textus innuit verſ. 29. Sextò, non rationibus & exemplis aut majorum, aut malorum, populares conſolari, excitare & confirmare conati ſunt, ſed eis deditionem præproperè ſpoponderunt. Quid enim in tali rerum articulo non tentandum, dicendum, ferendúmque fuit? Nam de templo, religione, gentéque propemodum univerſa jam agebatur. Septimò, ſumma, qua pollebant, auctoritate ſatis uſi non ſunt. Octavò, deditionem Ozias etiam jurejurando interpoſito promiſit. Quid ſi interea auxiliari vellet DEUS? quid ſi Joachimus Pontifex magnis cum copijs affuturum ſe ſcriberet? an jusjurandum violaret? Unde liquet, meritò ipſos à Juditha reprehenſos fuiſſe.

Et jucundus factus eſt Holofernes ad eam, bibítque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita ſua. c. 12. Attulit Holoferni mortem ebrietas, & temulentum ad inferos detruſit. Et ſe, & tantas equitum peditúmque copias vino perdidit. Ingens præterea dedecus & infamiam per omnes regiones, quas victorijs emenſus eſt, contraxit, præſertim in Aſſyria, ubi innotuit, tanti calamitatem exercitûs, Ducis intemperantiâ contigiſſe. *Et caput eius non erat in illo.* c. 14. Ebrietas non rationem modò, ſed caput etiam Holoferni abſtulit. Quoties hoc uſurpes de calicum trahonibus, qui poſtquam potando ſanæ mentis ſenſum profligârunt, meritò dici poſſunt eſſe ſine capite; & ſine pedibus, quibus ſe ſuſtentare nequeunt. Veriſſimè Salomon Prov. 12. *Qui ſuavis eſt in vini demorationibus* (quem delectant Sympoſia & compotationes) *in ſuis munitionibus relinquit contumeliam.* Domos, arces, urbes caſtra, exercitus ignominiosè prodit, & evertit. Pulchrè *S. Ambroſius lib. de Elia, & jejunio c. 9.* Unius mulieris (Judithæ) jejunium innumeros ſtravit exercitus ebriorum. Sic Troia indulgens genio, capta eſt à Græcis; juxta *Virgil. 2. Æneid.*

Ebrietas in Duce militiæ aut magiſtratu.

Invadunt urbem vino, ſomnóque ſepultam.

Nam certiſſimum eſt naufragij exitiû, ſi Gubernatori (Duci exercitûs, præfecto urbis, patrifamilias &c.) clavum, hoc eſt, rationem excuſſit temulentia. Hæc, *inquit Seneca epiſt. 83.* acerrimas gentes, belli

coſáſque

cosásque hostibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos, & jugum recusantes in alienum egit arbitrium; hæc invictos acie, merô domuit. Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, victa temporum, locorúmque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria totum dimiserunt: intemperantia bibendi, & ille Herculanus ac fatalis scyphus condidit. Quæ res tot victorias jam partas iterum extorsit è manibus, nisi vincentium in dolia vino plena væsana invasio. Quem enim Bacchus stravit, Marti debetur victima, & quod miserrimum est, Plutoni.

Laudes Iudithâ. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha, & neomenias, & festa domus Israël.* c. 8. Egregia laus Matronæ integerrimæ, continuum precandi studium, secessus à turbis, institutio puellarum ad pietatem, jejuniorum austeritas (quæ apud Iudæos ante vesperam non solvebantur) & asperitas cilicij. S. *Fulgentius in epist. 2. cap. 15.* „Ecce „vidua præclara natalibus, facultatibus dives, ætate juvenis, „specie mirabilis, divitias contempsit, delicias respuit, carnis in„centiva calcavit. Pergit sacer historicus eodem cap. *Erat virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius.* Rarum encomium, non ea tantùm, sed nostra quoque tempestate. Iuditha ab anno vigesimo nono, quo maritum extulit, usque ad annum centesimum quintum, hoc est, annos omnino septuaginta quinque, viduum torum coluit. Erat ei ætas ad nuptias habilis, juventus viridis, forma insignis, facultates amplissimæ, honor & gloria summa, maximè post triumphum nobilissimum ab Assyriis reportatum, magna rerum omnium in Republicę tranquillitate prosperitas; insitus amor & sui, & generis, & nominis propagandi; nam prole carebat, & illustri stemmate erat oriunda. Ad hæc multi conjugium eius ambiebant, opulentiâ, stirpe, pietate, religione præstantes. Et exemplum eo tempore nullum suppetebat viduitatis præmaturæ, per annos tam longos, ad usque vitæ finem perductæ. Quis igitur neget Heroidem hanc, quandam veluti Pandóram fuisse, omnium virtutum & gratiarum decoribus exaggeratam, nominis invidendi, & tamen omni invidiâ majoris? nam cap. 8. de eadem additur: *Erat hæc in omnibus, famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Tam singularis virtus per ora omnium volitabat, & nullius tamen dentem sentiebat. Res prodigio similis inter mortales!

NARRATIO.

NARRATIO CII.
SVSANNAE CASTITAS FORTIS.

Daniel. cap. 13.
Anno Mundi 3437. ante Christum. 616.

POstquam *Nabuchodonosor* cognomento *Magnus* Ioakimum, Solymorum regem, cum flore Iuventutis interfecit, (quod superius exposuimus) eiúsque filium *Ioachimum* seu *Iechoniam* cum decem nobiliorum Iudæorum millibus abduxit in captivitatem, Daniele cum Socijs admodum pueris regio sanguine oriundis, aliísque gentis Hebrææ primoribus, jam antè in Babylonicam servitutem abstractis, mirabile castitatis & fortitudinis specimen femina, puérque Hebræus ediderunt.

Tenebatur Babylone cæteros inter captivos Matrona, cui *Susanna* appellatio (Lilium Chaldæis dicitur) pulcherrimâ rei cum nomine convenientiâ, nam ut Luna minores inter stellas, Lilium inter flores, sic illa formæ castimoniæque præstantiâ Hebræas inter nurus eminebat. Quibus ornamentis accessit cùm præclara Legis divinæ intelligentia; tum singularis in DEUM religio cum lacte matris imbibita, & diligenti educatione nutrita ac aucta. Parens ei *Helcias*, maritus *Ioakimus* nomine, vir comprimis nobilis & copiosus, Iudæorum, qui Babylone degebant, facilè princeps. Habebat is hortum, ædibus suis vicinum, varij generis arboribus consitum, & ad omnem amœnitatem excultum. In cæteris Viridarij gratijs Piscina visebatur, in quam desilientes ex alto lymphæ, vitreo liquore oculos ad contemplandum, artus ad lavandum, temperie frigoris invitabant. Eò se meridiani sub æstum solis conferre *Susanna* solebat, opacas inter frondes tam calorem fractura, quàm vires deambulatione excitatura. Advertit ea res lascivos duorum senum oculos, qui *Ioakimi* domum frequentabant, ibíque jus dicebant populo, (*Achazem* & *Sedechiam* appellant) judiciorum detestabiles corruptores; quippe qui per speciem juris dandi, matrimonia maculabant, intentatis, siqua verecundior eorum libidini refragaretur, capitis ac fortunarum excidijs; repugnantes amicarum maritos supplicijs adjudicabant; alia re *Corruptissimi duo Senes.*

Uuu nulla

nulla reos, quàm quòd rem haberi cum sua prohiberent: dum è diverso nocentissimum quemque, pessimúmque, dummodò cupiditati suæ velificantem, pronuntiarent innocentem, liberatúmque pœnâ dimitterent. Cæterùm judiciorum inter suos, & privatis in negotijs exercendorum potestatem Reges Babylonij Iudæis fecerant, ut illâ qualicunque patriæ libertatis specie, patientiùs servile jugum tolerarent.

Atque hæc duo non minùs tribunalium, quàm senectutis probra, Veneris mancipia turpissima, cùm impuro castissimæ viraginis flagrantes amore, cæcum in venis ignem alerent, cúmque mutuò confiteri non erubescerent, (diversâ namque viâ ad idem flagitium dum properant, mœchus in mœchum incidit) statuerunt, captata die & occasione, libidinis suæ prædam, in pomario Joakimi venari. Fortè Susanna, contra solis ardorem, parabat corpus abluere, frondibus arborum & fruticosis septis occultata; atque, ut est solliciti plena timoris castitas, diligenter obserari curârat ostia Viridarij, duabus, quas secum habebat, puellis, per posticum dimissis, olei & smigmatis afferendi causâ. Solam se credebat, & innocentiæ suæ securam; cùm duo lenones, dudum flagitijs, nunc arborum ramis cooperti, advolant ex insidijs, ad scelus velut equus & mulus adhinnientes. Sollicitant integerrimæ matronæ pudicitiam: reluctanti vim minantur, & capitale supplicium. Quid faceret deprehensa sine teste castitas? undique constricta tenetur. hinc fides conjugalis, timórque Numinis prohibebat flagitium; inde mortis & dedecoris metus ad curam tuendæ vitæ, famæque revocabat. Reperit consilium generosus animus, atque, si pudicitia (cogitabat secum) in eum discriminis conjecta est articulum, ut ipsa vel sit morte redimenda, vel cum atroci Majestatis divinæ injuria profliganda, occumbam antè millies, quàm tantum ut nefas in me admittam. Satius est alieno mori scelere, quàm meo, non perit, quæcunque pro virtute perit. Simúlque rupto gemitu, suppetias alta voce postulat; tollunt contrà clamorem flagitiosi senes, reclusísque pomarij foribus, in vindicias deprehensi sceleris, servos advocant; mentiuntur, juvenem quendam perpetrato cum hera crimine, suis eluctatum manibus, fugâ dilapsum, flagitij consorte in eo, ubi peccârant, loco relictâ. Audiunt famuli, quod ne cogitare quidem audebant. fidem ut adhiberent dictis, obstabat explorata integritas dominæ: ut abnuerent, testantium auctoritas reclamabat; in ancipiti hærentium vultus, tacitus pudor suffudit. potuit is ruborem quoque perditorum senum injicere fronti, nisi eam inveterata libido dudû perfricuisset.

Senes mœchi insidiantur pudicitiæ Susannæ.

Vocatur

Vocatur igitur in judicium, cui prœmium propugnatæ virtutis debebatur; frustrata lascivia in odium vertitur; sedent judices iidem, qui accusatores & testes. Susanna rea sistitur; adsunt cum innocente parentes, filij, propinqui, non tam de sua fama, quàm tribunalis justitia solliciti. Squalor & luctus habebat omnes, quibus tanta virtus erat perspecta. Et cui non esset? stabat matrona pudicissima, ad caussam dicendam, calumnijs oppressam, suis infusa lacrimis, alienis pudefacta, astantium fletu magis absoluta, quàm deplorata. Impurissimi verò sollicitatores, nunc Judices, ut vel aspectu satiarent libidinem, jubent ora velata retegi; sceleratas manus imponunt innoxio capiti, accusant adulterij, ignoto cum juvene commissi; mentiuntur, se præsentes flagitio intervenisse, tenuisse adulteram adulterum verò, quippe viribus validiorem, eluctatum è manibus. Iret igitur populus in suffragia, & de criminis manifestâ, ferret ex præscripto legum, sententiam. Quò se verteret accusata? quem patronum eligeret in caussa, in qua testes erant omni exceptione majores; cum quibus loquebatur veneratio senectutis, auctoritas magistratus? Igitur criminatione Judicum, & clamoribus plebis prostrata, solâ conscientiæ fiduciâ nixa, oculis in cœlum sublatis, DEUM innocentiæ Vindicem appellabat. Jámque ducebatur innocens, lapidanda; non illam nobilitas parentum; non honestissima educatio; non sanctissimum conjugium; non vitæ præteritæ optima fama; non amantissimus maritus; non luctus & lacrimæ cognatorum à calumnia liberârunt. *Susanna rea ad tribunal trabitur.*

Ibat ergò deserta ad locum supplicij, fortiter vitam positura pro castitate, quam flagitio servare potuisset. Cùm ecce, subitò prodiens in medium adolescens, annorum haud ampliùs duodecim, *Daniel* nomine; divino concitatus spiritu, palàm profitetur, iniquæ cædis se innoxium esse; postulat retexi judicium impium, & de caussa penitiùs cognosci. Stitit ea vox impetum populi, cùm DEUS in puero, & sapientia supra ætatem loqueretur. Ei, qui per annos, nec testis esse poterat, partes Cognitoris & Judicis imponuntur; quas non admisit prudentiùs, quàm integriùs est executus. Iubentur in diversum secedere accusatores, interrogantur seorsim à Daniele, ecquanam sub arbore vitium offerri vidissent Susannæ. cùmque alter responderet, id factum sub *Schino*, (seu lentisco, arbore resinam exsudante) alter verò diceret, sub *prino* (quæ ad genus illicum pertinet) indignatus impudentiæ mendacij Quæsitor, utrumque calumniæ, convictíque criminis condemnat; eâdem, quam perjuro testimonio meruerât, pœnâ, & lege *Talionis* morituros. Æquitas sen- *Susanna à Daniele defenditur.* *Et liberatur.*

 tentiæ

tentiæ summis, infimísque probatur; nequissimos senes, attentati flagitij, falsæ accusationis, perversi judicij reos, populus lapidum grandine è numero mortalium ad inferos exturbat. Hanc catastrophen consecuta est publica lætitia, laudes DEO, gratulationes Susannæ ac Danieli solventium, cuius sapientia innocentiam calumniâ, honestatem infamiâ, castitatem suppliciô, populum Hebræum injusta cæde liberavit.

DOCTRINA.

Susanna longè anteferenda Lucretiæ.

MElius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Daniel cap. 13. Heroica Susannæ in extremis angustijs constitutæ Conclusio. Ite nunc Romani, & Lucretiam vestram, tanquam incomparabilis pudicitiæ exemplum, laudibus ad cœlum tollite. Habet enimverò Hebræa gens Heroidem, quæ inter captivos libera, in servitute Babylonica, non serviens; extra patriam, patriæ religionis servans, virtutis domesticę inter barbaros tenax, castimoniæ in secreto propugnatrix, famam antè maluit & vitam perdere, quàm pudorem. Quid simile Lucretia? Hæc enim vel mortis metu, vel dedecoris; alienæ cessit libidini, Tarquinio consensit, flagitium admisit. At Susanna nec timore supplicij, nec horrore infamiæ dimoveri potuit à firmissimo castitatis conjugalis proposito. Illa sceleri patrato, aliud scelus addidit, seipsam occidit; crimen non excusavit, sed exaggeravit; Benè Poëta:

Ante scelus, castæ mors subeunda fuit.

Susanna mori maluit, quàm fœdari; non ignara, Ei honestum vile esse, cui nimis chara est vita.

Unde horror peccati in Susanna?

A matrona Hebræa discendum est Christianis, quantò satius sit, vitam corporis perdere, quàm animæ, id est, gratiam DEI; Quantóque tolerabilius sit, in hac vita, incidere in manus DEI viventis Heb. 10. quàm incidere, in futurâ; quia nunc misericordiam exercet mitis, tunc justitiam exercebit iratus. Horror peccati horrorem ademit mortis. *Surius in vita S. Anselmi Episcopi Cantuar.* scribit, eum dicere solitum; „Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni eorum immergi deberem, priùs infernum, quàm „peccatum appeterem. Et notanda verba: *Quàm peccare in conspectu Domini.* Susanna vidit videntem se, & omnia; ideóque timuit Vindicem ejus manum, cuius arbitrum oculum se fallere non posse sciebat. DEUM videlicet præsentem, & criminis spectatorem intuita, cohorruit ad tantum nefas. E contrario impurissimi lenones, omnem à se præsentiæ divinæ cogitationem

tionem repellentes ex animo; ne quem Solis illius æterni radium exciperent, occluserunt ultro valvas cordis. *Declinaverunt*, inquit Scriptura S. *oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Oculos habuerunt, & non viderunt; quia non sunt ausi attollere cœlo lumina, unde fulmen timebant. Credebant se non videri, quia videre noluerunt. Est hæc pœna animi malè sibi conscij, lucem fugit, tenebras quærit. Veteratores isti in contemplanda Susannæ forma Argi erant oculatissimi: ad sceleris verò meditati turpitudinem, & imminentem ei vindictam cernendam, Tiresiâ cæciores. *Via impiorum*, ait Salomon Prov. 4. *tenebrosa: nesciunt, ubi corruant.* Heb. nervosiùs habent. *Via impiorum caligo; nesciunt, in quod impingant.* Hanc menti caliginem offundunt tum cetera crimina, tum fœda libido maximè; hæc enim dum intus glíscit, fumum ante flam̃am spargit, & tetrâ rationem obfuscat nebulâ, ut nec quid agat, cupiátve, discernat; hinc pudendi, etiam seniorum, & cæteroquin consiliô valentium, lapsus. Samsonem, Davidem, Salomonem, aliósque, hôc involutos fumô protulimus. Ex ea caligine lucem aspexerunt aliqui; multi de fumo in flammam infernalem inciderunt; quorum numero etiam isti, canis, & flagitijs obsiti nebulones accensentur.

Libido excæcat.

Flens (Susanna) *suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* cit. cap. Nimirum oppressa judiciô humanô, sublatis oculis, ad cœleste Tribunal appellavit, ubi patronam habebat, Conscientiam bonam. Hæc est in tempestatibus anchora, in naufragio portus, in persecutionibus asylum, in periculis præsidium; inter tela clypeus, inter nubes serenum, inter extremas angustias libertas & securitas. Verè *Tullius*: Vacare culpâ maximum est solatium. Susannæ salus in ultima stabat tegula; non ideò tamen despondit animum, quia sciebat, innoçentiæ suæ Testem, Judicem, Vindicem esse Illum, quem nullæ calumniæ fallunt, nullæ fraudes decipiunt, nulla mendacia corrumpunt. O oculi! ô facundi & potentes, taciti licet, Oratores apud DEUM! ad guttas è vobis, gemmeo rore stillantes, tanquam ad Clepsydram *Dixit* Innocentia, & vicit.

Conscientia bona potens patrociniũ.

Egressa est iniquitas à Senioribus Iudicibus. loc. cit. Miserum tribunal, cui præsidet turpis Libido, tantò pestilentior, quantò tectior, & auctoritate munitior. Quale jus dicet, juris ipse contemptor? quas statuet pœnas, violator legum? Siracide teste. c. 25. *Odit DEUS senem fatuum & insensatum.* Nam si hoc in sanguine frigido; quid fiet in calente? Si species decepit, & subvertit cor senum; quæ non erunt pericula juvenum? Nimirum ubi oculus, ibi amor; ubi manus, ibi dolor. Ovidius canit:

Libido in sene quàm turpis & noxia.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor:
Præſentiſſimum contagium; ubi venenum ſpargit ſenex nequam, & virtutis ſpecie larvatus, poteſtatis præjudicio fultus.

Vecordia peccatoris.

Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt. Ibid. O vecordiam! ô dementiam! Nemo vos videt, Tenebriones! quos cœlum aſpicit, orcus obſervat, Nemeſis ultricibus pœnis deſtinat victimas? *Nonne renum quoque teſtis eſt DEUS?* Sap. 1. Ille greſſus numeravit omnes, quos ad flagitium feciſtis; ille computavit ſingulos oculorum ictus, quos in vetitam formam conjeciſtis; ille ſuſpiria annotavit, quibus ad ſcelus anhelâſtis; ille lenocinia conſignavit, quibus expugnare pudicitiam tentâſtis. *Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt.* Eia verò; clauſas dicitis fores, quas libidini aperuiſtis? quomodo clauſa oſtia, ubi impudentiſſimè pudoris repagula perrupiſtis?

Pudicitia clamando ſervatur.

Et exclamavit voce magna Suſanna: exclamaverunt autem & ſenes adversùs eam. Ibid. O quàm diverſus clamor! Suſanna clamavit, ut cœlum audiret; ſalaces capri clamârunt, ut vox petulca orcum perſonaret. Illa inclamavit laboranti virtuti ſuppetias; iſti conclamârunt ſpem omnem ſervandæ pudicitiæ. Prævaluit gemitus caſti turturis contra mutientes hircos. Clamor ſervavit innocentiam. O quoties maneret ſalva caſtitas, ſi ad vim propulſandam, telum peteret à lingua, ſed virili. Nam viri quoque omen victoriæ à clamore præliari ſumunt; id tantò potiùs faciant feminæ, quorum arma geſtantur ore.

Calumnia virus.

Fecerúntque eis, ſicut malè egerant adversùs proximum. Ibid. De talione, & de calumnia jam alibi diximus. Cùm tamen præ alijs hic locus memorabilis ſit, non eſt omnino prætereundus. Calumnia *ait Cicero Orat. 1. in Salluſt.* eſt falſi criminis objectio. Sive alicuius in litibus per fraudem & fruſtrationem vexatio. Sive, ut Nonius; eſt malitioſa & mendax infamatio, aut delatio. Vitium exitiabile mortalium generi. Quot enim amicitias diſſociavit; quot familias ſubvertit; quot civitates funditus perdidit? Calumniatrix lingua patrum in liberos, fratrum in germanos, liberorum in parentes, amantium in amatos iras acuit. Optimis iminet, non peſſimis. Ex angulis atque latebris frequenter, & ex inſidijs tela jacit, aconito perlita. David ſibi ab his ſpiculis metuens, rogat DEUM, pſal. 118. *Redime me à calumnijs hominum*, ne perturbatus declinem à via recta; nam teſte Eccleſiaſte, cap. 7 *Calumnia conturbat ſapientem, & perdit robur cordis illius.* Quò enim quisque eſt ingenuæ magis, & nobilioris naturæ, hoc ei pretioſior eſt honor & fama, virtute & innocentiâ comparata. Deinde, calumnia ſæpe aufert opes, libertatem, vitam. Privatum in Suſanna exemplū; publicum in univerſa Judæorum gente, quam ad

extremum

extremum discrimen Aman falsis criminationibus adduxit. Tertiò, fructum impedit, & intercipit industriæ & operosæ sapientiæ; nam si doctrinæ obnuntient mores per calumniam denigrati, quem non absterrebunt? Quartò, vix ita potest elui macula per calumniam inusta, quin aliquod sui vestigium relinquat. Quocirca *Medius*, Alexandri M. parasitus, impium dabat hoc consilium: Quodlibet crimen in quemvis intendite; ut maximè enim sanet *vulnus*, qui læsus est; manet tamen *cicatrix*. Generosus in ea re fuit *Augustini* animus, qui in *epistola ad Secundinum*: „ Senti de Augustino, quod libet, modò coram DEO conscien„ tia me non accuset. Est verò DEUS innocentiæ Protector & Vindex, tum maximè, cùm sibi victrix videtur Calumnia; repentè larvam Sycophantæ detrahit, & suis ipsum artibus evertit. Sic lascivi duo senes suis ceciderunt sententijs, suis capti sunt laqueis, suo jugulati gladio. Quadrat huc illud Ecclesiastici cap. 27. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* Experti sunt hoc criminatores isti periuri; reciderunt in eos lapides, quos Susannæ capiti destinârant. assonat Adagiographus sacer, cap. 19. *Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit.*

DEUS protector & vindex innocentiæ.

Huic historiæ quidam pro clausula apponit, & nos cum ipso:


Sic puer feminæ, Susannæ Daniel
Innocens innocenti, subsidio fuit.
Discite alienô periculô puellæ
Esse formidolosæ, ut formosæ.

NARRATIO CIII.

DANIEL EXPONIT NABUCHODONOSORI VISAM IN SOMNIO STATUAM. TRES DANIELIS SOCIJ IN FLAMMANTE CLIBANO ILLÆSI.

Danielis c. 1. 2. 3.

Anno Mundi 3453. 3455. ante Christum 600. 598.



Uprà memoravimus *Danielem* triennem, & tres coævos puerulos, dynastarum & optimatum Judææ filios, cum Joachimo rege captivos Babylonem traductos, anno M. 3428. quorum indole delectatus

lectatus *Nabuchodonosor*, cognomento *magnus*, rex Babyloniorum, Chaldaicis eos litteris, & lingua jussit institui, mutatisque nominibus, *Danieli* Balthasaris appellationem fecit, *Ananiæ* Sidrachi, *Misaëli* Misachi, *Azariæ* Abdenagónis; quibus cùm ad formæ gratiam vel augendam, vel conservandam lautiores dapes apponerentur, effecit Daniel apud *Malasarem*, moderatorem ipsorum, patriarum obtentu legum, promiscuum ciborum usum vetantium, ut in mensam non nisi legumina, & fontana inferrentur. Quâ victitandi ratione in experimentum decem dierum adhibitâ, non tantùm nihil de oris venustate detritum est, sed multò etiam supra ceteros ephebos habitius redditum. Chaldaicis ubi disciplinis satis videbantur imbuti, regis in conspectum admissi, specimen doctrinæ dederunt, quâ non æquales modò, sed ipsos etiam magistros longo superabant intervallo; divinô utique, & quod supra humanam esset facultatem, auxiliô. Eius sapientiæ fama brevî per regiam sparsa, magnam apud omnes admirationem concitavit, sed non sine comite invidia, quæ suum in eos venenum aliquanto pòst tempore, effudit.

Danielis & sociorum Sapientia.

Triginta jam circiter annos Babylone versati fuerant Hebræi juvenes, cum preclara virtutis & scientiæ existimatione; cùm ad regis gratiam, & sapientiæ comendationem, novum Danieli suppeditavit argumentum, oblatum Nabuchodonosori somnium. Terrorem quippe incusserant rerum futurarum objectæ per quietem species, quas cùm vigilans in mentem revocare non posset, & tamen sollicitum tenerent, quid portenderent, institità Conjectoribus exquirere tam somnium, quàm eius significationem; propositô non magis prœmiô divinantibus, quàm pœnâ fallentibus: ratus, qui cœlitus somniorum interpretationem discerent, eos somniantium quoque imagines scire debere. Tergiversantes ariolos & haruspices (quis enim devotis orco capitibus arcana cœlestia aperuisset?) jussit ad unum omnes abripi, neci dedendos. Eadem sors Danielem cum socijs manebat, invidiâ, an inscitiâ Præfectorum rerum capitalium, ad pœnas vocantium; quos ad interpretationem somnij non vocârant. Daniel igitur supplicium aversurus, petit inducias exigui temporis, ad DEUM suum per preces consulendum. Quibus per *Ariochum* militiæ principem impetratis, ubi cum socijs divinam opem enixis precatibus imploravit, affulsit è cœlo lux inter noctis tenebras. Didicit Daniel evolutionem mysterij; & aditum ad regem postulavit, simul eius animum tristi exspectatione futurorum, simul Chaldæos magos metu suppliciorum liberaturus. Introductus ad tyrannum, negat propositæ quæstionis nodum à Babyloniæ sapientibus solvi posse; Secretum esse, in cœli tabulis consignatū,

Nabuchodonosoris ira in ariolos.

& à nemine

& à nemine explicandum, nisi cui Numinis æterni indulgentiâ concessum sit, rei tam arcanæ propiùs oculum admovere. eius gratiæ cùm ipse spiritum hauserit, expositurum sese vigilanti, quas dormiens accepisset species. Quiescenti visam esse statuam quadriformem, capite scilicet *aureo*, pectore *argenteo*, ventre *æneo*, tibijs *ferreis*, in pedum digitos ex *luto ferróque* mixtos desinentibus; portendi quatuor Mundi Imperia, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; conterenda tamen omnia unico *lapide*, de montis fastigio, ruiturô, quintóque regno, longè majori cæteris, initium daturô. Rex attonitus expositione somnij mystici, proijcit se in faciem, hostias petit & thura, divinos Danieli honores impensurus. Quos ille procul à se removere, inque supremum Mundi Dominum, cœli terræque Regem transferre; eius esse munus, esse favorem, quidquid sibi lucis in ea somniorum caligine affulsisset; ei laudes unicè, gratésque deberi. Præeuntem divinæ Majestatis præconia, rex sequitur, palámque contestatur, summis adorationibus eum DEUM colendum, cuius inspiratione Hebræus Vates oracula reserâsset.

Daniel Nabuchodonosori visam in somnio statuam exponit.

Nec dilatum est prœmium Interpreti fatidico. Muneribus tantis & honoribus cumulatur, totius ut Imperij Babylonici proregia dignitate ornaretur. Admisit eam regis benevolentiam Daniel nulla ambitione, sed eximia in cives suos per Babylonicum regnum exulantes, charitate; quibus ut esset præsidio, id insuper gratiæ apud regem indeptus est, ut non ipse modò secundas Imperij teneret, sed socij quoque tres juvenes, majorum regni negotiorum administri constituerentur.

Nabuchodonosor DEUM cœli laudat.

Daniel honoratur, & socij.

Favonios adeò secundè spirantes tempestas excepit horrida, partim regis ambitione, partim aulicorum assentatione, & in Hebræos malevolentiâ, concitata. Nabuchodonosor namque, sive insolescens imperij sui potentiâ, quòd tantùm cæteris præcelleret regnis, quantùm aurum vilioribus metallis antecedit; (caput enim statuæ Babylonio regi Daniel comparavit) sive suspicionem Iudaicæ religionis à se amoliturus; sive Procerum invidiæ velificaturus; sive opulentiam & magnificentiam dominatûs ostentaturus, suam in colosso effigiem jubet erigi, sexaginta cubitorum altitudine, ex ligno, laminis aureis ad operis quà firmitatem, quà pretium, obtecto. Ad venerationem colosséæ statuæ convocantur edictô, cùm populus universus, tum præcipuè Purpurati; in quibus cùm numerarentur *Sidrach, Misach, Abdénago*, haud sanè, per externam saltem officij speciē, abesse licuit ab eo cœtu. Danielem, ut credibile est, vel colloquia cum Rege in Aula, vel negotia peregrè distinebant. Si præsens adfuit; patrocinium pro socijs omisit, aut quia credebat irritum, aut quia prævidebat supplicium ignis innoxium. Statuæ circumfusi erant

Nabuchodonosor jubet se in colosso adorari.

fusi erant Symphoniaci, cum omnis generis instrumentis musicis, capitis in eum pœnâ sancitâ, qui audito tubarum & tibiarum & fidium sonitu, non decresceret in genua, imaginem regis pro deo adoraturus. Signô concentibus datô, cùm omnis multitudo sese coram colosso prosterneret, steterunt erecti tres Hebræi juvenes, aut viri potiùs, negantes per sua sibi Sacra fas esse, divinitatis cultum in lignum aut metallum conferre; mortem priùs oppetendam millies, quàm admittere piaculum tam immane. Ea libertas omnium iram provocavit; Satraparum præcipuè, quibus jam dudum Hebræorum apud regem gratia, tormentum in oculis erat & animis. rapiuntur igitur tanquam ultima meriti in regiam, accusantur spreti mandati, postulantur ad necem. Tyrannus furore, in quem aliàs præceps ferebatur, admotis insuper Purpuratorum & Sacrificulorum flabris, nimiopere excandescens, cùm terroribus ingerendis nihil proficeret, in flectenda Hebrææ virtutis constantia, fornacem imperat naphtâ, stupâ, pice, malleolis inflammari, septuplô vehementiùs, quàm solitum erat, & in eam contumaces Apellas, ita ut erant vestiti braccis & tiaris Persicis, manibus, pedibúsque ligatis immitti. Jussum, factum. Sed ô prodigium potentiæ divinæ, cui famulantur elementa sive ad clementiam, sive ad vindictam! Beati heroes per medios undantium ignium vortices inambulant illæsi, ne capillô quidem adustô, vinculis liberi, laudésque DEO læta voce canentes, cœlesti Genio lenem ventulum, & rorem, mira cum voluptate eis afflante; flammarum contrà globis in illos erumpentibus, qui ferale ministerium exequebantur, momentóque redigentibus in cinerem. Exsternatus miraculi novitate tyrannus, evocat è clibano juvenes, qui incolumes per obstantes egressi flammas, tam regem, quàm proceres, prodigij spectatores, timore & reverentia veri Numinis impleverunt. Celebratur omnium laudibus & præconijs DEUS cœli, Dominator Universi, tantorum mirabilium effector; gravissimáque statuuntur in eos supplicia, qui verbo, factóve contumeliam essent irrogaturi Regi æterno. Erepti flammis juvenes, tantò prodierunt illustriores, quantò per ignem probatiores, majoribus etiam honoribus, quàm quos gesserant, aucti, provinciarum præsides, & supremi tribunalium præfecti sunt creati. Adeò DEUS non deserit eos, à quibus ipse non deseritur; & promptitudinem pro gloria sua moriendi, præsentibus etiam prœmijs remunerat. Tam honestis periculis quò se quisque fortiùs objicit, hoc ijs præclariùs defungitur. Fornax, ait quidam, Babylonica patientiæ fuit gymnasium, constantiæ theatrum, virtutis campus, divinæ potentiæ palæstra, innocentiæ triumphus.

Hebræi tres juvenes illæsi in fornace Babylonica.

Ob id prodigium rex cœli laudibus effertur.

DOCTRINA.

DOCTRINA

Laus abstinentiæ.

E*T apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibò regiò.* Daniel. 1. Mira vis abstinentiæ, mirum prœmium. Formam præstantem, valetudinem bonam, ingenium docile, castitatem virgineam, societatem angelicam, refrigerium in flammis contulit Hebræis juvenibus, Sapientiæ mater sobrietas. Hoc animo dixit Isaias c. 28. *Quem docebit sapientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Non sunt idonei ad spiritus cœlestes hauriendos, qui etiamnū trahunt ubera, mensarum delicias, in cibi, potúsque libidines effusi. *Platonem* ,, cum quidam interrogasset: Unde tibi sapientia tanta? respon-,, dit: Quia plus consumpsi olei in lampade, quàm vini in calice. ,, Sobrietatis laudator *Beda, in collectaneis*, Sobrietas, *inquit*, servat ,, memoriam, acuit sensum, sincerat mentem, dirigit vultum, in-,, tegrat pudorem, mitigat vitia, exonerat cerebrum, explicat lin-,, guam, nutrit medullam, confirmat sanguinem, roborat venas, ,, contemnit libidinem, recreat somnum, propagat senectutem, ,, aperit mysterium, stabilit hominem.

Significatio metallorum diversorum in statua per somnium objecta.

Statuæ caput ex auro optimo erat: pectus & brachia, de argento: venter & femora, ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea, quædam erat fictilis &c. Vidisti digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles. Daniel. 2. suprà indicavimus, quattuor Orbis Monarchias per statuam mysticam Nabuchodonosori repræsentatas. Diversitate metalli DEUS regem docere voluit præsenti felicitate nimis elatum ac superbum, ut agnosceret miram regnorū vicissitudinem, quâ fit, ut regna, quę multo tempore latissimè & gloriosissimè imperaverant, postea exiguis restricta finibus, obscura jaceant & humilia; contrà verò, quæ diu parva & ignobilia fuerant, amplissimum & nobilissimum fuisse imperium consecuta; instabilem & præcipitem gradum esse regiæ felicitatis, orbéq; volubili imperiorū vices circumagi. Per *aureum caput* Chaldaici regni antiquitas & diuturnitas designabatur; per *argenteum pectus & brachia*, Persici imperij opulētia & divitiæ; per *æreum ventrē & femora*, quippe sonantissimū metallū, fama & gloria Grecæ monarchię, cui Alexander M. initium dedit; per *ferreas tibias* Romanæ potentiæ robur, quô cunctas gentes domuit; *per pedum digitos partim ferreos, partim terreos,* multiplex in Romano imperio, & tandem exitialis partium dissensio, ac discordia. *Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ*, ait Daniel ibid. Jungent quidem tyranni, qualis Cæsar & Pompeius, affinitates & necessitudines inter se, nunquam tamen cohærebunt, atque ideò tota tandem moles imperij Romani collabetur.

 Rursum

Rursum per *caput aureum* innuitur magna Chaldæorum felicitas & sapientia; per *pectus & brachia* intelliguntur Darius, Medus,& Cyrus, duo regna, Persarum & Medorum, sicut brachia in pectore consociantur, jungentes; per *ventrem & femora*, immodica vini cupiditas,& intemperantia, qua infamis extitit Alexander; per *tibias*, quæ sunt infima pars corporis humani, significatur, regnorum postremum esse Romanum, & usque ad AntiChristi tempora duraturum. Deinde tibijs ingredimur, & currimus; sic Romani belligerando & vincendo, universum orbem peragrârunt. In tibijs magnum est robur & firmitas, quippe omne corporis pondus fulcientibus; ita Romanorum vires totius penè orbis molem sustinuerunt. Tibiæ portant omnia superiora corporis membra; Romani priora regna & imperia suâ dominatione complexi sunt, eáque præclarè sustentârunt. *Digiti pedum ex ferro lutóque mixti* indicant Romanum imperium initiò fore robustissimum & validissimum, deinde in plures partes discerptum infirmandum, & ad extremam debilitatem redigendum.

Moralis explicatio partium & metallorũ statua.

Si moralem interpretationem spectamus, multiplex eruitur sensus. nos aliquos dabimus. Digiti pedum erant partim ferrei, partim testacei; erant inæquales, nam alij alijs majores, minorésque. Ubi multi dominantur, alij sunt ferrei, & potentiores; alij terrei & imbecilliores. Inæqualitas dissensionem parit & discordiam; nam validiores premunt infirmiores; hi potentioribus invident,& diffidunt, sibíq; ab ijs cavendum putant. Unde resultat imago quædam tyrannici imperij, quod partim est ferreum propter violentiam & crudelitatem: partim terreum propter instabilitatem. Malus enim imperij custos est metus.

Præterea significatur, qualis sit gloria & felicitas regum. Quę, licet videatur ferrea, propter imperij robur & potentiam, tamen fragilis est & caduca. De Alexandro M. in priori libro Machab. *Et post hæc decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur.* Vide quatuor prædictorum regnorũ funestissimos exitus. *Balthasar* ultimus Chaldæorum rex subitò,& miserrimè interijt. quod infrà memorabimus. *Cyrus* auctor Monarchiæ Persicæ, à Tomyri Massagetarum regina victus occubuit. illusum etiam corpori, & caput humano sanguini immersum. *Alexander M.* Græcorum imperiũ constituit; annô ætatis tricesimô tertiô, venenô vel intemperantiâ extinctus; invictus armis, non voluptatibus. *Crassus, Pompeius, Cæsar*, Romanorum potentissimi & gloriosissimi, malè perierunt. Primus quidem à Parthis cum exercitu ad internecionem cęsus est, ne nuntiô quidem cladis superstite; Aurum in extincti os cũ ludibrio infusum. Alter profligatus, & insidiosè peremptus, vix in orbe,

orbe, quem totum subegerat, sepulcrum habuit. Tertius in Curia, ipso dominationis exordiô, Senatorum sicis est confossus. Hoc est choragium, hic ludus potentiæ humanæ. De DEO Daniel ad Nabuchodonosorem c. 2. *Ipse mutat tempora & ætates: transfert re„gna, & constituit.* Eleganter *Philo*, judæorum disertissimus. Ver„bum, *inquit*, divinum choreas in orbem ducit, quod vulgus ho„minum fortunam nominat; & omnes gentes circumlustran„do, nunc his, nunc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Ni„hil igitur est in rebus humanis præter umbram, aurámque „levissimam, sine mora prætervolantem; eunt enim ultro ci„tróque, tanquam æstuaria. Nam & marini æstus nunc cum „magno impetu, sonitúque accedunt: & longè latéque per litto„ra diffunduntur, undis stagnantibus: nunc refluunt retrò, nec „solùm terram, sed maris etiam partem aquis nudatam, in si„militudinem continentis redigunt. Simile quiddam accidit, „quando fortuna, postquam populosam aliquam gentem inun„davit magnis felicitatibus, fluxu averso, ne guttam quidem si„nit reliquam, deletis etiam pristinæ opulentiæ vestigijs. Hæc ille. Hanc gloriæ & felicitatis mundi imaginem refert Nabuchodonosoris statua, cuius caput aureum, fausta & læta principia denotat: digiti verò sunt terrei, idest, extrema tristia & luctuosa.

Est etiam colossus hic humanæ inconstantiæ symbolum. Caput aureum, initia fervida. Pectus & brachia argentea; progressus aliqui, sed exordio non pares; venter & femora ærea, mores deteriores, & languidius virtutis studium; denique pedes ferrei & lutei; extrema frigidissima, & ruinæ proxima. Pul„chrè S. *Augustinus tom. 10. Serm. 15. de verbis Apostoli* c. 8. Semper „tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. „Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Pauli vox est, ad Philip. 3. *Quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis DEI in Christo JESU*; Non contentus videlicet operibus præteritis, semper ad majora & excellentiora enitebatur, sese per desideria & conatus extendens, & oculis semper ad metam defixis, cursu contendens ad palmam, per merita Christi, à supremo Remuneratore, obtinendam.

Suscitabit DEUS cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum &c. de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam & ferrum, & æs, & argentum, & aurum &c. Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram. *Quis lapis de monte abscissus conterens statuam.*

Hæc Daniel cap. 2. Lapis est Christus, natus è Virgine, absque humana opera, sed ex spiritu sancto. Virgo Mater mons est, omnium virtutum sublimitate exaggeratus, cuius altitudinem ex fundamento collige, nam si juxta Psalten regium *Fundamenta eius in montibus sanctis*, hoc est, super *Sanctorum* columen & perfectionem locata, quàm excelsum erit denique montis hujus fastigium? Et Isaiæ c. 2. *Et erit præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Nimirum plenitudo gratiæ, quæ in alijs fuit vertex & culmen, „ in B. V. basis fuit ac fundamentum. Mons quippe (*ait S. Gregorius in 1. Reg. c. 1.*) in vertice montium fuit beatissima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinē, electionis suæ dignitate transcendit. Lapidi Christus comparatur psal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli.* Fuit hic initiò parvus, & angustò præsepiò circumscriptus, & fabrili patris nomine spretus à Iudæis, sed mox replevit terram eius fama & gloria, primò promulgatione Evangelicæ doctrinæ per Apostolos toto orbe pertonantis psal. 18. Deinde odore virtutum ac sanctitatis latissimè propagatæ per mortalium mentes. Præterea innumerabilium prodigiorum efficientiâ, & admiratione. Comminuit verò Christi regnum Romanum imperiū, & cætera per hoc contrita, quia illud ad veram religionem pertraxit; plúsque potuit martyrum sanguis & patientia ad propagationem Nominis Christiani, quàm ferrum, ignes, bestiæ, & omnis tyrannorum, crudelitas ac sævitia ad eius oppressionem.

Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus & judices, duces, & tyranni, & optimates, qui erant in potestatibus constituti, & universi principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ. Daniel. 3. Verissimum Siracidis dictum est, cap. 10. *Qualis rector civitatis, tales & habitantes in ea.* Cui perquàm similis est ea Platonis sententia, quam in qua„ dam *epistola ad Lentulum*, laudat *Cicero*, Quales sunt in repub„ lica principes, tales esse in ea solere cives. Quapropter non tantum mali est, ut idem *Tullius* scribit *lib. 3. de legib.* peccare principes, quanquam est magnum hoc per se malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. Nam qualescunque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem esse solere: & quecunque mutatio morum in principibus extiterit, e„ andem in populo existere. Principes *ait S. Hier. in hunc loc.* congre„ gantur ad adorandam statuam, ut per eos seducantur & gentes. Regis ambitio, purpuratorum assentatio, fuit totius populi corruptio.

Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Daniel. 3. Responsum Hebræorum juvenum, plenum heroicæ libertatis & fortitudinis. Erant in oculis, furiales regis minæ,

tot millium

tot millium exemplum, supplicium præsentaneum, accensa fornax. Illi tamen constantissimè : *statuam non adoramus. DEVS, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare. — Quòd si noluerit, notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti, non adoramus.* Mascula profectò virtus, & in utrumque paratissima. Sive enim DEUS ignem in rorem & rosas mutet: sive in tormenta & supplicium adhibeat, pendemus illius ab arbitrio, cui servitutem ingenuam servimus, non ut operæ mercenariæ mercedis amore, nec ut grandia nostri caussa patret miracula, sed quia *DEVS est & Dominus noster*, cuius nutu reguntur universa. Hanc spiritus libertatem extollens *Zeno*, Veronensis Præsul & Martyr *Serm. 1, & 6. de tribus his juvenibus.* Tres, *inquit*, pueri in illo sacro certamine DEUM sibi proposuere, non flammas; futurum gaudium, non præsentes pœnas; sicque intra tetros undantis incendij globos, triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium, docuerunt, non esse fortiores ignes hominibus sanctis. Quis non optet sic ardere, quando mors transit in vitam, metus in gloriam.

Mascula Hebræorum juvenum virtus.

Angelus Domini descendit, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Daniel 3. *Chrysost. tom. 3. hom. 4.* Ignis, *ait*, murus illis factus est, & vestis flamma, & fons fornax; & ligatos capiens, solutos reddit; mortalia accepit corpora, & tanquam ab immortalibus abstinuit; non agnovit naturam, sed pietati exhibuit reverentiam. & *August. tom. 10 serm. 240.* In fornacem, *inquit*, missi sunt sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt. Timent ignes lædere, quos jussi sunt incolumes servare. Ostendunt justorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licet in pœna esse securos, quos extra pœnam non licuit esse intactos, ut ubi interitus, ibi salus: ubi supplicia, ibi invenirentur refrigeria. Hæc ille. Elucet ex his ignibus paterna DEI in suos cura, qui licet periculorum medij, & rebus adversis, velut flammis sint circumdati, ita tamen servantur illæsi, ut ne capillus quidem, quod de Hebræis heroibus *S.* Historia memorat, ex illorum capite pereat. Quod si verò fuerit aliter visum Superis, non ideò mutant mentem viri fortes, quibus dulce & decorum est pro cœlo mori.

NARRATIO.

NARRATIO CIV.

NABVCHODONOSORIS METAMORPHOSIS IN BESTIAM.

Daniel. 4.

Anno Mundi 3463. 3464. ante Christum 590. 589.

DEfunctis eô, quod narravimus, periculô Hebræis proceribus, nova Danieli oblata est occasio, Numinis, Nominísque Judaici insigni documento illustrandi. Somniabat iterum Tyrannus Babylonius (solet enim DEUS somniantibus quoque loqui) ob oculos suos obversari arborem tantæ proceritatis, nubes ut vertice contingeret, foliorum explicatu latè terram inumbraret, magnáque fructuum turgescens ubertate, nidum volucribus, habitaculum bestijs, omníque mortalium generi escam suppeditaret. Videbatur Voluptas ipsa frondoso sub tecto posuisse sedem; adeò blandiebantur omnia. Sed ô nimium brevis amœnitas! adest subitò de cœlo Genius Excubitor, divinæ minister providentiæ, minacíque voce præcipit, succidi arborem, amputari ramos, dissipari folia, dispergi fructus, stirpis duntaxat radice relictâ, denuo in fructus pullulaturâ. Addit cœlestis præco explicationem Symbolo; denuntiátque eum, quem denotat arbor, talia fata subiturum, vinciendum ferro, & omnibus cœli injurijs expositum, silvas inter & feras, herbis septenniô pascendum. Turbârunt non regem modò, sed Danielem quoque, somnij interpretem, tam dira ostenta, subeunte animum Vatis comiseratione simul & admiratione, ex tam insolenti tantæ fortunæ comutatione; regem nuper potentissimum, opibus & delicijs affluentem, magnæ orbis parti imperantem, in bestiam deformandum, vinculis constringendum, ínque silvas expellendum. Cunctanti expónere triste vaticinium, addit animum rex jam modestior, & ad cœli decreta excipienda paratior. Explicat horrida portenta Daniel, & per fatalem arborem diversas regiæ fortunæ vices ostendi declarat; summam Babylonij monarchæ felicitatem in extremam calamitatem mutatum iri; non tamen

Aliud Nabuchodonosoris somnium de succisa arbore.

esse fatorum

esse fatorum vim tam ineluctabilem, ut mitigari non possint pijs animi pœnitentis supplicijs, & liberali stipe in egenos sparsa. Etiam Numinis iras auro flecti. Nimium quantum apud cœleste Tribunal posse, partem in utramque, pauperum gemitus; faceret nunc pecuniarijs elargitionibus Advocatos, quos exactionibus reddidisset Actores. Demitteret sublimes illos spiritus, & cogitaret regnum quámcunque potens, sub graviore tamen regno esse. Facilè persuasit Orator, cui terror audientiam fecit; Nabuchodonosor minaci cœlo clypeum obijcit, liberalitatem in egenos. Et verò suspenderunt fatalem ictum eleemosynæ, modesto non minùs animo, quàm larga manu erogatæ; sed non diutius annuô spatiô. redeuntem quippe ad insiti fastûs arrogantiam regem, securis de cœlo intentata, dejecit. E regio fortè solario urbis Babyloniæ splendorem & amplitudinem demirabundus contemplabatur, elatúsque tanta molium & exstructionum magnificentiâ, videbatur sibi humanum fastigium supergredi, capútque novus Enceladus sideribus inferre. Et nónne, inquit, hæc est Babylon, quam ego, Mundi jam antè miraculis adnumeratam, tantis molitionibus instauravi, ut omnibus orbis operibus prodigiosiorē efficerem. Vix arrogans & prætumidum verbum ex ore fluxit, cùm cœlesti quasi fulmine divinæ vindictæ sideratus & percussus, de potestate mentis dejectus est. Eum, qui Dijs sese miscuit, ultrix Nemesis ne hominem quidem esse patitur. Repit per terram quadrupes, qui bipedum neminem sibi parem sustinuit; furit in obvios quosque, qui ne DEO quidem pepercit; vinculis constringitur ferreis, qui superbo gentes omnes imperio frenare credebat. Quid multis? Nabuchodonosor nuper hominibus omnibus altior, instar bestiæ, pronus in pastum abijcitur, fugit tecta, silvestribus se feris aggregat, totóque septenniô, saltus & avia manibus pedibúsque perreptat, inconditum aliquid stridens, capillis & unguibus in morem aquilarum excrescentibus, totúmque corpus horrificantibus. Non ita tamen formam & figuram hominis perdidit, ut bestiæ induerit; corrupta phantasia leonem aut ursum sibi finxit, & efferavit in animo, quidquid humanum erat.

Nabuchodonosor instantia facta eleemosynis avertit.

Iterúmque per arrogantiam in caput convertit.

Abit in bestiam.

Quomodo mutatus in bestiam.

Sic fuit edomandus fastus tyranni, terræ cœlóque insultantis. Inter feras denique factus mitior, & abjecto in humum corpore, demissior, oculos, quod ipsum miserantis DEI fuit, in altum sustollit, arrogantiæ suæ Vindicem agnoscit illum, prædicátque, cuius potentiæ par nulla potestas; cuius judicijs resistendi nulla facultas. Itaque sibi restitutus, etiam DEO, regnóque restituitur. Expletô namque septem annorum decursu, (quo temporis intervallo *Evilmerodachus* filius interregnum administravit)

ab Optimatibus requiritur, sceptro, solióque redditur, id potissimùm agente Danielis sapientiâ, auctoritatéque. Annum, non amplius, supervixit, Princeps inter summos numerandus, hòc maximè, quòd Danielem Ministrum & Historicum sortitus, per eum habuit, ut in hominum memoria, & DEI, ut creditur, vivat, Beatorum albo adscriptus. Tanti fuit, aberrantem, ad se ipsum redijsse; &, qui sese nescierat in homine, didicisse in bellua. Amiserat se Nabuchodonosor inter assentationes in Aula, reperit se inter solitudines in silva; per insaniam, ad sanam mentem, & agnitionem tam sui, quàm DEI pervenit. Allusit huc Siracides cap. 6. & exemplis monuit. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus*: (cornupeta cæteras pecudes fugans, sternens, exagitans, uti fecit Nabuchodonosor) *ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam*) ne imperium & robur tuum evertat stulta superbia, uti evertit Nabuchodonosorem) *& folia tua comedat, & fructus tuos perdat*, (splendorem & opes regias perdat, quod contigit Nabuchodonosori) *& relinquaris velut lignum aridum in eremo* (destituaris amicis, familiaribus, subjectis, omníque humana ope & solatio, quod expertus est Nabuchodonosor, qui *fœnum ut bos comedit, & ut bos, rore cœlesti permaduit*. Daniel 4.

Nabuchodonosor sibi, regno, DEO redditur.

DOCTRINA.

Symbolum vitæ & felicitatis humanæ.

E*Cce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Folia eius pulcherrima &c.* Dan. 4. Symbolũ vitæ & felicitatis humanæ arbor est ista. Folia, fructus, altitudo, amplitudo, sunt honores, opes, deliciæ, valetudo bona, præstans forma, amicitiæ, clientelæ, amores & favores hominum, naturæ, fortunæ, sub quibus, velut in umbra, suavi sopore quiescit mens incauta mortalium. Subitus exoritur turbo, coguntur nubes, cœlum tonat, fulgurat, fulminat; arbor amænissima ex alto feritur; defluunt frondes, in fumum abeunt rami: quidquid roboris & venustatis erat, miserrimè deformatur. Atque hic turbo & hæc tempestas ab unica febricula, ab unica viri potentioris offensa, à nubecula sinistræ fortunæ commovetur. Aliquando cùm cœlum, & cætera favent omnia, ecce tibi! improvisam mors securim admovet, & hominem suis viribus præfidentem adoritur, sternit, è vita exturbat. Præcursor Christi, Matth. 3. minatur: *Jam securis ad radicem arboris posita est*. Cùm minimè vereris, ô vecors homuncio, dum flores, dum vernas, dum latissimè ramos explicas; feralem mortis ictum excipis. Malè tibi, si fueris arbor sine fructibus cœlo dignis, ideóque ignes in æternos mittenda. *Ubi ceciderit lignum*, inquit, Ecclesiastes cap. 11. *ibi erit, sive ad austrum, sive ad aquilonem*, hoc est, sive in æternitatem felicem, sive infelicem.

Et verò

Et verò, si arboris tantùm folia & brachia amputentur, si bona duntaxat corporis aut fortunæ eripiantur, non est actum de salute. Si verò *radix* ipsa exscindatur, si vita sceleribus inquinata auferatur, æternùm est conclamatum. Mitiùs Nabuchodonosori accidit. Clamavit enim *vigil* Angelus: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius. Verumtamen germen radicum eius in terra sinite.* Daniel 4. Hæc DEI moderatio est in puniendis impijs. Folia bonorum temporalium decussit Nabuchodonosori, stirpem quoque radicitus excisurus, nisi resipiscat, leviore ictus manu. *DEI in puniendo moderatio.*

Eijcient te ex hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua. Ibid. Hanc decretoriam DEI sententiam in potentissimum orbis monarcham fulminavit internuntius Daniel. Mira profectò in Aulico tam gratioso, támque simul lubrico, dicendi libertas. Palatinis optimatibus & consiliarijs altè imprimenda; apud quos miserè torquetur veritas, ne principales aures offendat. Vafrè loquuntur, & ex ambiguo; per varios flexus & ambages circumducunt, non ducunt, Principem; parùm laborantes, quàm sint fidi, modò ne sint ingrati. Augustus Imperator ob impudicitiam filiæ Juliæ, contractâ jam infamiâ, altùm ingemiscens: Horum, aiebat, nihil mihi accidisset, si Agrippa aut Mæcénas vixisset, viri ab ingenua dicendi libertate commendatissimi. *In rege admonendo libertas Danielis.*

Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decóris mei? Ibid. *Cúmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit &c.* Babylonium regem grandi ore ampullantem cœlestis vox, velut improvisum tonitru, & fulmen stravit. Ita in foribus, in articulo temporis, in vestigio adfuit Vindicta divina, & glorioso thrasoni cornua decussit. Time, quisquis æqualis astris inambulas; nihil odiosius Numini, superbô homulô. DEUS cæteroquin mitissimus, & ad veniam paratissimus, severissimè *superbis resistit.* Jac. 4. quippe impugnantibus & lacessentibus, propulsans magis injuriam, quàm inferens. Hinc Tobias filium suum erudiens: *Superbiam,* inquit, *in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari ne permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Superbi dum alitum instar sublimissimè evolâsse se, credunt, repentè, alas accidente DEO, affliguntur humi. Longè magis ei, quàm Romanis olim, proprium. *DEUS superbis resistit.*

Parcere subjectis, & debellare superbos. *Ænid. 6.*

Verissimè regũ sapientissimus. Prov. 16. *Contritionẽ* (confractionẽ & comminutionẽ.) *præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.* Fastus & tumor animi, sunt calamitatũ prodromi. Superbia, *inquit, August.*

 lib. 14. de Civ.

lib. 14. de Civ. c. 13. nascitur in abdito, perpetratur in aperto. Ruina fit in occulto, & praecedit ruinam, quae fit in manifesto. Æsopus rogatus à Chilone, quid Jupiter faceret, respondit. Ut excelsa ,, deprimat, extollat humilia. Depressus est Nabuchodonosor, *depositus de solio regni sui, & à filiis hominum ejectus.* Quantùm in statua illa sua aurea assurrexit, tantùm ex alto in imum, & ad bestiarum usque consortium est dejectus. Lapsus & ruina individui sunt comites superbiae. Egregiè & cordatè Scythae Alexandro M. re- ,, bus secundis nimiùm inflato. Ignoras arbores magnas diu cre- ,, scere, unâ horâ extirpari? Stultus est, qui fructus earum spe- ,, ctat, altitudinem non metitur. Vide, ne, cùm ad cacumen per- ,, venire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. *Curt. lib. 7. cap. 21.* Insaniam, & profundum Nabuchodonosoris casum, creavit nimia felicitas.

Peccatum homines in bestias commutat.

Fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est. Ibid. Insitata prorsus metamorphosis, auribus, oculisque sceleratorum ingerenda. Ex homine pecus, ex rege bos. Effectus hic est peccati; homines in bestias commutat. *Homo cùm in honore esset,* inquit David psal. 48. *non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Siracides c. 4. iracundum leoni confert. Petrus epist. 2. c. 2. depravatos vitijs inolitis, aut à benè cœptis resilientes, assimilat *cani* ad vomitum reverenti, vel *sui* lotae ad volutabrum redeunti. Christus Luc. 13. versipellem Herodem, appellat *vulpem.* Et Matth. 25. impios, tanquam *hædos* separat ab ovibus, & statuit à sinistris. Et Zacharias, cap. 10. in persona DEI loquens, ait: *super hircos* (impuritate libidinis fœtentes) *visitabo.* Et David psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus,* vel iracundiae calcibus impetendo alios, vel per & indomitam lasciviam mulierum formis adhinniendo. Miserrimum animal homo, si deserta ratione, ab humana desciscat indole. *Aristoteles* ,, in hanc rem philosophatus; Ut enim, *inquit*, perfectione su- ,, scepta, optimum cunctorum animalium est homo: ita si alie- ,, nus fiat à lege, pessimum est omnium animalium; ideóque impiissimum atque inanissimum est sine vir- ,, tute, & ad libidinem, cibationémque deter- ,, rimum. *lib. 1. Polit. c. 2.*

NARRATIO

NARRATIO CV.

DANIEL SACRIFICULORUM BELIS IMPOSTURAM DETEGIT; SUPERSTITIOSUM DRACONEM OCCIDIT; AD LEONES DAMNATUR.

Daniel. 14.

Anno Mundi 3473. ante Christum 580.

NAbuchodonosori vivis excempto, successit in regno *Evilmerodachus* filius; apud quem cum Daniel non minore polleret gratiâ, quàm apud parentem valuerat, quotidianus ad regiam mensam conviva assidens; omnem moverunt Aulici lapidem, ad hominem Judæum evertendum. cuius rei efficiendæ non multò pòst occasionem sunt nacti. Accidit enim, ut sermo incideret *de Belo* Babyloniorum DEO, quem in effigie intus lutea, foris ærea adorabant; ad eius cultum cùm Danielem Rex invitaret, (utique palatinorum invidiâ eam technam adornante, neque enim regi Danielis inexplorata erat religio) illéque pernegaret inanimæ statuæ divinos honores impertiri posse; rex contrà niti vehementer instititit, doceréque, Belum utique vivere & sentire, quippe in cuius quotidianam epulationem absumantur duodeni farinæ medimni, oves quadragenæ, & senæ vini amphoræ. Risit ad eas sumptuarias rationes Daniel, recepítque, ostensurum se regi, per fictilem idoli stomachum nihil cibi, nihil potûs transire; fraude sacrificulorum fieri, quidquid insensilis statua devorare videretur; cedere penûs illius dimensum murium gulæ, alienam radentium escam; nec sibi deesse muscipulam, eos capiendi. Sapientia dicentis tantam regi movit suspicionem sceleris, quantam indignationem sacrilega fallacia; convocat omnes Beli popas, numero septuaginta, intentatáque mortis pœnâ, sciscitatur, à quonam tantus cibi potúsque apparatus quotidie absumatur. Illi verò perstare in mendacio, & perfricta fronte postulare, ut veniretur in rem præsentem, obseratóq; Beli templô & foribus pessulo, sigillóq; firmatis, experimentum caperetur tam famis divinę, quàm fidei suæ; propositô capitis supplicô, si Numinis vel abstinentia, vel gula, partem alterutram calumnię damnaret. In eâ audēdi cōfidentiâ, impostores adduxerūt meatus subterranei

Daniel deprehendit fraudem sacrificulorum Beli.

terranei, cæcíque cuniculi, per quos de nocte cum uxoribus & liberis subrepentes in fanum, epulas Belo destinatas, suum abscondebant in ventrem. Quorum fraudem palàm Daniel facturus, jubet delubri pavimentum insterni cinere, postridie cum rege, quid doli sub eo lateret, exploraturus. Vix illuxerat dies, cùm rex avidus rei cognoscendæ, accedit ad ædem Belæam, comitante Daniele. reperit valvas inviolatas, sigilla integra; aperit, intrat, aspicit Beli mensam, pridie annonâ gravem, nunc jejunam & vacuam. Salva res. Epulonem se probavit deus. Pedem intrò ferre parantem, tantisper Vates retinet, donec intentô in pavimentum digitô, commonstret majora, minoráque per cinerem dolosum incedentium vestigia; occultos præterea aditus, in pariete apertos, per quos nocturni comedones commeare soliti. Non tenuit iram rex, impudentiâ mendacij concitatam. Quid enim? ab impuris sibi nebulonibus tam fœdè impositum esse? dat ocyùs in mandatis, ut fraudulenti ganeones cum omni familia sua abripiantur ad necem, fucúmque luant sanguine. Nec eâ contentus pœnâ; copiam insuper facit Danieli, simulacri, delubríque Belæi funditus evertendi. Sic astutia cepit astutiam, & bonus dolus malum plexit.

Post hunc cum Belo, eiúsque ariolis congressum, aliud viro divino certamen subeundum fuit, non cum exanimi statua, sed vivo *Dracone*; coluere namque Babylonij, præter Belum, Serpentem quoque pro deo, in subterraneo quodam specu, immani corpore stabulantem. Rex pari cum populo amentia, tantum ei belluæ divinitatis inesse credebat, ut ad eius venerationem non dubitaret Hebræum Principem invitare. sive id fecerit Danielis constantiæ, sive numinis squamati potentiæ periclitandæ caussâ; sive aulicorum id gratiæ dederit, novam Danieli nocendi ansam quærentium: nam facilè concipiunt ignem, quæ paullò antè extinctæ sunt faces. Hic verò superstitionem tam absurdam dedocturus regem, petit sibi fieri potestatem eius dei interficiendi. Rex nonnihil cunctatur ad postulationem tam inopinatam; quia tamen credebat, cum divinitate immortalitatem debere esse conjunctam, assentitur petitioni. Daniel ut vitam belluæ, errorem cæcis eripiat mentibus, parat offam medicatam, ex pice, adipe, pilis; hanc conijcit in os hiantis bestiæ, simúlq; distendit & dirrumpit viscera. Novi in plebe, & inter proceres oriuntur tumultus; tantáq; cõcitatur inter omnes ordines seditio, ut armatis precibus, minisq; adorti sint regẽ, ad permittendã sibi DEI, faníq; Belæi destructi, Sacerdotũ occisorũ, & deniq; divini Draconis interempti vindictã. Major erat seditiosorũ vis & turba,

Daniel ob interemptũ superstitiosum draconem leonibus obijcitur.

vis & turba, quàm ut imperiô compesci posset. Et regem tumultuantiū furor magis ad sui curā, quàm Danielis converterat; Judæus, quod exprobraverant Babylonij, audire nolebat. Privatā igitur calamitatem publicæ antehabens, virum amicissimum, déque regno suo optimè meritum furentium arbitrio concedit. Illi jam dudum invidiâ efferati, Danielem corripiunt, nihil expostulantem, nihil reformidantem, virtute sua, Deóque nixum. Antrum erat horridum, & septem leonum, prædæ inhiantium (nam subtractus pastus famem & rabiem accenderat) crudelitate formidabile. In hoc demittitur heros, à rege secundus. Acuit oculos livor, &, si non artus, certè ossa sperabat discerpta videre. Sed innocentia impastos inter leones degebat incolumis, & fortior leonibus triumphabat. Si quid timeri poterat, fames erat, non leonum, sed leonini hospitis. Providit igitur DEUS captivo suo commeatum. Sex ipsi dies abierunt impransô, cùm cœlo missus geniorum aliquis, *Habacucum* Prophetam, tum fortè messoribus suis prandium (pultem in alveolo) ferentem, capillis arreptum, mira celeritate, Babylonem ex Judæa transfert; rursúsque, cibô Danieli traditô, revehit eò, unde asportârat. Ita pastus, famelicos inter leones recubat, nunquam securior, quàm tales inter custodes. Septima pôst luce, rex ad speluncam revisit, charissimo capiti, lacrimis parentaturus. Simul in antrum ut oculos demisit, siquas cruenti funeris notas deprehenderet, ecce tibi! Daniel dudum conclamatus, leonum medius, velut pastor inter oves conspiciendū se offert. quâ admiratione regis, gratulatione, & laudū erga HebræorumDEUM preconijs, haud pronum est explicare: Eum Unum esse, supremum rerum Dominum, totóque terrarum orbe, religioso metu colendum; adversùs quem quicunque contumeliosum os efferret, ei pessimè pereundum esse. Dehinc captivus extrahitur ex horrenti cavea; facinoris verò, & seditionis auctores, lege talionis damnati, conijciuntur in specum innocenti præparatum, momentóque à rugientibus bestijs discerpuntur. Ita scelus in caput redijt, & ferre coacti sunt, quod inferre machinabantur. *Lacum*, juxta psal. 7. *aperuerunt, & effoderunt, & inciderunt in foveam, quam fecerunt.*

Danieli prandium ab Habacuco adfertur.

Daniel illæsus ex antro leonino extrahitur.

DOCTRINA

Multiplex hinc hauritur, præsertim Aulicis, quorum illustrissimum speculum est Daniel. Prima eius in hac historia laus, fortunas amplas, honores summos, regiam gratiam, vitam ipsam pro DEO exposuisse, docuisséq; Rempublicam & Aulā adeunti, primā esse debere curam, *Placere DEO.* Fatalis multorum error, & scopulus crebrô naufragiô infamis, gratiā hominū antehabere

Daniel exemplum viri Aulici.

antehabere gratiæ DEI. Quàm multi tempori cedunt, Regum, procerúmque favorem, per fas & nefas aucupantur, Numinis cultum honorémque ſeponunt, virtutem poſt nummos, ſi fortuna volet, recepturi. Cùm venti ſpirant ſecundi, cùm tranquillum eſt æquor, ridet cœlum, immodicis inflati ſpebus, pro *DEO* & *Rege* velificantur; At ubi gravior tempeſtas ingruit, Princeps contrahit vultum, pendent in fronte nebulæ, jubet, quæ vetat DEUS, Superi boni! quàm concidunt animis hi Palatini; quàm id curant unicè, ne excidant *Utili*, quidquid fiat de *Honeſto*. Aliter Daniel, qui ſibi par in utraque fortuna: in blandiente non extumuit: in adverſante non extimuit, cùm ageretur vel de Regis, vel de Numinis gratia perdenda: *Non colo*, inquit, *idola manufacta, ſed viventem DEUM, qui creavit cœlum & terram.* Daniel. 14.

Invidia communne malum in Aulis Principum.

Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Neceſſitate compulſus tradidit Danielem. Ibid. In palatijs imperat Invidia. Hic nemo omnibus amicus eſt. Daniel Nabuchodonoſori, ejúsque filio Evilmerodacho quantùm placuit, tantùm diſplicuit Satrapis. Procerum livore, populíque tumultibus petitus, ex ſummo loco in imum, ex menſa regis, in lacum leonum conijcitur. Ita curſus fert dignitatum; ubique offenditur, ubique obices. Multi ſibi reges, pauci collegas demereri potuerunt; nemo omnes. Adeò res lubrica eſt, ut hoc ipſum, *placere regi*, amicis regis reddat inviſum. Livor ſemper reperit odiorum cauſſas; odium verò ſui fœcundum eſt, ut mala herba creſcit, & quavis ex cauſſa ſævit. Ibi maximè verum eſt: nulli eſſe amicum, qui omnibus amicus ſit. Vigent æmulationes, maléque tectæ ſimultates, faciúntque, ut creſcentium comoda, ſuam exiſtiment calamitatem. Quid, quòd Invidia, Principi charum, per latus Principis petat? Sic *congregati adverſùs regem Babylonij, dixerunt: Judæus factus eſt*, loc. cit. non minùs malignè, quàm falsè. Atque hoc erat claſſicum ad ſeditionem excitandam: hic aries ad regis pectus concutiendum: hæc machina ad Danielem perdendum. O quoties Principes non agunt, ſed aguntur; metuunt, quos terrere debebant; ipſi *nomen* habent imperantium, Miniſtri *rem*. Et verò, nimis quàm ſæpe, ad favorem conciliandum plus valent malorum ficta obſequia, quàm fida miniſteria innocentium. Documento eſt Daniel, quàm lubrica ſit in aulis felicitas, etiam proborum. Hoc mare tum quoque, cùm in morem ſtagni placidè reſidere videtur, fluctus, quamvis occultos, ciet. Daniel inter leones tutior, quàm inter Palatinos fuit; jactatus eſt fluctibus, non tamen merſus; quia Deô fultus, à DEO ſuſtentatus eſt.

Fallax Mundus.

Intrinſecus luteus, forinſecus æreus eſt, loc. cit. ſcil. Belus, Babyloniorum idolum. Typum habes larvarum mundi huius, quæ in deceptionem inducunt imbecilles oculos. Vox eſt Sapientiæ c. 14.

Creaturæ

Creaturæ DEI factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium. Ita statua, quam Nabuchodonosor adorandam proposuit, intus lutea, foris erat aurea. Forma aliqua elegantior, nitidioris splendor metalli, fulgor objecti honoris, in quas cupiditates non trahunt miseros mortales! His idolis consecrant, quidquid votorum sub pectore calet. His aras ponunt,& omnes animi, corporísque vires substernunt. Ærea credunt, & ætatem latura,cùm sint lutea,& instar testæ frangenda; aurum putant solidum, cui suffultum est cariosum lignum. Candido fidunt ovi cortici, sub quo fœtens vitellus abditur. Ita decepti,induunt pedes & affectus suos in decipulam; & dum videntur sibi nescioquas amorum Veneres ac Cupidines, divitiarum Iunones,honorum datores Ioves in sinu & brachijs habere, evanidam cum Ixione nubem, & quod deterius est,lutum & cœnum amplexantur. Seros denique aperiunt oculos, & insipientiæ suæ ingemiscunt; quibus meritò illud occinitur,quod Daniel Babylonijs, disruptum draconem ostendens, opprobravit. *Ecce, quem colebatis.* Hoc monstrum pro DEO, hanc pestem pro salutis asylo habuistis.

V. 4 *Ecce sedens* (Daniel) *in medio leonum.* loc. cit. Mirum sanè spectaculum,Daniel inter ferocissimas belluas securus quiescit,non aliô fretus presidiô,quàm bonâ conscientiâ. Bias rogatus, quid esset sine metu? respondit: *Conscientia bona.* Firmissimum hæc in rebus adversis est munimentum. Innocentia non eget Mauri jaculis, non arcu; ipsa sibi tutamentum est.Animus malè sibi conscius, velut ericius in sinu,nunquam non sentit aculeos.Ubi verò nihil est culpæ, nihil est timoris, nihil angoris. Nihil interest, apud quos degas, quibuscum vivas,sed qualis. Daniel in crudeli barathro, tanquam alter Salomon in solio inter leones,velut inter leoninas statuas sedit, didicítque, quàm nobile regnum possideat, qui rebus humanis major, degeneres posuit metus; neque posse perire, quisque pro DEO perire cupit. Atque ut stellæ clariùs de nocte lucent; sic innocentia ex antri tenebris illustriùs refulsit, & invidos excæcavit; regem verò illuminavit, ut videret, quantum esset discriminis inter divinitatem Beli sui, & Numinis, Danielem in ipsis mortis faucibus protegentis: De homine probo Salomon, Prov. 28. *Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit*; talis leo Daniel,inter leones fuit. Eleganter *Chrysost. hom. 8 ad pop. Antioch.* „Leonis arma; jubarum horror,unguium cuspis,& dentes acuti; „sed arma justi: sapientia,temperantia,patientia,tolerantia,prę- „sentium contemptus omnium. Hæc arma quisquis habet, „non homines tantùm improbos, sed & ipsas adversarias pote- „states deridebit. Armavit hæc panoplia Danielem, & terribilem inimicis omnibus reddidit.

Conscientia bona securitas.

Mirabilis DEI providentia & charitas in prandio Danieli submittendo.

Recordatus es mei DEUS, & non dereliquisti diligentes te loc. cit. Sunt verba Danielis, post acceptum ab Habacuco cibum. O admirandam DEI providentiam in pascendo servo suo Daniele! Dapifer jubetur esse, qui minimè putaverat, Habacucus Vates; ejus Veredarius constituitur Genius cœlestis; cibus apportatur, longè aliam in mensam coctus; via, quà ferendus, longissima; ex Judæa Babylonem usque; triclinium, ubi apponendus, antrum fuit, & hoc ferreis januis ac seris munitum; conviva homo, inter belluas circumfusas recubans, & has jejunas, quibus licuit spectare prandium, non attingere. Allatæ lautitiæ, vile pulmentum, cui panes intriti. Quàm sobriè simul & amanter suos pascit amicos DEUS! Poterat Angelus mensarias delicias momentò apparare, vel apparatas ex aliqua Babylonis culina rapere; poterat DEUS inediam Danielis sine cibo saturare. Et tamen adeò placebat Habacuci pultarius, ut & fatigati messores fuerint frustrandi prandiò, & vir optimus ad locum leonum, fortè non sine trepidatione, vehendus. Cur hæc omnia? Ut appareat DEI in suos cura. Unde Daniel: *Recordatus es mei DEUS; & non dereliquisti diligentes te.* Verè Paulus, Rom. 8. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* Ad unum Danielis prandiolum vel cœnulam, plures cooperari debebant, ut dilectio tam DEI, quàm Angeli, hominisque in Danielem clariùs eluceret. Famem DEUS compescuit leonum, non repressit inediam Danielis, ut doceret, indita naturæ desideria, plerumque non auferri miraculis, sed sedari laboribus, & cum animi demissione, ac necessitate corporis tolerari.

NARRATIO CVI.

BALTHASARIS, ULTIMI BABYLONIORUM REGIS INTERITUS.

Danielis 5.

Anno Mundi 3516. ante Christum. 537.



Post mortem Evilmerodachi, habenas regni Babylonici cepit frater eius *Balthasar*, (quē aliqui Balthassarem, Balthazarem, Balsassarē, Baldeazarū, Belshazarē vocāt) cum quo regnum interijt Chaldaicū, ad Persas

ad Perſas translatum à *Cyro* Medorum & Perſarum rege, qui complurium Orientis populorum accinctus auxilijs, *Babylonem*, muris, portis, armorum robore, virorum bellacium multitudine, commeatûs denique copiâ præmunitam, obſidione biennali in poteſtatem redegit; ídque hunc in modum.

Admoto ad urbem exercitu, cùm Balthaſari major conviviorum eſſet cura, quàm præliorum, & ipſa diuturnitas obſidij improvidos redderet, ac ſecuros incolas, augerétque hoſtium contemptum; ex uno fortuna diſcrimine, cætera fecit. Acie cum Perſis Chaldæi congreſſi, poſtquam profligati ſunt, metum intra pectora, arma intra mœnia continuerunt. Eam hoſtis imbelliam in ſua conſilia vertit; adoritur expugnare latentes, quos aperto Marte fudit, fugavítque. Maximum victoriæ obſtaculum erat Euphrates fluvius, qui Babylonem urbem interſecans, quàm magnis utrinque crepidinibus coërcebatur, tam validis vim externam munimentis arcebat. Eum igitur aggreſſi Perſæ, in plures duxerunt foſſas, vadoſúmque & permeabilem reddiderunt. Exhauſtus alveus urbi deſijt eſſe præſidio. quamquam tunc quoque, ſi viri fuiſſent Babylonij, obicibus objectis hoſtilem poterant repellere impetum, & ex ripis, impunè telis excipere ſubeuntes. Mens defuit, non vires. Nam dum feſtivas idolis ſuis agitant ferias; dum ludis, choreis, convivijs omnia perſtrepunt; Perſæ noctis obſcuræ tenebris, & inobſervabiles viam ſibi ad invadendum muniunt. Bacchanalia diceres vivere Babylonios, adeò nihil ſobrium, nihil erat providum. Rex bibonum anteſignanus. Optimates ſuos capacioribus provocare poculis, certare helluando, non ſecus, quàm ſi hoſtis ſuper menſam eſſet debellandus. Curæ militares omnes merguntur vino; excubiæ nullæ, niſi ad calices, infuſo ſemper mero coronandos. Atque ut deeſſet nihil, ad DEI, hominúmque vindictam accelerandam, Balthaſar Modiperator potiùs, quàm Imperator, vino gravis & temulentus, ſacra jubet afferri vaſa, (quondam à parente, de Solymæo templo rapta, ínque Belis fano inter theſauros adhuc aſſervata) in honorem Deorum Chaldæorum exſiccanda. Arma diceres ad certamen Bacchi inter mille Optimates, & uxores, ac concubinas regias ineundum; ſed in malum pugnantium. Circumeunt inter profanas manus dicata DEO cymbia, jámque ſerviunt haræ, quæ nuper ſervierant aræ. Eſtur, potatur, cantatur, Dij Babylonis *aurei, argentei, arei, ferrei* laudibus in cœlum extolluntur, laudatores in orcum deprimuntur.

Dum maximè fervet convivalis luxuria, ecce tibi! apparent in pariete digiti manûs ſcribentis, ex adverſo lucernæ, menſam ebriam illuſtrantis. Mox terror ingens invadere ſpectantes; regem præcipuè,

Babylonij periculorum incuriæ.

Temulentia regis Babylonij convivium.

Apparent digiti manûs ſcribentis.

præcipuè, in quem feralis scriptura maximè tendebat. ergo exalbescere metu, compavescere corde, totis artubus contremiscere. accersuntur arioli, augures, haruspices, incantatores; ponuntur prœmia legenti arcanas litteras; quas cùm viderent omnes, nemo tamen sciret in sensum componere; consternatis regina mater, *Nitocris* nomine, supervenit; hæc filio sopore ac temulentiâ oppresso suggerit, Danielem ut advocet, qui apud genitorem, fratrémque, summis in honoribus habitus, secretorum sit conscius cœlestium, & divinandi scientiâ longè omnibus antecedat. Introducitur Daniel, sed parùm agnoscitur ab oculis vinô natantibus; terror & crapula memoriam omnem excusserunt. rogatur igitur, num is esset, cui rerum arcanarum cognitio tantam in Aula Babylonica famam, gloriámque peperissent. se verò honores cumulaturum honoribus, si exaratos in pariete characteres, quos Chaldæi sui explicare nescirent, interpretaretur. Negat Daniel sibi sapientiam muneribus venalem esse; desiderio tamen regis obsecundaturum, & mysticum ænigma expositurum. priùs tamen, quàm id faceret, cœpit Balthasari in memoriam revocare exemplum parentis, insolentes adversùs DEUM spiritus inter feras expiantis; cuius rei cùm rex haudquaquam sit ignarus, tantò ipsum temerarium magis, illius esse dextræ provocatorem, cuius ictum tam gravem genitor sensisset. nam quænam hæc vecordia, vasa DEO consecrata, quæ triginta annis sine contumelia latuerant recondita; nunc demum protrahere, ebrietatis & sacrilegij flagitio contaminanda? sciret ergò, litteras occulta manu pictas haud esse oculorum ludibrium; dicam eius capiti scriptam à cæli Domino; cognitàm judiciô divinô caussam, latam sententiam, decretum supplicium: summam esse, MANE, THECEL, PHARES: annos regis ab eo, cuius sub nutu momenta vitæ mortalium decurrunt, numeratos; acta discussa, & velut in statera librata; ponderis autem injusti deprehensa, superante scelerum lance, libripende DEO; ideò malis ita meritis exigentibus, ipsum vita eijciendum, & regno: illúdque *Persis* ac *Medis* dividendum.

Daniel arcanam scripturam explicat.

Non habuit miser, quò se verteret, præsertim cùm meliorem mentis partem temulentia abstulisset; jussit Vaticinio, quamvis funesto, promissa munera tribui, Danielem purpurâ, & aurea torque indui, tertióq; post regiam dignitatem loco haberi; sive quòd crederet, longo pòst tempore hæc eventura: sive quòd speraret, se honoratione vatis, tristia fata declinaturum. Quis autem non crederet, corollas tum defluxuras capite fuisse attonitis præsagiô, elapsuros manu crateras; impios & lascivos

cantus

cantus, in preces & obsecrationes, placandi Numinis, abituros; convivas cladis imminentis denuntiatori, partes imposituros patroni? Sed nimirum sacrilegi calices caliginem oculis, & animis offuderunt. Nihil jam agitur pro sana mente; mero depositi, crapulâ marcidi, intempesta nocte, impotes sui, somno metúque procumbunt. Sed aures salutaribus Consilijs clausas, mox aperuerunt hostilia classica. Sub idem temporis, effractis subitò portîs per Euphratem vix genua tingentem, in urbem vino, somnóque sepultam irruitur. *Cyrus* ipse, & *Darius*, cum maxima copiarum parte, ductoribus *Gobriâ* & *Gadata*, viris principibus (qui nuper injurijs exagitati, à Babylonijs ad Persas desciverant) auspicium irruptionis faciunt; miscentur omnia cædibus, rapinis, incendijs. Quis explicet, quantus in re subita, trepidáque tumultus, quantus extiterit clamor alios è cubilibus, alios è mensis excitantium? Procurritur in publicum cum telis, quæ fors & casus in manum dederant. fœda ubique & conclamata rei facies. Pars pugnam & aciem poscere; pars fugam & latebras malle; nihil ex voto succedere. Bacchabatur per mediam civitatem strages, antequam, qui extrema habitabant, sentirent hostem intra viscera sævire. tripudijs multi & ludis malè vigilatam noctem ducebant, hostium securi. Ad regiam ubi perventum, evulsis foribus, primi omnium custodes, qui Herodoto teste, luculentum ad ignem potabant, trucidantur; exinde in penetralia irrumpitur; rex epulis distentus, timoribus oppressus, nequicquam defensionem parans, cum uxoribus, concubinis, & aulica familia, ferro mactatur. Ubique luctus, ejulatus, cædes: armati pariter inermésque victoris gladiò cadunt; nulli sexui, nulli ætati libido & crudelitas parcit; parvi liberi alliduntur ad saxa, quod dudum antè Vates præcinuerant. mensæ non vino, sed sanguine natant; gaudium & cithara in promiscuas lamentationes vertuntur. Ruit alto à culmine Babylon, spectaculum Orbis, voluptatis sedes, gentium spoliarium.

Persæ Babylonem improvisò capiunt.

Urbis captæ miseranda facies.

Cæterùm imperium Babylonicum *Cyrus* socero suo *Dario*, vicaria potestate (qua ratione in Medos quoq; dominabatur) administrandũ comisit. Ipse, prius quàm ex Babylonia transportaret in Persiã exercitũ, Iudęos à Magni Nabuchodonosoris usq; tẽporibus, septuagesimũ jam añum captivos, & barbarorũ servos, manumittit, libertatíq; redditos, in patriã quoque redire permittit; sacram Templi Solymæi supellectilem restituit, ipsiúsq; templi & urbis reædificandi potestatem facit, sumptibus etiam regijs in eas molitiones suppeditatis, ad eam maximè inductus benevolentiam, Danielis virtute, sapientię, & illęsę inter leones iñocentię prodigiò.

Cyri regis in Judæos benevolentia.

 Id quod

Id quod multò antè prædixit Isaias, cap. 44. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* More scilicet pastoris dispersum Judæorum populum congregando, inque patriam remittendo, tanquam oves dissipatas ad caulas suas. Felicem sanè regem, si veri magis Adorator Numinis, quàm laudator esse voluisset.

DOCTRINA

MAgnam documentorum segetem hæc Narratio suppeditat. Esset enim locus, temulentiam, præsertim magnatum exagitandi; esset, in sacrilegas rapinas invehendi; esset, in abusum rerum DEO dicatarum insurgendi; esset, principum & magistratuum socordiam reprehendendi; esset, conviviorum luxum & lasciviam perstringendi; esset, divini judicij timorem incutiendi; esset, improvisæ mortis horrorem inijciendi; esset, regnorum mutationis & eversionis caussas investigandi; quas tamen, aliásque hinc eruendas doctrinas cùm alibi attingamus; nunc placet hanc Regis, urbis, regni potentissimi tragicam catastrophen, velut in theatro spectatam, ad ruinam Animæ sceleribus immortuæ transferre.

Pars I. tragœdiæ Babylonicæ

Tragædia Babylonica.

PLena lætitijs est & delicijs. Habent enim tragœdiæ plerumque initia jucunda, exitus verò nunquam non tristes. Exordium hilaritatis sumptum à convivio utique splendidissimo, in quo, præter ingentem feminarum turbam, accubuerunt Proceres omnino mille. Quid de famulis dicam, & triclinij ministris? Scholiastes apud Cornelium ait, singulis suum fuisse craterem, suum pincernam. paullatim tamen majoribus se poculis postulare cœperunt. *Drexelius in Daniele c. 14.* §. 3. asserit, vasorū aliqua tam fuisse grandia & capacia, ut complures simul os imergere, & velut boves aut vaccæ aliquot, simul ex uno alveo haurire potuerint. Neque solùm bibebant & edebant; sed cantabant, psallebant, choreas ducebant. Omnia tripudiantium & ebriosorum vocibus perstrepebant. Rex ipse præibat exemplô. Audivisses tunc alios clamantes: „ Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Vidisses alios sese mutuò ad exhaurienda pocula partim in honorem regis, partim deorum, invitantes. Atq; hunc in honorem Jovis, illū Martis, alium Bacchi; hunc in nomen Veneris, illū in Dianæ, bibentes, & deos suos laudantes, cū explosione Judaici Numinis, cui suis in vasis illudebant. Regis & Procerū ad exemplū, tota Civitas erat in lætitiam & epulas effusa; partim quia dies agitabatur cuidam deorum festus; partim ut ostenderent, se contemnere *Cyrum* & *Darium* reges, cum Persis & Medis urbem obsidentes. Nam quis

sibi timere.

ſibi timeret in illa civitate, cuius mœnia in quinquaginta cubitorum altitudinem ſurgebant, latitudine triginta tres comprehendebant, adeò ut quadrigæ inter ſe occurrentes, commeare ſine periculo in illis poſſent. Muros centenæ turres intercipiebant; ſingulæ turres ſingulas portas habebant, & hæ fores ahenas. Mediam civitatem maximus fluvius, Euphrates ſecuit. Propugnatorum, præter cives, erant centum millia; commeatus ad viginti annos ſuppetebat; ut Herodotus, Xenophon, aliíque Scriptores teſtantur apud Cornel. Quis igitur in urbe tam opulenta, támque munita cum tumulento rege non ſe inebriaret, non cantaret, non ſaltaret & laſciviret?

Chorus igitur in hac prima Tragœdiæ parte non deſiderabatur. Exultantium & tripudiantium voces perſonabant: *Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura; Vino pretioſo & unguentis nos impleamus; roſis nos coronemus.* Sap. 2. ſed graviore vultu ſuperintonans Eccleſiaſtes, cap. 2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quare fruſtra deciperis.* & cap. 9. *ſicut piſces capiuntur hamo, & aves laqueo, ſic homines in tempore malo.*

Altera Pars Tragœdiæ

TUrbat hilaritatem, & impendentium calamitatum minas oſtentat. Sacer hiſtoricus, (qui fuit ipſe Daniel, præſens rei ſpectator) ait; *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum* (è regione ſolij regij.) *Et rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* Hîc verò voluptas omnis & gaudium intercidit. Nam, *Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum.* Magnum malum ſibi parari vidit, nec tamen quale, & quis auctor eſſet, noſſe potuit. Hinc timor & tremor. *Et compages renum eius ſolvebantur, & genua eius ad ſe invicem collidebantur.* Advocati igitur magi & aruſpices, ut ſcripturam legerent. Cùm nemo ſciret, vocatur Daniel, legit, explicat, indicat: MANE: *numeravit DEUS regnum tuum, & complevit illud.* THECEL: *appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* PHARES: *diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Nimirum DEUS, qui numerat pluviarum ſtillas, oceani guttulas, arborum folia, terræ gramina, arenæ grana, temporis momenta & puncta; hic annos imperij tui viginti duos numeravit, ô Balthaſar; Judaicæ captivitatis ſeptuaginta, quorum ultimus carcerem Babylonicum Hebræis pandet, & Chaldæum regnum terminabit. Hic idem appendit ad trutinam juſtitiæ ſuæ, omnes actiones, cogitationes, & verba tua; in lancem unam retulerunt vitia, in alteram virtutes; hinc ſuperbia, libido, temulentia, injuſtitia prægravant; vitam & regnum meritus es perdere, quia neutrô uſus es benè. Atque hoc regnum hac nocte dividetur à Perſis & Medis: tu autem dividêris hoſtili acinace. Ad funeſtam hanc denuntiationem, quæ omniũ conſternatio, qui vultus,

vultus, quæ ora? sed tamen neque hoc tonitru excitati, redierunt ad mentem.

Ideóque in *Chorum* tristem prodijt Isaias, & cecinit: *Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt; absorpti sunt à vino.* Isa. 28. Subsecutus Salomon: *Et erit sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amissô clavô.* Prov. 4. Sociat minitabundus cantum Jeremias cap. 51. *In calore eorum ponam potus eorum* (permittam eos vino incalescere) *& inebriabo eos,* (sequetur ebrietas) *ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum.*

Tertia Pars, & exitus Tragœdiæ.

E*Adem nocte interfectus est Balthasar, rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Daniel. 5. Pauca verba lamentabilem catastrophen referunt. Quid enim posset esse tristius? Mensæ vino fluentes, jam sanguine natant; Pro choreis, eunt in orbes strages funerum; pro risibus & cantibus, resonant luctus, gemitus, ejulatus morientium, clamores occidentium; pro suavissimis odoribus, pestiferi fœtores cadaverum; pro convivijs & epulis, crudelitas, trucidatio, vastatio, excidium. Spectâstis saltantes, tripudiantes, convivantes; nunc aspicite Persicis gladijs convulneratos, conscissos, sagittis trajectos, hastis confossos, pedibus calcatos, parietibus & saxis allisos; succensa palatia, ruentes alto à culmine turres, Babylonem, magnam partem bustum & lapidum tumulum. Audite Chorum. Jeremias redit in proscenium. *Visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas.* cap. 51. Associat se Isaias cap. 47. *Descende, sede in pulvere virgo, filia Babylon; non est solium filiæ Chaldæorum* (Babyloni) *quia ultra non vocaberis mollis & tenera.* Iterum Jeremias: *Acuite sagittas, implete pharetras, quoniam suscitavit Dominus spiritum regum Medorum; & contra Babylonem mens eius est, ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio templi sui. Collidam in te equum & equitem eius; collidam in te virum & mulierem: & collidam in te senem & puerum: & collidam in te juvenem & virginem: pastorem, & gregem eius. loc. cit.* Succinit Isaias: *Sede tacens, & intra tenebras filia Chaldæorum; quia non vocaberis ultra domina.* cap. cit. Pergit Jeremias: *Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eò quòd non sit habitator.* cap. 51. Isaias iterum. *Cecidit cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum contrita sunt in terram.* cap. 21. Repetit Jeremias: *Subitò cecidit Babylon: & contrita est; ululate super eam.* cap. 51.

APPLICATIO

APPLICATIO MORALIS.

Hic finis fuit tragœdiæ Babylonicæ. Nunc ex ampliſſimo amphitheatro transferamus oculos in theatridion; & parva componẽdo magnis, tragicos arbitremur evẽt⁹ ſive peccatoris hominis, ſive peccatricis animæ mala morte præventæ. Babylon hæc ampla & magnifica, eſt homo, ex nobili anima, & miri artificij corpore compoſitus. Robur & ornamenta iſtius Babylonis, ſunt utriuſq; vires & decora; ingenium perſpicax, memoria firma, valetudo integra, forma præſtans, ætas vegeta, dexteritas in negotijs, gratia apud homines, opes honores, amicitiæ. Obſidetur autem à geminis hoſtibus, Cyro & Dario, quorum alterum *Mortem*, alterum *Diabolum* liceat interpretari. Milites, quibus imperant, ſunt omnia, quæ utriusque potentiam terribilem reddere valent. Interea vecors homo cum temulento Balthaſare, ſecurus hoſtium, inſtituit convivia, agitat Hilaria, vivit Bacchanalia, cantat, ſaltat, tripudiat, & genio ſuo laſcivè indulget. Convivæ, inter quos reſidet, ſunt pravi ſodales, ſunt nocivæ occaſiones. Dij, quibus litat, quos laudat, & adorat, ſunt malæ cupiditates, quibus ſe totum permittit. Ipſe ſibi canit illud Luc. 12. *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Hanc ſtultitiam reprehendit major aliquis, quàm fuerit Daniel, ipſe DEUS: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ paraſti, cuius erunt?* Lucæ cit. cap. Et Chriſtus Marci 13. *Vigilate, neſcitis enim, quando dominus domûs veniat, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.* Quibus temporum intervallis quatuor ætates hominum deſignantur. Certa mors, incerta mortis hora. At ſtolidus homuncio pergit laſcivire, *frui bonis, & uti creaturâ*, cupidinibus fræna laxare, reclamante fruſtra conſcientiâ, dehortantibus concionatoribus, quotidianis funeribus minantibus, mortis memoria ſtimulante. Ille tamen malè ſanus ſecuritatem ſibi inter ſumma pericula promittit. Stat in foribus divina Nemeſis, altera manu gladium, altera clepſydram tenens; quæ tunc effluit, quando menſura peccatorum ſupereffluxit nam; DEUS ſingulis hominum certum malitiæ numerum conſtituit; quô expletô, vel pœna quædam temporanea conſequitur graviſſima, vel iminet æterna. Sic clamor *Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt.* Gen. Sic peccata, cuiuslibet mortalium clamant, & aſcendunt in cœlum, Deique vindictam provocant. Chriſtus Matth. 23. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Quâ impletâ, Hieroſolymorum illa formidanda devaſtatio, totiúſque gentis, à DEO tam ſingularibus antè prærogativis exornatæ, interitus verè miſerabilis eſt conſecutus. Manus, quæ fata Balthaſaris parieti appinxit, etiam tibi ſcribit, ô demens & fatue peccator, judicium. Time gravitatem illius dextræ,

Tragœdia diruta Babylonis applicatur ruina Animæ.

tribus verbis sententiam æternitati tremiscendam exarantis. MANE. *Numeravit* DEUS vitam tuam, numeravit horas & momenta; forsan hodie, forsan cras decrevit tibi diem, & horam mortis. forsitan in hac ebrietate, in hac luxuria fatalem implevisti mensuram, *& collidet in te DEUS equum & equitem eius, currum & ascensorem eius*, Jerem. 51. hoc est, vires omnes & facultates corporis animíq; confringet. THECEL. *appensus es in statera*, & inventus minus habens sobrietatis, minus castitatis, charitatis, justitiæ, modestiæ, veritatis; sed multum crapulæ, libidinis, iracundiæ, invidiæ, avaritiæ, superbiæ. Rex Balthasar etsi ditissimus & potentissimus, tamen non respondit libripendio; *inventus est minus habens.* Nam apud DEUM nullius ponderis est, quidquid cum virtute conjunctum non est. Balthasar cum omni magnificentia & gloriâ, cum thesauris omnibus, totóque regno in divinam lancem compositus, nihil habuit ponderis, quia nihil virtutis. Prudentia tua, ingenium tuum, facundia tua, robur tuum, pulchritudo tua, opes tuæ, dignitates tuæ quia virtutem non habent, pondus non habent. Trutina DEI nimis quàm accurata est; momenta & atomos ad „ examen vocat. PHARES. Divisum est, vel dividetur regnum tuũ. O metuenda divisio & separatio! cùm anima dividetur à corpore. Interminatur hoc Servator apud Matthæum cap. 24. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet dominus servi illius: in die, qua non sperat, & horâ, qua ignorat: & dividet eum, partémque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.* 2. Dividentur parentes à filijs, propinqui à propinquis, opes à possessoribus, formæ ab amatoribus. 3. Dividentur à probis improbi, & separabuntur sicut ab ovibus hædi. Matth. 25. Quisquis inventus fuerit minus habens, bonorum societate æternùm excludetur; nullus restabit pœnitentiæ locus, nullus provocationi; spes omnis decollavit. *Divisum est.* Chaos magnum est firmatum inter Lazarum & Epulonem, Petrum & Neronem, Abelem & Cainum. *Eadem nocte interfectus est* Balthasar, urbs Babylon devastata & diruta. Dan. 5. Tui, si nescis, ô temerarium caput, *Medi* & *Persæ* sunt morbi, angores, tristitiæ, perturbationes conscientiæ, quæ denique te conficient, & pulcherrimam hanc Babylonem, hoc robor corporis, hunc ætatis & formæ florem, convertent in cinerem & pulverem, ita ut futurus sis habitatio draconum, esca vermium, sibilus dæmonum. Chorum in hac Scena tragica insonat Jobus. 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt.* Hunc exitum sortitur hæc parva quidem, sed non parvi excidij Babylon. Ultima tragœdiæ huius clausula: Æternitas, heu æternitas!

NARRATIO.

NARRATIO CVII.

DANIEL ITERUM LEONIBUS OBIICITUR.

Danielis 6.

Anno Mundi 3516. ante Christum. 537.

VT victoria constare sine certamine non potest; sic nec virtus sine hoste. Quercus roboratur agitata ventis; palma pressa resurgit. Cum Danielis innocentia iterum in arenam invidia descendit, iterúmque repulsa, suô se laqueô induit, suô gladiô peremit.

Cyrus (quod narravimus) occupata Babylone, & Chaldæô imperiô sibi subjectô, *Darium* socerum, jam antè Medorum regno præpositum, etiam in Babylonia regnare voluit, in eiúsque potestate Hebræos captivos esse. Is tam prudentiâ, quàm annis gravis, quia facilè perspexit, quantum adjumenti consilijs suis ex Danielis sapientia accederet, habuit eodem ipsum apud se locô, quô apud Balthasarem regem fuerat. Cúmque Cyrus aliquantô temporis, Babylone subsisteret, Darius in *Mediam* abijt, curaturus, ne quid per regum absentiam, & belli tempora, ibi turbaretur. Comitem itineris secum abduxit Danielem; quem quanti æstimaret, statim patefecit, cùm ipsum centum viginti *Mediæ* satrapis, totidémque principatibus præfecit. Erant enim tres summorum constituti principum, quibus à subjectis dynastis actorum reddenda ratio. In ijs triumviris eminebat Daniel, proximus à rege. Ab hoc, tanquam ab oraculo pendebat Darius: huic totius gubernationem regni committebat. Respondit exspectationi fides & sapientia Hebræi Principis; qui quantò attollebatur altiùs, tantò indigniùs se deprimi, persuadebant sibi purpurati. Alienæ nam fulgor gloriæ cum in malignos oculos incidit, odijs succendit pectus. Exarsit igitur invidia in hominem exterum, alienigenam, Judæum, imò captivum, dominantem regno. Hinc nullâ quietis capiebat partem, dum varijs machinationibus & modis, unum id efficeret, regem ut à Daniele abalienaret. Arduũ hoc factu. Eâ quippe iñocentiâ tractabat negotia, vir perinde integer, quàm sapiens, ut ne suspicioni quidẽ culpæ locum

Daniel summo locô apud Darium regem Medorum.

Invidia conflatur Danieli, & pernicies.

relinqueret. Materia calumniæ diu quærebatur, sed nulla se offerebat; tanta virtus obarmabat, Danielem, ut, ubi dentem livor figeret, non reperiret. Denique occurrit via nocendi, si discrimen ei à religione accerseretur. ambagibus tamen utendum, & nequitiæ palliolum politicum inijciendum. Sub larva venerationis regiæ, hospes invisus aggrediendus. Initur inter Proceres conspiratio, ad decretum impium, ac crudele â rege extorquendum. Occasio rei, hæc fuit.

Ubi Darius (Cyri, in expeditione, uti diximus, socius) victoriam illustrissimam, Babylone capta, obtinuit, totúmque Chaldeorum regnum Persis subjecit, institerunt assentatores satrapæ, ut, quando rem humanis majorem viribus confecisset, ne dubitaret eum se agnoscere, quem rerum gestarum magnitudo fecisset: Persas non pié solùm, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere; majestatem enim imperij, salutis esse tutelam; ipsum verò inter homines deum agere non minùs utique debere, quàm Nabuchodonosor & Balthasar, victi reges egerint. Atqui necessarium esse, ut aliquanto saltem tempore divinitas innotescat. id autem futurum, si decretum edatur, ne quisquam ab ullo vel hominum, vel deorum, intra triginta dies quidquam petat, præterquam à rege. Secus qui faxit, eum leonibus prædam objiciendum. Darius etsi pro sua prudentia satis intelligebat, quantum inesset injustitiæ in ea lege, per quam, neque filio à parente, neque misero à locuplete, neque ægro à medico quidquam liceret rogare, nisi abs rege; qui nec locis omnibus adesse poterat, neque necessitatibus; expressit tamen consensum metus seditionis, nam per tumultum exigebatur; & videbatur ad regiæ gloriam majestatis pertinere, si major quædam veneratio subditorum animis incuteretur. Ergo facta legis est iniquissimæ latio, cuius rex documentum, quod minimè voluit, accepit.

Danielis perdendi caussâ, iniquissima lex conditur.

Daniel, etsi regni curis multò quàm occupatissimus, moris tamen sui retinens, statas precandi vices minimè negligebat; ter quotidie in sublimius ædium conclave ascendere solitus, DEUM ex genibus adorabat. Ab ea consuetudine ne tum quidem recessit, cùm edictum regium in auribus, leonum supplicium esset in oculis; tanta quidem libertate, ut patulis etiam contra Hierosolymam fenestris, haud vereretur suarum arbitros precum admittere. Nimis quàm oculata fuit hîc invidia; quæ cùm feram reti implicatam tenere se crederet, gestijt scilicet in alieno malo; gaudebátque insidias successisse. Igitur Danielis æmuli continuò hominem Hebræum majestatis læsæ crimine postulare. Advertit Darius edicti sui temeritatem, vidítque, in quos tam ipse se, quàm

Danielem

Danielem amicorum fidissimum, laqueos conjecerit; de cuius non minùs innocentia certus, quàm de tanti viri jactura tristis, omni contentione laboravit, eum supremo discrimine liberare. id verò placuit consilio magis & ratione, quàm auctoritate regia perficere. At hoc erat contra torrentem niti. Principes Danielis hostes, regis animo, conatibúsque animadversis, velut manu factâ, simul omnes aggressi regem, inculcabant moris, & legum Persicarum sacrosanctam vim, nulla vel immutatione, vel mitigatione infringendam. Cunctorum vox erat: *Daniel ad leones.* Quid ageret rex tantis in angustijs positus. urgebant lex, proceres, nomen regium, & insitus barbaris fastus. Cessit, magis invitus alienæ ferociæ, quàm suæ arrogantiæ. Daniel addicitur morti; haud tamen absque regis consisione, fore, ut, qui jam antè, DEI sui præsidiô, leonum rictus evasisset, iterum incolumis è leonina cavea rediret. In eius spei haud dubium signum, saxum, jussu Darij impositum est speluncæ, regióque, & optimatum annulô obsignatum; ne fortè plus feritatis reperiret in hominibus Daniel, quàm in belluis. Nonaginta tunc annorum erat senex, quando bestijs iterum objectus est.

Darius frustra laborat Danielem liberare.

Daniel iterum leonibus objicitur.

Sed nôrant, cui serviant leones; *Martial.*

Cœli nimirum terræq; conditori, & comuni omnium domino, sine cuius permissu nec unguem movere licebat, nec dentem. Daniel iteratus belluarum hospes, iterúmque intactus, pro crudelitate, ferarum blanditias experitur. Altior ei pax in ferali barathro, quàm regi in prætoriano satellitio; nam stimuli fodiebant pectus arcani, cur virum optimum, sapientissimúmque contra jus & fas, in belluinum antrum condemnâsset. Danielem verò mens recti conscia, Deóque innixa sustentabat, eodem leones locô, quô catellos habentem. Rex eam noctem incœnatus & insomnis egit, spem inter metúmque pro Daniele constitutus. Vix diluculavit, cùm ad leonum foveam properat; antróque proximus Danielem inclamat. *Daniel,* inquit, *serve DEI viventis, DEUS tuus, cui tu servis, putásne valuit te liberare à leonibus?* Dan. 6. Fluctuabat nempè homo gentilium erroribus involutus, in divinæ potentiæ oceano. Respondit ex cruento specu Daniel: *Rex in æternum vive. DEVS misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* l. c. Ingenti gaudio perfudit ea vox regem; quare continuò demissum per funem extractus bestiarius hospes, salvus & incolumis coram rege adstitit. Cæterùm quantum lætitiæ ex salute viri amantissimi Darius, tantum indignationis concepit in adversarios; qui mox adduci jussi, cùm ad omnia alia se vocatos rati, in conspectu starent cùm ipsi, tum filij ipsorum & uxores, miraculíq;

Sollicitudo Darij pro Daniele.

Daniel incolumis inter leones.

 magnitudine

magnitudine attoniti, quid reſponderent, non haberent, eodem in eos ſupplicio, quod Hebræo principi paraverant, animadvertitur. Pilas diceres, non homines; nam in antrum projecti, antequam pavimentum attingerent, à leonibus excepti, devoratíque ſunt; eôdem Numinis Geniô jam ora famelica dilatante, quæ antea, ne capiti innocenti nocerent, clauſerat. Secuta eſt publica tanti prodigij, divinæque potentiæ confeſſio. Rex ſubditis præit exemplo, & coram omnibus conteſtatus, *Ipſe eſt*, inquit, *DEUS vivens, & æternus in ſecula, & regnum eius non diſſipabitur, & poteſtas eius uſque in æternum.* Daniel. 6. Ideòque omnibus contremiſcendus & pavendus. Sic invidia, & ambitio in majorem Danielis, Deíque veri gloriam ceſſit. Daniel verò tot jactatus utriuſque fortunæ caſibus, aulici favoris exemplum & invidiæ, centum ampliùs exactis ætatis annis, *Martyr, Doctor, Virgo,* Babylone deceſſit, regio illatus conditorio, cui Salianus noſter hoc epitaphium appendit:

Darius Deum cœli confitetur.

Claudit ſpelæum hoc virum magnum, Viator, virum regio Davidis ſanguine illuſtrem, regia plurimorum regum, atque imperatorum familiaritate, & honoribus clarum: regis Meſſiæ vividô typô, ac ſpiranti figurâ clariſſimum. Virum dico prophetam, Danielem, potentem opere ac ſermone; qui duodenis Propheticæ lucis radios orſus accipere, ultra centeſimum vaticinijs clarus evaſit. Qui exponendo ſomnia, afflatúſque cœleſtes; longinquos Imperiorum progreſſus, longáque ſerie futuros Principes, Xerxes, Alexandros, Antiochos, Ptolemæos, Titos ac Veſpaſianos, ultimúmque mundi portentum, Antichriſtum oculo perſpicaci vidit, atque perſcripſit. Qui ſeptuaginta ipſos annos, populi exilium deplorans, poſtremam ejuſdem populi reprobationem atque interitum tantò antè agnovit, exhorruit, renuntiavit, populi ſui, Chriſtum ac Meſſiam ſuum ad ſe miſſum negantis, & diem Viſitationis ſuæ excæcatis malitiâ luminibus, non agnoſcentis, quem ipſe diem annis, hebdomadíſque ſtudioſè numeratis, indicârat. *Prophetam* dixi: *Martyrem* dicere oportuit: qui ſeptem leonibus rabida fame furentibus objectus in cibum, ſeptenos ipſos dies latrantem beſtiarum ſtomachum, arentes fauces, hiantia ora, ungues humano ſanguini aſſuetos, frenavit atq; compeſcuit: ſuſceptóq; cum imani dracone, certamine, eum medicata fruge diſrupit, atq; diſtraxit. Martyrem dixi; non ſatis eſt. Addo *Doctorem* populi, idolorũ tenebris circumcluſi: addo *Confeſſorem* in exilio ſeculari: addo *Virginem*

in eo

in eo populo, in quo sterilitas erat pudori: addo *Eversorem* idolorum, veræ pietatis *Propugnatorem* ac firmamentum, *Miraculum* sapientiæ, fortitudinis, pudoris, & integritatis. Vitam in exilio ad centesimum decimum annum produxit: quingentis atque octodecim annis ante CH. D. nativitatem abijt è vivis. Anno ab orbe condito cIↃ. cIↃ. cIↃ. IↃ. XXXV.

DOCTRINA

Nullámque caussam & suspicionem reperire potuerunt, eò quòd fidelis esset,(Daniel) *& omnis culpa & suspicio non inveniretur in eo.* Daniel 6. Rara laus, & integritas in amplissimo magistratu, in Aulicorum & invidentium oculis, ne suspicionem quidem alicuius culpæ præbere. Hac innocentiâ præditus fuit Daniel; cuius inimici in omnem nocendi occasionem intenti, hoc unum dies, noctésque cogitabant, qua ratione virum Judæum regiâ gratiâ, fortunis, vitâ everterent. Sed in hoc sole, etiam oculatissimi Argi nullam maculam invenerunt. Sic decet esse comparatos Principum ministros. Legum est observantia, eorum, qui præsunt, exemplis inducenda & firmanda. Optimæ mentis indicium ostendit Princeps, cùm viros vel sibi adjungit, vel suis præficit, virtute & sapientiâ celebres. Efficaciùs nemo vitia comprimit aliena, quàm qui sine vitijs ipse vivit. Salus est reipublicæ, si, qui regunt, aut regentibus assistunt, nec temeritate labi, nec metu frangi, nec perfidiâ corrumpi possunt. qualis fuit Daniel. Certè negotia publica nunquam bene committuntur improbis; nihil enim periculosius mala voluntate. Qui homini pravis cupiditatibus abrepto præfecturam comittit, lupum ovilibus, aprum hortis immittit. postulant subditi judicem, accipiunt prædonem. Furenti gladius est, collata scelerato dignitas. Darius plus præsidij in unius sapientia Danielis, quàm in omnium Satraparum splendore habuit.

Innocentia in magistratu requiritur.

Omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocunque deo & homine usque ad triginta dies, nisi à te, rex, mittatur in lacum leonum. Daniel locі cit. Dubites, utrum plus assentationis, an nequitiæ, an fatuitatis insit in ista lege. Darius deus ab hominibus constituitur, jubetúrque dare, quod non habet. Nam quid? si omnia abs rege petenda, ergo omnia ab eo speranda. Mille fuere miseriæ, mille indigentiæ in vastissimo regno. Quis hominem hunc fecit Herculem Alexicacon, malorum omnium depulsorem? Quis innumerabilium necessitates mortalium ei aperuit, ut sciat, quid negare debeat; quid concedere? Unde in tanta multitudine

Iniquissima & stultissima lex Persarum, prohibens quidquam à quoquam rogari, præterquam à rege.

titudine accessus ad novum DEUM? Prima juxta Platonem, legis conditio est, ut instituatur ad justitiam & utilitatem publicam; nam regula primùm recta sit oportet: deinde, quæ applicentur, corrigat. Quid autem iniquius, quàm hominem subtrahere homini, & mutuum naturæ auxilium decretis proscribere? quid stultius, quàm imensum votorum mortalium oceanum unius angustijs scrobiculi infundere? Et quænam sunt illa, quæ à rege petenda? Sacra pagina refert: *qui petierit aliquam petitionem.* Nihil excipitur. Quid si bonam valetudinem roget infirmus? an dabit Darius? Et mendicus, ut stipem accipiat, famem suam *Ecbatana* ad urbem regiam, apportare debebit? Quid si pudor prohibeat, quædam vel à rege petere, vel illum dare? Et cur ad leones, crudelissimum supplicium, qui aliquid petierit, etiam minutum, etiam in regis gratiam, etiam in publicæ commodum rei? Quid hic sanũ, quid consultum? Regem, cæteroquin multâ experientiâ, & prudentiâ pollentem, Insipientes consiliarij secum in stultitiam traxerunt. Adeò cæca est nocendi cupiditas, ut ad perniciem uni homini inferendam, non dubitet per ignominiam propriam, & publicam calamitatem grassari.

Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi in lege DEI. cap. cit. Notum calumniæ genus, laus est prophetæ. Quæ vita, quis sermo, quæ fama viri sancti fuerit, inter incultissimos & ferocissimos barbaros, res ipsa docet: publico in consilio, omnibus hostili diligentia expensis, nullam in Daniele fore caussam judicant, nisi in lege DEI sui. Non miror Danielis pietatem, & in precibus constantiam; aliorum quoque fuerunt paria decora. Hoc ipsis virtutibus majus est, vivendo tantam excitâsse inter barbaros religionis opinionẽ, ut certò ipsis persuasum esset, illum potiùs subiturum ora leonum, & crudelem bestiarij necem, quàm à stata DEUM suum adorandi consuetudine recessurum. Nec fefellit famam Daniel; vicit virtute, vicit miraculo. Æmulandum viro forti probóque exemplum; Cui si auferas cætera, sustinebit, & sua se virtute involvet; Sin' DEUM, &, quæ divino debet honori, obsequia eripere contendes, obnitetur, & priùs in ferrum ac ignem ibit. Generosissimè cadit, quem pro aris & religione stantem, vel perfidia, vel invidia deijcit. Pietas quot accusatores, tot habet testes innocentiæ.

Danielis illibata probitas.

Quid autem Daniel? audiamus. *Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cænaculo suo contra Ierusalem, tribus temporibus, in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram DEO suo, sicut & antè facere consueverat,* Dan. 6. O animum heroïcum, nullóque metu turbandum! Potuit

Fortitudo Danielis.

Daniel

Daniel arte, sine fraude, insidiantium machinas eludere; sed noluit. potuit noctu preces fundere; noluit. potuit clausis fenestris & ostijs, sine arbitris, sive sedens, sive inambulans; noluit. potuit aliud simulans agere, sine suspirio, sine voce; noluit. sed palàm, sed apertis fenestris, in cœnaculo, in turba ministrorum, versa Jerosolymam facie, genibus flexis, ter in die. Voluit fidem suam & cultum profiteri, legem impiam factis refigere, Judæis pietatis exemplo præire, opprobrium gentium, qui deos suos regi postponebant, à se, suisque amovere. Alia sunt metuentium, alia heroum facta. Daniel egit, quod mundus obstupescat, cœlum probet, famem leonum frenet. Hic vir, hic est, quem nec Aulica larva decepit, nec spes aut metus ab amicitia Numinis avertit. Cui sobrietas castitatem, castitas sapientiam, sapientia gratiam, gratia invidiam, invidia discrimina: hæc victoriam & imortalem gloriam pepererunt. Fuit Daniel inter pessimos semper bonus, in exilio potens, quatuor regibus amicissimus. Ut verissimè de eo prædicari possit illud. Prov. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, amicum habebit regem.* Habuit Daniel Nabuchodonosorem, Evilmerodachum, Cyrum, Darium. Meritò *vir desideriorum* audijt; nam quidquid ab hominibus obtinuit, id à DEO desideravit: & quod inter homines desiderabat, à DEO impetravit. Quot enim Babylone, urbe moribus corruptissima, suorum popularium servavit, ne, quibuscum habebant tecta, haberent etiam vitia comunia? Quot ex Chaldæis ipsis & Persis, ad Numinis veri cultum traduxit? Non desunt graves scriptores, in quibus Salianus, qui præter Nabuchodonosorem, etiam Darium Medorum regem, Daniele magistro, cœli Dominum agnovisse & coluisse affirment. Adeò potens est Suada, sapientia, cum virtute & prodigijs conjuncta.

Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. Daniel. 6. Hæc livoris erat machina ad Danielem perdendum: Secundùm Persarum legem debet mori. Magnatibus magnum est malum, *Pertinacia*, constantiæ æmulatrix, opinionis aut voluntatis, sine recta ratione, obfirmatio, idcirco frequens Aulis; quòd probrosum existimetur mutare, quę vel inconsideratè, vel cupidè constituta. Omnia obtendunt, ne videantur erràsse. Medi satrapæ legem iniquè latam, iniquiùs tuentur. Pertinacia hæc totis sæpe provincijs exitiabilis est, dum id, quod insipienter decretum est, tanquam sacrosanctum, & Reipublicæ necessarium defenditur; Nec alia caussa obfirmationis, quàm quia statutum est. Quomodo Creon respondet apud *Senec. in Med.*

Pertinacia malum.

Vox constitutò sera decretò venit.

Bbbb Verùm,

Verùm, fulmen ipsis, quibus conceptum est nubibus, haud pepercit. Procerum contumaciam cùm rex non posset, leonum dentes fregerunt. Et verò tantò stupidior ea fuit pervicacia, quòd Persæ Medíque ebrij consultabant, & leges inter pocula ferebant, teste Strabone. Quantò satius est redire, quàm malè ire; & retexere telam, malè cœptam. Maxima vecordia, in rebus iniquis, constantem esse.


Assentatio & Ambitio dementat Principes.

Pro Daniele posuit (rex Darius) *cor, ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat, ut erueret eum.* Dan. 6. Valuit pro ratione voluntas. Livor improbus obstinavit mentes. Darius, si vir fuisset, ubi vidit, leniora fomenta ab exulceratis animis sperni, acrioribus debebat uti remedijs, sibi ad majestatem, Danieli ad salutem tutandam. Minæ minis erant opponendæ, tunc, cùm non poterant deesse vires belli Babylonici famâ & victoriâ collectæ. Cur non admotâ ad capulum gladij manu: hic, dixit, servabit innocentis caput, quod vos perditum itis? Sed ô miseri Principes, quos enervat assentatio, dementat ambitio!

NARRATIO CVIII.
INSTAVRATIO
URBIS ET TEMPLI SOLYMÆI, SVB ZOROBABELE ET NEHEMIA DUCIBUS, ESDRA SACERDOTE, ET LEGIS DOCTORE.

Ex libris Esdræ.

Ab anno Mundi 3517. ante Christum. 536. ad ann. 3629. ante Christum 424. quo anno defunctus est Nehemias.



Um anno M. 3517. ante Christum 536. permittente *Cyro*, quinquaginta Hebræorum millia, duce *Zorobabele, Salathielis* filio, in Judæam reversi, templum instaurare cœpissent; *Cambyses*, Cyri filius, & successor, anno M. 3524. malevolorum criminationibus inductus, vetuit in ædificando pergere. Donec circa annum M. 3532. successit Cambysi *Darius*, cognomento *Hystaspides*, (quia *Hystaspe* genitus) equi hinnitu ad imperium provectus, anno M. 3534. rebellantem *Babylonem*, post novendecim mensium obsidionem expugnavit, operâ *Zopyri*, unius è septem Persarum præcipuis Satrapis; qui Principis amantior, quàm sui, naribus sibi, auribúsque

Darius per Zopyrum Babylonem rebellem occupat.

auribúsque fœdè defectis, simulatô à Persis transfugiô, dux Babyloniorum factus, copias Darij per proditionem, in urbem recepit. Ferro, flammáque sævitum in rebelles; muri, portæque civitatis dejectæ, è Babylonijs proceribus tria millia patibulis affixi. Cæterùm Darius *Zorobabeli* Hebræo, qui erat è corporis custodibus, in disputatione de re omnium fortissima (cùm alius vini robur, alius regiæ dignitatis potentiam extulisset; & mulierum quoque potestas in quæstionem venisset) veritatis vires præferenti, assensus est, eique in sapientiæ & ingenij certamine (nam duo alij è pretorianis stipatoribus, æque Judei, cùm contribuli suo Zorobabele, de problemate disceptabant) palmam adjudicavit.

Zorobabel Judæus, gratiosus apud Darium.

Susis, Persarum metropoli, tunc agebat *Darius*, adeò *Zorobabelis* obsequijs, & insigni prudentiâ captus, summis ut eum favoribus dignatus, jusserit non timidè petere, quidquid collibuisset. Ille regi votum in mentem revocat, de Jerosolyma instauranda editum. Rex promissis respondet cumulatè; restituit, quidquid adhuc vestium, & vasorum sacrorum, ex Babylonio spoliario superat; mandátque in urbis & templi reparationem, ac sacrificiorum apparatum, ingentes fieri sumptus; eximijs insuper im̄unitatibus, & privilegijs in Judæos collatis. Repensa cœlitùs munificentia. Rex triginta sex annorum felix imperium habuit: filium *Xerxem* & successorem, regum potentissimum, reliquit.

Darij munificentia in Templum Solymæum.

Interea Judæa suis ex ruinis resurgit. Annitente potissimùm Zorobabele strenuè laboratur in educendo Solymæo templo. Manus ultima imposita est, cum solennibus inaugurationis ritibus, anno M. 3537. ante Ch. 516. postquam sexennium ædificationi impensum. utique fœdè Hallucinantibus Iudæis posteris, qui solita vanitate quadraginta sex annos, in eo labore consumptos, objectabant Christo, Ioan. 2. Quam aliqui supputationem ut tueantur, tempus exstructionis ordiuntur à Cyro, qui potestatem fecit ædificandi, & interlapsa annorum, operísque intermissi spatia continuant.

Hallucinatio Iudæorum circa tempus ædificationis secundi templi Solymæi.

Iam sub annum M. 3609. ante Christum 444. *Nehemias*, pincerna regis *Artaxerxis* cognomento *Longimani* (Sacra historia Assuerum nominat) res Iudaicas Iudæus ipse, multùm provexit, tum suis apud regem meritis, tum *Estheris* maximè reginæ, *Mardochæique* gratiâ potens. nova per eum subsidia instaurandæ Ierosolymæ impetrata, & magnis impensis constantia.

Nehemias apud Assuerum valet gratiâ.

Reparationem urbis nobilissimæ, iniquis aspexerunt oculis Samaritæ vicini, recrescentem veriti potentiam, non minùs sibi, suísque timendam posteris, quàm majoribus olim formidandam. Statuerunt igitur operas improvisò opprimere, & vi disijcere, quod criminationibus ad Persarum reges (plurium enim fuit

Nehemias instaurat Hierosolymam.

annorum odium) delatis, non poterant. Haud fefellerunt *Nehemiam* hostium consilia; muris igitur speculatores impositi; armatorum præsidia constituta, qui irruentes non imparati exciperent. Arma quoque disposita, ut essent in promptu, trullam cum gladio permutaturis.

Cæterùm ea laborantium contentione promotum est opus, ut intra dies, non ampliùs quinquaginta duos, mœnia fuerint perfecta, tanta firmitudine, quæ Romano Imperio possit obsistere. Quod & miraculis DEUS insignivit. nam & *ignis* sacer, multis abhinc annis sub terra reconditus, & in aquam crassam conversus, iterum ex undis emicuit, & prodigium geminavit. *Arca* quoque Judaicæ religionis sacrum penetrale, cum tabernaculo, & Altari incensi, à Ieremia defossa, summa cum omnium lætitia est reperta, Iudæis ex divino munere, divini subsidij instaurationem sperantibus. Sanè Nehemias ob reparatam tanta celeritate urbem meruit, ut patriæ pater, & Solymorum conditor nuncupetur. Is Iudæorum republica, divino cultu, honore templi, Sacerdotum & Levitarum ministerijs, legitimis conjugijs, cæterísque ex divina lege compositis, atque restitutis, seniô, curísque confectus, gloriosum vivendi finem fecit, dignus æternâ seculorum memoriâ.

Ignis sacer & Arca, per Jeremiam defossa, reperiuntur à Nehemia. Elogium Nehemiæ.

Magnorum operum ei præclarus adjutor extitit *Esdras* sacerdos, qui inclaruit circa annum Mundi 3595. ante Christum 459. Gratiosum *Assuero* regi reddidit, excellens juris humani, divinique peritia, cum spiritu fatidico conjuncta. Impetratâ ex Aula missione, cum plurimis popularium, summæque potestatis auctoritate, petijt Hierosolymam, regia secum munera deferens, in DEI cultum destinata ab *Assuero*, religioni non minùs Iudaicæ, quàm genti, favente. Vir fuit, si quisquam alius, honoris divini, boníque publici propagandi studiosus; prolapsos civium suorum mores plurimùm emendavit, & ad primam legis normam revocavit. Linguam Hebraicam ad majorem copiam, elegantiámque reduxit; & characteres novos invenit, etiam hodie usurpatos. Insignem Ierosolymis bibliothecam instruxit; Sacros libros undique diligenter conquisivit, & varias eorum partes, quasi in unum corpus compegit; depravata correxit, recensuit, renovavit; quæ deerant, supplevit. Atque hæc, ferè sub regibus *Cyro*, *Cambyse*, gemino *Dario*, & *Artaxerxe* Longimano, Iudæorum fortuna fuit; cuius incrementis quam coronidem addiderit Regina *Esther*, Assueri conjunx, sequenti narratione exponemus.

Laus Esdræ.

DOCTRINA

DOCTRINA.

Liber tertius & quartus *Esdræ* (primus & secundus ab Ecclesia Orthodoxa inter divinos numerantur) tametsi in *Canonicos* recepti non sunt, primum tamen inter historicos locum merentur, ideóque Biblijs Romanis in calce appositi. Is igitur Esdras lib. 3. cap. 3. & 4. scribit, Problematicam esse quæstionem motam, post cœnam, omnibus Præfectis, à Dario Hystaspide splendidè apparatam. Disputatores erant tres Juvenes Judæi, regij corporis custodes, in quibus præcipuus *Zorobabel*. A cœna rex cubitum secesserat; quem ut problematis arbitrum haberent disceptatores, suam quisque thesin scripto consignavit, regísque dormientis cervicali subjecerunt. Primus scripsit: *Forte est vinum*, Alter: *Fortior est rex*. Tertius, isque Zorobabel; *Fortiores sunt mulieres; super omnia autem vincit Veritas*. Expergefactus rex, convocatis purpuratis, prætoribus, præfectis, audire voluit juvenes prætorianos de controversia disceptantes. Ubi notandum, olim in convivijs problemata, parabolas, ænigmata, aliósque sermones convivales, eruditionis caussâ, in medium propositos fuisse, ut, dum corpus cibo reficitur, mens quoque ingenuâ doctrinâ pasceretur. Ita Samson nuptialibus convivis suis ænigma de leone à se discerpto proposuit. Iudic. 14. Idem fecerunt Græci & Romani, uti testatur Plut. lib. 1. Sympos. quæstion. Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 1. Quintil. lib. 1. Instit. Cicero Tusculan. quæst. c. 1. Plato in Sermon. convival. Athenæus in Dipnosophisticis. Nunc rationes percipiemus, quas primus pro vino adduxit. *Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud.* 1. *Seducit mentem.* c. 3. lib. 3. Esd. etiã Sapientum. Siracide teste: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes*. Eccli. c. 19. Magna vis Bacchi, qui pectora, sapientiæ propugnaculis exaggerata, velut admotus aries à prudentia, dignitate, virtute, honestate, ac tandem à fide & religione deijcit. Ruit arx intelligentiæ, ubi lumen rationis extinctum est. S. *Augustinus* (vel quisquis est auctor) *tract. de Sobriet. & virgin. c. 1. tom.* 9. „ Ebrietas ab animæ injuria incipit, & flagitiorum omnium mater est, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subversio sensûs, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Monet regum sapientissimus Prov. 23. *Ne intuearis vinum, quando flavescit &c.* Blanditur in oculis, delectat in faucibus, ardet in ventre, fumat in capite, bacchatur in mente. Omnia perdidit, qui rationem perdidit. Ex consorte angelorum, fit socius bestiarum. Qualis & quanta hæc subversio!

Problematica quæstio; quid omnium fortissimum.

Rationes pro fortitudine Vini. Prima, quia seducit mentem.

2. quia facit mentem vanam, & incuriam.

2. *Regis & Orphani facit mentem vanam.* loc. cit. lib. 3. Esdræ. Mens *vana*, est incuria, negligens, rebus suis inattenta, vacua, inanis. *Orphanus* caret patre, præsidióque paterno; ipse sibi consul, sibi senatus. Si ratione caret per potum ademptâ, bis miser est; fortunis & animo. Et cur non vacuus sit & inanis, cui vinum largiter potatum est patrimonij charybdis? *Veniet ei, quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* Prov. 6. Quod miles in urbe capta; apparitor in oppignoratâ creditoribus domo facit, hoc inertia efficit; hanc ebrietas inducit. Verè *Ambrosius*: Ebrius uno „die bibit multorum annorum labores. Oraculum sapientis est Prov. 21. *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Labores enim suos, & fortunas in symposijs decoquit & consumit. Gula, inertia, luxuria tres exitiales pestes, rapacissimæ Harpyiæ, pecuniam, valetudinem, famam, mentémque bonam auferentes. Nota est historia *Prodigi*, meritóque Orphani, quia ratione orbati. Quid vanius illo, quid vilius, porcos pascente, cum porcis siliquas mandente? Repetit admonitionem Sapiens Prov. 23. *Quia vacantes potibus, & dantes Symbola, consumentur.* Facetè Diogenes, cum helluonis cuiusdam domum venalem proscriptam legeret: sciebam, inquit, quòd vino, ciböq; oppleta dominum evomeret. Idem cùm nimio luxu adolescentem ad inopiam redactum, videret oleas in cœna esitantem: si sic pransus, inquit, esses, non ita cœnares.

Iam ad regem immodico vino addictum, quod attinet, quid illo contemptius, quid miserius, quem de gradu mentis & officij temulentia præcipitavit? Cui regimen & gubernaculum Reipublicæ cùm sit commissum; *est ille tamen, sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amissò clavò.* Prov. 23. Se, subditósque suos in ruinam præcipites agit: Quocirca Veteres, Bacchum compotationis præsidem finxerunt, & pinxerunt vehi navigio, in cuius prora erat panthera, in puppi tigris: hinc inde hederæ & musica instrumenta; in medio canalis vino æstuans: nulli in navigio remi, nullum velum, nullus gubernator; ut significarent, in compotationibus ita navigari inter turbines & tempestates litium, detractionum, clamorum, pugnarum, ad naufragium omnis honestatis & virtutis. Bacchum velut navarchum sequuntur potores nautæ, & calicum remiges. Igitur sicut dormiens in navi, jactatur ventorum flatibus, ac maris æstibus & fluctibus, & nunc ad sidera videtur ascendere, nunc in abyssum descendere & demergi: sic pariter æstibus phantasmatum, & cupiditatum sursum & deorsum jactatur ebrius. Navis agitur in rupes, scyllas & charybdes: ebrius in mille fortunarum, honestatis, & ipsius vitæ pericula. Navarchus dormiens, sopita ratione non sentit piratas, ceteráque necis discrimina; quia contra, ea se munire nequit ebrius, in corporis animæque hostium insidias defertur.

Ultimò

Ultimò, amissô, mersóque clavô seu gubernaculô, certissimum sequitur naufragium sanitatis, temperantiæ, castitatis, omnísq; honestatis, sapientiæ, virtutis. Nautæ sunt vires & facultates animæ, gubernator voluntas; proreta, id est, custos & rector navis in prora est mens & ratio; navigantes sunt sensus & membra corporis, virtutésque animi. Hoc verò maximè spectat ad reges, principes, gubernatores, præsides, judices, rectores, eósque, quibus aliqua publicæ, vel privatæ rei administratio incumbit, in quibus requiritur limatum rationis judicium, consilium, vigilantia, circumspectio. Nam qui regat alios, qui se ipsum regere nescit? Unde Salomon. Proverb. c. 31. *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. & ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent caussam filiorum pauperis.* En robur vini, quod magnos etiam reges, cum suis regnis, naufragiô mergit!

3. *Servi ac liberi, pauperis ac divitis, & omnem mentem convertit* (scil. vinum) *in securitatem, & jucunditatem; & non meminit omnem tristitiam & debitum, & omnia præcordia facit honesta.* id est, erecta, liberalia, ingenua, curis expedita. In Proverbijs Sacris fertur, cap. 31. *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde, ut obliviscantur egestatis suæ.* Mirabatur Augustus Imp. olim, equitem Romanum ducenties HS. hoc est, quingenta millia philippicorum debuisse, & dormire potuisse: adeò illi creditorum voces somnum non rumpebant. Quare, ubi suppellex mortui, voci præconis & hastæ subjecta est, ex omni ea Imperator solum sibi emi voluit cervical, cui consuêsset indormire tantus debitor. *Macrob. lib. 2. Saturn. c 4.* Huius pulvilli consutor est Bacchus; suaviter dormit, quem ipse reclinat, etiam tunc, cùm nulla vitæ securitas, & magnum salutis æternæ discrimen. Nimirum siccis omnia dura proposuit DEUS, Poëta teste. At juxta Psaltem. 103. & Siracidem c. 31. *Vinum in jucunditatem creatum est.* Unde vini repertor, dictus est *Liber*, vel quòd det licentiam & libertatem loquendi, „ vel quòd liberet à curis, ait *Senec. lib. de tranquill. animi.* Vinum, *in-„ quit Augustinus*, tristitiam removet, languores animi delet, læti-„ tiam infundit. Atque hæc caussa fuit, cur DEUS post diluvium docuerit Noë modum conficiendi vinum ex uvis, ut eius & filiorum mœrorem ob inductum mundo diluvium, & rerum omnium exterminium, hilaritate vini temperaret. Genes. 9. Consonat *Ovid. lib. 1. Art.* *Tertiò, quia pellit tristitiam.*

Vina parant animos, faciúntque caloribus aptos,
Cura fugit, multo diluitúrque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,

Tunc

Tunc dolor & curæ, rugáque frontis abit.

Et *Venusinus Vates, epist. 2.*

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes:
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Idem lib. 3. Carm. Ode 21. ad amphoram vini.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.
Tu spem reducis mentibus anxijs,
Viresque, & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Quartò spiritus addit sublimes.

Pergit commendator vini. *4. Et non meminit regem, nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit.* Esdræ l. c. Audivimus Horatium; Bacchus addit cornua pauperi. Idem alibi: Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat? Imò quis non divitias suas, & *talenta* jactat? Bacchum, ut idem Poëta canit *lib. 1. Carm. Ode 18.*

—— Subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimiò gloria verticem,
Arcaníque fides prodiga, perlucidior vitro.

Effutit ebrius, quidquid in buccam venit. Extorquet sæpe vinum, quod nec eculeus, nec fidiculæ possunt. Hinc memoratus Lyricus, *in Arte Poëtica*:

Dicuntur reges multis urgere culullis,
Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

Quàm multi urgent seipsos potando, & cùm incaluerunt merô, Dictaturam in omnes mortalium exercent; nec Principibus, nec magistratibus parcunt. Nulli non jus dicunt. Ebrius inter sapientes sibi Cato videtur, inter militares duces Achilles, inter reges Agamemnon; Jupiter in cœlo, Mars in castris, Neptunus in undis, Pluto inter inferos. In mensis vino madentibus ipse pingit acies, ordinat milites, cædit hostes; cum poculis coronat reges, & cum ijs exhaurit.

Quintò, quia facit audaces.

Quinta ratio pro vini potentia: *Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam nec fraternitatem; sed non multùm pòst sumunt gladios.* loc. cit. Salomon Proverb. 23. *Cui væ! cuius patri væ? cui rixa, cui fovea? cui sine caussa vulnera? &c. Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Monet iterum expertus Poëta *lib. 1. Carm Od. 18.*

At, nequis

At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata.

Nunquam stat locô magis lubricô fraternitas, quàm cùm in nomen fraternum crateres siccantur. Bacchus à clamando dicitur; In rixas & contentiones facilis prorumpit; nec immeritò cornutus fingitur, instar furiosi tauri, fœnum in cornu habentis. Quotidiana docent exempla, quantum turbarum dent in ædibus suis boves isti cornupetæ. Quid dico boves? leones sunt immanes, in omnes invadentes. Eccli. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua* (dominans, clamans, sæviens) ideóque, *evertens domesticos tuos*. Ebrietas est trivenefica, & meritò *Circæ* comparanda, in varias convertit bestias, quos per vinum mente spoliavit. Videas alios porcorum instar, suis in sordibus volutari; alios leporum ritu animo cadere, & plorare: alios canum instar mordere convitijs & contumelijs; alios more simiorum facetè gesticulari; alios velut tauros in obvios incurrere; aliosque cum leonibus rugire, & totis gregibus stragem minari.

Sexta ratio pro vini violentia, cuius etiam nomen à vi deducitur. *Et cum à vino merserint*, (emerserint) *& surrexerint, non meminerunt quæ gesserint*. loc. cit. Vinum robur suum ostendit, non tantùm cùm bibitur, sed etiam cùm exhalatur. Inter fluctus hominem jactat, in portu cruciat. Distenti crapulâ, neque altera quidem die satis sapiunt. Est adhuc in oculis caligo, in cerebro vertigo, in capite dolor, in vultu suffusio, in membris tremor, in animo ac mente stupor. Nabal postridie convivij in lapidem obriguit, ubi intellexit, quid in ebrietate adversùs Davidem perpetrâsset. 1. Reg. 25. Hîc Conscientia, instar Tisiphones, vinum pridianum ructanti flagellum incutit; inanis crumena torvas rugas ostentat, jurgiosa uxor jacturam pecuniæ exprobrat, familia intemperiem furiosi tauri accusat, plagæ & tubera sensum revocant; vertigo & dolores caput pungunt ac lancinant; memores compotores ad promissa: caupo ad symbolam: corycæi & delatores ad Iudicem vocant, maledicentiæ postulant; pudor, honestas, dignitas speculum exhibent, & qualem se temulentus gesserit, adhuc caliganti commonstrant. At gurges, qui sese amisit heri, necdum hodie se reperit; oblitus est se hominem, imò bestiam fuisse. Consilium nullum; nisi quod in capillis quæritur, & tamen non invenitur. Nunquid satis hoc virium in vino adversùs vinolentum?

Sextò, quia oblivionem inducit.

SECUNDUM PROBLEMA.

REx omnibus est rebus fortior. *Præcellunt homines, qui terram & mare obtinent, & omnia, quæ in eis sunt. lib. 3.* Esdræ. c. 4. Tales sunt reges. Ingens sanè imò maxima regum potestas, qui cum sole per orbem radios & potentiam suam dividunt; timorem & reverentiam sceptri terras in ultimas exporrigunt; equis & velis in solido, fluidóque dominantur. Alexander certè Macedo; & ante ipsum Darius Hystaspides, (coram quo disputatum) & ante hunc Cyrus: ante Cyrum Nabuchodonosor alterâ manum ad orientem, alteram ad occidentem extenderunt; & quidquid septentrionem inter & meridiem interjacebat, vastis brachijs concludebant. Unde *Poëta*:

Argumenta pro regibus, ab eorũ potentia ductis.

An nescis, longas regibus esse manus?

Paulus terrorem incutit, Rom. 12. *Si malum feceris, time potestatem, non enim sine caussa gladium portat.* Et ibid. *Non est potestas, nisi à DEO.* Principes sunt imago DEI, & ex illo Prototypo, majestatis exemplar. DEI potestas est infinita; principum limitata; terrâ tamen maríque timenda. Unde Job. 11. dicuntur *portare orbem*. Quanta virium potentia in his Herculibus & Atlantibus tanto oneri succollantibus! Metuenda profectò vis, cui pronum est, non minùs multa velle, quàm posse. Libido voluntatis ad potestatis extenditur terminos. *Sermo illius*, (ait Ecclesiastes cap. 8.) *potestatis plenus est; nec quisquam dicere potest, quare ita facis?* Tantum potest, quantum dicit; tantum valet, quantum volet. Jussa regum sunt fulmina; feriunt, nisi dictum, fit factum. Hinc Seleucus, rex Syriæ, cognominatus est *Ceraunius*, hoc est, fulmineus. Plutarchus monet cum rege agendum, quasi cum rogo, ut nec nimis propè ad eum accedas, ne comburaris; nec nimis longè, ne ab eo non calefias, id est, amorem, favorem, & benevolentiam non sentias. Ecclesiastici verò cautela est, cap. 4. *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem.* Procul à Jove, procul à fulmine.

Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Hic etiam timores sunt timendi, & non minùs est gravis metus, quàm pericula. Neronis, quamquam tyranni, vox est, teste *Suetonio*: Nemo principum ante me scivit, quid & quantum sibi liceret. Et *Caligula* Antoniæ aviæ pro sua auctoritate monenti, ut quædam secùs ageret, respondit: Memento, mihi omnia in omnes licere. Ambitiosæ potestatis argumentum Cyrus edidit, qui Gyndem fluvium navi traijciens, eò quòd unus equorum perijsset, ira excandescens, amnem in 130. rivos seu alveos derivavit. Senec. lib. 3. de ira. cap. 21. Quid, quòd non manus tantùm regum, sed aures etiam, procùl metuendæ. Ecclesiastes rex ipse de regum potentia: *In cogitatione*, inquit, *tua regi ne detrahas, & in secreto*

secreto cubiculi tui, ne maledixeris diviti: quia aves cœli portabunt vocem tuam: & qui habent pennas, annuntiabunt sententiam, cap. 10. Exploratores instar avium omnia pervolant, omnia perferunt, ut litteras columbæ Assyriæ; occulta quoque in lucem proferuntur. Adeò valida regum est potestas; ut etiam ibi sint, ubi non sunt. Nempe cum sole perlustrant omnia, & vel benignis radijs fovent, vel sævis caloribus exurunt. Sol medius inter planetas ex curru suo ignes quaquaversùm jacit; Rex inter consiliarios suos considens, ex solio dat jura, ignium instar perustura nocentes. Quid ergò fortius aut potentius rege?

Jam si vires militares considerentur, quid non impellunt, subruunt, deijciunt, evertunt? Ad pedis pulsum, quod Pompeius olim gloriabatur, armatæ legiones existunt; flamma, ferróque vastatur, quidquid obstat. Nihil est tam munitum, quod terribiles acies non perrumpant: nihil tam arduum, quod non expugnent: nihil tam validum, quod non perfringant. Armis omnia sunt pervia; Arma permutant ima summis; arma regum & iræ, arcibus, urbibus, provincijs ultimæ stetere caussæ, cur perirent funditus, imprimerétque muris hostile Mars aratrum. Et hoc est, quod 3. lib. Esdræ. 4. propugnator regiæ potentiæ adfert: *Si miserit* (rex) *bellatores, vadunt & demoliuntur montes, & muros, & turres. Jugulantur & jugulant, & regis verba non prætereunt. Nam si vicerunt, afferunt regi omnia, quæ prædati fuerunt.* Sequitur. *Similiter alij omnes, & quotquot non militant, nec pugnant, sed colunt terram: rursum cùm fuerunt metentes, afferunt tributa regi &c.* Ubi agricultura, & pastio pecoraria, ibi emolumenta & proventus magni: ex his tributa, portoria, vectigalia: hinc divitiæ regum & opulenta æraria. *Pecuniæ*, juxta Ecclesiasten, cap. 10. *obediunt omnia.* ergò regibus quoque, quippe pecuniâ abundantibus, parent omnia. *Horatius canit Sat. 3.*

Virtus, fama, decus, divina, humanáque pulchris
Divitijs parent.

Ideóque facultates vocantur, quia ad omnia comparanda viam & facultatem præstant: *Martialis*:

——— Quidquid nummis præsentibus opta,
Et veniet: clausum possidet arca Jovem.

Nulla res, quæ nummis non conficiatur; Nihil est tam absconditum, quod divitiæ non eruant: nihil tam carum, quod non coëmant: nihil tam inaccessum, quod non obtineant. Juxta Poëtam Venusinum: lib. 3. Carm. Od. 6.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Hinc Philippus Macedo dicebat, nullam esse arcem inexpugnabilem, quò posset accedere asinus onustus auro. Et C. Iulij Cæsaris dictum fuit, potentiam duabus rebus parari & conservari, *pecunia ac militibus*. Milites, sunt validæ regum manus: harum nervi, numi. His illi præsidijs instructi, quod legibus & edictis non consequuntur, armis extorquent. Hinc instrata classibus maria, inundatæ curribus terræ, ut potentia crescat, aliena minuendo, sua augendo. Deinde, quantum robur in multitudine populi, ubi unius à nutu pendent innumera hominum millia? quorum labores, industriæ, studia, & omnes virium contentiones serviunt regi, *recumbenti*, ut legitur loc. cit. *& bibenti*, *& dormienti*. Cujus unius sunt omnia, quæ sunt singulorum; Quidquid subditi possunt & possident; rex in ijs potest & possidet. Quid igitur rege validius, quid fortius?

TERTIUM PROBLEMA.

Argumenta pro potentia mulierum.

NUnc verò tertij, id est, Zorobabelis argumenta videamus, pro mulierum potentia. lib. 3. Esdræ. cap. 4.

Argumentū 1 quia matres sunt.

I. Mulieres genuerunt regem, & omnem populum, ergò sunt potentiores universis. Ratio: Major est, qui dat, quàm qui accipit; Matres dant vitam filijs, ergo majores sunt quàm filij. Hinc est, quòd liberi parentes, præcipuè matrem (quæ plus laboris & periculi in fœtum contulit) veluti principium sui, & auctores vitæ colant, ament, ijs obsequantur. *Philo lib de Decal.* Filij, *inquit*, „ probi, parentes suos, ut deos quosdam visibiles, colunt & ob-„ servant. & *Aristotelis* axioma est, *lib. 9. Ethic.* Dijs, parenti-„ bus, & magistris nemo potest reddere æquivalens. Idem *lib. 6.* „ *Ethic.* Matres plus amant filios, quàm patres, quia certiores „ sunt, eos esse suos, & quia plures circa eos labores sustinent. Dum eos utero gestant per novem menses, lactant, fasciant, purgant, educant, totæque circa eos educandos occupantur. Cùm ergo filij plus accipiant à matre, quàm à patre; hinc major in matrem amor est reciprocus. *S. Ambrosius* calcu-„ lum addit *in cap 2. Lucæ.* Tu matri debes pudoris injuriam, „ virginitatis dispendium, partûs periculum, matri longa fa-„ stidia, matri longa discrimina; cui miseræ in ipsis votorum fru-„ ctibus majus periculum est; & cùm ediderit, partu absolvi-„ tur, non dolore. Magna profectò feminarum prærogativa, quòd PARTUS SEQUATUR MATREM. Scio, quo sensu Iurisconsulti usurpent. Si physin spectes & mores: Imagines parturientium, sunt impressiones fœtuum, (veluti populeæ Iacobi virgæ, unde varium

oves

oves traxere colorem) rectæ an distortæ, id quidem multùm interest gignentis, multúmque geniti; qui cùm se, qualis qualis sit, præcipuè debeat matri; quid non debebit, si maculæ sit integer, & absque nævo, tam corporis, quàm animi? Et ubera materna, quæ sugunt tenella labra, quàm disparem humorem instillant! Felices, quibus sine fæce liquor bibitur. Ex turbido fonte, quid limpidum fluit? ex illimi, quid non purum, & splendidius vitro? Ira & amor quantum sulphuris habent, si per venas infectas transeant? Hinc regnorum incrementa & exitia. Unde? Ex matre. Quid igitur illa non potest? Quales fontes, tales rivi. Quidquid est in rivis boni, fluxit è fonte.

Alterum argumentum. *Ipsæ faciunt stolas omnium hominum, & ipsæ faciunt gloriam hominibus.* l. c. A vestimentis & habitu feminarum laus ducitur. Qualis? Feminæ conficiunt stolas, id est, vestes acu pictas & auro intextas, (Phrygium enim opus apud Veteres maximè spectabat ad feminas) quæ cùm ad gloriam, hoc est, ad splendorem, & majestatem tam regibus, quàm quibusvis alijs conciliandam valeant plurimùm; quid est, quod non valent feminæ, talium operum effectrices? Minerva femina fuit, & artis texendi inventrix; hinc quidquid encomij huic labori debetur, feminis debetur. Æneas princeps Sergesto principi putabat se donum principale dedisse, quando Æneid. 5. *2. quia conficiunt ornatum vestium.*

Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ. In regibus purpurâ collucentibus quis nescit quanta reverentia majestatis, quantum potentiæ specimen? Ex ædium vestibulo colliguntur penetralia. Vestis ornat virum, quantò magis regem. Ridicula majestas in centonibus: brutum fulmen ex tenui lacerna. Regem ut invenias, in purpura & diademate quæras. Rex sine purpura, sol sine radijs, campus sine floribus, arbor sine frondibus. A feminarum manu hæc gloria venit. Hanc ipsam manum laudat regum sapientissimus Proverb. 31. Ubi *mulierem fortem* appellat (de hac quæstio agitatur) quæ *stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum eius. Sindonem fecit, & vendidit: & cingulum tradidit Chananæo.* mercatori, magnô mercem illam æstimanti. Certè Claudianus campum floridum depicturus ait:

Parthica quæ tantùm variantur cingula gemmis
Regales junctura sinus?

Si tanti regum Parthorum cingula, quanti cætera regalis magnificentiæ indumenta? Et hæc quidem à feminis elaborata. Quid jam dicam de ornamentis, quibus ipsæ se circumdant, tanquam manuum suarum fructibus? Notum est ex historia S.

quid feminæ possint comptæ. Cùm incedunt *composita: circumornata ut similitudo templi.* psal. 143. discolori cyclade, palla, theristro; tiaris Phrygijs, calanticis, redimiculis, tænijs, reticulis, segmentis, fimbrijs, limbis, institis, fascijs, nebulis textilibus, cingulis, crepidis, sandalijs. His armis Juditha Holofernem, & omnem Assyriorum exercitum stravit. Hinc monitum est Siracidis, cap. 9. *Averte faciem tuam à muliere compta.* Hæc est, *Species mulieris, propter quam multi perierunt,* ait, idem ibid. Quid non permittit, imo promittit sibi femina, ait Satyricus *Aquinas Satyr.* 6.

Cùm virides gem̃as collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos committit elenchos?

His catapultis, his arietibus quid non prosternunt, præsertim si melior accedat forma. de qua mox. Quis verò hinc non perspicit, quantum *gloria* ex stolis, cæterísque vestibus, feminea manu textis & pictis, in hunc sexum redundet?

3. argum. quia validissimus amor mulierum.

Tertia ratio pro feminis. *Non possunt* (homines) *separari à mulieribus. Si viderint mulierem unam bono habitu, & bona specie, aurum & argentum relinquentes, in eam intendunt.* Et ideò, *Homo patrem suum relinquit, qui enutrit illum, & suam regionem, & ad mulierem se conjungit.* 3. Esd. c. 4. Tenacissimum gluten, amor est mulierum. In hoc visco jam primus homo hæsit; qui suæ se probaret ut Evæ, amorem mulieris postposuit amori DEI. Inter primos homines, *Sethi,* viri optimi, dispares nepotes fuere. noxium illi philtrum jam tum hauserunt oculis, quando eos per lasciviam in formosas feminas conjecerunt. Hinc immemores DEI, Majorum, & salutis suæ, cum *carne* facti *caro,* progeniem sanctam commiscuerunt *Caini* neptibus. Tanta vis erat ignis vesani, ut extingui non posset, nisi Diluvij fatalibus undis. Genes. 6. Quid? illæ flammæ magis fuerunt aquis compressæ, quàm restinctæ. Fumus adhuc scintillas volvit & incendia spargit.

Elicit ignis aquas, suscitat unda faces.

Effeminatorum pectus vel mergitur, vel incenditur. Ex uno feminæ nictu, ex neglecto colli crine ferricrepi thrasones in mollitiem diffluunt. Sapienter quidam hoc per similitudinem salis expressit. Ut sal ex aqua nascitur, & in aquam resolvitur; sic homo ex femina gignitur, & amore feminæ liquitur. Illi præsertim, qui mares sunt, sed sine pectore masculo. Qualis erat *Phaltiel* ille, 2. Reg. cap. 3. qui amarè flevit, cùm *Michòlem,* Davidis legitimam conjugem, odio *Saulis,* parentis iniquissimi, sibi superinductam, per *Abnerem,* ad maritum reduci vidit, nec prohibere potuit; *sequebatur eam* (ait divinus Scriptor) *vir suus, plorans.* En ut anima huius ploratoris erat agglutinata mulierculæ,

mulierculæ, & quidem adulteræ. O quot ploratores tales, quos ex viris feminæ faciunt feminas! Nimiùm, quàm multi lavant in Salmacidis undis. Salomon de juvene mulieroso: *sequitur eam quasi bos ad victimam.* Proverb. 7. jam paratus cultro, & aræ Veneris; post flammas Cyprias, pabulum Tartareis arsurus. De muliere formosa, & vestibus exculta, graviter *S. Cyprianus lib. de habitu*
„ *Virg.* Ornatus mulieris, oculos in se juventutis allicit: suspi-
„ ria adolescentum post se trahit: concupiscendi libidinem nu-
„ trit: peccandi fomitem succendit, ut, etsi ipsa non pereat, a-
„ lios tamen perdat. Quid multa? cui pretium, feminæ libido fecit, nullam jacturam in pretio habet. Columbulorum Cypridis vox est: *Peream, dum depeream.*

Addit Zorobabel: *Et multi perierunt, & jugulati sunt, & peccaverunt propter mulieres. Accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare navigare, & flumina: & leonem in tenebris videt, & ingreditur.* loc. cit. Meritò Venus mater sæva Cupidinum, Horatio dicitur. Impotens enim amor quò non prorumpit, quò non præcipitat? Miseros procos! si ad a-
„ micam sine munere veniunt. Meretrices, quod *Plautus* dicit,
„ mare sunt, quidquid datur, devorant, nec abundant. Et verò, etiam quæ castiùs amantur, sæpe tamen non sine di-
„ spendio nummorum amantur. Præclarè *Demosthenes*: pœ-
„ nitere tanti non emo. Amores dicuntur furtivi, non tantùm, quia plerumque occulti; sed quia furtis non raro nutriti. DO, UT DES; venalis est pudicitia. Hic laqueus alterum inducit laqueum. *Navigantur maria*, & fervent inter undas amantium desideria; per varios fluctus ad concupiscentiæ portum tenditur. Sed quoties flantibus frustra suspirijs, aut eò non pervenitur; aut nonnisi cum navi, bonis omnibus, famæ, fortunarum, animi spoliatâ. Et *leo in tenebris* quis, nisi vel maritus, vel rivalis in vestigia corrivalis de nocte excubans, & ingredientem ad amasiam jugulans? Verissimè Siracides c. 23. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & dicens: quis me videt?* Ad quis te videt? DEUS videt, homo videt. Et tu putas, te ingredi in *tenebris*? Poëtis eadem Venus, quæ Libitina. Illa huic tradit victimam. *Et peccaverunt propter mulieres; & accipit homo gladium suum &c.* Quos labores, quæ pericula non exantlant, feminarum amantes? *Jacobi* Patriarchæ castus amor pro *Rachele* sua, tribus penè lustris durissimam servitutem servivit. Genes. 29. *Sichemus* Princeps, pro *Dina* Jacobi filia se, patriámque civésque suos perditum ivit. David pro *Michole* cruenta certamina commisit. Samson cum Philisthæis acerrimè, multóq; fuso sanguine,
pro ijs

pro ijs, quas amabat, dimicavit. Et ut prophana quoque attingamus. Propter Helenam à Paride raptam, Asia & Europa collisa est; Troia funditus devastata. Propter Briseidem, captivam puellam, Achilles & Agamemnon, fortissimi duces capitalia odia susceperunt; Propter Laviniam, Latini regis filiam, Æneas & Turnus, clarissimi Principes, diuturnum bellum gesserunt, non finiendum, nisi alterius cæde. Taceo Persepolin, Persiæ urbem nobilissimam, ab Alexandro propter scortum incensam; taceo, quod Poëtæ, non sine historia, prodiderunt, Leandri fluctus, Pyrami mucrones, procorum Atalantæ, Hippodamiæ, Penelopes, funestos interitus.

Prosequitur argumenta Disputator pro feminea potentia. *Et multi dementes facti sunt propter uxores suas: & servi facti sunt, propter illas.* loc. cit. Omnium instar sit *Salomon*, cuius *cor* (quantum, & quale!) *averterunt mulieres*; & ex mortalium sapientissimo stolidissimum reddiderunt. *Sardanapalus*, quantus & ipse rex! inter mulieres fila duxit; *Samson*, quo non robustior alter, sese Dalilæ vinciendum & capiendum tradidit. *Hercules*, monstrorum domitor, cum Omphále sua colum tractavit. Et, ut pauca tangam de multis, amoribus Cleopatræ *Antonius*, qualis vir! famam, victoriam, gloriam nominis Romani substravit. Quid, quòd mulieres *Jovem* ipsum in varias bestiarum formas, amore sui converterunt. Veritas in fabulis latet. Unde fingunt à *Cupidine* puero, deum illum, deorum summum, in forma tauri cornibus trahi, & pro libitu impelli. Quæ major potest excogitari dementia? quæ deterior servitus? Est impotentissima feminarum potentia. Huc facit Isaias, cap. 3. *Populum meum exactores spoliaverunt; & mulieres dominatæ sunt eis.* En caussam, quare principes & magistratus Solymæi duris exactionibus populum oppresserint. Graviore nempe jugo, priùs à feminis oppressi sunt ipsi, & in omne nefas acti. Hoc etiam olim *M. Cato*, sapientiæ lumen, questus est. Hic enim objurgans summam uxorum Romæ impotentiam, Omnes, *inquit*, „ homines uxoribus dominantur; (utinam!) nos omnibus homi„ nibus; nobis autem uxores. Hoc modo colligens mulieres esse rerum omnium dominas. Plut. in Rom. apoph. Hinc Themistoclis olim filius gloriatus est, Atheniensium rempublicam à se gubernari; hoc enim omnes cives velle, quod ipse velit. Mirantibus audacissimum juvenis dictum, subjecit: Quod ego volo, illud & mater mea vult (filium enim illa tenerrimè diligebat) quod autem mater mea vult, hoc idem vult pater meus Themistocles; quidquid verò placuerit patri meo, id continuò placere Athenis, jam compertum est. Hinc, inquit, Atheniensis Respublica ad meũ

imperium

imperium componitur. Rectè *Aristoteles 2. Polit. c. 7.* Quid verò interest, utrum feminæ gubernent, an qui gubernant, gubernentur à fæminis?

Atque hæc ad confirmandam Zorobabelis opinionem, quam ipse magis ad aures Palatinas, quàm ad animi sui sensum propugnavit; quippe cui propositum erat, per laudem mulierum, qua sciebat delectari Aulicos, præstruere benevolentiam, ad *Veritatem*, hoc est, veri Numinis agnitionem & venerationem, tam Regi, quàm Satrapis inferendam. Unde subjunxit: *Vinum iniquum, iniquus rex, iniqua mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt; & veritas manet: & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in secula seculorū. Benedictus DEUS Veritatis. Et omnes populi conclamaverunt, & dixerunt: Magna est veritas, & prævalet. 3. Esd. c. 4.* Veritas ut simplex est, ita simpliciter quoque & paucis ejus asserta potentia est. Et tamē apud omnes, primas tulit; adeò Veritas sibi soli sufficit. Quæ cùm semper vincat; neque hîc succumbere potuit. Cæterùm Zorobabel nihil aliud nomine *Veritatis* intellexit, quàm ipsum *Verum* DEUM, rerum omnium Conditorem. DEUS est prima VERITAS, & omnis veritatis creatæ idea ac mensura. 1. Quia, quidquid est, & quòd ita sit, & verè sit, à DEO est, tanquam ab exemplari, secundùm quod, & per quod natura cuiusque rei facta est. 2. Quia à DEO omnis vera cognitio, seu vis cognoscendi Angelorum & hominum descendit. 3. Quia DEUS summa est veracitas, à qua dimanat virtus inclinans voluntatem, ut amet dicere verum, & abhorreat ab omni mendacio. Ipse est, qui per infinitam bonitatem suam nec fallere potest: & per imēnsam sapientiam nec falli potest. Hinc sum̄a & prima regula credendi, dicentis est auctoritas DEI. Homo verò cùm deceptionibus sit obnoxius, & ex insita malitia ad fallendum pronus, meritò dicit regius psaltes, psal. 115. *Omnis homo mendax:* Et Apostolus ad Rom. 3. *Est autem DEUS verax, omnis autem homo mendax.* per inclinationem depravatæ naturæ.

Veritas omnia vincit.

Veritas increata & creata.

Jam si DEUS Veritas, quid potentius æterna Veritate? DEUS non tantùm in seipso potentissimus; sed à DEO est omnis creata virtus seu vis agendi & operandi in lapidibus, metallis, plantis, animalibus, hominibus, Angelis; Quidquid hæc omnia possunt & singula, divinæ participatio potentiæ est. Ipse potest omnia, quæ mens creata concipere potest. Ipse quidquid potest, perficit solo voluntatis nutu, sine mora temporis, sine labore; infinita facilitate. Hæc est illa potentia, *coram qua Columnæ cæli contremiscunt.* Job. 26. Unde meritò regius Propheta. psal. 88. *Domine DEUS virtutum, quis similis tibi? Potens es Domine, & Veritas tua in circuitu tuo. Tu Dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Tu

imperium obtines non solùm super universam terram, sed etiam super sævitiam & superbiam maris; *elationem enim fluctuum eius, dum tu vis, compescis*; quod nemo potest ex regibus & dominatoribus, qui sunt super terram. Huius rei documenta fuerunt Pharaones, Sennacheribi, Nabuchodonosores, aliique territatores mortalium, quos in his Narrationibus produximus. Quorum exemplô, multis post sæculis modestiam didicit *Canutus*, Anglorum Rex, qui adulatoribus suis regum potentiam ostensurus, in littore maris regiam sedem collocavit, sed à maris refluxu depulsus, DEUM, cœli terræque Dominum confessus, coronam capiti suo detractam, Vintoniæ in templo, Christi crucifixi capiti imposuit, majori utique Domino & cœlestibus, terrestribus, inferis tremendo. *Polydor. Virg. lib. 7. Histor. sub finem.*

Etiam creata Veritas est potentissima.

Sed & Veritas creata potentissima est. Primò, quia DEO proxima, robur è cœlo trahit. Nam quantùm quis ad Veritatem vel accedit, vel ab ea recedit: tantùm ad DEUM accedit, vel ab eo recedit. DEUS enim amat veraces, quasi sui similes; mendaces odit, tanquam sibi multùm dissimiles. Quocirca *Pithago-„ras* censuit, Veritatem post DEUM colendam esse, utpote quæ „homines DEO proximos faciat. Et teste S. *Hieronymo contra „Rusticum*: DEUS Christum amat infinitè, quia ipse est Verbum „Patris adæquatum, & Verissimum. Et ipsius Christi vox est Ioan. 15. *Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Est enim ipse *Lux.* Ioan. 1. *illuminans omnem hominem*, ad discernendum verum à falso; simul accendens calore suo ad omnia adversa pro Veritate fortiter perrumpenda. Ita sancti Martyres ferrum, flammas, bestias, & atrocissima tormenta quæque contempserunt pro Veritate asserenda, & instar arcis munitissimæ tuenda. Veritatem nulla vis deijcere, nulla fraus decipere, nulla perturbatio de gradu deturbare potest. Intercipitur quidem aliquando, velut sol, nubibus, „sed nequit extingui. Agnovit hoc *Tullius Orat. in Vatin.* Tantam „semper potentiam veritas habuit, ut nullis machinis, aut cui„usquam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit. Et licet „in caussis nullum patronum, aut defensorem obtineat, tamen „per se ipsa defenditur. *Idem pro M. Cælio.* O magna vis veri„tatis! quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, „contráque fictas omnium insidias, facilè per se ipsa defenditur. „Et *pro Cluent.* Multorum improbitate depressa veritas emer„git, & innocentiæ defensio interclusa respirat. Primas igitur potentiæ meritò fert Veritas, vincit, triumphat.

Atque hæc in trium Hebræorum militum problemata commentari placuit; longiùs quidem ab orbita deflectendo, sed operæ

tamen

tamen, ut putamus, pretiô. Nam ab hac disputatione gentis, Urbísque Templíque Solymæi columen pependit. Darius quippe delectatus Zorobabelis sapientiâ, optionem ei dedit postulandi, quidquid vellet; eúmque exosculatus, secundum à se fecit, intérque *cognatos* regios ascivit. Mox litteris quaquaversum missis, ingentes impensas in instaurationem urbis, & templi exædificationem imperavit. Atque hoc est illud Templum, quod gloriam suam *Veritati* debet, quæ ad eius structuram induxit Darium; plus autē gloriæ habet à prima VERITATE mortali in corpore, mortalibus arcana cœlestia pandente. De qua Aggæus cap. 2. *Et veniet desideratus cunctis gentibus: Et magna erit gloria domûs istius novissimæ.* (per Zorobabelem exstructæ) *plus quam primæ.* (nempe Salomonicæ.) Neque audiendus est Josephus in Antiquitatibus Judaicis, *lib.* 15. *cap.* 14. qui tertium templum, ídque ex fundamentis, ab Herode eductum, confinxit assentando. Veritatem dixisset, si Zorobabelicum templum ab Herode instauratum, amplificatúmque fuisse, scripsisset. Uti ostendit Salianus in annum M. 3532. Barrad. tom. 1. lib. 3. c. 3. cum alijs.

NARRATIO CIX.

AMAN IN PATIBULO.

Ex libris Esther.

Ab anno Mundi 3596. ante Christum. 457. ad ann. Mundi 3602. ante Christum 451.



XERXES Darij Histaspidis filius, paterni regni atque odij in Græcos homines hæres, junctô navibus Hellesponto, Athóque monte perfossô, epotis amnibus Græciam cum armatorum mille millibus invaserat; quâ deinde per *Artabanum*, satellitum regiorum præfectum obtruncatô, successit *Artaxerxes*, appellatus *Longimanus* à prominentia dextræ: vel, ut alij volunt, à manuum longitudine tanta, ut stans & erectus, genua, digitorum articulis contingeret, filius Xerxis illius magni, natu minor. Hic Artaxerxes, alio nomine *Assuerus*, clarus extitit *Estheris* conjugiô. Hanc formæ decus, ex nobili Judæorum familia, captivam tamen

tamen, in repudiatæ *Vasthis*, uxoris *Assueri*, locum subvexit. Laude digna forma, quæ regnum peperit; sed multò dignior animi venustas, quæ DEO quoque in delicijs habita, Judæis, popularibus suis salutem attulit. Res ita contigit.

Assuerus ingenti cum exercitu in Ægyptios moturus, convivium longè sumptuosissimum, universis regni sui satrapis, seu provinciarum præfectis, apparavit, idque senis omnino mensibus celebravit regali magnificentiâ. Septiduò ultimò etiam populus urbis *Susianæ* advocatus, & per tentoria pretiosissima dispositus, epulis, incredibili luxu instructis accubuit. Haud minore apparatu, & planè Persico, feminæ cum regina *Vasthe* intra pallatium epulabantur; nam ut viris in convivio assiderent, pudor & modestia prohibebat. Quæ res cùm ad eius sexus commendationem valere plurimùm deberet, reginæ cessit in perniciem. Postremò namque epulationis die, rex largiùs appotus, inter mensarum delicias, oculis quoque pastum illecebrosum objecturus, evnuchis mandavit, reginā ut introducerent diademate, ceteróque mundo muliebri adornatam. Semel, iterúmque vocata, renuit venire, sive ut legi & consuetudini Persarum pareret, quæ uxores vetabat, ab alijs, quàm à domesticis conspici; sive, (quod S. historia innuit) dedignaretur promiscuæ multitudinis oculis pulchritudinem suam propinare. Eum qualemcunque animi sensum, Rex injuriam & contemptū interpretatus, tantò vehementiùs exarsit, quantò magis à vino calebat. Itaque crimini datur, quod imputandum erat virtuti. Res, tanquam summi momenti, ad arcanius mox consilium (septemviri præerant ei) refertur, parùm equidem sobrium; cum rege plus omnes adbiberant, quàm Judices deceret. Sed more Persarum, quibus jus maximè liquidum natabat in poculis; judicialium urnarum loco cululli statuebantur, unde hauriebant suffragia. Quid multis? regina contumaciæ postulatur, contemptæ majestatis rea peragitur. Plus valuit accusatoris auctoritas, quàm accusatæ innocentia. In gratiam regis condemnatur regia conjunx: pronuntiatur, tori, regníque consortiò privanda; ne cæteræ feminæ, malò exemplò inductæ, suæ plus tribuant superbiæ, quàm debitæ maritis reverentiæ. Nihil esse impotentius eo sexu, quàm cùm amores suos maritorum obsequijs venditant; pretium sui excandefaciunt torvitate; imperant abnuendo. nec esse quidquā pervicacius muliebri genio, cùm ei venustas formæ accesserit. quē jam domi suæ jussa daturum uxori, si regis ipsius imperium spernat mulier? unius pertinaciâ reliquas omnes animatas, maritalem potestatem ludibrio habituras. Id ne fiat, pœnis cavendum; detractâ reginæ coronâ, inferiorū quoq; supercilia

Regina Vasthi renuit ad convivium regale accedere.

Jus Persarum iniquum.

cilia

cilia dejectum iri. In eam sententiam fit senatusconsultum; repudiatur *Vasthis*, proscribitur è regia, quòd modestior esset, quàm obsequentior. Eius judicij pœnituit, puduítque regem, cùm discussa ebrietate, in menetm redijt eximia feminæ pulchritudo, dulcissimáque vitæ consuetudo. Perpendebat, quantò atrocior esset pœna, quàm pro modo delicti; fuisse ignoscendum pervicaciæ, magis ex pudore, quàm superbia profectæ. Subeunte dein animum miseratione, cupiebat revocatam, quam nulla gravior culpa fecisset ream. Sed huic cogitationi obsistebat decretum, quod juxta leges patrias mutari haud sanè poterat. rex igitur in morem navis, contrarijs agitatæ ventis, æstuabat. Sed fluctus ijdem composuerunt consiliarij, qui commoverant; adeò parata est aulicis ingenijs assentatio. Fiunt auctores regi, ut per omnes regni provincias instituatur virginum formâ præstantium perquisitio; è quibus undequaque adductis, rex sibi deligat, quas omnium maximè oris habitus commendaverit. & ex his ipsis unam, quam loco Vasthis repudiatæ, in thalami, regnísque consortem admittat; prioris desiderium haud ægrè recentis consuetudine abolitum iri. Placuit consilium. Inter alias conquisitoribus probatas, eminebat *Esther*, puella Hebræa, utroque parente orbata; quæ apud patruum (aliqui patruelem vocant) *Mardochæum*, virum nobilem è tribu Benjamitica ceu filia adoptiva educabatur *Susis* (uti Salianus & Serrarius referunt) in urbe regia, (Josephus eam Babylone adductam scribit, parùm convenienter historico sacro). Hæc eunucho, *Egeo* nomine, commendata, inter puellas quadringentas, quæ in regia, exquisitissimo victu, cultúque ad regios thalamos præparabantur, facilè omnium in se oculos convertit; præsertim *Assueri*, qui formæ cùm raritate, tum verecundiâ captus, eam in uxorem adlegit, connubiúmque magnificentissimo epulo initiavit.

Vasti regina injustè repudiatur.

Estheris in reginam assumitur.

Eo tempore inter excubitores prætorianos fores regij palatij *Mardochæus* servabat, insigni in DEUM pietate, & in regem fide. Hic ex somnio sibi oblato. haud vanè conjectans tempestatem, genti Hebrææ graviter incubituram, unicè erat ad id intentus, ut & neptis castè pudicéque educaretur, & si qua se offerret occasio, gratia regis, publico popularium bono iniretur. In ceteris ergò monitis, hoc Estheri dabat, ut DEI, populíque sui memor, favores regios non ad ambitionem privatam, sed ad communem nominis Hebræi salutem referret; quam ipsa monitionem quàm habuerit cordi, docent ea, quæ sequuntur.

Versabatur in aula regis Assueri *Amanus*, purpuratorũ longè

primus, & uni regi secundus; vir omnium superbissimus mortalium, idémque, si quis eius arrogantiæ adversari videretur, vindictæ propositô crudelissimus, & curiæ Persicæ plane tyrannus quidam, gente *Macedo*, natalibus Agagites, & origine longius repetitâ, stirpis Amaleciticæ, semper Hebræis infestæ, quia tamen maternum genus à Persis trahebat; Persarum & ipse paullatim in consuetudinem ac familiaritatem; ad extremum, in regiam quoque, sanctiúsque consilium irrepsit. Hic apud Assuerum omnia poterat, etiam patris nomine ab eo compellatus; inde tam vecors hominem libido cepit, ut à quocunque mortalium non adoraretur ipse de genibus, & scilicet honoris illo genere, quod cum *latria* (cultu, qui soli DEO debetur) proximè annexum est, coleretur: eum, non suum tantùm, sed regis etiam, & centum viginti septem provinciarum Persicæ ditionis hostem credi vellet, ac perduellem: proptereáque diris supplicijs omnibus persequendum, & exemplis novissimis eradicandum. Id tentavit in Mardochæo, viro, quod diximus, non minus forti, quàm pio, & pro religione patria tuenda, imperterrito. Hunc Amanus, quòd honorem, cultúmque, quô modô cultus & honor DEO deferuntur, præstare sibi recusaret: exstirpare ferro, cum universa stirpe Judaica, per omnes Persici juris terras, animo decretum, fixúmque habebat. Et destinata, consentiente rege, perfecturus fuerat: nisi mulieris unius, hoc est, Estheris reginæ lacrimæ intercessissent. his enim emollitus Artaxerxes, cruentum Amani edictum antiquavit. furor in caput auctoris vertit.

Amani arrogantia, & affectatio honoris divini.

Mardochai constantia in abnuendo eo honore,

Jámque non *Susis* tantùm pendebat Sanguinarium edictum, toti Judæorum genti fatale; sed per omnem Persiam, cum litteris regijs festinabant Cursores, qui decretoriam Hebræi nominis internecionem, magistratibus ubivis locorum denuntiarent. Nam sæpe bonitas Principis servit in scelera ministrorum. In luctuosissima rerum omnium desperatione, unicum erat miseris in Esthere præsidium; quæ post triduanas preces, & corporis afflictationes cùm suas, tum populi sui; assumpto ad incredibilem oris venustatem, splendidissimo vestium ornatu, sustinuit ad regem ingredi. Quem cùm admissa ad oculum *virgæ aureæ*, in benevolentiæ signum protensæ, (sine quo capitale erat ad solium sedentis accedere; & primus regis aspectus, Estherem quoque, tantùm non exanimavit) ad omnia vota promptissimum adverteret, blandâ sermonis suadâ eò deduxit comitatis, ut invitatus ad epulum, ab ea apparandum, condiceret, convivam habiturus Amanum.

Edictum sanguinarium contra Judæos.

Estheris ad regem ingressus.

Ex ea invitatione quantum lætitiæ iste hausit; tantum indignationis concepit à conspectu Mardochæi, ad regiæ fores excubātis.

Is enim

Is enim cùm intranti palatium Amano se in genua non demisisset, felle miscuit, quidquid ille dulcedinis ex convivio Estheris prægustavit. Nimirum honoris iniqua cupiditas, ipsa tormentum est. Vitam Amanus in summa felicitate acerbam sibi putabat, nisi crucem oculorum suorum Mardochæum sustulisset. Convocantur in senatum uxor Zare, & amici; deliberatur, quo mortis genere Iudæi hominis contumacia plectenda. Omnium est sententia, ut patibulum erigatur ad gulam perduellis frangendam; tantò ad terrorem atrocius, quantò ad ignominiam conspectius. Nec mora; crux in sublime surgit, quinquaginta cubitorum altitudine, quod non temerè sacer historicus memorat. Sed hæc machina in aliud longè collum erat fabricata. *Mardochæo alta crux erigitur.*

Eadem fortè nocte, quæ inter suspendium intercedebat, rex insomnis, suorum sibi gestorum historiam jubet prælegi; discit ex ea, capiti suo per eunuchos (alter *Bagathanes*, alter *Thares* appellabatur, qui cùm à poculis essent regi, creduntur veneno mortem ei voluisse consciscere) insidias esse structas, indice Mardochæo detectas, nullâ relatâ in bene merentem vel gratiâ, vel præmio. Commodùm aderat circa id temporis, nempe diluculum, solitô maturior, in regia Amanus. Regem curæ excitaverant, hominis sibi fidi beneficijs ornandi; istum odia non sinebant quiescere capitis sibi invisi è medio submovendi; Rex cogitabat de Mardochæo ad honores sublevando; Amanus laborabat de eo in crucem tollendo; sed eventu nimium quantum à cogitatis abludente. *Mardochæus insidias detegit.* *Diversa in utroque matutina vigilantia causa.*

Interrogabat Assuerus hominem, majora fastigiô humanô spirantem, quô mactandus esset honoris genere, quem rex percuperet insignissimè condecoratum. Eam ipse rogationem cùm non dubitaret ad suæ dignitatis incrementa pertinere (semper enim ad sublimiora tendit ambitio; in modum fumi ascendit, ut evanescat) consilium suggerit, tam suo plenum dedecore, quàm Mardochæi gloriâ. Rex, ait, si vis hominē præclarè de te, tuóq; regno meritū, favoribus beare raris, tuáq; magnificentiâ dignis, fac, ut regio vestitus ornatu, vehatur equo, qui te insessorem deceat, & circumducatur per urbem, tenente frænos Satraparum principe, & præconis instar præclamante: *Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare.* Arripuit rex, quod suadebatur; jubetur Mardochæus, in morem regis indutus, & diademate ac aureo torque fulgens, equo generosissimo imponi, & Amano, quô nemo inter proceres potentior, præeunte ac præconem agente, per omnia urbis amplissimæ fora circumvehi. Hæsit inter cultrum & saxum fastus; hinc excludente tergiversationem mandato regio: inde sublimes spiritus torquente

servili

servili obsequiô, & quidem, in inimicum capitalem conferendô. Instituitur invidiosa pompa. Fuit à pedibus Amanus Mardochæo, quem jam cum tota gente sua proculcatum credebat. Quot oculi spectantium, tot ludibria, tot tela, quibus ambitio confixa. Neuter suam fortunam capiebat: Mardochæus secundam, Amanus adversam; ille regali rubebat purpurâ : hic suâ; sed non alio tinctore, quàm pudore, infectâ. Quantùm fortunæ pristinæ decreverit magnitudo, singulos ad passus numerabat. etiam tum felix, si æstimare infelicitatem suam potuisset: si reputare animo, quàm breves & mutabiles sint rerum vices : quàm fortuna nunquam simpliciter indulgeat; & tunc maximè concutiatur, cùm ad fastigium venit. Si frenos equi, quos anteambulo prendebat, ad feroces animi impetus edomandos transferre voluisset. Sed imbecillior erat stomachus, quàm ut concoquere posset depressionem ad ministerium tam vile.

Mardochæus regio ornatu, sublimis in equò invehitur, Amano frenos tenente.

Ultionis igitur desideriô tabescens, & velut canis in jactum lapidem, non manum jacientis, sæviens, proripit se domum operto capite, etiam solem erubescens; & quâ spongiâ tanti nota dedecoris abstergi queat, ab amicis exquirit. Dum consultatur, & consilij nihil expeditur; superveniunt evnuchi regij, hominem evocantes ad epulas à regina instructas. Cunctantem, & majora mala præsagientem, urgent etiam, & compellunt. Itaque comparet invitus. Sub finem convivij, cùm rex incaluisset merô; Regina, compositâ ad omnem modestiam & sollicitudinem oratione, institit deprecari pro capite tam suo, quàm gentis suæ universæ. Inexspectata supplicatio, decôris mixta lacrimis, miros in regis animo motus excitavit; tangebat eum comiseratio reginæ non solùm charissimæ, sed etiam innocentis; deinde populi tam numerosi (nam Hebræa natio per omnes regni provincias diffusa erat) & inferendis ærario suo tributis perutilis; igitur excandescere in tantæ crudelitatis molitionem, & eius auctorem reposcere. Ubi intellexit, concepti facinoris atrocitatem ad Amanum pertinere, tum verò surgit indignabundus de convivio, & in hortum triclinio vicinum concedit, sive ut furoris æstum liberiore aura temperaret, sive ut spatium sumeret de modo supplicij statuendi. Amanum interea instantia fata premebant; unicum restabat asylum, & ara salutis, clementia *Estheris*. Huic, ut erat super lectulum tricliniarem reclinata, sese adsternit supplex, & gratiam prensat vitæ, qui tot mortalium millibus internecionem parârat. Cæterùm regem iræ vehementia nullo patiebatur loco consistere; redit minarum plenus in cænaculum, & (ô fatalem lubricámque hominum sortem!) reperit Amanum reginæ lectulo

Estheris pro gente sua deprecatio.

lectulo affusum. mox suspicione meditati flagitij correptus (est enim præceps furor) imperat, ut nefandus scelerum artifex, obnupto capite, succidanea victima, in eandem, quam Mardochæo erexerat, crucem agatur. Dictum, factum. Eadem nocte, Persarum more, supplicium sumptum de ijs, qui Amanum sanguine contingebāt continuatâ per sequentes dies pœnâ in devota morti capita. E quibus decem nominatim Amani filij delecti, triste spectaculum in crucibus pependerunt; fortunis damnatorum, reginæ fisco addictis. Amanus imprimis, luculentum ambitionis documentum extitit, quorundam ex alto descensum, etiam ascendendo fieri; cúmque vulgò Casus omnis in profunda feratur; profundiùs tamen, ignominiosiúsque cum Amano sursum, & in sublime rui. Mardochæus, translatâ in ipsum strangulati dignitate, princeps palatij constituitur, tanta accessione gratiæ, ut abs regina pater, à rege conservator audiret. Poterat videri contritus in capite draco, quem nocturnæ imagines cum Marchodæo commiserunt, nisi pars magna veneni in cauda vibraretur. Sanguinaria in Hebræos per Amanum edicta ultimum ictum, & vix intervertendum, intentabant. Cúm Estheris & Mardochæi eâ, qua par erat, curâ, crudelis sententia revocatur à rege; & quia periculum in mora, volant celeriter per omnes provincias imperatoriæ litteræ, quibus non tantùm truculenta Iudæorum interemptio antiquatur; sed ijs insuper jus gladij permittitur, omnes illos contrucidandi, quos sanguini suo inhiâsse, compertos haberent. Divina historia septuaginta quinq; millia à Iudæis neci data; cædísq; factæ memoriâ, festa quotañis solennitate repetitâ, memorat. Tantâ capitum stragem fecit exortus à genibus fastus.

Amanus cum propinquis in crucem agitur.

75000. Persarum à Judæis neci dantur.

DOCTRINA.

MAgna rerum varietas, & inexspectatæ eventuum vices insunt in hac historia. Mirus hinc Fortunæ, seu Divinæ potiùs Providentiæ lusus emicat, & argumentum theatris dignum, atque ad mores informandos fœcundum. Nos ex hac Ubertate in rem nostrã delibabimus, quæ quatuor principes huius proscenij personæ dictis nobis, factísque suis suggerunt observanda. Primus in medium prodit *Aman*, séque inspiciendum præbet, maximè Palatinis, Fortunæ pullus idem & pila, dextrâ, lævâque jactata. Nam 1. quis felicior Amanô? In Assueri Aula supra cæteros omnes eminebat. Quis infelicior? unus è prætoriana cohorte miles, prætereunti non flectens genua crux est, & tormentum, & omnium felicitatum absynthium. Qui proximus erat regio solio, fit strator equi, & inter circumpedes ambulat. Ex fulminastro cunctos territante, fit ridiculus præco.

Funestus ambitionis exitus.

Quem patrem rex appellabat, perduellis, læsæ majestatis reus, proditor proclamatur. Qui trucibus oculis minas in omnes vibrabat, non sustinet ferre vultum irati regis. Qui ferrum jam strinxerat in universæ gentis Hebrææ jugulum, cogitur ipse jugulum præbere laqueo, & ludibrium ventis in patibulo pendere. Septuaginta hominum millia cum pereunte perierunt, ut non sine pompa clientum, ad inferos descenderet Patronus.

Nempe follis est Ambitio, ventum ut attrahit, ita reddit. Lampas est, tunc extinguenda, cùm nimium olei felicitas affundit. Bulla est, citò inflatur, citò rumpitur. Fax est, perit cum fœtore. Ignis est fatuus, in aëre circumactus, prælucet in avia. Ventus est, desiturus, cùm spirat vehementissimè. Fumus est, ascendendo se consumit. Vates horum casuum Salomon. Prov. 11. *Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia*, seu ignominia. Nam superbiam comitatur error in consilijs: errorem infelicitas eventuum: hanc opprobrium, dedecus, ruina.

Instabilitas felicitatis humanæ.

Time, quisquis secundis Fortunæ flatibus tumescis. Nôris „ sapienter dictum *Senec. Thyest.* Dum excelsus steti, nunquam pa„ vere destiti.

Fortuna magna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo.
Et quidquid altum est, haud tutum diu manet;
Ruet vel invidia, vel tempore.

Sublimium exitus frequens, *cadere.* Aulicos monet Siracides, ut cautè ambulent, *quoniam in medio laqueorum ingrediuntur.* Eccli. c. 9. Sapienter Scythæ ad Alexandrum M. *Arbores magnæ diu crescunt, unâ horâ extirpantur.* Curt. *lib.* 7. Ex eodem: Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Uti fuit Amano à Mardochæo. Igitur pelago ne nimiùm fide sereno. Fallax est favor, & gratia blandientis sortis. Contrahe vela, dum nimiùm implentur. Icarus quò sublimiùs evolavit, hôc profundiùs delaptus est.

Fallax gratia Principum.

Terreant casus, quibus pleni sunt libri, plenæ sunt Aulæ. Ex amicissimis Alexandri M. Lysimachus, leoni objectus; Clitus hastâ trajectus; Calliphenes mori jussus; Philotas miserè cæsus; Parmenio per speciem amicitiæ occisus. Seianus Tiberij, per scalas Gemonias uncô tractus; Ablavius Constantij in frusta concisus, Eutropius Theodosij securi percussus; Ruffinus eiusdem cædem etiam cum ludibrio conjunctam subijt; Non meliùs actum cum Stilicone Honorij; cum Belisario Justiniani, qui orbatus oculis, mendicus in ponte stetit, quod non ignobiles scriptores tradunt. De recentiore memoria quid dicam? Quis ignorat in Hispania Alvaros de luna sub Joanne II. Legionis & Castellæ rege? Quis Duces Olivares sub Philippo IV. Quis in Gallia

Bironios

Bironios & Ancræos? Quis in Anglia Volſæos, & Eſſexios? Quis in Germania ſub Friderico II. Imp. Petros de Vinea? Quàm multi alij, Fortunæ riſus & ludibria! quorum infeliciſſimum genus infortunij, nimiùm felices fuiſſe.

Poſt Amanum ſpectari dignus Mardochæus, ſe contemplandum offert, multiplici virtute illuſtris. 1. Cura ſingularis in Eſthere nepte ſua, & filia adoptata, benè educanda, & patrijs inſtitutis imbuenda. 2. Paterna ſollicitudo in gentis ſuæ ſalute aſſerenda. 3. egregia fidelitas erga regem, inſidiatores deferendo. 4. Magna religionis conſtantia, & animus infractus in capitaliſſimi, potentiſſimíque inimici terroribus contemnendis. 5. Mira prudentia & dexteritas in periculis à ſe, & populo Iudaico avertendis. 6. Inſignis in utraque fortuna moderatio; nam poſt triumphalem illam transvectionem, redijt ad officium in veſtibulo regiæ excubandi. 7. Magnitudo animi contra tot hoſtium millia, capitalem ſententiam obtinendo & exequendo, Perſarum inſuper habitis odiis & invidia. Neque obijcias eum proprij ſenſûs æquô tenaciorem, venerationem Amano negâſſe more gentis conſuetam. Suæ teſtis ipſe modeſtiæ cap. 13. *Domine rex omnipotens, tu ſcis, quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloria cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman ſuperbiſſimum (libenter enim pro ſalute Iſraël, etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem) ſed timui, ne honorem DEI mei transferrem ad hominem.* Noluit Amano genua flectere, quippe honores ſibi divinos vendicanti, & inter minora poſt regem Numina, coli expetenti. Eam Mardochæus aſſentationem, ſuperſtitioni connexam averſatus, adduci non potuit, ut ullis à ſe periculis extorqueri pateretur. Scimus ex hiſtorijs, ipſos etiam ethnicos, deorum cultum hominibus deferre noluiſſe. Hinc Iſmenias, Thebanorum ad Perſas legatus, ſtudiô ſibi annulum excidere ſivit, eúmque profundè inflexo corpore tollens regem adorare viſus eſt; ſed ipſe ſecum cogitabat; NON TIBI, SED ANNULO. *Plutarch.* Et *Calliſthenes apud Curt, lib. 12.* contra divinitatem Alexandri perorans: Hominem, *inquit*, conſequitur aliquando, (more gentium) nunquam comitatur divinitas. Et *Martialis de Domitiano.*

Dicturus Dominum, Deúmque non ſum.

Sunt, qui opinentur, Amanum deos ſuos, acu pictos, in veſte geſtâſſe, & communem cum ijs honorem ambijſſe. Sed hic deorum æmulus, in virum incidit, fortunas & vitam tam ſuam, quàm Hebræorum omnium in regno Aſſueri degentium in diſcrimen dare pro honore DEI ſui, haudquaquam veritum. Meruit hæc virtus hominum, Divúmque favores.

Mardochæi laudes.

Estheris virtutes.

Nunc verò in Esthere regina quàm multa sunt suspicienda decora. 1. Promptissima voluntas obsequendi monitis patrui sui. 2. Integritas & innocentia rara in gynæceo Persico. 3. Confidentia in DEO, quâ nixa, non dubitavit pro bono gentis suæ publico caput obijcere præsentissimo mortis periculo; dum est ausa ad Assuerum tyrannum ingredi, *non vocata*; id quod capitale erat apud Persas; apud quos ea lex sancita, ut persona regis occultaretur sub specie majestatis. 4. Eius ad DEUM supplicationes & lacrimæ. Esther. c. 11. Objecti sunt Mardochæo per quietem *duo dracones magni contra se in prælium.* nempe Mardochæus & Amanus. Sequitur: *Fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos.* Ingens omnino inter flammivomos dracones erat excitatum incendium, cui restinguendo fluebant Estheris lacrimæ tam abundantes, ut hostes demergerent. 5. Religio & castitas præclara: Eius, cap. 14. verba sunt: *Nôsti* (ô DEUS) *quia detester cubile in circumcisorum.* Connubij cum Assuero initi unica caussa, salus civium. 6. Demissio animi, & modestia. Hinc illa ibidem: *Tu scis* (ô DEUS) *quòd abominer signum superbiæ* (cidarim) *quod est super caput meum,* 7. Abstinentia in mensa regia, & observantia legis sacræ. cit. cap. *Et quòd non comederim in mensis Aman, nec mihi placuerit convivium regis.* (non sim capta ullis mensarum delicijs, & luxu) *& non biberim vinum libaminum* (nihil degustârim ex mero dijs falsis libato. 8. Fuga malæ voluptatis. *Et quòd nunquam lætata sit ancilla tua, nisi in te DEUS Abraham.* loc. cit. O forte pectus! ô animum plùs quàm virilem! nullam unquam è tanta voluptatum copia, è tot támque admirandis oblectandorum sensuum artificijs, vel minimam lætitiam cepisse: in solo DEO, spretis Aulæ ludibrijs, gaudium quæsijsse. O invictam ab ea, quæ tot Hercules dejecit, tot virorum myriadas prostravit, voluptate! 9. Magna cura & cautela linguæ, cum invocatione Numinis. *Tribue sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, cap. 14.* Per leonem intelligit Assuerum. Res est periculosæ plena aleæ, loqui. Hinc Salomon Prov. 16. *Hominis est animam præparare: & Domini gubernare linguam.* Non satis est, secum prudenter præmeditatum esse, quæ quis elocuturus sit; nisi quæ cum DEI gratia concepit & disposuit, cum eiusdem auxilio bene proferat. Facillimè labitur lingua, nisi DEUS eam moderetur & gubernet. Quàm multæ in locutione occurrunt circumstantiæ, à loquente non provisæ; quàm secretæ sunt in audiente conditiones, & affectiones, quibus attemperandus sermo. Et quid sunt verba foris sonantia, & instar *Cymbali tinnientia* 1. Corinth. 13.

Nisi

Nisi DEUS addat interiùs vim & vigorem ad persuadendum? Hinc cum Psalte orandum: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* 10. Josephus historicus addit, eam à DEO formæ, pulchritudinísque gratiam rogâsse, ut eâ caperetur atque mitesceret Assuerus. Nam quantum ad expugnandos animos telum sit forma, docet Zorobabel apud Esdram lib. 3. c. 4. quod supra „ exposuimus. Et *Anacreon,* natura, *inquit*, dedit tauris cornua, „ equis ungulas, pedum celeritatem leporibus, dentium hiatum „ leonibus, natatum piscibus, volatum avibus, viris prudentiam, „ feminis quod daret, nihil habebat amplius. Quid ergo dat? „ Pulchritudinem, quæ ipsis & scutorum, & lancearum omni- „ um instar est. 11. Maximum Estheris ornamentum est, quòd fuerit typus & figura eius Reginæ, de qua meliore jure pronuntiari potest illud Esth. cap. 8. *Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Per Mariam enim universo mortalium generi, morti æternæ addicto, subventum est. Hæc est *mulierum pulcherrima,* Cant. 5. *Huius decorem Rex concupivit.* psal. 44. Hæc mundo *electa ut sol* affulsit. Cant. 6. & *gaudium attulit mundo.* In offic. Eccles.

Restat, ut ad Assuerum convertamus oculos, &, quæ in eo laudanda, quæ vituperanda, advertamus. Reprehensionem merentur. 1. Intemperantia in potu. Esth. c. 1. *cùm post nimiam potationem incaluisset merô.* 2. Nimius luxus in convivijs. *Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ.* Ibid. 3. Præcipitantia in repudianda regina Vasthi, id minimè meritâ. 4. Immodicus mulierum amor. Ibid. c. 2. 5. Nimia facilitas in Amani consilijs amplectendis & inconsiderata crudelitas. cap. 3. 6. Temeritas in permittenda summa potestate homini, odijs & invidia flagranti. *De populo age, quod tibi placet* Ibid. 7. Crudelitas in edicto per omnes provincias misso, ut *occiderent atque delerent omnes Judæos, à puero usque ad senem,* Ib. 8. Suspiciosa Zelotypia adversùs Amanum, reginæ de genibus supplicantem. 9. Temeritas in promissis. *Dixitque ei* (Estheri) *rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis, ut detur tibi? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* cap. 5. Quid non impetrant vinum, & mulieres? *In Assuero vituperanda.*

Jam verò in laudibus reponenda sunt 1. Quòd in splendidissimo convivio, centum octoginta diebus extracto, *nemo erat, qui nolentes cogeret ad bibendum.* Esther. cap. 1. 2. Quòd *decem talentorum millia* ab Amano oblata in pretium Hebræi sanguinis, rex rejecit: *Argentum, quod tu polliceris, tuum sit* cap. 3. ne videretur esse mercator, non Imperator vitæ, necísque mortalium. *In Assuero laudanda.*

 3. Addictus

3. Addictus erat lectioni historicæ. *Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias, & annales priorum temporum.* c. 6. A mutis magistris didicit, quæ fugienda, quæ sequenda; quæque juvaret meminisse. Fidissimi monitores sunt libri. Mardochæi fidelitas in tenebris latuisset, nisi eam lux historiæ produxisset. 4. Liberalitas in remunerandis suorum promeritis. Expertus est Mardochæus, qui pro fidei regi præstitæ mercede, summos ad honores evectus; gentique morti destinatæ, fortunæ, vita, libertas, ultio hostium concessa. Imitandum principibus exemplum, & memori mente repetenda verba: *Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est?* c. 6. Gratus animus parit obsequia, & „ incitat bene merendi studia. *Senecæ* dictum est *epist.* 83. Hoc ju- „ stitiæ regum convenit, suam cuique reddere beneficio gratiam: „ injuriæ talionem, aut certè malam gratiam. Utriusque specimen Assuerus in Mardochæo & Amano dedit. 5. Fuit æquus Iudex tam gentis suæ hominibus, quàm Hebræis advenis. Septuaginta Persarum millia neci data, quia plurimis mortalium millibus, innocentibus, necem sunt machinati. Hîc illud Poëtæ valuit:

— Rex Jupiter omnibus idem;
Tros, Rutulúsve fuat, nullo discrimine habebo. *Æneid.* 10.


Hîc illud Davidicum psal. 7. locum habuit: *Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem eius, iniquitas eius descendet.* Iniqua in Hebræos odia, suos auctores perdiderunt. Justitiæ divinæ interpretem Assuerus egit.

NARRATIO CX.

HELIODORVS AB ANGELIS FLAGELLATVS.

2. Machab. 3.

Anno Mundi 3870. ante Christum 183.



SAcrilegiorum tantò severior Vindex Deus, quantò plùs interest Numinis sui, res sibi sacratas tueri, memorabile exemplum statuit in *Heliodoro*, Solymæi templi direptore; quem *Seleucus*, Rex Asiæ, *Antiochi* magni filius, cognomentô *Philòpator* (seu *Amans patris*, ex eo dictus, quòd Asiatico, Romanóque bellô patrem assultibus hostium, undequaque circumclusum,

eximia

eximia, filióque digna charitate juvisset, ac sublevâsset) Hierosolymam misit, sacros templi thesauros expilatum. quid enim est sacrum, quid impervium avaritiæ? Supremum ea tempestate Pontificatum gerebat Jerosolymis, *Onias*, nominis istius tertius; vir DEO probatus & hominibus, ob exquisitam morum & religionis integritatem.

Huic infensus erat ex disparitate vitæ, *Simon* quidam, aliquam templi præfecturam obtinens, eo ferè gradu, quô postea Christianis sub Episcopis', Archidiaconi rem Ecclesiarum familiarem, ac census administrabant. Huius hominis ingenium inquietum, res Israëlis sacras æquè profanásque, trahere paullatim ad cultum, ceremoniásque Græcorum, abolitô Judaismô, velle videbatur. Sed cùm in hoc, sum̃a contentione repugnantem sibi Pontificem experiretur: Ierosolymis in Cœlesyriam clàm profectus; eóque, quod animo volvebat, consiliô, cum *Apolonio Tharseada*, regionis illius ac Phœnices Satrapa, communicatô: subornavit eum, ut *Seleuco* regi, Pontificis *Oniæ*, sacerdotúmq; Iudaicorum avaritiam exponeret, ut qui pecuniam à regibus Asiaticis ingentem quotannis, per caussam impendiorum in victimas, ac templi religiones, accipere non erubescerent, in ærarij regij tantis angustijs; cùm interim ipsi Gazophylacium in ipsis templi sui penetralibus exstructum, ac circumseptum haberent, in quo defossæ jacerent opes, quæ non tam ad sacrificiorum sumptus, quàm ad luxum & jactantiam spectarent.

Simonis cuiusdam adversùs Oniam Pontificem criminatio.

Quæ cùm per calumniam *Apollonio* asseverâsset; nec Apollonius distulisset explicare *Seleuco* regi: ratus ipse, quidquid ubique vel ad deos spectaret, vel ad homines, id hoc ipso sui quoque juris esse: simul autem & Romani, quod exsolvendum *Antiochi* magni, patris sui nomine restaret, tributi magnitudinem ob oculos habens, & quàm in expedito foret, eo quamprimùm onere seu penitus liberari, seu plurimùm allevari: mittit in Iudæam illicò, sibi fidissimum, & ex intima depromptum amicitia, regni procuratorem *Heliodorum*. Huic negotium dat *Apollonij*, *Simonísque* fidem inspiciendi, templíque gazam, quanta necessarios extra sumptus abstrusa, deprehenderetur, sub unum temporis punctum asportandi.

Proficiscitur Heliodorus, multo cum equestri, pedestríque comitum ac satellitum agmine: militaris expeditionis majorem, quàm legationis, præ se speciem ferens; quò majori Ierosolymitis ad imperata facienda, ferendáve terrori foret. Venit Ierosolymam: excipitur hospitaliter: sciscitatur ex Onia de templi reconditis opibus: docetur ab eo, nec mirum, nec falsum

Heliodorus mittitur ad expilandũ templum Ierosolymitanum.

nec falsum esse, templi copiarum partem haud aspernandam servari: quippe regum ac principum, & orientis populorum donaria; quibus cœli Numen, toto celebratum orbe, Voti, religionísq; caussâ, jam ex antiquo venerarentur. Partem autem longè maximam, depositas esse varij generis opes, viduarum dotales reliquias, ac pupillorũ patrimonia. Universam verò sumam, etsi grãdem, haudquaquam tamen esse tantam, quanta ad regem fuisset delata.

Dicebat hæc Onias, &, uti sperabat, à rapina Syrum deterrebat. Sed contrà prorsus evénit. Heliodorus, stipantibus eum armatis, ac per hos effractis portis, templum petit; & omni trepidante, flentéque Sacerdotio, multitudinéque sexûs utriúsque civium ejulante, divinam irrumpit in ædem. Iámque, suorum cum manu, mista vi minis, instrumentísque fabrilibus expeditis, orsus erat ærarium moliri templi: cùm in ipso temporis articulo, DEI vis, occulta quidem illa, sed horrenda, tremore membrorum, formidinéque mentium, ac manifesta nervorum omnium dissolutione, satellitium Heliodori, comitatúmque prosternit universum. Et hi quidem jacebant exanimes, extinctísque, quàm spirantibus, similiores.

Satellites Heliodori sacrilegi puniti.

At in Heliodorum, cæteris graviùs ausum delinquere, pœna quoque gravior, eáque (ne somnia sibi fingeret) conspicua patientis oculis, incubuit. Immissus enim divinitus barbaro splendidus quidem armis aureis, sed æris, oculorúmque fulgurantium aspectu terribilis, è cœlestium Angelorum turmis Eques, in adversi frontem ac pectus dedit impetum: eíque ferocis, quem insidebat, equi ferratas pedum anteriorum ungulas illisit. Eodem quoque temporis articulo, cœlestes alij duo juvenes, vultûs, habitúsque majestate spectabiles, hinc & hinc Heliodorum, in mediũ acceptum, flagris atrocibus, & indefessa verberum ingeminatione, lacerabant; gementem, ac vociferantem, ejulatúmque lamentis & lacrimis miscentem; cùm plagas interim nec illi, qui cædebant, remitterent; nec ille, cuius dorsum vapulabat, sentire cessaret. Ubi satis flagris sævitum, illi mortalibus se oculis subduxerunt; Heliodorum autem, tanquam repentino quodam fulminis afflatu prostratum, affixerunt humo. Luctantem mortis inter ac vitæ limites Sacerdotes ac spectatores cæteri, qui præsentes adhuc sibi mente constabant, allevant; sedilíque gestatorio per tumultum ac trepitationem, impositum, extráque templi septa deportatum, profanam in domum inferunt.

Heliodorus ab Angelis flagellatur.

Is deinde Pontificis Oniæ precibus, & sacrificijs sibi restitutus, per juvenes, à quibus antea vapulârat, denuo cœlô demissos, ac pristina cultûs, orísque majestate conspicuos, monitus est,

salutem

ſalutem in acceptis ferret Oniæ; cuius rogatibus, victimíſque DEUS eum condonâſſet. memor quoque, prædicatórque ſummi Numinis, ubique gentium viveret, ac permaneret; cuius ipſe vires ac potentiam, non beneficijs minùs, quàm plagis expertus eſſet. Quibus illi dictis, videri deſiêrunt; Heliodoro ſe mandatis eorum, per omnia, ſinguláque, morem exactiſſimè geſturum, pollicente.

Neque ſecus præſtitit, quàm promiſit. Antiochiam quippe cum ignominia, dedecoréque reverſus, non omittebat publicare; non modò quanta vis eſſet Numinis Hebræi, ac Miniſtrorum illius cœleſtium, ærario, templóque ſacroſancto præſidentium; ſed etiam conquerebatur, quàm indignum eſſet, ex intima regis amicitia deligi, legaríque, qui locum mortalibus expaveſcendum expilarent: quò, longè conſultiùs perduelles & hoſtes, ac læſæ majeſtatis rei mitterentur; ut è veſtigio, regum ac rerumpublicarum bono perirent. Manebat igitur altè defixum iracundiæ vulnus in pectore, cùm adversùs Simonem & Apollonium, tum in regem; quod malè celatum, opportunitate oblata, in eius perniciem erupit, dum *Seleucum* venenô ſub epulis præbitô, interfecit, & pro rege ſe geſſit, tantò confidentiùs, quòd *Demetrius*, undennis Seleuci filius, tunc apud Romanos obſes, procul à patria degeret. Heliodorum dejecit, & regnum invaſit *Antiochus*, Seleuci frater, Græcis *Epiphanes*, Latinis *Illuſtris* ac *Nobilis* appellatus, ironicè, cùm nihil illuſtre geſſerit, præter ſcelera: odiô in DEI populum, acerbitate ſuppliciorum, & horrenda, qua raptus eſt morte, poſterorum memoriæ ad deteſtationem inſcriptus; unde rectiùs ab alijs *Epimanes* ſeu *furioſus*, eſt dictus.

Heliodorus ſibi reſtitutus, DEUM cæli prædicat.

Heliodorus ab Epiphane rege deijcitur.

DOCTRINA.

Sacrilegorum pœna.

QUæ de Heliodoro narravimus, porróque de Machabæis, eorúmq; hoſtibus narraturi ſumus, deſumpta ſunt ex duobus libris, qui Machabæorum nomen gerunt, qui fidei ſunt indubiæ, quippe inter libros divinos & *Canonicos* ab Eccleſia Catholica connumerati; tertius & quartus Machabæorum, inter *apocryphos* reputantur.

Heliodorus, uti diximus, documentum eſt formidabile Vindictæ divinæ, ijs incumbentis, qui temerarias manus rebus ſacris inijciunt, templa involant, ſacra profanant. Quod ſcelus Gentilibus quoque viſum eſt atrox, & ſummè deteſtabile, propter religionum etiam falſarum reverentiam, & inſitum mortalium animis Numen aliquod colendi, timendíque ſenſum. Unde graves dederunt pœnas, templorum qualiumcunque violatores; DEI contemptores legis, à natura impoſitæ, acerbis calamitatibus

 perſequente.

persequente. Ex adagijs notum est *Aurum Tolosanum*, nam cum Q. Cepio Consul oppidum Tolosanum in Gallia diripuisset, multúmque auri ex delubro eius loci extulisset; quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero, cruciabilíque exitu perijt. *Gell.* Non mitiùs cum ijs actum, qui fanum Delphicum celeberrimum expilarunt. Præcipuus sacrilegij auctor *Philomelus*, victus à Thebanis, è saxo præcipitem se dedit; consortes rapinæ non meliora fata sortiti; *Onomarchus* concisus in Thessalia, crucíque affixus est. *Phayllus* diuturnis morbis contabuit. *Phalæcus*, lymphatico similis, scelerum agitatus conscientiâ, per varias terras animi cruciatus circumtulit. Quin & mulieres auro sacro ornatæ, aut valetudinis, aut pudicitiæ, quod gravius est, jacturam passæ sunt, DEO impietatem etiam in fictitios deos ulciscente. *Diodorus Siculus Historiar. lib. XVI.* Et *Valerius Max. lib.* 1. *cap.* 19. memorat, *Brennum* Gallorum ducem, quòd Delphicum Apollinis templum spoliâsset, violentas sibi manus intulisse. Ex historia S. constat, *Ioam* ob surreptos templi Solymæi thesauros, à servis suis interfectum 4.Reg. 12. *Balthasarem* Babyloniæ regem, quòd vasis sacris abuteretur, funditus deletum. 4 *Antiochum*, de quo infrà, ob profanatum templum Ierosolymitanũ, miserrima morte extinctum. 1. Machab. 1. *Lysimachum* pseudopontificẽ, multis comissis in eodẽ templo sacrilegijs, ante ærarium sacrum trucidatum. 2. Machab. 4.

De *Ragenario, Horuci* Northmannorum seu Danorum regis, supremo militiæ præfecto, *Brunnerus* refert, *part.* 2. *Annal. Boicor. lib.* 6. eum, cùm captâ Lutetiâ Gallorum, revulsos ex porta urbis Parisiensis vectes, truncúmque trabis è *D. Germani* cœnobio, infamia spolia, jactabundus velut in triumpho ostentaret, in eodem vestigio oppressum, afflictúmque solo, miserabili quiritatu, follis in morem, inflatum, rupto ventre, infelicem animam cum visceribus ejecisse. Terribilius est, quòd *Baronius tom.* 11. *ad annum* 1055. ex Petro Damiani recenset de quodam Germaniæ dynasta, Metensis Ecclesiæ invasore; qui post mortem à viro religioso conspectus est, inter crepitantes incendij tartarei flammas scalæ insistere, paratus ad omnes suscipiendos, qui ex ea prosapia in illa tormenta descenderant: eô, qui recentissimus ad inferos detrudebatur, primum scalæ gradum occupante, cæteris gradatim cedentibus, & novo hospiti in ima locum facientibus; Ut sicut eos par rapinæ sacræ possessio conjunxit, ita pœna quoque copularet.

Pœnas quoque sacrilegij dederunt Clotharius, apud *Baron. ann.* 527. Carolus Galvus. 843. Pipinus rex Francorum. 760. Dux Borbonius (ut plurimos alios taceam) Romam obsidens, cum 40. militum millibus, sacræ prædæ inhiantibus, violenta morte extinctus est, anno 1527.

Recentiora

Recentiora sunt, minùs quidem illustria, quippe hominum inferioris fortunæ, non minùs tamen luculenta sacrilegiorum exempla ac supplicia, quæ *in parte 3. lib 33. Annal. Boicorum* recens autor narrat, *ad annum Christi 1648.* Fassi sunt, *inquit historicus*, Sueci, apud se, si non dignum piaculô, at certè infaustum haberi, res DEO dicatas, vel impiè attrectando, vel sublegendo violare. Eam religionem confirmabant recenti exemplo: Equitem enim, qui pridie sublatam à PP. Dominicanis vestem sacrificio utibilem, ephippio post tergum aptâsset, mox temeritatem luisse, ferali glande trajectum. Dingelfingæ Suecicus miles Deiparæ minutam statuam, ut iners simulacrum ludibrio habitum, per contemptum in conclavis angulum abjecit: ut primùm Imago terram attigit, simul irrisor eodem momento, in pavimentum exanimis concidit. Majore fama celebratur aliud prodigium. Tres equites Virginum DEO sacrarum templum (inferioris Viebachij) ingressi, statuam B. Mariæ Magdalenæ, Christi è cruce pendentis pedes amplexantis conspexêre, atque in eius indice annulum aureum, voti caussâ, more Catholico olim insertum. Hunc eorum unus digito detraxit. Templo egressus, vix equum conscenderat, cùm obtorto collo, vultúque ad tergum obverso, ex equo præceps fuit effusus. Alter ignarus, tam subitum funus pœnam esse sacrilegij, inter demortui spolia annulum legit: ut passus aliquot processerat, pari etiam pœna plectitur. Tum tertius veram caussam subitæ vindictæ subodoratus, annulum templo, & D. Mariæ Magdalenæ iconi restituit. In eadem vicinia ædes est D. Leonardo sacra, cuius janua ferreis equorum soleis erat præmunita. Illas agrestium pietas, anathematum loco solet affigere, quòd equorum tutelam non vanis argumentis credant esse potissimùm penes hunc Cœlitem. Cùm igitur in Suecico equitatu magna esset ferri inopia, ut equi nudis nixi ungulis passim claudicarent, equitum magister eam januam intuitus, soleas omnes inde solvi, & his muniri equorum, quos quadraginta alebat, pedes jussit: verùm infelix rei familiaris curator, suo damno fecit hoc compendium: ecce enim equi, ferri furtivi contactu, arcano morbo correpti, paulatim deficere, & suo quilibet ordine emori, donec herus doctus sapere, ultimo, quem habebat adhuc vivum, soleâ detractâ, vires reddidit, vitam servavit. Hæc ex indubitata proborum virorum testificatione referre visum est, ne nos minus operæ in afferenda rerum sacrarum reverentia, quàm hostes in ijs dehonestandis, credamur posuisse. Ita Annales.

Recentiora sacrilegij punitis exempla.

Lutherus ipse, juratus cæteroquin Orthodoxæ religionis

Sacrilegi etiam hæreticis detestabiles.

hostis, contra bonorum Ecclesiasticorum invasores insurgit, *in Symposiacis suis. cap. 4.* Comprobat, *ait*, experientia, eos, qui Ecclesiastica bona ad se traxerunt, ob ea tandem depauperari, & mendicos fieri. Idque confirmat primò testimonio Nobilis D. Ioannis Hund, Electoralis consiliarij Saxoniæ, qui dicere consueverat: Nos nobiles cœnobiorum opes ad nostras attraximus. Nunc opes nostras Equestres comederunt, & consumpserunt illæ cœnobiales, ut jam neque cœnobiales, neque Equestres ampliùs habeamus. Secundò, Apologô: Aquila, ut suos in nido pullos pasceret, è quodam altari, in quo Iovi sacrificabatur, partem carnis assam arripuit, eámque in nidum læta detulit: sed candens illi adhærebat carbo, qui totum cum pullis nidum confestim succendit. Sic evenit ijs, qui res DEO sacras ad se rapiunt. Graviter in hanc rem *P. Adamus Contzen in Daniele cap. 23. §. 4.* Expendant, *inquit*, DEI judicia proceres: nam quotidie hoc ab avaris agitur, à *D*eo punitur, à paucis advertitur. Iurisconsultorum vox est: Divini juris sunt res sacræ & religiosæ: quod autem divini juris est, id in nullius bonis est, semélq; DEO consecratum, non debet in prophanos usus converti.

Supra dixi, rapinas sacras etiam Ethnicis execrabiles fuisse. *Marcus* certè *Tullius*, quinque libris, quibus *Verris*, Prætoris Romani in Sicilia, scelera exagitat, pluribus locis vehementissimè invehitur in eius sacrilegia. Inter alia, cùm *lib. 1.* exprobraret ei fanum Apollinis in insula Delo spoliatum; Potéstne, *inquit*, tibi ulla spes salutis commoda ostendi, cùm recordaris, in Deos immortales quàm impius, quàm sceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinémne tu Delium spoliare ausus es? Illíne tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? fuit illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis jam diu debeatur? Hæc homo tenebris superstitionum involutus; quid dicturus fuisset, si lucem religionis Christianæ aspexisset? Claudo hanc doctrinam sapientissimis ac pijssimis duorum potentissimorum regum dictis; quorum prior, *Philippus* rex Galliæ, dicebat: Magis decere Principes augere bona Ecclesiarum, quàm auferre. Et *Ferdinandus* rex catholicus ajebat, malle se Ecclesiarum orationibus, quàm bonis adiuvari. *Faber. Con. 7. Dom. 9. post Pentec.*

NARRATO

NARRATIO CXI.

ELEAZARI SACERDOTIS, ET SEPTEM FRATRVM MACHABÆORVM, VNA CVM MATRE, ILLUSTRE MARTYRIUM.

1. Machab. 1. & 2. Mach. 5. 6. 7.

Anno Mundi 3886. ante Christum. 167.



Vo tempore *Antiochus* (quem proximè suprà vel per ironiam, vel assentationem, *Illustrem* appellatum diximus) per omnia crudelitatis, & nefandorum scelerum genera, Anti-Cristi se præsultorē ostendebat, tantus unius ac veri DEI Osor & persecutor, quantus commentitiorum Numinum amator & cultor; horrendis omnis Iudæa concussa est exemplis fidei, vel DEO servatæ, vel abjuratæ. Immissus in Iudæos *Apollonius*, supremus militiæ Antiochi dux, occupatâ per fraudem Ierosolymâ, & direptâ; arce *Sionæâ* præsidio militari insessâ, execrandi Jovis statuam in ipso templo adorandam proposuit, eísque porcos in victimas mactari, absumíque nomine regis præcepit. Ingens Solymis trepitatio, & rerum omnium perturbatio. Plurimos amor vitæ ad nefanda sacrificia impulit; alios in occultas speluncas & cæcos recessus egit; non pauci mori potiùs, quàm religionem violare parati, suam DEO fidem per dirissimos cruciatus probavere.

Rapiebantur obvii quique ad carnificinam, qui, contrà quàm Antiochus mandâsset, porcinæ gustum abnuerent; qui Sabbatis feriarentur; qui circumsectionem Iudaicam vel paterentur ipsi, vel alijs inferrent; universæ per Iudæam domus excutiebantur; quotquot patres, matres, Levitæ, Sacerdotes reperti fuerant circumcidisse parvulos, ij flagris immaniter cæsi, crucibus suffigebātur. Feminæ vel in crucibus, vel, si vita jam defici viderētur, ante suffixionē strangulabantur. Infantuli, priùs jugulati, matrū è cervicibus, etiā ipsis in crucibus, suspendebantur. Vulgus promiscuū, omnísq; ferè nobilitas interfecti, tanta cædiū debacchatione, ut sanguinis rivi plateas Ierosolymæ purpurarent. Cuius lanienæ prænūtia signa, jam antè in cælo exorta Solymorū

oculos terrore repleverunt. Spectabantur in aëre diebus quadraginta equites, auratis armis splendidi, cominus districtis inter se gladijs concurrere; eminus jactis se telis infestare, cruentáque belli simulacra ciere, tristi sanè futurarum calamitatum ostentô.

Constantia Eleazari Sacerdotis in religione patria.

Inter cæteros ad tyrannum, *Antiochiam* in urbem regiam adducitur *Eleazarus* Sacerdos, quem ætas venerabilem omnibus, & divinarum scientia litterarum effecerat. Fertur inter septuaginta Interpretes fuisse, qui circa annum M.3770. à *Ptolomæo Philadelpho* ex Iudæa acciti, Hebræa Biblia in linguam Græcam transtulerunt. Credebatur auctoritas viri magnum in superstitionis partem additura momentum, si eius constantia infringeretur. Igitur Antiochus fallacibus verborum blandimentis senis animum aggressus, cùm minùs nihilô proficeret, terroribus agere cœpit. sed aspera, molliáque, in adamantem inciderunt. Quid enim, aiebat Eleazarus, ego leges patrias abnegem; egò sancta instituta abjurem; ego sacerdotales infulas idolis inclinem; ego sacrilegâ perfidiâ canitiem meam contaminem? Senectus portus esse debet, non naufragium superioris vitæ, magisterium perseverantiæ, non exemplũ infirmitatis. Quid timeat mori pro lege DEI, quẽ lex naturę in termino vitę constituit? urat, secet, rimetur viscera carnifex, nõ impetrabit, ut impias manus ad escas infandas exporrigam. Momentum est, quô patimur; excipient prœmia sine fine mansura. Ad vos, ô Patres sancti propero; vobis animam hanc impollutam transmitto. Dixit, & in cruciatus senile corpus obtulit. Expediuntur flagra; immanem in modum lacerantur artus; fatigat tortores patientia torti. Naribus ingeritur suilla rancida; membra laniata extenduntur in eculeo, candentibus ustulantur laminis, defluente carne nudantur ossa; ille tamen oculis in cœlum sublatis, nihil remittit ab animi contentione, donec inter preces, pro gentis suæ expiatione fusas, invictus spiritus per amplos vulnerum hiatus excessit.

Martyrium Eleazari.

Non inferiores magistro & doctore fuere discipuli, septem omnino juvenes, eadem matre geniti (quam Josephus *Salomonam*, alij *Annam* vocant) annis quidem dispares, sed virtute pares. Nomen & genus primæ nobilitatis apud Iudæos, (*Machabæi* vocabantur, incertum, qua origine) adeò, ut hæc appellatio, non jam unius familiæ decus, sed communis heroum titulus, ea tempestate haberetur. Ad laudem virtutis, claritatem generis, florem ætatis, accessit præstantia formæ, & elegantia morum, quibus omnium oculos & amores in se convertebant. Sub optima disciplina educati, & patrijs legibus ad omnem

omnem pietatem instituti, cùm desolationem urbis Solymææ aspicere non sustinerent, secesserunt in castrum gentilitium, *Susandrum* nomine. Subodorati hanc prædam conquisitores tyranni, sitim accenderunt crudelitatis, ad sanguinem, quò nobilior erat, hòc avidiùs hauriendum.

Evocantur Antiochiam cum matre Filij, & religionis nomine, cuius retinentissimi erant, comprehenduntur. In quæstione sibi constantes, peremptoriô decretô *porcinam*, tanquam mutatæ religionis notam ac pignus manducare jubentur. Recusant ad unum omnes; matre præeunte filios, verbísque, ne virili quidem generositati cessuris, ad constantiam incitante. Rei gestæ seriem, quoniam sempiternam memoriam meretur, paullò pluribus, partim è sacris paginis, partim ex memorato historico, recensebimus.

Septem Machabæi fratres cum matre Antiochiam ad tribunal vocantur.

Productam ad cruentum tribunal animosam cum parente sua cohortem, allocutus insidiosè Antiochus, cœpit magnis promissis, & prœmiorum ostentatione tentare juveniles animos. Ubi blandioribus nihil impetravit, omnis generis tormenta proferri jussit, virgas, scorpiones, taureas, subulas ignitas, catastas, equuleos, rotas, bullientes pice sartagines. Ibi tum è fratribus natu maximus (Iosephus *Machabæum* nuncupat) fortibus ubi verbis professus est, quosvis antè cruciatus se subiturum, quàm patrias ut leges conculcet; exsecatur ei, jussu tyranni, lingua; de capite abstrahitur cutis, manuum ac pedum extremitates amputantur, truncatus in lebetem igne succensum inijcitur, vivus spiránsque torretur; haudquaquam territis ad eam lanienam, qui circumstabant, fratribus. Eundem in modum excarnificatur secundò genitus (*Aber* nomine) paríque constantia animam inter laniatus exhalat. Tertius (*Machir* dictus) supplicio admotus (quem miserabilem fecerat duorum fratrum crudelis interitus) hortantibus, ut à sententia recederet, respondit, eodem se patre satos, eadem matre partos, uno magistro doctos, una lege imbutos, unanimi obfirmatione roboratos, & ad moriendum in Dei caussa, paratos esse. Ergo illigatur rotæ, laceratur membris, & æstuanti immissus aheno, fraternæ virtutis æmulus, in tormentis vivere desijt. Nihil inde timidior quartus (*Iudas* appellabatur) spe præmiorum in cœlo repositorum, offert se tortoribus; à quibus conscissus verberibus, distêtus in catasta, deartuatus in rota, excoriato capite, exscissa lingua, defectis manibus ac pedibus, injectus flamanti cacabo; extinguitur. Pari ratione quintus *Achas* & sextus *Areth*, exprobrata latronibus crudelitate, fœdũ in modũ flagellis discerpti, cippô cõpressi, eculeo distracti, mutili, decorticati, libetibus

Fratres Machabæi alius post alium crudeli martyrio afficiuntur.

ardentibus

ardentibus immersi, martyrij palmam obtinuerunt, adstante parente, & animos, quos jam olim in lacte hauserant, superingerente. Iuvenum ad tyrannum voces erant: sese reddere DEO munera sua: corpus, quo compacti essent: spiritum, quem ducerent, in fontem refluere, unde dimanâssent. Nihil esse quæstuosius, quàm morte emere immortalitatem; brevibus à se pœnis, longa gentis suæ supplicia redimi. Meminisset ipse hominem se esse & timere, quæcunque homini timenda sunt. provocare se ad tribunal, etiam coronatis capitibus tremendum. Sibi verò minimè difficile, mori, qui vitam jam antè in caussa tam nobili contempsissent. Hæc illi, tam sua virtute, quàm genitricis hortatibus animati. Quorum cruciabilius reddebat suppliciũ mutuus pietatis sensus, & in tormentis aspectus.

Fortia Machabæorum dicta.

Cæterùm *Salomona* sexum suum dudum supergressa, nihil aliud obsecrabat, & obtestabatur chara pignora, quàm ut Machabæos se ostenderent, hoc est, heroës, quibusvis supplicijs superiores; ut pulchrum & decorum existimarent non tam pro patria, quàm pro patrijs legibus, pro religione, pro DEO necem oppetere. præmitti eos à se, non amitti; post triumphale certamen, dulciùs sese in mutuos amplexus redituros. Frustrata spebus suis crudelis impietas, extremam vafritiem & furorem denique effudit in fratrum, ætate, non fortitudine, minimum, cui *Jacobo* nomen. In hoc naturæ dotes, cum cœli gratijs: maternus amor & fides, cum perfidia & sævitia tyranni certabant. Admovetur non simplex aries ad pucrile pectus concutiendum. Hinc impellebant minæ, verbera, flagra; illinc blanditiæ, munera, promissa. sed incassùm. Quò se verteret trabeatus carnifex? cùm aperto Marte haud posset excelsæ mentis arcem perfringere; per matrem subruere tentat filium barbara nequitia. Jubetur Salomona emollire pervicaciam prolis, & impietate se piam probare. Quid illa? Simulat obsequium tyranno, ut officium matris impendat filio. Jacebat adolescens ad carnificinam paratus; accedit parens, & inclinato ad resupinatum corpore, alloquitur puerum linguâ patriâ, ut aures tyranni falleret arbitras. Et, ô nate, ait, miseratio te capiat tui, capiat mei; tui quidem, ne fratrum degener crimen inferas gloriæ nostræ: mei verò, cui vitam debes & sanguinem. Ego novem te mensibus charum ventris onus gestavi: ego trienniò lacteum tibi rorem meis ex uberibus propinavi; ego te sollicita gerula brachijs meis circumtuli, & ad hanc ætatem perduxi. Attolle cœlo lumina, & universi huius Conditorem cogita. Illius munus est, quidquid uspiam est. Illius servituti nascimur; illius voluntati occumbimus. Vitam

Genitricis adhortatio.

Constantia natu omnium minimi.

Matris ad filiorum minimum oratio.

hanc,

hanc, quæ nobis cum beſtijs communis eſt, auferre tyrannus poteſt: animum, qui neſcit interitum, eripere non poteſt. Macte fili! perdura fortiter; quò immanior eſt cruciatus, hoc eſt brevior. Non perdis vitam, ſed cum meliore comutas. Exſpectant nos piorum ſedes, in quibus te cum laureatis fratribus meo recipiam ſinu. Non abſolverat ſermonem matrona generoſiſſima, cùm puer (ſi tamen puer dici poteſt, viris fortior) alta voce exclamat: *Non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ nobis per Moyſen data eſt*. Inde animoſa libertate converſus ad tyrannum: Tu verò, inquit, ſceleſte tantæ crudelitatis artifex, non effugies vindicem DEI manũ. Suſpendit adhuc fatalem ictum, non ſuſtulit. Incumbet hòc ſævior, quò lentior. Damus nos quidem peccatorum gentis noſtræ ſupplicia Numini, ſed placabili. Detonat ira juſta in ſontia capita; ſed brevi pòſt tantò dulcior oborietur lux clementiæ, quantò gravior deſævierat tempeſtas. Parcentis eſt, quòd feriat: amantis, quòd caſtiget. Brevis eſt mora, brevis dolor, qui me fratrum felicitati ſociabit ibi, ubi nec mors graſſatur, nec carnifex. Te verò, mortalium ſceleratiſſime, manent pœnæ etiam poſt fata luendæ. Eum tu DEUM, ſic moriens vel precor, vel auguror, quem modò arrogantiâ obcæcatus non agnoſcis, pulſatus adorabis; ſed ſerò. Incendit iram tyranni & pudorem oratio maſcula pueri. ludibrium ſceptri credebat, ab imbelli ætate vinci. quare quidquid truculentiæ in tormentis & tortoribus reliquum erat, depromi jubet in puerilia membra. Lanienam im̃aniſſimam non tulit fortiùs tenellus heros, quàm ſpectavit heroina mater. Quæ demum ipſa quoque, infando ſupplicij genere conſumpta, & ſuo, & natorum purpurata ſanguine, tot lauros retulit, quoties in ipſa filij: illa in filijs vicit, & triumphavit.

Minimi filij animoſa dicendi libertas.

DOCTRINA.

IN Martyrum horũ laudes, quorũ memoriam recolit S. Eccleſia 1. Auguſti. (Corpora Antiochiâ Romam tranſlata; capita Coloniæ in quodam virginum cœnobio, teſte Serrario, religioſè aſſervãtur) mirè diſerti ſunt SS PP. Nos ex Panegyricis floribus pauculos decerpemus. Chorum ducat *Theophilus Alexandrinus epiſt.*
„ *3. Paſch.* Quid memorẽ inſignes Machabæorum victorias, qui, ne
„ illicitis carnibus veſcerentur, & communes tangerent cibos,
„ corpora obtulere cruciatibus, totiúſque orbis in Eccleſijs Chri-
„ ſti, laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores, quibus
„ comburebantur, ignibus? Victa ſunt in eis omnia crudelitatis
„ ingenia, & quidquid ira perſecutoris invenerat, patiẽntium for-
„ titudo ſuperavit; inter pœnas, magis paternæ legis, quàm

Theophilus Alexandrinus laudator Machabæorum.

„ dolorum memores. Lacerabantur viſcera tabo,& ſanie diffluebant artus, tamen ſententia perſeverabat immobilis : liber erat animus ; & mala præſentia, futurorum bonorum ſpe deſpiciebant. Laſſabantur tortores, & non laſſabatur fides : frangebantur oſſa,& volubili rota omnis compago nervorum atque artuum ſolvebatur, & in imẽnſum ſpirantia mortem incendia conſurgebant : plenæ erant ferventis olei ſartagines, & ad frigenda Sanctorum corpora terrore incredibili perſonabant. & tamen inter hæc omnia,paradiſum animo deambulantes, non ſentiebant,quod patiebantur, ſed quod videre cupiebant.Mens enim DEI timore vallata, flammas ſuperat, & varios tormentorum ſpernit dolores. Cúmque ſemel virtuti ſe tradiderit, calcat & deſpicit, quidquid adverſi advenerit. Hæc ille.

Et Ambroſius.

Dulciſſimè, facundiſſiméque mellifluus *Ambroſius lib. 11. de Iacob. & vita beata. cap. 12.* „ Quis non beatam dixerit Machabæorum matrem, quæ ſeptem filiorum funeribus octavam ſe addidit ad laudem cœleſtis triumphi. Spectabat pia mater filiorum certamina, & quamvis maternorum viſcerum compoſitione quateretur, tamen pietatis ſtudio premebat dolorem. Id unum optabat ſollicita, ne quem ſuperſtitem relinqueret, ſed omnes piæ cohæredes mortis acquireret. Nec filij minores tali parente, ſe cohortabantur : Mortis adverſæ petamus impetum.Tunc enim vivemus, cùm fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo ſe ſubtrahat pugnæ triumphali. Non homini, ſed DEO noſtras animas devovimus ; non homini, ſed DEO, authori omnium militamus. Talis hæc pugna eſt, ut ille glorioſiùs vicerit, qui crudeliùs occiſus fuerit. Itaque nemo timuit,nemo trepidavit ! nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit ; ſed omnes tanquam ad imortalitatis metam, ita ad mortem per acerba ſupplicia cucurrerunt ; ut mater cernens conſona filiorum agmina, tanquam pia anima, ſui corporis membra in filijs offerebat, & per artus proprios videbatur ſibi ſubire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui ſuper mortuos advolvebantur, corpora ſuper corpora volutabantur, capita ſuper capita exſecabantur. Refertus erat locus cadaveribus filiorũ,non flevit mater,non lamẽtata eſt, non oculos cuiuſquã preſſit aut ora morientis : non lavit vulnera, ſciens glorioſiores eſſe, ſi eviſcerati & concreti pariter pulvere ac ſanguine viderẽtur, quales ſolent de bello redire victores,qualia ſolẽt trophæa ex hoſtibus reportare.Non ſuperiacienda velamina,non proſequẽdas exequias, niſi ſuæ quoq; comitatu mortis arbitrata eſt.Quæ cithara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam gravibus ſupplicijs ediderant? Erumpebat enim

„ naturæ

„ naturæ gemitus, sed invitus. Spectares peremptorum cadavera, „ sicut fila chordarū. audires heptachordū psalteriū triumphalib' „ gemitibus resultare. Non sic Luna inter stellas refulget, ut inter fi- „ lios mater: & cùm eos ad martyrium illuminatura deduceret, „ & cùm amplexata victores, in medio filiorū jaceret. O vera ma- „ ter, adamāte fortior, melle dulcior, flore fragrantior: ô indissolu- „ bile pietatis vinculum! ô verè valida charitas, sicut mors, dura. „ Nulla tantarum diluvia passionum tuam potuerunt charitatem „ excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. „ Sicut arca in illo mundi diluvio totius orbis spatijs innocua „ ferebatur, ita & tu adversús fluctus tam gravium passionum, „ pietate immobilis restitisti, & cùm posses salutem filiorum eli- „ gere, noluisti. Quo affectu vos prosequar sanctæ matris pia „ pignora? quô penicillô sermonis mei describam formæ vestræ, „ & animarum similitudinem? Stetistis inter exercitus regios, „ quibus magna pars orbis terrarum fuit subacta, & soli de re- „ ge superbo, sine bellico conflictu victoriam reportâstis. Vi- „ cerunt in vobis sola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & „ quia vos non potuit vincere, & quia atroci peremptus est mor- „ te. Hæc Ambrosius.

„ Pari eloquentiâ Augustinus serm. 110. de diversis. Ma- „ gnum spectaculum fratres, positum est ante oculos fidei nostræ. „ Aure audivimus, corde vidimus optantem matrem ante se fini- „ re istam vitam filios, longè contrarijs votis consuetudini hu- „ manæ. Omnes enim homines filios suos, ex hac vita migran- „ do, præcedere volunt, non sequi: illa autem optavit poste- „ rior mori. Non enim amittebat filios, sed præmittebat; nec in- „ tuebatur, quam vitam finirent, sed quam inchoarent. Desine- „ bant enim vivere, ubi quandoque fuerant morituri: & incipie- „ bant vivere, sine fine victuri. Parùm est fuisse spectatricem: „ mirati sumus potiùs hortatricem. Fœcundior virtutibus, quàm „ fœtibus: videns certantes, in quibus omnibus ipsa certa- „ bat, & in omnibus vincentibus ipsa vincebat. Et serm. 109. „ Istum diem nobis solennem gloria Machabæorum fecit: quo- „ rum mirabiles passiones cùm legerentur, non autem audivi- „ mus, sed etiam vidimus & spectavimus. Olim ista gesta sunt, „ ante Incarnationem, ante Passionem Domini & Salvatoris no- „ stri JESU CHRISTI. In primo populo illo extiterunt, in quo „ prophetiæ extiterunt, qui hæc præsentia prædixerunt. „ Nec quisquam arbitretur, antequam esset Christianus, nullum „ fuisse populum DEO. Imò verò (ut sic loquar, quemadmo- „ dum se veritas habet, non nominū consuetudo) Christianus etiā

Et Augustinus.

,, ille tunc populus fuit. Unde, ficut dixi, extiterunt prophetæ, ,, unde isti Martyres floruerunt? Nondum quidem erat mortuus ,, CHRISTUS: sed eos martyres fecit moriturus Christus. ,, Hæc S. P.

Et Chryso-stomus.

Et *Sanct. Chrysostomus homil. de septem Machabæis*, inter alia: ,, Audiant, *inquit*, hæc universæ matres, & æmulentur virilem ,, mulieris huius fortitudinem,& veram circa filios dilectionem, ,, & secundùm illam septem martyrum matrem nutriant filios ,, suos. Quid ergo æstimabimus illam mulierem pertulisse, si ,, tamen mulierem istam dici oporteat; cùm videret in filiorum ,, membris viscera sua cruciari: alterius avulsos à suis manibus ,, digitos super prunas ignium spargi: & unius caput clavis con- ,, figi: alterius capiti cutem detrahi, & totum corpus extracta ,, pelle nudari: & eum, qui talia patiebatur, stantem fortiter, & ,, ipsi tyranno pœnas æternas voce libera comminantem? Quo- ,, modo mater hæc spectans elevavit vultum suum, & os aperuit, ,, & linguam movit in verba; non in verba materni doloris affe- ,, ctu mollia, sed verba virtutis? &c. Subjungit: In his omnibus ,, filiorum prœlijs, & tormentis unum timebat, ne cuiquam ,, tyrannus parceret; & invidiâ diaboli soluto certamine, tri- ,, umphantium scinderetur chorus filiorum eius, ne quis eo- ,, rum sine corona maneret. Ita Chrysost.

Fortium matrum exempla.

Peto, nate, ut aspicias ad cælum. 2.Machab.c.7. Verba sunt matris Machabææ ad filiorum natu minimum. Equidem *mulier* hæc erat *fortis*, quæ, ut ait Salomon, Proverb. 31.*procul, & de ultimis finibus pretium eius.* Natum, desideriô cœli ad fortiter patiendum animavit. Fecit idem mater Symphoriani, Christiani adolescentis, qui non simplici flagrorum lanienâ defunctus, cùm jam ad ultimum supplicium Augustoduni duceretur, occurrit in via mater, sed salvis capillis, sed tecto pectore, nec muliebriter ejulans, verùm prout heroidem decebat Christianam! *Nate*, exclamat, *mi nate, memento vitæ æternæ, cælum suspice, & ibi regnantem intuere: non eripitur tibi vita, sed mutatur meliore.* Materna hac voce animatus juvenis, ferro jugulum constanter præbuit. *Surius* 22. *Augusti.* Ita *Barula* puerulo sitim inter dirissima verbera conquerenti,& aquam à matre roganti, illa fortissimè respondit, non jam tempus esse aquam hauriendi, sed sanguinem superis propinandi. Qua voce roboratus puer, & sitim pro Christo,& gladium cervice tenella generosissimè tulit. 18. Novemb. Pari fortitudine parens *Melitonis* pueruli, unius ex 40. martyribus Sebastenis; quæ cùm videret reliquorum martyrum corpora plaustris imposita, ad rogum devehi,neglectô filiolô suô: quòd sperarent impij carnifices

puerum

puerum ad idolorum cultum revocari posse, ipsa parvulum in humeros sublatum asportat ad reliquorum cumulum; in cuius complexu Melithon spiritum DEO reddidit, & funeris societate cum cæteris copulatus, unà in cœlum è flammis evolavit 9. Martij. Sic *Felicitas*, matrona Romana, Spartanis invidenda, septem filios plumbatis, fustuariô, præcipitiô, ferróque interfectos spectavit oculis irretortis,& octavam post eos coronam accepit 10. Julij. Non minore constantia *Symphorosa*, Getulij martyris conjux, septem filiorum mater, saxô ad collum alligatô, antequam in præterfluentem demergeretur,filios allocuta,præ-
„ eo,dicebat,filios ad victoriam mater, si filij estis, ad patris dex-
„ tram, & matris sinum etiam per tela & ignes curretis. Ecce
„ morior; pulchræ mortis heredes quos nisi filios dicam meos?
„ Iámque valete: ego mulier per undas portum peto. Si viri
„ estis, per vulnera viam in cœlum animo facietis. Neque fefellit ipsam sua spes, neque filios matris exemplum. Ad palos alligati, diverso mortis genere genitricem ad astra secuti sunt; 18. Julij. Hos animos addidit feminis, puerísque desiderium pro Christo,próque felicitatis æternæ prœmio cadendi. Verè Psaltes regius psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*
„ Plena sunt martyrum membra tormentis: sed plena est anima
„ immortalitatis. *ait Cyprian epist. 11.* Juxta Salomonem Sapient. 3. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Mors Martyrum, est scala
„ vitæ, *inquit Barrad. noster lib. 9. cap. 15. tom. 2.* Scala similis illi,
„ quam in somnis vidit Iacob. Gen. 28. Ascendebant per illam
„ Angeli, & descendebant. Per hanc si descendere possent, &
„ ascendere, mirum in modum exultarent. Pro DEO enim
„ summo cum amore & gaudio, si mortis capaces essent, tormen-
„ ta omnia paterentur. Martyribus invident, (ut nostro loqua-
„ mur more) quos cernunt pro DEO vitam sanguinémque per
„ summos cruciatus effundere. At non possunt per hanc scalam
„ ascendere Angeli: ascendunt & descendunt homines. Ad to-
„ lerandos cruciatus descendunt: ad sempiternam verò gloriam
„ ascendunt. Descendunt corpore in sepulchrum: ascendunt
„ mox animo in cœlum. Innixus erat DEUS scalæ Jacob; inni-
„ xus etiam est scalæ Martyrum, ut ascendentes beato excipiat
„ complexu. Hæc ille.

Est autem martyrij genus duplex: alterum, quô corpus pro DEO neci offertur: alterum,quô animi cupiditates trucidantur.
„ Unde *August. serm. 32. de Sanctis*: Tota vita Christiani hominis,
„ si secundùm Evangeliũ vivat, crux est atq; martyriũ & *serm.* 23.

 „ de tempore.

„ de tempore. Nemo, *ait*, dicat, quòd temporibus nostris marty-
„ rum certamina esse non possunt: habet enim & pax nostra mar-
„ tyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justi-
„ tiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare,
„ magna pars martyrij est.

Machabæi se pro peccatis populi succidaneas DEO hostias obtulerunt, ut intelligamus, publica crimina etiam innocentum supplicijs lui, piaríque; Ut corporis malè affecti tabem sentiunt omnia membra; sic pœna peccati communis transit etiam ad insontes; hoc discrimine: ut, quod justum malorum est supplicium, cedat probis in virtutis exercitium & gloriæ incrementum.

NARRATIO CXII.

MATHATHIAE MACHABAEI, DUCIS ET PONTIFICIS HEBRÆI ZELUS PRO HONORE DEI.

1. Machab. c. 2. & Josepho, de rebus Judaicis Lib. 12. cap. 8.

Anno Mundi 3888. ante Christum. 165.

POst heroinam, Machabæi nominis gloriam, in fortitudinis theatrum heros prodit, *Mathathias* nuncupatione, dignissimus spectari, audiri, legi. *Antiochus*, de quo suprà, cùm captâ Hierosolymâ, civium octoginta millia, triduò continuò trucidâsset, superstitum verò tantæ cædis mortalium, numerum ingentem cepisset, captorum multitudinem divendisset: templum sacrilegè diripuisset & profanâsset: populum Hebræum per suos præfectos, præsertim *Apollonium*, tributis, prædis, cædibus exhausisset: urbem inflammâsset: ædificia publica, privatáque diruisset; mœnia, turrésque dejecisset, arcémque Sionis, prædonum receptaculum effecisset; inter alios *Mathathias*, Machabæi sanguinis Dux & Sacerdos (Serrarius & Salianus cum alijs etiam Pontificem fuisse autumant) cum filijs quinq; (quorum nomina, *Iudas* cognomento Machabæus, *Simon, Ioannes, Ionathas, Eleazarus*) *Modinam*, Daniticæ Tribûs montanū oppidum, Ierosolymîs commigravit. Antiochus quippe, cùm Iudaici nominis universi, Sacrorúmque Mosaicorū excidio, Græcorum ritus, Deorúmq; fictitiorū cultū, propositîs acerbissimis suppliciîs, invehere contendebat. Quæ diræ crudelitatis

Mathathias cum filiis Ierosolymis recedit.

crudelitatis exempla Mathathiam cum suis irritârunt ad piam, adversùs impia tribunalia, rebellionem, hac, quam affero, rerum occasione.

Mathathiæ fugâ cognitâ, venerunt Módinam non ita multò pòst, è præfectis regijs, qui Ierosolymis, & in vicino, præsidia contra Iudæos agitabant, nonnulli infensiores, nec sine militari comitatu. Quorum agmen tunc ducebat *Apelles* quidam; ex ipsa nuper Antiochia missus ab Epiphane, qui locis omnibus, omnes, nullo discrimine, Iovi, Diísque Græcorum cæteris, immolare compelleret. Iámque Mathathiæ municipum & contribulium, è fæce maximè plebeia, complures imperata fecerant: urgebántq; præfecti Mathathiam quoque; ne, qui primus illic esset dignitate, postremum se credi, dicíque vellet, in regis obsequia. Detestante verò palàm hoc officij genus, ac longissimè renuente Mathathiâ: Iudæus se quidam oculis omnium ausus ingerere; quippe tantò gratiosior (uti sperabat) ex ostentatione promptitudinis futurus; quantò sese Sacerdos invisiorem ministris regijs è cunctatione reddidisset. Cùm autem scelestus hic, conscensis aræ gradibus, simulacro Jovis publicè thus adoleret: incensus irâ justissimâ Mathathias, distringit ferrum: perrumpit spectantium globum: irruit in sacrificantem: eóque super ipsam aram trucidatô, perspersum cruore Iovem evertit; aram subruit; Apellem contrà vociferantem ac furentem, in tribunali suo contrucidat, sibíque per obstantes satellitum cuneos viam, dextrâ, lævâque feriens, aperit: maximáque voce tum filios suos, tum alios omnes, siqui DEI nondum immemores essent, evocatos post se, relictis fortunis, domesticis omnibus, in avia silvarum, montiúmque trahit. Eáque magna fuit, etiamnum pro DEI, legúmque reverentia stantium, sexus utriusque multitudo; sic, ut paucis pòst diebus, unius duntaxat agminis, quod in antrum se quoddam abdiderat, ac barbaris eos evocantibus, nec morem gerere, nec arma contrà ferre sustinuerat, mille ferè, sarmentis superingestis, incensísq; consumpti sint. Mathathias verò collecto exercitu non aspernando, nunc excursionibus, nunc acie justa, minoribúsque prœlijs copias suas (utcunque sese scrutantibus offerret opportunitas) in hostem ducebat tam indigenam, quàm externum: ac modis ac vijs omnibus, tum Judæos transfugas, tum Syros & Græcos exagitabat.

Mathathias impium Iudæum super aram trucidat.

Colligit exercitum.

Cæterùm vitâ, quàm animo contractiore, sub eum ipsum, quô bellare cœperat, annum, morte decessit pacatissima; nec eorum, quæ post se fieri vellet, injuriosâ vel improvidâ. Supremis enim verbis suos affatus; ac multis ad retinenda patria sacrorum instituta

instituta cohortatus, filios omnes, fortitudinis suæ successores designavit; quorum armis, & sacrorum principatui Iudam Machabæum; consilijs ac momentis armorum Simonem, præfecit. Defuncto, & publicis lacrimis elatô parente, Iudas è vestigio quidquid roboris militaris erat in Iudæa, collegit, & Syris ac Græcis, infestus pariter & invictus, restitit. Imprimis verò Mosaicæ religionis transfugas, ac populi turbatores armis insectabatur, & in arctum compactos flammis absumebat. Longum esset illius omnia prœlia, velitationésque, quibus Antiochi legatos ac duces exagitavit, exponere. Quare pugnas duntaxat eas referemus, quæ potissimùm eminentes, nomen eius barbaris formidabile, civibus gloriosum reddiderunt.

Moriens filijs curam religionis commendat

DOCTRINA.

SÆpe, quod defuit viribus, supplevit animus; animum autem addidit necessitas: hanc injecit officium tutandæ religionis, & honoris DEI. Quod si unquam verum est illud Poëtæ. 10. *Metam. Audentes DEUS ipse juvat.* tum id maximè locum habet in propugnatione legis divinæ. Summis laudibus extollenda generosæ mentis audacia, quæ pro DEO nullis exterretur periculis, „ nullis percellitur laboribus. Quòdsi juxta *Tullium Offic.* 1. For„ titudo virtus est, pugnans pro æquitate, quis heroum ullus fuit fortior Mathathiâ, qui pro religionis avitæ defensione, in præsentissimæ, dirissimæque mortis discrimen se conjecit. Et si juxta *Se*„ *necam epist.* 88. Fortitudo contemptrix timendorum est: terribi„ lia, & sub jugum mittentia despicit, provocat, frangit. Quis generosiùs timenda contempsit, terribilia despexit, provocavit, fregit, quàm Mathathias, solus per armatorum cuneos ad profanam aram evertendam irruens? Erant in oculis, edictum tyranni cruentum; paratam vindictam intentabat ex tribunali legatus regius; primis conatibus exitium minitabantur nudati satellitum gladij; miserorum lacrimæ, unius ex ferocia, omnium cervici metuentium, salutis ipsum suæ, suorúmque admonebant. Temeritatis esse videbatur, extremas gentis Iudaicæ reliquias in certissimam perniciem, incertis ausis dare. Quid igitur faciat heros? quid consilij capiat? Utique non à *carne* & *sanguine*; sed à ratione, à confidentia in DEUM, à studio gloriæ divinæ asserendæ. Occurrebat animo, *pulcbrum* esse, cadere pro patria; sed *pulchrius* pro sanctis patriæ institutis. Pontificem se meminerat; & ideò pro *Lege*: Ducem se recogitabat; & ideò pro *Grege* pugnandum esse. Exemplis didicerat, quisquis manum pro DEO moveret: cum eo, DEUM quoque moturum manum. Veniebat in mentem

Fortitudo Mathathiæ pluribus explicatur.

vox illa

vox illa Numinis Iosueh quondam animantis in prœlia: *Confortare, & esto robustus.* Iosuæ 1. Et illud Davidis, magnanimi pugnatoris, psal. 26. *Viriliter age, & confortetur cor tuum.* Aude igitur, & DEI caussam, tantis provocatus exemplis, defende. Quid plura requiris? Hæc una potens est, in ferrum & ignes te impellere: & inde quoque expedire. Satis tibi, satis patriæ vixisti, si spiritum ultimum Majorum religioni impendis. Mori præstat, quàm sub impio tyranno vivere. Seu consilium hoc careat successu, seu cupitum sortiatur exitum, incitamento certè filijs eris, simul manes paternos, simul honorem Numinis vindicandi. Hæc secum ipse; simúlque capto repentè impetu in medium prosilit, & fulminante manu Iudæum apostatam, regiúmque præfectum trucidat; viáque per satellites ferro factâ, signum effert, ad arma, animósque adversùs deorum falsorum cultores, capessendos, injurias majestatis æternæ propulsandas. Valuit exemplum ad posteros; iverunt per vestigia filij: & pulcherrimi facinoris memoriam, imitationémque post se natis, reliquerunt.

Dignissima profectò exempla, quorum ad normam, Christiani quoque suas de æstimatione sacrosanctæ religionis rationes componant. Nullus est casus, *inquit Cicero,* pro dignitate & libertate patriæ non ferendus. Quantò magis pro sacris patriæ legibus tuendis, & reipublicæ detrimento, non fluxi temporis, sed ævi sempiterni avertendo. *Lactantius* veræ pietatis magister docet *lib.* 5. *Institution. cap.* 22. Nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eámque summâ vi oportere defendi. Id adeò Gentiles quoque perspexerunt; è quibus *Iustinus lib.* 8. Iure ille à dijs proximus habetur, per quem deorum majestas vindicatur. Sed ô quoties major est dimicatio pro *focis*, quàm pro *aris*! Cùm domus ardet, accurrunt omnes, & ferunt aquam contra flam̃as; cùm religio laborat; cùm sacrorum hostes incendia spargunt, omnia frigescunt, & congelata sunt: De *Aphraate* Monacho Theodoretus memorat Ecclef. hist. c. 24. eum tempore Valentis Imperatoris Ariani ex solitudine Antiochiam venisse, & increpitũ ab Imperatore, quòd extra cellam in publicum se efferret, respondisse, se in communi incendio (hæresis Arianæ) ad extinguendos ignes accurrere. Sed quid miramur Christiani hominis religiosum animum; quando Metellus, idolorum cultor & pontifex, pro fictitiæ deæ simulacro servando, non dubitavit medias flammas perrumpere. Is enim Vestali æde fortuito igni flagrante, per obstantes ignes se inferens, Palladium (Palladis signũ) incendio subtraxit. Quæ pietas tanti facta est à Romanis, æquis virtutis admiratoribus, ut curru veheretur in curiam: qui honor nulli eius

In DEI caussa strenuè agendum.

ordinis ad id temporis cnotigerat. *Plinius lib. 7 c. 43.* Et hoc ille pro ligneo Deæ trunco; quid nos pro immortalis DEI honore & gloria? Æterna laude dignus Mathathias, qui contemptis Antiochi promissis, contemptis vitæ periculis, ubi vidit populares ad aram detestabilem accedere, *doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum* (qui thura volebat adolere Iovi) *super aram.* Quô peractô, *exclamavit voce magna, dicens: Omnis, qui Zelum habet legis, statuens testamentum, exeat post me.* Ita Scipio quondam Nasica, contra Gracchum progre„diens clamabat: Qui vult salvam rempublicam, me sequatur. *Valer. lib. 3. c. 2.* Quàm multi clamant: Qui vult salvam regionem, me sequatur. Qui religionē; sequatur alium quemvis. Quæ caussa? Propriorum comodorum & honorum cupiditas ad sui defensionem vires omnes evocat, perrumpit obstantia, propulsat invadentia. At siquid pro DEO movendum, terribiles occurrunt formæ, *Letbúmque, Labórque.*

Quorundã Iudæorum sinistra religio circa observationem Sabbathi.

Moriamur omnes in simplicitate nostra. 1. Machab. 3. Æquô religiosiores fuere Iudæi in colendo Sabbatho: maluerunt extrema pati, quàm die Sabbathi *lapidem in hostem mittere,* nefas rati, tueri se contra invasorem, & vim vi repellere. Errantis id conscientiæ dictamen fuit, & simplicitas, cui ignoscendum; nam meliora à Rabbinis, seu magistris suis non didicerant. Sapientiùs Mathathias, qui, ut religionem defenderet, religioni sibi duxit, vitam proijcere. Non ignorabat, necessitati haud positam legem. Strenuè dimicavit in hostem, magis rationi, quàm vulgari persuasioni obtemperans. Religio cùm est nimia, in superstitionem transit. Peccatur per excessum. *Sabbatbum,* inquit Christus apud Marcum. cap. 2. *propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatbum.* Caussa quippe institutionis Sabbathicæ est, ut homo à laboribus quiescat, quò expeditiùs curas & animum ad DEI cultum transferat. Peribit hic, si pereant cultores. Malè feriatur, qui præposterè religiosus, necessaria vitæ præsidia negligit, & plus diei tribuit, quàm sibi & saluti suæ. Vox Pauli est Rom. 12. *Sit rationabile obsequium vestrum.* Quod ratione caret, etiam religione caret.

Mathathiæ morituri cohortatio ad filios.

Mathathias è vivis abiturus, cygnum imitatus est, in funere suavissimè canentem. Quod vivens factis præstitit, moriturus verbis confirmavit; non tam sollicitus, quas filijs relinqueret opes, quàm quas virtutes. Spiritū, quem jam jam efflaturus erat, cupiebat in pectora suorum immittere; extinguendus ipse, satagebat ardere per suos. Frigescebant membra; animum tamen Zelus honoris divini urebat; hunc ignem ut ad posteros propagaret, filios suos jam antè paternis exemplis accensos, magis etiam,

novissimis


novissimis verbis inflamare contendit. Suma supremæ orationis capita erant, Ut filij Majorum vestigijs insistentes, sese pro bono publico, & imprimis defensione cultûs, æterni Numinis, alacriter periculis obijciant. DEUM, quemadmodum non defuit in rebus adversis Abrahamo, Iacobo, Iosepho, Mosi, Davidi, Danieli, aliisque viris, pietate præstantibus, sic pariter ipsis auxilio adfuturum. auderent modò, & viros sese probarent; experturos, virtuti DEUM felicitatem additurum. Fortibus factis Phineam æternum sibi suisque posteris Sacerdotium comparâsse: Iosuen gloriam immortalē reportâsse; Calebum Palæstinę possessionem obtinuisse; Davidem à pedo ad sceptrum ascendisse. Neminem adhuc, DEO confidentem, spe sua frustratum esse. Neque formidarent barbarorum, præcipuè Antiochi tyranni, minas; quos cùm aurora videt fastu distentos, & mortali fastigio sublimiores: aspicit vesper infra humanam sortem depressos. Hodie follis instar eos intumescere; postera die cum summa ignominia disrumpi; è luto compositos, in pulverem abituros. Substernendas ambitiosæ purpuræ tineas, & ostentatricem potentiā, in prædam vermibus cessuram. Medijs in conatibus impiorum consilia destitui, & laqueis capi, quos innocentiæ tetenderant. Validissimum in hostes telum esse, pugnandi necessitatem; habendum metum, aut faciendum. Neque paucitate suorum terrerentur; virtute, non multitudine vinci. Simonis sapientiam, Iudæ robur; etiam quæ impedita videri possint, expeditura; alterum ingenio, alterū manu rem communē sustentaturum. horum dicto audientes essent, & cogitarent, concordiâ res parvas crescere, discordiâ, etiam magnas dilabi. Hæc dixit, & benè precatus filijs, vivendi finem fecit.

NARRATIO CXIII.

IVDAS MACHABÆVS, GENTIS HEBRÆÆ ARCHISTRATEGVS, POLIORCETES, RELIGIONIS DEFENSOR, PATRIÆ SERVATOR.

Ex libris Machabæorū, loci in margine, propter digestionē historiæ apponuntur.

Anno M. 3889. ante Ch. 164. ad an. 3894. ante Ch. 159.



IUdas cognomento *Machabæus*, paternæ virtutis æmulus, primò per insidias; deinde apertô bellô Syros persecutus, triū regū *Antiochi* Epiphanis, *Antiochi* Evpatoris, & *Demetrij*; Duces militares *Apollonium*, *Seronem*, *Lysiam*, *Gorgiam*, *Nicanorem*, *Timotheum*,

Bacchidem, aliósque (præter intestinos hostes, cives perfidos) cum ingentibus copijs fudit, Solymam recepit, templum repurgavit, edidit facinora, quæ Romanum fœdus meruerunt.

1. Mach. 3. Conflixit igitur cum *Apollonio*, Samariæ præfecto; quem cum Syrorum insigni clade stravit, interfecit, armis exuit; ablato quoque, cuius ille bonitate tumuerat, gladiô; quô posthac in omnibus prœlijs Machabæus usus est. *Ibid.* Suffectum ab Epiphane *Seronem*, ducem & ipsum belli scientissimum non minùs pepulit, ac fugavit. Exinde *Lysias* (qui Antiochiæ, loco regis Antiochi, in Persas interea moventis, regnum administrabat) *Nicanorem*, & *Gorgiam* (qui *Bacchidem* & *Timotheum* sibi adjunxêre) in Judæam immisit, tantâ victoriæ reportandæ confidentiâ, ut mercatores maximô numerô in castra evocarentur, qui Iudæorum bellô capiendorum, in singula capita vili pretiô repensô, multitudinem innumerabilem commercarentur. Verùm ubi ad manus ventum est; res *Iudæ* superior fuit. Fugatur Nicanor: cæduntur Nicanoris militum in acie millia novem, in fuga tria. Capiuntur, qui captivos emptum venerant, mercatores; & pecuniâ, pretióque mancipiorum, quæ nusquam erant, exuuntur. Paullò pòst *Górgiam* quoque vicit; & *Bacchidem* ac *Timotheum* in fugam vertit: Syrorúmque viginti cæsis in prœlio millibus, castella quædam capit opere, sitúque loci munitissima: Nicanore tantisper ingloriô, ad Lysiam stomachantem refugiente. Machabæus inter hæc suorum è numero, qui vix septem millium erant, neminem unum desiderabat. Sub hæc autem, ipso prœliorum successu juventutem ad armorum audaciã invitante, Machabæanæ crescebat militiæ robur: ut adeò brevî decem jam millium fortissimorum, eorúmque voluntariorum robur adstaret.

Iudas diversos belli Duces & exercitus fundit, fugátque. Ibid. 2. Mach. 8.

1. Mach. 4. Lysias verò diffisus Legatorum suorum seu magnanimitati, seu solertiæ; constituit ipse belli fortunam experiri. Quocirca sexaginta millia pedestrium, & equestrium quinque millia, lectissimorum militum exercitum contrahit, & in Iudæam irrumpit. Ad *Bethorônem Gabaoni* vicinam urbem, pugna fit: in qua Iudas decem millibus suorum in aciem contra sexaginta quinque millia barbarorum eductîs; eorum quinque millia velociter concidit; residua cædi sexaginta millia profligat: Lysiámq; cogit Antiochiã, ac nova seu belli, seu pacis consilia repetere. Iudæi verò propinquam prœlij loco Ierosolymã, victores ingressi, Templi plùs quàm semiruti faciem horridam, squalentiáq; virgultis atria, totúmque locum sterquilinio, quàm ædi supremi Numinis, similiorem intuentur. Pariter ergo medias inter victoriæ gratulationes in lacrimas ac lamenta solvuntur. Ad instaurandam deinde loci sanctitatem conversi, sordibus eum purgant; Jovis simulacrum confringunt; templóque suis ritibus expiatô, denuóque dedicatô, Sacrorum

Templum repurgatur à sordibus.

tô, Sacrorum sedi meliorem faciem inducunt: turres ac munitionem illico, validissimô militum præsidiô constituunt, ad templi Majestatem, in reliquum tempus, adversùs arcis Sionææ præsidiarios Syros tutandam.

Cùm subinde *Timotheus* iterum (Antiochiæ imperante *Antiocho Eupátore*, Epiphanis filio, cui cognomentum *Generosi* assentator Lysias imposuit) magna cum armatorum multitudine Iudæam invasisset; confugit ad ea Machabæus, ad quæ solebat, in omnibus belli sacri pugnis, præsidia: quæ preces erant ac supplicationes, ab omnibus, armatis pariter & inermibus ad DEUM fusæ. Quibus addebat animi, corporísque religiosam demissionem, cinere conspersis omnium capitibus; ac cilicina veste cinctis super nuda cute lumbis. Tenebat autem in templo palàm supplicans altaris cornu, poscentibúsque militiæ *tesseram*, AUXILIUM DEI, dabat; & ad fortiter faciendum inflamabat animos voce quà suâ, quà divinorum librorum, qui coram multitudine recitabantur. Nec mirandum est, DEUM cum illis stetisse, qui cum DEO, pro caussa DEI stare, rebus omnibus anteferrent. Is igitur pugnâ cum Timotheo commissâ, cùm ferveret utrinque prœlium, in neutrā partē inclinante certaminis fortunâ, sublatis in cœlum tesseræ datæ vocibus, cum milite cœpit AUXILIUM inclamare DEI. Nec dilatum diutiùs est, quod petebatur. Medio namque conflictûs ardore, quinque cœlo demissi Iuvenes, sese Iudæis pariter & hostibus spectandos obijciunt, equestres, & formâ fulgoréque conspicui: quorū erant ex auro fræna. Machabæanū hi ducebant exercitum, ita tamen, ut eorum tres aciem antecederent: duo verò Iudā utrinque stipatū, armísque cœlestibus defensum, incolumémque præstarent, & à telis hostilibus intactum. E contrario barbaros incussis eminus, cominúsque jaculis ignitis, intortísque fulminibus exanimant, & intolerabili splendoris, ex eorum vultibus & armis emicantis magnitudine tantopere percellunt, ut & oculis, & mente capti, formidinéque plusquam Panica trementes conciderent, ac ne fugæ quidem satis viam, exitúmque reperirent. Cæsa sunt viginti millia, quingentíque peditum: equestris verò militiæ (quæ se more suo maturiùs à cornibus legionū abruperat) sexcenti; *Timothei, Chereæ, Apollophanis* abscissa capita, barbaris ostentui, terroríque fuerunt.

1. Mach. c. 3. & 4. & lib. 2. c. 8

Pro Iuda pugnant quinque Angelici equites.

2. Mach. 10.

Quibus rebus Lysias cognitis, ac tantis suorum cladibus, impědiísq;, nullo belli successu, vehementissimè commotus; novū, eúmq; quàm maximū è Syria contrahit exercitū, Iudæorúmq; finibus inducit; peditatûs hostium erant octoginta millia; de numero equitatûs nihil certi constat. His occursurus Machabæus, ad lacrimas convertitur, populíq; supplicatiōes; efflagitatur *2. Mach. 11.*

subsidiaria de cœlo manus: nominatim angelorum rursus auxilium, ac præsentia. Nec minore, quàm antehac successu. Agmen in hostes armatum ducebat Iudas; magis autem Angelus, equitis habitu non copias modò Machabæi, sed ipsum quoque Ducem antecedens: amictu quidem cætera candido; sed armis, thorace, galeâ penitùs aureis; auratámque dextrâ lanceam in hostes quatiens. Cuius aspectu Machabæani (qui thesseram etiam tunc acceperant AUXILIUM DEI) mentium alacritate plusquam humanâ succensi, leonibúsque similes, in Lysianos irruunt. Primóque ferè certaminis impetu victoriam orsi, cædendi finem non priùs faciunt, quàm undecim Syrorum millibus è peditatu, sexcentis equitibus supra mille prostratis. Exercitum reliquum maxima sui parte vulneribus debilitatum, & impedimentis ac castris exutum profligant: abiectísque passim armis, salutem è fuga petere compellunt. Ac Timothei quidem, unius è primis Lysiæ ducibus (diversi ab illo superiore) milites in fanum quoddam sese receperunt; Lysias autem ipse fœda, præcipitíque fugâ Syriam, quam se triumphantem speraverat ingressurum, repetebat. Nec diu pòst, abiecta spe debellandi Iudæos, fœdus cum ijs inijt, auctoritate regis confirmatum. Sed hæc pax paucorum mensium fuit, eam turbante maximè Timotheo, qui nuper ultra Iordanem ablatus fugâ, reparavit exercitum, centum viginti millium peditum, equitúmq; bis mille, quingentorũ, & contra Machabæi non plus sex millium copias (nam partem militum Iudas ducibus *Dositheo* & *Sosipatro* commiserat ad validissimum Timotheanorum præsidium expugnandum) movit. Re ad prælij fortunam deducta, Iudæ præcurrunt antesignani: conspicitur à Timotheaneis cœlestium Militum unus quidam majestate vultûs & habitûs cæteris, qui circum ipsum erant, eminentior, fulgorísque sui vehementiâ divinum quid præ se ferens: ideóque terrorem longè maximum plerisque barbarorum, etiam audacissimis, incutiens. Unde fiebat, ut in se ipsos mutuò versis telis ensibúsque, Machabæorum eos trucidantium manus vulneribus ac cædibus alternis adjuvarent, cum triginta millium Timotheanorũ occidione. Dux ipse captus, & incertas cõditiones dimissus.

Iterum Iudæ opitulatur Angelus equestris.

2. Mach. 12.

Denuò cœlestis miles Iudam adjuvat.

Cæterùm, quia perfidos nunquam caussa bellandi deficit, Lysias insuper habitis pactis & conventis cum gente Hebræa, regem Eupátorem instigat ad bellum cum Judæis renovandum. Is cum decem & centum peditum, viginti equitum millibus; turritis elephantis triginta duobus, quadrigis falcatis trecentis Ierosolymam petit. Cui sese Iudas cum parva suorum manu opponens, cùm videret temerarium esse, contra tantas copias aperto Marte dimicare, nocturnam occupavit pugnam, in qua virorum

2. Mach. 13.

qua virorum quatuor millia interfecit. Eam sive cladem, sive contumeliam rex in autores refusurus, non ipse modò furore percitus in Iudam movit, sed belluas quoque efferari volebat, vino & mororum succo potatas. Singulis elephantorum milleni præerant pedites, equites quingenti; tanto armorum apparatu, ut sole radios in clypeos aureos, æreósque vibrante, vicini colles resplenderent. Non cecidit animis Iudas; iterum cum hoste conflixit. quo in conflictu occubuerunt è Syris sexcenti audacissimi quique, cæsi Ducis Machabæi decus exoptantes incassùm. In illo incursu *Eleazarus*, Iudæ frater, elephantem conspicatus, cæteris & habitudine molis, & apparatu turris ac propugnatorum eminentiorem; iísque signis in eam inductus suspicionem, ut crederet ei regem insidere: viâ ferro per obstantes factâ, multísque dextrorsum, lævorsúmque trucidatis, alvum belluæ subiens, impresso visceribus gladiô, puncto temporis eam stravit. Sed prolabentis pondere pariter & ipse superoppressus occubuit; gloriæ, fortitudinísque suæ dignô comprimis tumulô contectus, elephantô, sua manu dejectô: proindéque sepulcro, Mausoleis quibusvis, ac monumentis eburneis gloriosiore. Iudas verò considerata innumerabili hostium multitudine, constituit supremi certaminis aciem declinare. Rex viribus usus Solymam occupat, Chananitidem, quàm latè patet, in potestatem redacturus, nisi intestinis tumultibus Antiochiam revocato, pace cum Iudæis facta, regnum ab insessore tyranno *Philippo* recuperandum fuisset.

1. Macb. 6.

Eleazari gloriosus occubitus.

Pacis mox fœdera rupit *Demetrius*, cognomento *Soter*, Seleuci *Philopátoris* filius, *Eupatoris* patruelis, eiúsque interfector & successor. Huius imperijs & auspicijs *Nicanor*, homo, si quisquam alius, furiosus Iudæis incubuit, ingenti cum terrore, & cælestis Numinis contemptu. Machabæus, ut suis faceret animos in certamen, somnium enarravit divinitus imissum; quô sibi visum affirmabat *Oniam*, insignem illum virtutibus ac rebus gestis Pontificem, annis abhinc undecim odiô religionis interfectum. Iuxta eum *Ieremias* visebatur vates divinus; uterque manibus supplicans pro Iudaicæ gentis incolumitate; posterior aureũ insuper gladiũ visus porrexisse Iudę cum dictis: caperet gladiũ divinitus ei dono missum, divinitus quoque factum ad id, & inauguratum, ut strage magna conterantur Israelis hostes. Quę dum Iudas suis, alacritate certandi nova inflammatus exponit; Hostis inter hæc, ultro fiduciâ multitudinis ac virium suarum, non exspectato Judæorum occursu, promotis agminibus præstò fit. Adstat acies ad omnem dispósita terrorem. stant ad pugnam instructi, proptereáque grande terroris incrementum, elephanti, fremit ardore certaminis tot millium exercitus formidabilis. Iudas cum suis

2. Macb. 15.

Onias & Ieremias jam antè defuncti, orant pro gẽte Iudaica. Posterior gladium Iudæ porrigit.

suis DEUM in vota flectere, consuetam AUXILIJ DIVINI, vel VICTORIÆ DEI tesseram insonare, insolitò quodam præsentiæ DEI sensu perfundi. Vera sensisse, eventus ostendit; Iudæis enim præsidio Numinis & Angelorum, tectis & illæsis, Syrorum cæsa, stratáque non minùs triginta quinque millia. Capta direptáque castra; contritæ vires universæ; primus inter omnes cæsus is, qui ferociâ, contemptúque Numinis cæteros antecesserat *Nicanor*. Reliqui, nullo propellente, cùm capite se carere cernerent, in pedes sese conijciunt: abjectísque, quò promptior esset, expeditiórque fuga, clypeis ensibúsque, quà cuique tutissima visa, brevissimáque mortis effugiendæ via fuit, illac iter intendunt. Quos tamen Hebræi sese gregatim victoribus associantes, à fronte, tergo, lateribus conclusos ita confecerunt: ut ex omni Nicanoris expeditione, copiáque, ne nuntius quidem cladis oculatus, regi *Demetrio* superstes relinqueretur. Nicanoris cadaveri caput, quod linguâ suâ cœlo convitiatum erat, amputatum; à trunco simul cum humero brachium (quod adversùs DEI Domum minaciter extentum fuerat) resectum; truncus insepultus abjectus; caput & brachium Ierosolymis è regione templi in alto suffixum; lingua à palati radicibus revulsa, minutissimè cōcisa, in aëris propatulo, quò volucribus pabulū esset, proposita; Machabæis tantisper DEO cœli, gratias in templo, chorósq; psalmorum agentibus.

Nicanor contemptor Numinis dat meritas pœnas.

Demetrius inter hæc compertò Nicanoris, & exercitûs eius interitu; necdum furoris in Israëlitas satur, novas adversùm Machabæum comparat copias; eásque sub *Bacchidis*, & *Alcimi* Iudæi, proditoris, signis ac ductu mittit in Iudæam. Viginti millia pedestris exercitus, equitum duo millia fuere: cùm Iudæ non ampliùs trium millium cohortes ad manum essent. Ex his tamen ipsis, ad tantæ multitudinis hostilis conspectum externatis, cùm duo millia ducentíque se periculo, pugnæque subducentes, Iudæ non plures octingentis reliquissent: qui & ipsi formidine perculsi, prœlio suaderent abstinendum, quoad novarum accessu copiarum, manum sibi firmiorem compararent; Iudas nihilosecius, quanquam & ipse nonnullo metu tactus, etiam tunc sibi constitit, cæterósque ad audendum animavit: Concinentibus tubis utrinque conclamatur: tela, manúsque conseruntur: ab ortu solis ad occasûs ferè viciniam acerrimè dimicatur ab Hebræis octingentis adversùm viginti duo barbarorum millia. Nimirum unius Machabæi virtus instar erat multorum millium. qui cum globo fortissimorum in dextrum hostium cornu, ubi prætoriani, & robur exercitûs stabant, invectus, illud cum Bacchide profligavit; quos dum fugientes persequens, terga ferit antecedentium; coorti à tergo, qui sinistrum barbarorum cornu tenebant, cædentium cædunt dorsa, numero suorum, ac totius diei pugnâ, lassitudinéque laborantium;

1. Mach. 9.

Iudas cum Bacchide & Alcimo dimicat.

laborantium; donec ad extremum cadentibus utrinque complu-ribus, nec tamen usquam se remittente certaminis ardore, tene-bris ingruentibus, sol nocti, virtus multitudini, Judas vulneribus ac morti, Judæáque Syriæ succubuit. Corpus Judæ fratres a-sportavere: *Módina* sepelivit: pollinxit pia cognatorum turba; lavit denique totius populi multa, diuturnáque lacrima; quam tamen utcunque in *Ionatha* fratre, fraternúmque robur æmulante pôst absterſit; inteſtinis odijs ſtatim involvendus. *Iudas gloriosè occumbit.*

DOCTRINA.

NUmeros omnes egregij militis pariter ac belli Ducis explevit Iudas Machabæus. Præſtitit, quidquid ab optimo Imperatore deſiderari poteſt. Fuit in eo ſcientia militaris ſumma, auctoritas maxima, felicitas perpetua; fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo; & ſuper omnia, vitæ integritas, in DEUM religio, in patriam pietas. Non tam verbis, quàm exemplis animavit milites. Quantò major, quàm Cato ille, de quo Lucanus: *Laudes militares Iudæ.*

O quibus una ſalus, placuit mea caſtra ſecutis
Indomita cervice mori, componite mentes
Ad magnum virtutis opus, ſumóſque labores.

Principium ei felicitatis, juſta belli cauſſa. Illætabilis armorum uſus eſt, cùm Martis currum inſtruunt Furiæ.

—— Cùm jungunt comites ſe, triſtis Erynnis,
Et bellona minax, facibúſque armata Megæra,
Lethúmque, Inſidjæque, & lurida Mortis imago,
Quos inter Furor, abruptis ceu liber habenis
Sanguineum tollit caput.

De Machabæanis ſacer hiſtoricus. 1. Machab. 3. *Prœliabantur prælium Iſraël cum lætitia.* Alacritatem prœliandi non excitavit inconſulta ferocia; non accenſa vini potu temeritas; non furor inſanus rapiendæ prædæ. Lætitiam & animos addidit cupiditas honoris vindicandi divini; amor legis ſanctiſſimæ tuendæ & retinendæ; Zelus ardens impias manus à Solymæo templo propulſandi. Hæc alacritatis cauſſa; nam & Fortitudo, mille quamvis diſcriminibus circumſepta, ſuam habet delectationem. Hîc locus eſt illi ænigmati Samſonio; *De forti, dulcedo.* Quis enim neget, ipſa quoque pericula viris fortibus eſſe dulcia? Multi minùs audent in prœlio, quia minus habent fiduciæ in conſcientia. De Machabæanis ſacer ſcriptor 2. Mach. c. 11. *Leonum autem more, impetu irruentes in hoſtes &c.* Qualis dux, talis miles. facilè contempſerunt vitam, quibus erat glorioſum pro DEO mori. Quòd ſi duce leone, etiam cervi timendi, quantus fuerit barbaris terror, leo- *Alacritas militaris in exercitu Iuda.*

 num ductor

num ductor leo Iudas! Tanti est, quo duce, quâ belli causâ, quâ bellantium innocentiâ in hostem eatur.

Unde fortuna bellica? Nostri Machabæi vires pugnandi devocabant è cœlo. Suspiria erant tubæ, preces classicum, quibus Martem suum accendebant. Primæ velitationi præludebant inspersi capitibus cineres, accincti horridis pilis lumbi; Hinc ille impetus, hosti non sustinendus. Felix gladius, qui suam aciem è cœlo ducit. Alphonsus Aragonum ac Siciliæ rex, filium artibus bellicis instituturus, „ hæc inter ultima verba dixit: Nunc quod maximè te moneo, fi„ li charissime, illud est; ne tantùm aut tuæ, aut commilitonum „ audaciæ tribuas, ut putes absque Numinis auxilio victoriam ul„ lam haberi posse. Victoria, mihi crede, non hominum disciplinis „ aut industriâ comparatur, sed Dei Opt. Max. benignitate & ar„ bitrio. Illa demum scientia rei militaris profutura est, si DEUM „ nobis pietate atque innocentiâ pacatum, propitiúmque conciliaverimus. *Panormitan. lib. 3. de dictis Alphonsi regis. cap. 51.* Validissimus in hostem ictus est, cùm suam Cœlites manum commodant. *Cælitum in bello auxilium.* Illud *Claudiani* meritò Iudæ Machabæo occinimus:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther!

Et verò, plurimùm interest, quâ tesserâ victoriam auspiceris. Iu„ dæ militare Symbolum fuit: AUXILIUM DEI. Machabæorum „ si pietatem (inquit Ruinarum illustrium Scriptor) nostratium *Tessera militaris.* „ quoque temporum castra sequerentur; eorundem utique feli„ citatem etiam ac victorias sequerentur. Nunc quales sæpe sunt „ milites Christianorum, ac Duces; tales ferè sequuntur è castris „ gestorum nuncij; mali de malis. *Decad. 4. Ruin. 39.* In pugna Pharsalica Cæsar tesseram edidit: VENUS! Pompejus: HERCULES INVICTUS! Utinam non hodie quoque, Confidentiæ in DEO ponendæ prævaleret apud bellatores, amoris impuri, vel ambitionis perversæ cupiditas. Venus, & Hercules (libido, & fastus immodicus) nimiùm quàm sæpe victorias corrumpunt. *Equus paratur ad diem belli*: (inquit Salom. in Parab. cap. 21.) *Dominus autem salutem tribuit.* Frustra acies, arma, milites, nisi DEUS precibus conciliatus robur addat brachio humano. Veniunt ad *Exempla auxilij è cœlo lati.* classica Divi, ritè vocati. Ita Carolus V. rebelles in Germania domuit, quia militari tessera nominati DD. Georgius & Jacobus præstò fuêre. Et merebatur vincentis modestia victoriam; qui C. J. Cæsaris arrogans illud: VENI, VIDI, VICI, religiosè vertit; VENI, VIDI, DEUS VICIT. Ex historijs constat, frequenter Cœlites Christianis exercitibus aspectabiles, auxilio fuisse. Certè Hispanis in prœlijs jam olim solemne fuit S. Jacobum appellare, præsertim ex quo (ut *Rodericus* insignis Hispanorum historicus prodidit

lib.4.c.13.) ipse S. Apostolus, Ramirum regem cum Saracenis pugnaturum præmonuit, quæ præstanda essent militibus. & ipse candido vectus equo, præferénsque vexillum niveum, rubea cruce distinctum, ductor apparuit,& victoriam attulit. Sic Casimirus regius Poloniæ princeps, equo sublimis candidissimo, suis è cœlo Lithuanis adfuit, eísque dux & autor ad Moschos internecione delendos extitit. Gallis quoque in prœlijs (ut scribit Theophilus Raynaudus, de cultu sanctorum speciali, punct. 7.) mos erat S. Dionysij auxilium poscere. Clodoveus rex Galliæ adhuc ethnicus Jovis tutelam, inanem non semel expertus, in S. Dionysij clientelam, docente S. Remigio, se dedit, solitus vernaculo idiomate dicere: Mon Joye S. Denys: meus Jupiter est S. Dionysius. ut benè monstravit Hubertus Thomas in opere de Tungris & Eburonibus. Angli quoque, Duce belli sacri, S. Germano Episcopo, acclamante: *Alleluja*, insignem victoriam retulerunt, ut refert *Beda. 1. hist. cap. 20.* Vide Thomam Bozium de signis Ecclesiæ. Recentius est, quod in *lib. de Angelo Custode, Hora V. noctis cap. 3.* narrat noster P. *Hieremias Drexelius*, contigisse anno 1622. in prœlio, quod Bavaricæ copiæ cum Marchione Durlacensi commiserunt. Ex equestrium numero unus, niveo vehens equo (*Albatum equitem* dixere) ausu incredibili hostilem aciem omnem prætervectus, volantibus in eum nequicquam plumbeis ex omni parte glandibus, à tergo hostium pulveri pyrio subjecit ignem,& nobilissimam Catholicis victoriam in manum dedit. Angelum fuisse quis dubitaret, cùm nemo facinoris illius animosissimi auctorem se ferret, & prœmium posceret. Longè mirabilissimum est, quod de paucis contra immensum exercitum prævalentibus referunt *Annuæ Litteræ Societatis nostræ ad annum 1584.* Rex Angolanus in India, propter nobiles argenti fodinas in regione Cambaba, Lusitanis bellum moverat, conflato duodecies centenorum millium exercitu. Centum & quinquaginta non ampliùs Lusitani erant, paucíque Æthiopes, qui die Purificationi Matris Virginis sacra, eiusdem patrocinio confisi, innumerabilem illam barbarorum multitudinem profligârunt; è tanta hostium strage, non pluribus, quàm septem Lusitanorum desideratis; quos ipsos cecidisse tum constat, cùm sacerdos è Societate à placando divino Numine conquievit. Nam cùm ille primo certamine, ut pro victoria DEO immortali supplicaret, in interius cubiculũ se recepisset, dum assiduæ precationi dat operam, certa victoriæ inclinatio ad Lusitanos fiebat, sine nostrorũ sanguine, sine cæde: ut à prece discessit, ratus finem esse certaminis, subitò conversis signis in Lusitanos hostis incurrit, ex iisq; septem, ut diximus, interemit. Pater ad DEUM, unde abierat, sine

cunctatione revertitur: nec prius ipse finem precibus, quàm pugnæ miles imposuit, ut planum omnibus fieret, non humanis, sed divinis opibus partam esse victoriam. *Antonius Dauroultius in auctario Catech. hist. cap. 2. tit. 11.*

Auget Machabæi Iudæ laudes imperatorias ea quoque cura, quam mortuis impendit. Inter militaria prœmia meritò numerantur honores, etiam defunctis habiti. Quænam enim major gratia benè meritis rependi potest, quàm ut cæsorum militum non tam statuæ collocentur in terra, quàm animæ inferantur in cœlum. Id Iudas omnibus modis elaboravit, dum collatitiam duodecim millium drachmarum (singulæ drachmæ quatuor sestertios constituunt) pecuniam, in victimarum pretium, ac stipem egentium erogavit, pro refrigerio occisorum in bello, si qui flammis adhuc temporarijs apud subterranea loca delictorũ reliquias excoquere cogerentur. Unde lib. 2. Machab. c. 12. commendatur hæc pietas: *Salubris & sancta est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Et hæc est caussa, cur libris Machabæorum auctoritatem *Canonicam* derogent Sectarij; quam tamen Magnus Augustinus varijs locis adstruit. Inter

Defuncti precibus & sacrificijs juvandi.

„ alia, *lib. de cura pro mortuis habenda, cap. 1.* dicit: In Machabæo-
„ rum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed
„ etsi nunquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva est
„ universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, autoritas,
„ ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare
„ funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.
„ Et *serm. 32. de verbis Apostoli*: Orationibus, *inquit*, sanctæ Ecclesiæ,
„ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus
„ erogantur, non est dubium mortuos adjuvari, &c. Accedit ad S. Augustini, aliorúmque SS.PP. testimonia, quæ videre potes apud Bellarm. de Purgatorio, SS. Concilij Tridentini sanctio, quod libris divinis Machabæorum historiam annumerat. Pungit hoc etiam Novatores, quod cap. ult. lib. 2. Mach. Onias & Ieremias defuncti conspiciantur à Iuda pro populo Iudaico supplicantes; hoc enim supplicem Divorum invocationem confirmat. Hinc Iacobi quoque epistola Catholica ab ipsis reijcitur, quia redarguit nudam, mortuámque sine bonis operibus credulitatem. *Sicut enim corpus*, inquit Iacobus cap. 2. *sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Occlamat Lutherus: *Sola fides sufficit.* Reclamat Apostolus: *fides sine operibus mortua est.* Utri plus credendum? Sed ad Machabæos.

Quantus in vita Iudas, Hebræorum gloria, fuerit, etiam moriendo ostendit. Cecidit pugnando. Maluit generosè cadere, quàm timidè fugere. Satur hostilis sanguinis, suum quoq; hauriendum dedit. Suis instratus palmis, suis lauris imortuus est. Non antè ti-

Iudas belli fulmen.

meri

meri desijt, quàm vivere. Unus ipse terror omniū, & formidabile belli fulmē, Ad piorū sedes tunc nobilis Umbra descendit, cùm nominis claritas, quò cresceret ampliùs, non haberet. Enimverò leo fuit Judas, *qui ad nullius pavebat occursum*. Prov. 30. Quantus in ungues, quantus in jubas surrexit! Quis eius rugitus ille, decretoriā pugnā ineuntis! *Moriamur in virtute propter fratres nostros: & non inferamus crimē gloriæ nostræ*. 1. Mach. 9. O pietas! ô celsitudo mentis! ô generosa verę laudis cupiditas! ô mors imortalitate plena! Meretur herois invictissimi virtus, ut eius monumento, quod Módinæ gentilitium habebat, Epitaphium ab eruditissimo Chronologo, P. Jacobo Saliano compositum, appendamus.

Pande sinus Mathathia, religiosæ militiæ veterane ductor: ecce ruit in amplexus tuos Judas ille Machabęus, primogenitus tuus, ornamentū familiæ, & gloria gentis: vir imortalibus promeritis dignus, eius ut gloriosissimū nomē cum laudis excessu, atq; exsuperatione virtutis usurpetur, & JUDAS MACHABÆUS dicatur, quicunq; fuerit omnib' numeris egregi' Imperator. Hic ille est, Viator, qui armatas regū ac principū acies numero formidabiles, qui equos & quadrigas, falcatos curr', efferatos elephātos cum modica fratrū ac sociorū manu fudit, fugavit, contrivit. Hic ille est, qui triū Asiæ ac Syriæ regum Epiphanis, Eupatoris, Demetrij vim ac furorem partim effudit in ventos: partim eos cōpulit ad pacē petēdā. Qui cum novē tum ducibus ac pręsidibus provinciarum, tum proregibus ac militiæ principibus, in acie dimicavit; quorū alios perculit atq; prostravit, victósq; spoliavit, castra succendit; alios relatis opimis spolijs interfecit: & suos ut plurimùm ad unū reduxit incolumes. Hic ille est Imperator, cui militant Cœlites; cui sancti Prophetæ prębent gladiū; Qui denique multitudine, non virtute, circumventus, quot vulnera, tot trophæa monumento intulit, añoSacerdotij ac Principatus VI. ante Ch. CLIX. Mundi cIↃ cIↃ cIↃ DCCC. XCIV. *Judæ epitaphium.*

Eleazari quoque fortitudo cum elogio, quod ei D. *Ambrosius* scri- *Eleazari elogium.*
„ psit. 2. *Offic. cap. 40.* memoranda: Quanta, *inquit*, ista virtus animi!
„ primò, ut mortem non timeret; deinde ut circumfusus legio-
„ nibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium pe-
„ netraret agmē, & contempta morte ferocior, abjectô clypeô, u-
„ traq; manu vulneratæ molē bestiæ subiret ac sustineret. pòst, in-
„ fra ipsā succederet, quò pleniori feriret ictu, cuius ruinā inclu-
„ sus magis, quàm oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fe-
„ fellit opinio virū, quāvis regi' fefellerit habit'. Tāti enim virtutis
„ spectaculô defixi hostes, inermē, occupatum incursare non ausi,
„ pòst casū ruētis bestiæ sic trepidaverūt, ut impares se omnes uni'

„ virtuti arbitrarentur. Hæredem virtutis suæ, pacem reliquit. Acutè Emmanuel Thesaurus in elogijs Patriarcharum;

Eleazarus Antiochum petijt, sed pro Antiocho
perijt bestia.
Pro simili similis, imò idem.
Uterque fera; uterque duplici corde, & excors.
Sed elephas inter bruta rex est, ille inter reges brutum.
Gaude felicissimo errore, fortissime heros.
De elephanto non Tyrannum, sed Tyrannidem sustulisti.
Habes, quod optas.
Sentis ex trophæi pondere, victoriæ magnitudinem.
Novo ritu triumphas;
Nam cæteri elephanto vehuntur, tu ipsum vehis.
Nec tumulum cura; elephanto tegeris pro Mausoleo,
Neque incidendo emblemati petenda procul segmenta,
Debellatus elephas ebur ministrat.

DEUM ultrices iras in scelestos, & præsertim blasphemos refundere, multæ nos è divinis libris historiæ docuere. Luculentum ut hominis impij & jurati DEO hostis exemplum, ita vindictæ quoque, Nicanor extitit; suísque pœnis monstravit, nimis quàm verum esse illud Sap. c. 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Redeunt in caput blasphemum jacta in cœlum convitia. Nicanoris lingua minutim concisa, & brachium truncum è sublimi præfixum, omnibus magistratibus ob oculos versentur, ut Iudæ Machabæi imitatione ne sinant impunè DEUM contumelijs lacessi. Hîc verissimum illud: *Qui non corrigit resecanda, committit.* Et quicunque injuriosas in DEUM, résque DEO dicatas stringunt linguas aut manus, horrescant Nemesin pari fato, supplicióque scelerati Nicanoris socios persecuturã. Ita fœdissimus ille Religionis Catholicæ desertor, & capitalis Nominis Christiani hostis, Julianus Imp. in expeditione belli Persici sagittâ de cœlo missâ percussus (Nicephorus à *D.* Juliano *M*art. occulta manu confossum scribit) impia voce exclamavit: *Vicisti Galilæe*, (Christum ita contemptim appellans) *Vicisti*! simúlque haustum è vulnere cruorem in cœlum ejaculans. *Nazarene*, inquit, *bibe*, *& saturare*; eóque temporis puncto execrabilem cum blasphemia spiritum in orcum exspuit; *Baron. ad ann.* 363. ubi *commanducant linguas suas præ dolore, qui blasphemaverunt DEUM cœli* Apocal. 16.

Nicanor exemplum castigatæ blasphemiæ.

NARRATIO.

NARRATIO CXIV.

ANTIOCHI EPIPHANIS, TETERRIMI TYRANNI, FUNESTUS EXITUS.

Ex lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. cap. 9.

Anno M. 3891. ante Christum .162.

MOrtalium omnium, uti memoratum est, sceleſtiſſimus *Antiochus*, auditis proſperis Iudæ Machabæi ſucceſſibus; relictis *Ecbatanis* Medorũ urbe, cui imminebat, in Syriam, & hinc in Iudæam feſtinare contendit. Maledictis & exſecrationibus admiſcens minas, jurabat, Ieroſolymam ſe redacturum in ſepulcrorum congeriem. Cúmque dictis hiſce, tanquam ocyùs eorum fidem expleturus, currum, quo vehebatur, agitari celeritate majore juberet, ægrè comitibus ac peditatu copiarum, properantis impetum aſſequentibus, res ita, Providentiæ quoque cœleſtis intercurſu, ſe tulit: ut belluarum una, cæteris elephantis iracundior, in agmine, ferociſſimo cum ſtridore barriret. ad vocis eius inſaniam terretur Antiochus, exſternantur equi regij: calcitrant impatienter: Antiochúmque tandem, ſuccuſſione continua, ſede motum excutiunt. Hunc (ut obeſi corporis hominem) & lapsûs impetu graviter, & mole membrorum longè graviùs afflictum, alliſúmque: cùm artubus omnibus contuſus, exanimi ſimilis jaceret; humo ſatellites erigunt, & gerulorum manibus, ac ſellâ Babylonem verſùs deportare pergunt, geſtationis, motúſq; ægrè patientem: & diriſſimis inſuper viſcerũ tormentis excruciatum. *Antiochus curru excuſſus graviter affligitur.*

Corporis cruciamentis acriora ſuperveniebant animi ſupplicia. Nam mortis vicinia præteritæ vitæ geſtis diem dicebat: & hunc quidem omni cauſſidico deſtitutum. Antę palpitantis ergo memoriæ perſpicaces oculos, cum exprobratione ſtabant tot Iudæorum millia, ſine cauſa probabili trucidata. Stabant, Iudęa pervaſtata; Ieroſolyma flamis abſumpta; Sionis arx per injuriam dominis ſuis erepta; Sacerrimum urbis, orbíſque templum, omni contaminationis genere violatum: direpti theſauri: polluta victimarum Ara: divina librorũ monumenta porcino cruore cõſpurcata, cõſciſſa gladijs; abolita ſacrilegis ignibus: ac Lychnus im̃ortalis, extinctus & ablatus. Adhęc obverſabantur angorib' illius, *Antiochi cruciatus animi.*

immanitate

imanitate plùs quàm Scythica torqueri, necaríque jussus Eleazarus: præcipitatæ de muris religiosissimæ viragines; in cruces acti sacrorum suorum retinentes tot viri; proptérque suillæ recusatum usum, exquisitissimis afflicti, sublatíque suppliciis, septem electi flores adolescentes, & eorum magnanima mater, in suis & Antiochiæ totius oculis. Israëlis denique terra, tot immissis in eam bellis & exercitibus, bustum propemodùm & ruderetum, universa per ipsum facta: vix modicè nunc ab incolarum reliquiis erigi, reficíque cœpta.

Antiochi sera vota. Super hæc autem omnia recordationem eius infestabat, cõtemptus, exagitatúsque Iudææ Deus; hinc omniũ sibi malorum, quibus tunc premeretur, origines ac promerita fluere. quibus aspellendis quidnã superesset jam præsentius, efficaciúsque, quàm eundem illum, quem ad eum usque diem aspernatus ac persecutus esset, Deum, placare nunc, & votis sibi demereri? Iudæorum autẽ tam Sacra, quàm fortunas & jura, quæ per nefas invasisset, in integrum restituere, ablata templo vasa reddere; victimarum statas impensas è fisco regio præbere; Hebræos privilegiis libertatis, quibus Athenæ fruerentur, donare: ipsum se (si morbum & mortẽ evasisset) Iudæorum religioni addicere, & omnibus gentibus contestari, Iudaici DEI vires ac majestatem; illum, illum, quem nemo videre possit, verum ac manifestum esse Deorum DEUM.

Quæ vota ac promissa cùm nec apud mortales tunc, nec apud immortales fidem reperissent: &, si vel maximè sinceritatis vitiò carerent, solius tamen pœnæ temporariæ fugiendæ spe concepta, nihil ingenuum spirarent, regi nequam, propitias æternæ Majestatis aures minimè conciliârunt. Pergebat igitur torquere DEI vindex ira. Supra patientiam omnem humanam excruciatur tyrañus: animum fatigant assiduus quidam, profundissimúsq; mœror, & imaginum horrificarum perpetua terriculamenta ad amentiam usque. Corporis dolorem perpetuò crescentem exasperârunt in intestinis insuper enati vermes, & intra cutem sordes pediculares exortæ. Quæ pestes vehementissimè rodendo, mordendóque, tamdiu ventriosum exedebant abdómen: donec diffluentibus demum visceribus, cum carne rupta, dilapsáque exitum invenirent. Unde fœtor egressus incredibilis; hoste quovis & gladiò potentiùs circumstantes amicos, satellites, & exercitum fugabat: tam intolerabilis ad extremum, ut ipse semetipsum Antiochus aversaretur ac fugeret. & jam mors illi, pro qua depellenda tot vota nuncupârat, in votis vel primis esset.

Antiochi fœtor & corrosio à vermibus.

Antiochus documentum vindictæ divinæ. Mortis ergo tandem post implexos, longósque dolorum circuitus, compos effectus decessit, *Propositorum* bonorum sarcinâ pressus

pressus gravi, sed *Operum* pessimorum mole longè graviore superobrutus: quibuscum descendit ad rogos sempiternis incendijs æstuantes. Id quod ei verbis minimè perplexis, obscurísve, Machabæorum fratrum chorus, Antiochiæ quondam tostus, præsagivit. documento sanè quàm maximè formidando Principibus, ac Toparchis illis, etiam pòst futuris; quibus non insontium modò spiritus ac vita (pretiosum DEI munus) inter projectissima sunt: sed etiam Divina, Consecratáque, prædæ, quæstuíque fiunt.

DOCTRINA.

N*Unc reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem.* 1. Mach. c. 6. Tandem ad mentem redit furor. Vermis rodentis conscientiæ longè acerbiùs cruciavit Antiochum, quàm quos putredo flagitiosi corporis excluserat. *Nunc reminiscor*, inquit, *malorum*. Objecerunt se menti minæ, terrores, formidines, criminum ultrices Furiæ. Admiranda vis est accusatoris interni; sine apparitore cogit reos ad domesticum tribunal; ultro scelera se cuncta sistunt, & instantis à tergo Vindicis DEI sententiam excipiunt. Verè Ecclesiasticus, cap. 25. *Omnis plaga, tristitia cordis est.* Facinora atque flagitia sua ipsi in supplicium vertunt impij. *Tacitus annal. lib. 6.* scribit, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando, ut corpora verberibus: ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. *Tormentum malæ conscientiæ.*

Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modū superbiâ repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam DEI virtutem in semetipso contestans. Et qui paullò antè sidera cœlisse contingere arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. lib. 2. Machab. c. 9. Hunc finem sortitur superbia; dum nimiùm tumet, rumpitur. De Domitiano Suetonius: Cùm procuratorum suorum nomine dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus & DEVS noster fieri jubet.* Audi mortem. Oppressus est amicorum, libertorúmq; conspiratione, simul & uxoris. Idem de Calligula. Templū numini suo propriū, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit: cōsistens sæpe inter Deos medius, adorandū se adeuntibus exhibebat. Secuta mors, triginta vulneribus gravis, Chærea & Sabino auctoribus; uxoris etiam Cæsoniæ, & filiæ. Sentis nunc, sentis miser Antioche, qualis inter undas sis Neptunus, inter montes Atlas, inter Sidera Orion. Tuus tridens est baculus, quô corpus collisum sustentes; tua statera montium libratrix, est feretrum, quô vivus efferris; tua Sidera, sunt vermes, qui per corpus omne volvuntur; Et thura tibi Numini adolenda, sunt fœtores, quavis Mephiti graviores. Ubi nunc *Exprobratio arrogantiæ & tyrannidis.*

assentatores tui? ubi ministri scelerum? ubi crudelitatis satellites? ostende sis potentiam tuam, gentium latro, & in hostem per viscera grassantem, imperium exerce. Sta hîc superbia, & dum spirans cadaver aspectas, altiora humana sorte spirare disce. Lentè moritur tyrannus, ut crudelitas tot funeribus cruentata, sentiat, quid patraverit in alios.

Cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. lib. 2, Mach. c. 9. Extorta per carnifices morbos, est hæc ex carnifice confessio. Quis modestiam docuit arrogantissimũ caput? plagæ. Si minùs, sapere; certè sapientiùs loqui didicit. Sed quidquid hoc resipiscentiæ fuit, in sola lingua natum est. Phryx contusus jam se mortalem fatetur, & immortalibus imparem. Quid aliud loqueretur fera intra casses inclusa? explica captam, & videbis ad naturam suam, redeuntem. *Justum est*, inquit, qui justitiam nesciebat omnem. Jam vult *DEO subdi*, qui subditos DEO populos ferro, flammáq; persecutus est. Ex fœtore sese mortalem, ut olim ex vulnere Alexander se hominem, agnovit. Ubi modò illustris Epiphanes ille? ubi sceptra & coronæ? Vivus, vidénsque cogitur esse vermium pabulum. Funus est ante funus; id ante sepulchrum patitur superbia, quod mortalitati post fata subeundum. Sic DEUS Fastum ulciscitur. Quot prorepserunt è corruptis visceribus animalcula, tot milites immisit, ad hunc thrasonem sternendum.

Pœnitentia sera, rarò vera.

Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. lib 2. Mach. c.9. Quid impetrarent manus cœlo sublatæ, sed innocentum sanguine cruentæ? Deus apud Isaiã, c 1. hos Oratores reijcit: *Cùm extenderitis*, inquit, *manus vestras; avertam oculos meos à vobis &c.* manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. At grandia promisit Antiochus. At, *Augustino* teste *serm. 19 de verbis Domini: Deus cor interrogat, non manum.* Consonat Siracides c. 34. *Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis.* Deus nimirum offerentẽ attendit, non oblata. Has preces abjectus timor extudit. De quo *D. Gregorius* „ *in Past. 3. part. c. 14.* Bona pro semetipsis amanda sunt, & nõ pœnis „ compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, „ quia tormentorũ mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut au-„ dacter illicita cõmittat. Et *Augustinus contra Pelag. lib. 2.* Quando ti-„ more pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bo-„ num; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet „ non facere, si posset impunè. Salomon in proverb. cap. 1. ait: *Tunc invocabunt me, & non audiam: Manè consurgent, & non invenient me.* Impij DEUM invocant *Manè.* id est illicò, ubi se malis circumdatos viderint, postulántque remissionem non culpæ, sed pœnæ.

DEUS

DEUS autem reddit par pari; surdis se præbet surdum. Aperit oculos pœna, quos tenet occlusos culpa. Equidem nunquam est in hac vita pœnitentia sera, si vera: sed rarò vera, quæ sera.

Ut verò duplex est Amor, quô in DEUM ferimur; alter *Amicitiæ* seu *Benevolentiæ*, quando DEUM amamus propter se solum, & insitam ipsi bonitatem; alter *Concupiscentiæ*, quando propter nostra commoda eum diligimus: Ita Timor quoque geminus est. Prior, *filialis* & ingenuus, qui nascitur ex amore amicitiæ, peccatúmq; reformidat, quia est offensa parentis longè optimi, & omni observantiâ dignissimi. Posterior, *Servilis*, quô non amatur, (ut Augustinus loquitur) justitia (seu virtutis pulchritudo) sed timetur pœna. Atque hic Timor Antiocho gemitus & suspiria expressit, nihil profectura. Neque enim cupijt conciliari DEO, sed liberari plagis. Et quoties cadunt lacrimæ delinquentibus, sed ignobiles, & nullius apud DEUM pretij; dum vel solo naturæ sensu deflentur scelera, quia patrantibus damnosa. Ita fieri videmus, ut patibularius aliquis, jam jam in furcam agendus, doleat de furtis à se commissis, illáque aversetur & detestetur, quia vita immaturô fatô abrumpitur; quia mors ignominiosa infertur; quia quod fecit alijs, ipse sibi factum esse noluisset &c. Vel si dolor altiùs supra naturam assurgat, caussas tamen suas ex timore *servili*, aut ex amore concupiscente trahit; unde sine Sacramentis vim extinguendi graviores noxas non habet. Tertius demum perfectus est dolendi modus, cùm detestaris crimen, quia DEUM offendit ter optimum maximum, ob suam sanctitatem & amabilitatem dignissimum, cuius mandatis per omnia obtemperetur, etsi nihil esset, quod vel metueres ab eo, vel sperares. Sed ad Antiochum; cui epigramma sepulchrale sacer Historicus breve, sed nervosum, scripsit hoc:

Duplex amor & timor Dei.

Dolor ex timore servili non delet peccata.

Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus, miserabili obitu, vitâ functus est. lib. 2. Mach. c. 9. Verissimè Salomon in Proverb. cap. 14. *In malitia sua expelletur impius*: Dum flagrant delicta, dum robustissima est malitia, dum scelus in summo; violenter è medio tolluntur impij, & tanquam saginati boves, cum horribili mugitu rapiuntur à Morte, & Orci victimarijs traduntur. Ita expulsi sunt Antiochus, Herodes infanticida, Diocletianus, Valerianus, Maximianus, Valens &c.

Epigramma sepulchrale Antioch.

NARRATIO CXV.

IONATHAE ET SIMONIS MACHABAEORUM, JUDÆ FRATRUM, JUDÆÆ DUCUM AC PONTIFICUM ACTA.

Ab anno Mundi 3910. ante Christum.143. ad annum Mundi 3919. ante Christum. 134.



Ereturnomen & virtus Machabæorum, ut paucis delibemus potiùs, quàm enarremus, quibus fatis *Ionathas* & *Simon*, vitæ ac gloriæ suæ spatium decurrerint, quósque in Principatu tam sacro, quàm profano habuerint successores.

Postquam *Iudas*, & *Eleazarus* fortiter faciendo occubuerant in prœlio; eorúmque frater germanus *Ioannes*, cognomento *Gaddeus*, à Iambræis (Mádabam, urbem trans Iordanem incolentibus) in itinere ad Nabathæos Arabes, per insidias exceptus, & interfectus fuerat; Ionathas cum Simone rem Iudaicam domi, forísque sustentavit. Illum quidem Ducis cuiusdam militaris *Syri*, *Tryphonis* nomine: hunc duobus cum filijs *Ptolemæi* generi, perfidia evertit. Tryphon igitur cum per omnes militiæ gradus & ordines, rerum gestarum commendatione provectus, novissimè pro Tutore se ferret Antiochi *Balaida* (filius hic erat *Alexandri*, subsessoris regni Syriæ, quem Epiphanes Antiochus è pellice, cui *Bala* nomen, suscepit; unde Alexander *Balæus* cognominatus, & huius filius Balæides) & rege *Demetrio* (qui *Nicanor* dictus est, Demetrio *Sotére* genitus) ex Syria pulsô, constituisset regnum Syriacum facere suum; puerum autem *Antiochum* malitiæ suæ velamen habere; quoad nactus opportunitatem, hôc interfectô, supremam potentiam ipse, nullo reguli vindice, corriperet: decrevit *Ionatham* (cuius amicitiâ & armis *Syri* tum stabant) consilij sui unicum obicem è medio tollere. Quod cùm aperta vi efficere non posset, ad fraudes confûgit. Invitat Ionatham è castris (in quibus quadraginta tum millia militum numerabat) in sua castra; excipit perhumaniter, amicum appellat, muneribus donat; persuadet inter epulas, ut multitudine utrinque dimissa, simul Ptolemaidem (urbem Ægypti celeberrimam) abirent; & cum paucioribus circùm se, dignitatis potiùs, quàm tutelæ, salutísque

lib. 1. Macb. cap. 9.

1. Macb. 11.

1. Macb. 12.

salutísque caussâ retentis, in rem præsentem venirent: urbem se, finitimásque munitiones, Ionathæ præfecturæ, custodiæque permissurum. Ille, Deô non consultô, copiarum suarum triginta septem millia remittit Ierosolymam; non nisi tribus millibus præsidij causså retentis; paullò pòst ex ijsdem duo millia (fortè ostentandæ fiduciæ quoque gratiâ) mittit in Galilæam; ut adeò mille jam solos, satellitium veriùs, quàm armatorum præsidium, circùm se haberet. Itur inter hæc Ptolemaidem. Ibi dum Dux & Pontifex Hebræus promissorum fidem, & honores novos exspectat, obseratis portis obtruncantur milites; ipsi compedes inijciuntur & catenæ.

1. Mach. 13.

Jonathas cum mille, militibus perfidè opprimitur à Tryphone.

Quibus rebus Ierosolymæ intellectis, populi suffragijs in Ionathæ locum *Simon* sufficitur; primas is inter curas habuit, contrahere, quidquid militarium in Iudæa copiarum erat; dein affectas jam urbis ædificationes, ac potissimùm murorum turriúmque cæptas à Ionatha munitiones ad fastigium perducere priùs, quàm Ierosolymam *Tryphon* incursaret. Qui, ne cunctatione spes suas corrumperet: aut incolumi Simone, paria consilijs suis impedimenta metuere cogeretur, qualiáque, florentibus adhuc Ionathæ fortunis, formidâsset, exercitu Ptolemaide moto, Ionatham secum vinctum trahens, tendit in Iudæam, ut & Simonis potiatur. Cuius hic adventu cognito, prior ei, suis omnibus eductis copijs, occurrit. Tryphon more suo ad fallaciam conversus, mittit, qui Simoni, tanquam auctoritate regia Legati denuntient, non bellum id esse, sed æris duntaxat alieni, quod regijs in tabulis, negotiorum suorum causså contractum, adhuc inexpunctum Ionathas haberet, exactionem; ideóque in nexu esse Ionatham, quoad obligatam eius fidem repræsentatum argentum, & idonei præterea vades, quibus Ionathæ societas Antiocho regi, posterum etiam in tempus adstringeretur, exsolverent. Mitteret igitur Simon argenti talenta centum, debiti nomine; duósque præterea Ionathæ filios parvulos, paternæ simul fidelitatis obsides, ac transfugij frænum. Sic & ipsos inter se posthac concordes futuros, & Ionatham in libertate victurum.

Tryphon pecunias & duos Ionathæ filios fraudulenter extorquet ex Simone.

Imposuissent Tryphonis ea tam composita, temporúmque casibus congrua verba cuivis non sagacissimo. Non fefellerunt exercitatæ calliditatis virum, prudenciáque rerum veterana spectatũ Simonẽ probè perspicientẽ, quibusnã hęc ex artibus proficiscerentur, aut ea postulata quorsum spectarent: ut unâ videlicet, eadémq; Tryphon operâ pecuniam simul & pueros; & horũ, parentísque vitam auferret. Quòd tamen ea Legatorũ postulatio própalam esset in castris facta, passímque jam in vulgus exisset ac

 populum

1.Mach. 13. populum, cui Jonathæ salus erat longè charissima, videbat Simon, si, quantum Tryphon redimendo Jonathæ pretium indixerat, ipse pendere detrectâsset, magnam se apud omnes, interfecto fratre, invidiæ calumniam subiturum; misit igitur, quæ postulata fuerant, centum argenti talenta & duos Ionathæ filios, séque suspicionibus absolvit, tanquam non pecuniæ magis, quàm potentiæ retinens esset. At non & Ionatham perfidus Tryphon absolvit; quem duobus cum filijs immanis carnifex interfecit. Ipse quoque regnô Syriæ per regicidium occupatô, ab Antiocho (Sidéte) rege obsessus (nam perfidia diu felix esse non potest) denique sibi manus intulit, desperatione adactus. *Salian. ad annum M.* 3918. Teterrimus bipedum ipse sibi *Tryphon fuimet carnifex justa* moriens fecit, qui *ius* in vita nullum ulli reliquit; & sicubi reperit, id vel vi, vel fraude pessumdedit.

Ionathas cum duobus filijs perfidiosè interficitur.

Simon audita Ionathæ, filiorúmque morte, postquam eos Módinæ, majorum sepulchris, suo, publicóque populi luctu intulit, exstructô de Pario marmore, monimentô, pyramidibus septem visendô; à privatis rerum curis, ad publica opera conversus, cùm præsidijs & munitionibus ubique per Judæam adversùs barbarorum vim instructis atque firmatis, patriam libertati, à tot jam annis intermortuæ reddidisset, privata, pulicáque ædificia instaurâsset, arce Sionæa hostes ejecisset, compluráque Philisthinorum oppida, Iudaicæ ditioni adjecisset; Antiochus *Sidétes* (vel Sedétes, nomine tracto ab urbe quadam Ciliciæ, cui *Sidi* appellatio, in qua pueritiæ annos exegit) Tryphonis expulsor, per *Cendebæum* Legatum suum Palæstinam adortus est. Simon, quòd esset sexaginariô major, è filijs tribus, quorum erant nomina, *Iudas, Ioannes*, ac *Mathathias*, duobus natu grandioribus, suas in posterum vices mandat, in hostibus populi DEI persequendis: exemplísque fortitudinis Majorum suorum, & imprimis avi, quatuórque patruorum, qui bellô sacrô viriliter occubuissent, animatos: fiduciâ cumprimis cœlestis opis, quæ nunquam amicos DEI destituisset, ad suscipiendam adversùs barbaros expeditionem incendit.

Sepulcrum Ionathæ.

Simonis cura pro republica.

1.Mach. 15.

Valuit ea patris cohortatio tantùm apud filios, ut Joanne potissimùm adnitente, numerosus in paucis diebus eques, ac peditum acerrimorum viginti millia Ierosolymam coirent. Qui cùm Syros magna clade profligâssent, tantáque *Sidétem* animi ægritudine, quanta parentem lætitiâ replevissent, rex Syrus ad dolos confugiendum ratus, ut Simonem, filiósque, sub affinitatis & amicitiæ blandimentis deciperet, *Ptolemæum* quendam, natione Iudæum, Simonis generum, Ierichuntinæ ditionis præfecturam, suffragatione soceri obtinentem, Pontificatui, civiliúmque rerum imperio inhiantem, ministrum fraudis delegit;

Simon cum filijs per generum suum proditorem interficitur.

1.Mach.16.

à quo

à quo Simon cum filijs Juda & Mathathia in arcem *Docham* invitatus, in media convivij hilaritate, incisis cervicibus, & trajectis ferrô pectoribus, interemptus est.

Non contentus ea crudelitate sanguinarius parricida, mittit in urbem *Gazam* seu *Gazaram* ad Ioannem Machabæum, tertiū Simonis filium, qui per caussam legationis ac negotiorū, prolatis repentè, nudatísque telis, incautum opprimerent. At is de periculo, totáque re gesta comonitus, ijs, qui sui perdendi caussâ venerant, & admissionis copiam fecit, & ferrô suô trucidatis vivendi finem. Nec ita multò pòst Antiochus Sidetes validissimo cum exercitu Ierosolymam ex omni circumquaque parte premens, in biennium usque, fame dira clausos ac semianimes oppidanos affligebat; quare de sententia Prócerum ac plebis, Ierosolyma regi tolerabiles in conditiones permissa est. Ioannes pace facta; obsidibus, & quinquaginta talentis datis, Sidétem in Parthos, cum auxiliaribus copijs comitatus, ob penetratam armis *Hyrcaniam*, nomen *Hyrcani* adeptus, rem Iudaicam, Sidéte in Perside peremptô, multis incrementis auxit. Is tamen *Sadducaeū* se professus, spiritus, & angelos, & corporum in fine mundi reparationem habens in delirijs, bellicæ quidem virtutis ingentem gloriam; contaminatæ verò religionis æternam post se infamiam reliquit.

Antiochus Sidetes Ierosolyma se dedit.

Ioannis Hyrcani cognomen & fortuna.

Ei successit in Pontificatu filius *Aristobúlus*; is Syriæ regibus, *Grypo* & *Cyziceno*, communi appellatione *Antiochis* (priorem aliqui *Gryphum* vocant, ob aduncam, & in gryphis morem inflexam nasi formam: posterior ab urbe *Cyzico*, educationis loco, denominatus est) inter se dimicantibus; seipsum interea, nemine refragante, fecit è Duce Regem: Judæam autem è Satrapia Regnum. Idipsum etiam *Alexander* mox fecit successor, Hebræis *Ioannes* ac *Janneus* appellatus. Idem & cæteri deinceps Machabæorum nepotes ac pronepotes infelices plerique Sadducææ sectæ asseclæ, ad Herodianam usque Domum eis subrogatam, fecerunt. *Joan. Bisselius in Ruinis Illust. Dec. 3. n. 18.*

Aristobúlus ex Duce se regem facit.

DOCTRINA.

PEriculosa sunt odia, quæ amicitiâ vestiuntur; nocent enim graviùs, dum minùs timentur. Et primus insidiarum aditus est per nimiam securitatem. Cautorum lex est: Time, quidquid timeri potest; Pauciora subit discrimina, qui timet plurima. Ionatham & Simonem cum filijs perfidia sustulit, quod gladius non potuit. In adagijs fertur: Qui cum lupo pacem cogitat, dentes ei excutiat. Talis lupus fuit Antiochus. 1. Mach. cap. 1. *Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei. Et irruit*

super

super civitatem (Ierosolymam) *repentè, & percussit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum ex Israël.* Talis lupus Bacchides & Alcimus. 1.Machab.7. *Et locutus est cum eis* (Iudæis) *verba pacifica, & juravit illis dicens. Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei. Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die.* Altera nimirum manu lapidem ferebant, altera panem ostentabant. Debebant Machabæi tot exemplis docti, devitare pericula; sed malebant cordata pectora plus alienæ fidei, quanquam suspectæ, quàm timiditati suæ tribuere. Siracidis monitum est cap. 12. *Ne credas inimico tuo in aeternum; & si humiliatus vadat curvus, adijce animum, & custodi te ab illo.* Lingua fluit melle, pectora natant felle. Ore lambit homo vapidi pectoris, animo lethiferas sagittas tendit. Vetus est Davidis querela psal. 54. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt jacula.* Verba composita, & oleo leniora; corda exasperata odijs, & ad nocendum parata. In oculis columba sedet; in mente basiliscus latet. Hanc fallaciam memoratus Ecclesiasticus cavere jubet cit. cap. *In labijs suis indulcat inimicus: & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.* Talis insidiarum artifex fuit dolosus Tryphon; de quo 1. Mach. cap. 12. *Excepit eum* (Ionatham) *cum honore, & commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera, & praecepit exercitibus suis, ut obediant ei, sicut sibi.* En foveam insidiosè instructam. Quid sequitur? *Ionathas credidit ei, & dimisit exercitum.* O candorem simplicem, tantò proniorem falli, quantò fallendi minùs gnarum! Tua te, fortissime heros, bonitas decepit: Hæres in perfidiæ casse. Nam *Clauserunt portas civitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum eo intraverant* (mille viri) *gladio interfecerunt.* Hoc habet incauta securitas. Vox sapientum est: alterius ne misericordiæ se Dux militaris exponat; ab unius enim vita, reliquorum salus pendet. Ionathas credebat, fidem etiam à barbaris datam, ijs fore sanctam, quam qui violat, jus gentium violat, & humani societatem generis dirimit. Sed de hoc minimè laborabat sceleribus omnibus coopertus Tryphon; in quem meritò laudes illas conferas, quibus *Livius lib. 1. de bello Punico,* Hannibalem affecit. In eo viro (*inquit*) crudelitas inhumana: perfidia plusquam Punica: nihil veri, nihil sancti, nullius dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Huc facit apologus de lupo & hystrice. Lupus esuriens hystricem ambiebat, sed cautè, aculeatum formidabat. Igitur verbis eum humanis adijt, suasitque, ne pacis tempore, inutile telorum pondus corpore traheret, cùm alij sagittarij extra prœlium sagittas deponerent. Cui hystrix respondit, adversùs lupum semper prœliandi tempus esse. Nempe adversùs hostem fraudulentum, semper munitum esse convenit. Imitandæ viro prudenti sunt cochleæ, quæ nusquam se movent, nisi viam

Machabaeorum candor animi.

Fraudulentorum insidiæ.

Incauta securitas.

Cautela à brutis discenda.

nisi viam cornibus prætentârint. Et de vulpibus *Plinius* scribit *lib.8 c. 28.* observatum esse in Thracia, eas transituras glaciem, apposita prius ad glaciem aure, ex aquæ fluxu densitatem illius conijcere, ut non nisi securæ commeent. Ionatham perfidiæ crusta fefellit, haud advertentem, Letheas subter eam aquas volvi.

Et poterat sanè caveri Tryphonis insidiosa benevolentia, & infida amicitia; nam hostis erat, & notus ex artibus Sinonijs; sed Simoni non perinde pronum erat, insidias Ptolemei, generi sui, declinare. Necessitudo affinitatis omnem suspicionem eximebat. Æquè enim in reprehensione est, qui inimico nimis facilem adhibet fidem; quàm qui difficilem amico. Quid enim perfidæ simulationis in eo metueret Simon, quem nuptijs filiæ, honorum suffragatione, religionis societate sciebat sibi devinctissimum? Sed avaritiæ & ambitioni nihil est sanctum, nihil inausum. Dux Machabæus dum omnia læta sibi fingit & tuta, incidit in proditorem & parricidam longè teterrimum. A genero trucidatur in mensa hospitali socer cum filijs; epulæ cognato sanguine asperguntur.

Difficulter cavetur amicus perfidus.

Verum est illud Venusini Poëtæ: *Nemo satis cautus est in horas.* Fraus & dolus pridem occupârunt orbem; proscriptus candor, extorris fides, exulat veritas. Ubique histriones vultus, & mimæ linguæ. Cuncta fucis & larvis plena. Ovillus habitus, lupinus animus; frons blanda, mens perfida. In oculis omnia serena; gravis in recessu tempestas. Scorpius venenum in cauda gerit. In emblematis est, Manus oculata, obeliscum tangens, cum lemmate: *Vide, cui fidas*; si tanquam obeliscus stare cupias, nec aliorum „ subverti fallacijs. *Boëtio* teste *lib. 3. de consol.* Nulla pestis est efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. Et juxta *Senecam:* „ Gravior est inimicus, qui latet in pectore; quàm qui palàm „ adversatur; hic enim vitari potest cavendo; at ille haudquaquã; quò latentior, hòc nocentior. Troianus equus ideò fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est. Salomon in Proverb. c. 10. monet: *Abscondunt odium labia mendacia.* & c. 26. *Labijs suis intelligitur inimicus, cùm in corde tractaverit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei.* Falsò condolet, fictè promittit, verè ludit. sanctè loquitur, ut efficaciùs fallat.

Ad quodcunque nefas aditum submissio pandit.
Ut in exitu occîdant, introitu blandiuntur.

Et verò hoc vitium in Aulis maximè viget.
Amicitia & sincerus amor, rarum in aulis nomen, ait celebris & religiosus Scriptor. *Drexel. in lingua Politica* § 5. Vafrities hæc pseudo-politica, chameleontis instar colores omnes inducit, præter albũ. Omnia de composito, nihil ex vero, candidóque. Illud Veteris Comici temporibus nostris occini possit.

Simulatio & deceptio, commune malum.

Vix hodie fidei fides sit, sine fidei dispendio. Adeò nihil sincerum, nihil germanum. Amicus in obsequio: hostis in animo; comptus in verbis, turpis in factis. Foris mille cæremoniarum elegantiæ; intùs merum inane. Et utinam inane. Ecclesiasticus describens hosce Proteos & Polypos, cap. 19. *Est*, inquit, *qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.* Quàm multos videas, officiorum & obsequiorum plaustra offerentes; animo nihil nisi odia coquentes. Ludificatur virtus fraude circumventa, tantò insidijs opportunior, quantò sui securior. Confirmat Siracides locicit. *Est, qui nimiùm se submittit, & si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.* Nam secundùm Aristotelem 2. Rhet. Occasione duntaxat opus est improbitati.

Præcepta Pseudopolitica. Inter complura præcepta Pseudopolitica, hæc quatuor primô ponuntur locô. 1. Illud tecum statuito, nequid cui credas quantumvis in speciem amico: quantumvis arridenti, complexanti, pollicenti, dejeranti; nec quemquam existimes tibi ex animo amicum, nec tu sis cuiquam amicus ex animo; tamen perinde, quasi neminè non ames, ita blandus, & comis esto singulis. 2. Esto largissimus eorum officiorum, quæ tibi nihil afferunt impendij. 3. Saluta blandè, complectere, cede viam, aperi caput, subinde repete honoris & charitatis titulos, lauda affatim, pollicere largiter. 4. Priùs igitur domi vultum componito, ut is tibi paratus sit ad omnem fabulæ partem, nequid veri affectûs in facie subluceat. Meditanda domi est actio, ut oratio vultui, ut vultus & totius corporis gestus orationi fucatæ subserviat. Hæc sunt Aulicæ Philosophiæ fundamenta, ad quę nullus erit idoneus, nisi priùs omnem pudorem absterserit, ac vultu nativo, domi relictô, quasi personam sumpserit. *Iosephus Langius in Polyanthea. v. Aulicus* ex epistolis Erasmi. En bellam Politicam! quis sibi satis caverit ab his fallaciarum larvis? His volupe est, alios ludum facere, & *deridere justi simplicitatem*, quod Iobus c. 12. queritur. Minatur hisce deceptoribus Ecclesiasticus. c. 2. *Væ duplici corde, & labijs scelestis.* Cor bifidum, & lingua bifida. Nigrum & album, calidum & frigidum, amarũ & dulce eodem ahenô coquunt. Sed aderit tempus, cùm vulpes orcinæ vulpinabuntur cum istiusmodi vulpibus. Prædixit psalmographus ps. 62. *Tradentur in manus gladij*: (in potestatem tormentorum infernalium) *partes vulpium erunt*. Subijcientur plectendi dæmonibus, qui vulpinâ suâ versutiâ deceperunt deceptores, & *linguas dolosas* supplicijs mactant sempiternis. Ingeniosum est, quod Interpretes comentantur in Mausolæum, à Simone Machabæo, parentibus & fratribus suis exædificatum. *Erat illud altum visu, lapide polito retrò & antè. Et statuit septem pyramidas: & his circumposuit columnas magnas & super columnas arma, ad memoriam æternam, & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus*

mare

mare. lib.1.Mach. 3. Quid enim naves ſuper columnas? Quid inconſtantiæ Symbola ſupra conſtantiæ ſigna? Quid fluida cum ſolidis? Declarare voluit vir ſapientiſſimus, parentem & fratres ſuos, in morem navigij, varijs rerum adverſarum, & bellorum turbinibus jactatos quidem fuiſſe; ſed DEO nixos, inter quoſvis fluctus & procellas, veluti columnas ſtetiſſe inconcuſſos, & in antiqua Patrum religione, Deiq; cultu imotos. In has pyramides oculũ conijciant, quicunq; fortunæ paullò durioris afflatu, inſtar arundinum ventilantur.

NARRATIO CXVI.

MACHABAEANAE STIRPIS ERADICATIO. HERODIS ALIENIGENÆ IN REGNUM JUDAICUM INVASIO. HERODIANI NOMINIS PROPAGATIO, ET EXCISIO.

Ab anno M.3951. ante Ch.102. ad annum Mundi 4053. JESU Christi annum 1. quo anno Herodes è vivis exceſsit.

Ex Flavio Joſepho, de antiquitatibus Judaicis. Lib. 13. 14. 15. 16. 17. 19. Et de Bello Judaico lib. 1.

HActenus veſtigia ſacrorum Voluminum preſſimus; nunc quoniam cum Machabæorum occaſu, Herodianæ familiæ fortuna miſcetur, proſequemur ex Ioſepho, Iudaico ſcriptore, quæ hiſtorico ſunt nexu colliganda.

Defunctò igitur, ut diximus, *Ioanne Hyrcano,* (primo) *Ariſtobulus* natu filiorum maximus, Iudæi ſibi regis nomen uſurpavit; fratrémque *Antigonum* in ſocietatem dominatûs adſcivit; cæteros eodem patre natos habuit in vinculis; in quibus matrem fame enecavit; paullóque pòſt uxoris *Salómes* (quæ & Alexandra dicta eſt) artibus, Antigoni quoque, tanquam Regiæ, Pontificiæque dignitatis æmuli, ſanguine manus imbuit. Mox fraternæ cædis pœnitentiâ ductus, diríſque conſcientiæ ſtimulis agitatus, morbum contrahit, & cum ſanguinis vomitu ſceleſtam animam eijcit. Argumentum divinæ vindictæ manifeſtum extitit, quòd quidam è ſervulis cruentam ſaniem forâs efferens, eodem in loco effuderit, ubi cruoris fraterni maculæ terram infecerant. Succeſſit in regno

Ariſtobuli tyrannis.

Vindicta DEI in Ariſtobulum parricidã.

 Salóme,

Salóme, *Iannaúmque* mariti fratrem (quem *Alexandrum* quoque vocant) è carcere ad solium evexit. Hic verò cùm promiscuis cædibus tumultuaretur; quinquaginta Iudæorum millibus intra sexennium interfectis, alterum quoque è duobus fratribus sustulit, alterum privatam vitam colere permisit. Immane vel auditu est; Hebræorum Procerum octingentos (quod tyrannidem eius improbarent) inter epulas cum concubinis initas, excelsiore de loco, unde prospectus patebat, jussit crucibus affigi, & miserorum in oculis adhuc spirantium, uxores ac liberos jugulari. Ad extremum, morbô per temulentiam contractô, vino & sanguine ebrius, animam in tartareas flammas efflavit; ubi priùs uxori *Alexandræ* deligendi Pontificis arbitrium permisit, & ut Pharisæorum versutiâ regnum sibi stabiliret, admonuit. Illa monitis obsequens, omnia ad Pharisæorum arbitrium retulit, & per horum conciones adeò sibi populum conciliavit, ut tyrannum epicedijs & sumptuosa funeratione prosecutus sit. Tanti interest, per quos, quóve prætextu quemque trahas. Erat ea tempestate Iudæa gens in duas maximè sectas scissa; Nobilitas *Sadducæorum* (qui eundem & corporum, & animarum interitum asserebant; populus verò *Pharisæorum* dogmata, qui Stoico quodam supercilió Legis divinæ peritiam, & virtutis austeritatem, insigni cum hypocrisi professi sunt) complectebatur. Horum ergo viribus Alexandra suffulta, post nonum gubernationis annum, *Hyrcanum* (secundum huius nominis) filium natu majorem, quem jam antè Pontificatui præfecerat, successorem constituit. Hunc (quippe ad publicas curas languidiorem) Aristobúlus secundò genitus, & elegantiâ morum, ac corporis dignitate apud omnes gratiosus, armis victum, in ordinem redegit; ipse sceptrum & tiaram arripuit. Quod utrumque, superveniens Hierosolymam cum exercitu *Pompejus* ei rursus ademit; Pontificatum Hyrcano restituit; Iudæam tributariam Romanis fecit, *Antipatrô* ei præfectô, gente *Idumæo*, *Herodis* (qui ab urbe Ascalone, ubi educatus, *Ascalonites* dictus) parente. Aristobulum cum filijs Romam abduxit: Templum Solymæum (quod vi expugnaverat, duodecim Iudæorum millibus interemptis) ingressus victor, ex eo nihil abstulit, nec Sacris operantes Sacerdotes interturbavit.

Crudelitas Iannei seu Alexandri.

Alexandra Iannæi uxor per Pharisæos populum sibi conciliat.

A Pompejo Judææ præficitur Antipater Herodis parens.

Tum primùm libertas Iudæorum amissa; urbes de Syris antehac captæ, iterum redditæ; regnum, à quo priùs Pontificale genus honestatum, ad plebejos translatum: muri civitatis dejecti, circa annum Mundi 3991. Viginti pòst annis *Pácorus*, *Oródis* Parthorum regis filius, pleràque Syriâ in potestatem redactâ, *Hyrcanum* Romanorum (quibus infestus erat) amicum Pontificali dignitate exuit; *Antigonum*, eius ex fratre Aristobulo

Pacorus Parthorum rex acta Pompeij rescindit.

ftobulo nepotem fubftituit; ipfum Hyrcanum cum *Phafelo* (natu majore Antipatri filio, Iudææ præfecto) in vincula conijcit; Hyrcano, ne fpes ad priftinos honores relinquerentur, auriculæ amputantur; Phafelus, defperatione adactus, allifo ad faxum capite vitam abrumpit. *Herodes* Antipatri filius natu minor, Galilææ principatum obtinens, in Arabiam, & inde Romam elabitur, Rex Iudææ à Senatu appellatur; Antigonus hoftis declaratur. Qui deinde juffu Marci Antonij (pecunijs ab Herode ad id inducti) Antiochiæ in foro publico fecuri percuffus eft; Antipatrum *Malichus* quidam, natione Arabs, vir militaribus factis apud Iudæos clarus, & Hyrcani partiũ ftudiofus, veneno in menfa propinato tollit; Malichum Herodes per fatellites fuos necat, redeunte in orbem vindicta, & fanguine fanguinem expiante. *Herodis Romam elapfus, rex Iudææ à Senatu appellatur.*

Herodes ubi paternis manibus, occiforis cæde parentavit, animum adjecit ad regnum fibi Iudaicum, non Romanorum tantùm favore, fed regiæ quoque ftirpis connexione vindicandum. Ergo *Mariamnem*, feminarum decus, *Hyrcani* hoc tempore Babylone exulis, neptem, Alexandri *Iannæi* filiam, matrimoniô fibi jungit; *Ariftobulum*, Mariamnes fratrem, ad devinciẽdos fibi Iudæorum, Alexandræ præfertim matris animos, Pontificem creat; Marci Antonij Syriæ Præfidis, eiúfque amicorum favorem ampliffimis fibi muneribus emit; plebem Solymæam in fuas partes adducit; primates & adverfæ factionis homines quotidianis fupplicijs abfumit; Alexandram focrum in regia fub moleftis, & perpetuis obfervationibus continet. Quarum illa impatiens, cum Ariftobulo filio fugam in Ægyptum ad reginam *Cleopatram* molitur. eam fugam ut celaret, uterque fandapilis inclufi velut mortui efferri debebant, & navigio ad id parato imponi. Fraudem deprehendit Herodes, qui de fuo ingenio, aliorum facilè conijciebat. confilia ultionis coquit; diffimulatam tantifper nocendi cupiditatem, in hunc denique modum exonerat. *Herodes Mariamnẽ fibi defpondet.* *Alexandrã focrum, eiusque filium Ariftobulum à fuga retrahit.*

Erat Herodes ab Alexandra (reconciliandæ gratiæ cauffâ) regali exceptus convivio, tempore, quô calores æftivi maximè fervere folent. Poft epulas invitatur Ariftobulus, adolefcens feptemdecim annorum ad pifcinas, in proximo ftagnantes. Ibi dum fpectat æquales in undis, fimul ludentes, fimul æftum abluentes, incedit adolefcentem cupido mifcendi fe natantibus. Illi, ut ab Herode erant edocti, innatantem undis, quafi per ludum & jocum arripiunt, fub aquas deprimunt, tamdiu detinent merfum, donec elifo fpiritu fuffocetur. Ingens exinde lamentatio matris Alexandræ, & fororis Mariamnes totámque per urbem Solymæam mœror; maximis enim fpebus *Ariftobulus Mariamnes frater aquis fuffocatur.*

 impleverat

impleverat omnes, factus ad maxima quæq; juvenilis Aristobuli genius, annos prudentiâ supergressus. Heròdes, ut erat mille fallaciarum artifex, invidiam à se amoliturus, modis omnibus dat operam, ut ab ea nece planè alienum se fuisse demonstret; oculos in fictas solvit lacrimas: funus effert magnificentissimo apparatu.

Alexandra nihilosecius patrati per generum facinoris certa, & in vindictam intenta, per litteras apud *Cleopatram* Ægypti reginam de Herodis sævitia conqueritur; perficítque, ut Antonius ad eius criminis ultionem incitetur. Herodes igitur Laodicéam evocatur, de suspicione facinoris se purgaturus. Is tam caussæ suæ diffidens, quàm odia Cleopatræ metuens, abiturus Hierosolymâ, curam regni *Iosepho* patruo committit, & clàm mandat, ut si Antonius gravius aliquid in se statuat, Mariamnem interficiat, veritus, ne ex ea semen generi regio suscitaretur. Quod quia Iosephus ad mulieres (Alexandram & Mariamnem) retulit, reverso mox è Syria Herode, violatum secretum capite luit. Antonius largitionibus corruptus, non modò sceleris Herodem absolvit; sed insuper imperavit Cleopatræ, ut Cælesyriâ contenta, Iudæam ne affectaret; néve Herodem beneficiô à se, senatúque Romano, ei collatô, privatum vellet. Iterum igitur exijt vulpes laqueum.

Herodes parricidij apud Antonium accusatus, absolvitur.

Post hæc nuntius perfertur, Antonij ad *Actium* cum Cleopatra ab *Octavio Augusto* profligati; Herodes ex ancipiti temporum mutatione pendens, Antonium à fortuna desertum, ipse quoque deserit: se ad amicitiam Octavij applicaturus *Rhodum* proficiscitur, ubi tum Cæsar morabatur. Sed quia scelerum conscientia mordente, timebat incertum profectionis suæ exitum, atrox capit consilium, tollendi omnes, quicunque ex stirpe Davidica superessent. Hyrcanus calumnijs appetitus, quasi regnum ambijsset, neci datur, mitissimi vir ingenij, privatâ vitâ contentus, nullis regni negotijs implicatus, ætate confectus (nam octogesimū annum excesserat) propinqua affinitate conjunctus, quippe qui neptem suam, ut diximus, Mariamnem Herodi desponderat, aliquot jam liberorum matrem. Neq; stetit intra eos limites tyrannis. Alexandra & Mariamne (Salómæ, Herodis sorori pridem invisæ) in munitissimo castro, cui *Alexandrium* nomen, collocantur, comissâ custodiâ *Iosepho* quæstori suo, & *Sohemo* cuidam ex purpuratis, Ituræo natione; quibus in mandatis dedit, ut, si, quod nollet, accidisse sibi, cognoscerent, ambas interficerent, regnúmque Herodianis liberis, ac *Pherora* fratri conservarent.

Herodes Rhodum proficiscens ad Augustū Cæs cruenta domi mandata relinquit.

Quibus mandatîs, Rhodum properat ad Cæsarē; posito diademate, ad eius colloquium admittitur: contestatur suorum in

Antonium officiorum constantiam: pari se fide Cæsaris amicitiam culturum profitetur; addit munera octingentorum talentorum; præter ea, quæ in Cæsaris amicos, & exercitum distribuit. Quid multa? restituto diademate, in intimam familiaritatem recipitur. quâ subnixus, quod reliquum erat ex Hyrcani familia, ambitioni suæ immolat, sceptrúmque Davidicum in alienam gentem jam antè translatum, tenaciùs prehendit. Domum enim reversus ex itinere Rhodio, cùm Mariamnem uxorem, & Alexandram socrum, custodiâ liberatas, solitô tristiores reperisset (eis enim *Sohemus* sanguinarium regis mandatum prodiderat) à matre, & sorore Salóme novis suspicionibus oneratus, Mariamnem violati tori, & veneni sibi parati postulat; eámque innocentem & indefensam capitali supplicio plecti jubet. Illa necem intrepido non minùs animo, quàm corpore excepit; colore vultûs & venustatis decore, ne eo quidem temporis articulo, mutato. Secùs Alexandra fatum suum tulit, mulier ut ambitione non intacta, sic ad ultimam necessitatem subeundam haud mediocriter perturbata. Sohemo quoque secreti manifestatio capite stetit. Cæterùm Herodem interfectæ uxoris tanta mox misericordia simul & pœnitentia cepit, ut præ doloris ac amoris impotentia, in ejulatus & lamenta effusus, sæpe nomen Mariamnes inclamaret; eámque, quasi adhuc viveret, per ministros advocari juberet. Deinde specie venationis in solitudinem sese abdere, & hominum consortium, velut immanis bellua, fugere. Manes certè interfectorum ita premebant tyrannum, ut proximus à desperatione abesset. Rursus tantâ truculentiâ efferabatur, ut quamvis pestilentia grassans multa mortalium millia absumeret, ipse tamen haud satur funerum, ne ab intimis quidem amicis sanguinarias manus abstineret. Adeò nova semper rabie exardescunt, quos semel humani sanguinis sitis accendit.

Herodes conciliatô Augustô redux, uxorem & socrum occidit.

Herodes impotenter luget eandem Mariamne.

Iterum efferatur in amicissimos

Sub hæc amicorum & medicorum consiliô, ut animum à tristibus curis abstraheret, eum ad ludorum & ædificationum cogitationes traduxit. Inter prima opera, fuere certamina Athletica, quinto quoque anno in honorem Augusti Cæsaris celebranda. Theatrum exinde & Amphitheatrum Hierosolymis opere sumptuoso exstructum; ædes præterea regiæ excitatæ, nomẽ Cæsaris & Agrippæ (qui Cæsari Charissimus) præferẽtes. Fana quoq; & urbes, inter quas Cæsaréa, eundem in finem conditæ. Et quia Iudaicam imprimis gentem sibi devotam volebat, eius sibi studia, religionis specie comparanda duxit. Templum igitur instaurat, spatijs dilatat, porticibus novis exornat: aliísq; pręclaris operib*

Magnificæ Herodis extructiones.

Romanorum

Romanorum & Iudæorum benevolentiam : nominis verò Herodiani gloriam & immortalitatem quærit.

Antipater Alexādrum & Aristobulū Mariamnæ filios per calumniam accusat.

Inter hæc iterum in Aula turbatum. *Antipater*, Herodi ex *Doride* natus (plures enim habebat pellices) ut *Alexandrum* & *Aristobulum*, Mariamnæ filios à successione regni dimoveat, confictis insidiarum calumnijs, adeò parentem in eos exacerbat, ut is non dubitaret illos coram Augusto intentati veneficij accusare. Cùm verò criminationi argumenta deessent idonea, & Iuvenes dudum Augusto Romæ perspecti, verbis se & lacrimis eius sceleris insontes ostenderent, omnibus, etiam accusatore, ad commiserationem permotis, Cæsar patrem, filiósque in mutuam concordiam, & complexus lacrimis mixtos reduxit, Antipatrô per nefariam simulationem utrísque eam reconciliationem gratulante. Sed paullò pòst iterum erupit perfidus animus. Herodes novis in filios criminationibus circumventus ab Antipatro, eò pertrahitur, ut in eos tanquam parricidas Iudex idem & Accusator animadversurus, reliquos etiã adigeret Iudices ad innoxium sanguinem, insuper habitâ contestatione innocentiæ, condemnandum; quare *Sebasten* ducti, ibi parentis jussu strangulantur, & in castro Alexandrio, sepulchro inferuntur.

Pheroras perit.

Antipater sublatis fratribus, gradu ad supremam impietatem facto, parenti quoque necem intentat, venenoad id ex urbe Roma per procuratorem suum misso, ut suspicio parricidij in absente ne hæreret. Nec melior filiô mater eius, Doris, *Pheroram* Herodis fratrem, multorum malorum cinisionem, ne ambitiosis Antipatri consilijs obstaret, infusô toxicô perdit; quod Salianus scribit ad ann. M. 4051. Iosephus naturali morte absumptum refert. Antipatrum quoque non diutiùs scelerum pœnæ sunt remoratæ. Meditati namque parricidij convictus, in vincula conijcitur; regni successioni *Antipæ*, filiorum Herodis natu minimus destinatur, *Archelaô* & *Philippô*, ob calumnias per Antipatrum structas, præteritis. Mox iterum mutatis testamenti tabulis, Archelaus successor regni constituitur; Philippo & Antipæ provinciæ assignantur. Sed Augusto Cæsari placuit Iudæam in quatuor partes, seu *tetrarchias* dividere. E quibus duas Archelaô concessit, regium quoque nomen pollicitus, si eo dignum se redderet. Partes reliquas in duos fratres partitus est. Herodi Antipæ Galilæa, regióque Iordanis transamnana, Philippo Trachonitis & Ituræa cessit.

Antipater in vincula datur.

Divisio Iudææ inter Herodis filios.

Et quia Ambitio tam multa timet, quàm multa sperat. Herodes sceptro suo periculum etiam ab infantibus formidavit. Intellexerat è tribus regulis, ab Oriente profectis, ipsos stella interprete didicisse recèns nati Iudæorum regis ortum. tum enimvero

vero Herodes timore concuti, & omnis cum eo Ierosolyma turbari. metum augebant divinæ periti Legis, qui ea de re interrogati, responderunt in Oraculis esse, Bethlemum oppidum venturo Messiæ natale fore. Potuit tyrannus, mens nisi læva fuisset, pullum in nido cum matre sua deprehendere. maluit advenas exploratores præmittere, & per eos certiora cognoscere. At illi astro duce Magni cunabula Regis venerati, elusa Herodis exspectatione, aliâ, quàm advenerant viâ, patrios lares repetierunt. Nunquam aliàs ita furor efferbuit. Mox clamatur ad arma, expediuntur milites, veriùs carnifices, ætati lactenti bellum indicitur. Pendentes ab uberibus matrum parvuli ad quatuordecim millia crudeli ferro perimuntur. nec tamen in tanto numero is invenitur, propter quem cædebantur. Macrobius auctor est, eius rei famâ Romam perlatâ, Augustum dixisse: *malle se Herodis porcum, quàm filium esse*; (neque enim suomet sanguini pepercit) à porcorum namque religionis prætextu abstinebatur, non item à cæde hominum.

Cædes infantum Bethlemiorum.

Et parùm fuit lupo teneros in artus grassari, nisi sanguinariam gulam nobiliore cervice exsatiaret. Infandum dictu! Desperata valetudine, Ierichuntem se contulit, eóque minacibus edictis omnem Iudæorum nobilitatem convocavit; præsentes Circo Amphitheatrali inclusit; deinde accersitis ad se sorori Salómæ, eiúsque marito *Alexæ* in supremis mandatis dedit, totam ut gentem, ne sine luctu publico efferretur, in lacrimas darent, omnibus illis, quos Circo tanquam cassibus sepserat, telorum imbre confixis, eo temporis articulô, quô è vivis ipse excessisset. Violentas deinde manus sibi admoventi, (quid enim aliud supererat homini, Superis hominibúsque exosissimo?) cum excuteretur culter ab *Achiabo*, ex sorore nepote; Antipater in vinculis eo tumultu excitatus, necémque fatus esse patratam, egit cum carceris custode, ut dimitteretur. Re ad Herodem delata, submissus est satelles, qui hominem sine mora de medio tolleret, præcocis ambitionis pœnas daturum.

Crudele mandatum Herodis adversùs nobilitatem Iudaicam.

Antipater necatur.

Hoc ad inferos præmissô, mox insecutus est parricidam parricida; nam quinta post infanticidium patratum die (ut vult Cornel. in cap. 27. Eccli.) aut anno Christi octavo, juxta Baronium. Aut potiùs anno Chr. primo, eodem scilicet, quô Infantes interfecti (uti cum multis sentit Salianus) scelerosam efflavit animam; postquam febri, tussi, dysenteriâ, podagrâ, bulimô, seu caninâ appetentiâ, phthiriasi sive morbo pediculari, putredine verendorum, asthmate, & fœtore diu cruciatus, ut fuit flagitiorum, ita morborum teterrimorum theatrum factus est, & interitu funestissimo comprobavit dictum Siracidis: *Laqueo peribunt, qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos, priusquam moriantur.* Eccli. 27.

Herodis interitus.

Funus Herodis.

Cæterùm *Salome* & *Alexas* haud immeritò veriti, ne demandata crudelitas in suamet capita verteret, clausos in Circo Iudæorum proceres, antequam regis mors innotesceret, domum suam quemque dimiserunt. Recitatæ dehinc ad milites testamenti tabulæ, quibus Archelaus successor institutus, omnium acclamationem & applausum habuerunt. Funus regio more curatum est, & monumento (quod ipse sibi in Herodio castro splendidum exstruxerat) illatum, animâ jam tum in tartareis rogis meritissimas pœnas luente. Vir erat artium Politicarum peritissimus, quibus privati sortem mutaverat regiâ; pravè tamen ijs usus, suorū cruore totus im̄aduit; immanitatis & libidinis prodigium, ut qui, teste Iosepho apud *Baron. in ann. Ch. 8.* effrænata libidine virgines constupraret, & thoros alieni conjugij sæpius, vi adhibita, violaret ac fœdaret. Nullúmque tam magnum scelus, tam magnum facinus reperiri potuit, ad quod vel illecebris voluptatis, vel impetu furoris ac crudelitatis non impelleretur.

Archelaus, Herodis successor. *Iudæa in Provinciam Romanam redigitur.*

Archelaus, digna parente soboles, nonô post initum Principatum annô, dominationis tyrannicæ à Iudæis apud Augustum C. postulatus, condemnatúsque, in exilium Viennam, urbem Galliæ relegatur; pecunia fisco addicitur regio; urbibus Syriæ, à Romanis subjugatæ, & in provinciam redactæ, attribuitur, anno Christi decimo sexto. Procurator eius seu Præses, Româ submissus est *Valerius Gratus*; cui post undecimum annum in eo magistratu exactum, successit anno Ch. 28. *Pontius Pilatus*, qui JESUM, humani generis Servatorem iniquissima morte condemnavit. Ipse verò de munerum corruptelis, rapinis, injurijs & cædibus innocentum, apud C. Caligulam Cæsarem accusatus, deportatur in Galliam, Viennæque perpetuo exilio inclusus, impatientiâ malorum, sibi necem conscivit, anno Chr. 41. Philippus & Antipas, Archelai fratres, in suæ ditionis seu tetrarchiæ dominatu perseverare permissi. Uterque mali corvi, malum ovum. Antipas Philippi fratris uxorem incesto thalamo polluit, & Ioannem Baptistam conjecit in vincula, quòd nefariam consuetudinem liberiùs arguisset; cuius abscissum caput Herodiadi filiæ in Saltationis prœmium cessit. S. Hieronymus tradit, Herodiadem insultâsse præciso Ioannis capiti, atque acu discriminali sanctissimam illam linguam perforâsse; Ut Fulvia quondam Antonij Triumviri uxor in disertissimam Ciceronis linguam sævijt. Ipsa saltatricula brevî pôst pœnas solvit, quando adstrictas gelu aquas transiens, rupta sub pedibus impijs glacie, abscindendum crustis caput dedit, etiam tunc portentosum in modum subsiliens, & choreas, quibus viva assueverat, mortua continuans. Ab eodem Antipa Christus, Æterna Sapientia, morionis instar &

Philippus & Antipas Archelai fratres. *S. Ioannes necatus.* *Herodiadis interitus.*

amentis

amentis, ludibrijs exagitatus est; Non impunè. Nam ad Caium Caligulam delatus, quòd cum *Seiano* in *Tiberium* conspiràsset, & invocatis *Artabani*, regis Parthorum armis, defectionem molitus esset, perpetuò exulaturn, Lugdunum mittitur, anno Ch. 40. qui inde fugitans in Hispaniam unà cùm Herodiade, incesta conjuge; tandem perijt, mœrore consumptus. Eius tetrarchia Herodi *Agrippæ*, Infanticidæ Herodis, ex Aristobulo filio, nepoti conceditur; mox etiam Iudaicum regnum à Caio jam antè collatum, à Tiberio Claudio Druso Imp. confirmatur & augetur. Memorabile est, quod de ferrea illius, aureáque catena à Iosepho scribitur. Nam Romæ dum esset, quòd inconsultè nimis Tiberio Imp. mortem, imperium verò C. Caligulæ precatus fuisset, quem eiusdem Tiberij jussu, quasi morum moderator sectabatur, addictus est carceri, vinctúsque mansit adusque Tiberij mortem. Cui suffectus Caius, Agrippam non modò vinculis solvit, sed statim in regnum avitum restituit, donatum priùs aureâ catenâ, eiusdem omnino ponderis cum ferrea, quam Tiberius injecerat, eíque Herodis Antipæ tetrarchiam adjunxit. Eam catenam monumentum utriusque fortunæ Agrippa suspendit in templo Hierosolymitano, ut doceret, altissima quæque facilè prolabi, rursúsque inclinata restitui posse. Is Iacobum (cognomento Majorem, Ioannis Apostoli fratrem) Ierosolymis capite minuit Anno Ch. 44. Actor. 12. Idem perfecturus in Petro, nisi in capite servâsset Ecclesiam Christus, ipsúmque ruptis vinculis è carcere per Angelum eduxisset. Actor. cap. cit. Viri huius superbia, cuius administra sævities (nam occisô Iacobô, *videns, quia placeret Iudæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum.* loc. cit.) geminis, & miris exemplis est castigata. Nam cùm Româ redux à Caio Cæs. honoribus & favoribus auctus, Iudæam navigando repeteret, Alexandriæ exscendit; ibi cum eius satellitium, argenteis clypeis, & inauratis armis nitidum, omnium oculos in se converteret; Alexandrini (quippe Ægyptij, quorum inveterata cum Iudæis simultas) invidia tanti splendoris ducti, publicè convitijs eum & contumelijs incesserunt. nam præter maledicentiam & dicteria passim jactata, homo quidam emoti cerebri (Carrabas appellabatur) in ludibrium Agrippæ, rex extemporalis esse jussus; pro diademate papyraceum involucrum, pro paludamento stoream, pro sceptro fragmentum arundinis gestavit. Diceres illusi personam Christi, & ultionem, in novissimo hoc Iudæorum rege fuisse repetitam; nam & nomen *Carraba* vicinum *Barraba*, & rerum utrinque gestarum convenientia est. *Baronius ex Philone ad annum Chr.* 40. Ad ignominiam verò Agrippæ, etiam exitiū accessit; quādo Cæsareæ (olim turris Stratonis vocabatur) solennes ludos pro salute Caij Imp. celebraturus, in theatrū processit, veste argentea,

Christus illusus.

Agrippa catena ferrea, & aurea.

S. Iacobus Apostolus occiditur.

S. Petrus captivus.

Rex Agrippa Alexandria ludibrio habitus.

Agrippa arrogantia.

sceptro, coronâ radians, & omnibus spectantibus (ingens multitudo nobilium & Procerum convenerat) majorem homine mortali, suî venerationem incutiens, DEUS à populo consalutabatur; útque propitium esset Numen invocantibus, per summam adulationem rogabatur. Ille vocibus assentantium delectatus, tantò celeriorem sensit vindicis DEI manum, quantò similiorem se DEO putabat, aut credi volebat. Nam fortè suspiciens, vidit bubonem funi extento insidentem (*Josephus antiq. lib. 19. cap. 7.*) agnitóque calamitatis nuntiô, repentè conflictatus dolore acerrimo, ac putrescente in vermes corpore, infelicem spiritum in orcum emisit. Anno Ch. 46. Actor. cap. 12. Atque eô hunc in modum miserrimè extinctô, permissum diadema ab Imp. Claudio, eius filio *Agrippa* (cognomine *Iuniori*) qui cum sorore *Bernice*, seu *Berenice* (quam velut uxorem circumducebat) *Paulum* audivit Cæsareæ, eloquentia cælesti perorantem. Actor. 25. & 26. A Iudæis deinde contra Romanos tumultuantibus, primò Hierosolymâ, non sine contumelijs & lapidum insectatione; mox toto regnô pulsus, Romam profugit, ibíque reliquum vitæ privatus exegit, sceptrô Iudaico Romanos in fasces plenè translatô (anno Ch. 68.) non multò pòst (anno Ch. 72.) Ierosolymam, & omnem Iudæorum gentem excisuros.

Agrippa à vermibus consumptus.

Agrippa Iunior audit S. Paulum.

Romani Iudaeam iterum sibi vindicant.

DOCTRINA.

AUlæ impiæ & infelicis ferale specimem habes in Aula Herodiana; in qua nihil nisi suspiciones, calumniæ, fraudes, doli, insidiæ, cædes. Tragicum sanè theatrum hîc aperiunt Ambitio, Perfidia, Crudelitas.

Hîc legis Oedipoden, caligantémque Thyesten,
Colchidas, & Scyllas, & mera monstra legis.

Martial, lib. 10. Sceleribus hæserunt cognata supplicia. Iverunt illa aliquamdiu per gradus, denique in exitium semetipsa impulerunt. Seras quidem Herodes tyrannidis suæ pœnas; serias tamen dedit. Præmium longioris vitæ debebatur sumptibus in templum Solymæum instaurandum factis. Atrociùs perijt, quò lentiùs. Tu verò converte sis oculos in hoc crudelitatis theatrum, & spectando tot funera, quò furiosum scelus prorumpat considera.

Ecce *Aristobuli* primi, matrem fame necatam. En *Antigonum* eiusdem Aristobuli fratrem germanum cognato ferro sublatum; *Aristobulum* ipsum, inter diras conscientiæ lacerationes, sceleratam animam vomitu eijcientem; *Iannæum*, multorum millium carnificem, temulentiâ extinctum. *Antipatrum* Idumæum, Iudaici regni invasorem, infusô venenô peremptum; *Malichum* eius interfectorem, hastis confossum; *Hyrcanum*, veneranda canitie Pontificem, præcisis auriculis, capite minutum. *Phaselum*, Herodis fratrem

Tragica Herodis Aula.

dispersô

disperſô ad ſaxum cerebrô colliſum. *Antigonum* alterum, Hyrcani II. nepotem, regémque in Antiocheno foro decollatum. *Ariſtobulum* Pontificem, Mariamnæ fratrem, intercepto ſpiritu ſuffocatum. *Ioſephum*, Herodis patruum, in loco ſubterraneo ſeu ſtrangulatum, ſeu ferro jugulatum. Mariamnem Herodis conjugem, cum *Alexandra* matre, & *Sobemo*, purpuratorum præcipuo, ſine vertice truncam, Alexandrum & Ariſtobulum, Mariamnæ filios, laqueo interemptos. *Pheroram*, Herodis fratrem, toxicô confectum; Quatuordecim *infantum* millia vario mortis genere trucidata; *Antipatrum*, Herodis filium, carnificis manu, capite plexum. Ipſum denique Herodem, in interitu ſuo novas cædes & funera anhelantem, & immanitatis per omnia ſupplicia ſævientis imanes pœnas dantem. Hunc unum ſi ſpectas, cruentos in eo Cyclopas, Buſirides, Scirones, Phalarides, Diomedes, Dionyſios ſpectas. Omnium ei ſcelerum caput & fons fuit *Ambitio*. Huic ut litaret, vafra *Simulatio* ſeu Hypocriſis aram erexit; victimarium egit *Crudelitas*; *victimæ* fuere, quotquot intercipiendæ honorum lucis ſuſpectos habebat. Raptum per nefas Diadema nunquã ei ſtetit ſecurũ; infirmus enim coronarũ cuſtos, eſt metus. quidquid teneat, ne elabatur, trepidat. Herodes in regia, tanquã *Cacus* in ſpelunca oberrabat, calumniarũ, ſuſurrationũ, delationũ, ſuſpicionũ tenebris involutus; hinc quæſtiones, examina, tormenta in iñocentes pariter, ac nocentes. Alius aliũ deferre, & alterius criminatione ſuas actiones purgare, gratiam tyrañi aucupari. Quoſdam acerbitas tormentorũ adegit, ut mallent mentiendo mori, quàm verum dicendo, diu cruciari. *Herodis crudelitas.*

Crudelitati ſe libido ſociavit; Utraque furialibus eum tędis inflamavit. Amans furebat: furens amabat. Pulchræ cervici jam oſcula libabat, jam ferrum intentabat; jam tumulos ſpirabat, jam thalamos; adeò diverſi litigabant affectus in vecordi pectore. Vicinus illi à Libitina ad Venerem tranſitus, & viciſſim. Tyrannidem in tyrañum hinc furor, hinc amor exercebat. Hanc ſervitutem ſerviunt, quicunq; inſolentibus animi perturbationibus ſeſe abripiendos permittunt. Ita Tiberius, Caligula, Nero, & alij Romanorũ Cæſarum dimidium imperij cum Venere, dimidium cum fulminante Iove habebant; pari inſania in diverſos ignes rapti. Monſtra ex diverſis belluarum formis compoſita. *Herodis libido.*

Herodem non novus tyrannorum carnifex, mala Conſcientia, per omnes timores, & ſuſpicionũ umbras circumegit; nam Manes occiſorũ, & diras, quocunque ferebatur ſecum ferebat: ſi foris non inſtabant larvæ, intus eas finxit. Ita factum eſt, ut diu noctúque infeſtis Furiarum ſtimulis fodicatus, lucem aſpiceret inviſam, & vitam duceret acerbam, ſuî non minùs, quàm aliorum latro. Expertus eſt illud Iobi. cap. 15. *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Nota eſt infelix *Carnifex Herodis conſcientia.*

Damoclis in mensa Dionysij tyranni felicitas. Suspensus è seta gladius, & cervici imminens, corrupit omne gaudium. De Caligula Suetonius refert, eum puerorum instar cœlo fulgurante, aut tonante, præ metu caput, intra lectum, sub cervical recondisse. Et de Artemóne quodam memoratur, fuisse hominem tam vitæ improbæ, quàm timidæ; domi tranquillè desidenti duos famulos adstitisse, scutum æneum supra caput tenentes, ne quid ex alto decideret. *Caussin. in Symb. lib. 4.* *Pavor enim his* (quod in Salomonis Proverbijs est, c. 10.) *qui operantur malum.* Isaias hos motus describens c. 25. *Impij,* ait, *quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.* Nimirum æstu cupiditatum suarum agitati, non secus ac mare generis omnis sordes in littus eijcit, ita ipsi in quasvis impietates & scelera, omnibus maris rejectamentis fœdiora, erumpunt. Eundem in sensum facet Paræmiographus cap. cit: *Quasi tempestas transiens, non erit impius.* Sicut enim tempestas sæva est, violenta, horribilis, cùm reboant tonitrua, coruscant fulgura, perstrepunt venti, cadunt fulmina, torrentes imbrium depluunt; Et juxta illud *Virgilij, Æneid 5.*

Impij mare fervens, & tempestas.

Tempestas sine more furit, tonitrúque tremiscunt
Ardua terrarum, & campi; ruit æthere toto
Turbidus imber aquis, densísque nigerrimus austris.

Non minore violentiâ grassantur in obvia quæque impij, quorum malæ voluntati juncta est potentia. Sed ut tempestas, ubi desævijt, in se ipsam fracta desinit; pari ratione tyrannos, & purpurata flagitiorum mancipia denique, quas excitârunt, involvunt procellæ.

Herodes in sua felicitate infelicissimus.

At Herodes & felix, & longævus fuit; nam dominationem regiam ad annos 37, vitam ad 70. extendit. Audiamus *Josephum Antiq. Iud. lib. 17, cap. 10.* „Vir fuit Herodes, in omnes ex æquo sævus, iræ servus, juris dominus: fortunâ autem propitiâ usus, „si quis alius. ex privatis enim natus, regnum assecutus est, & in„numeris circumdatus periculis, semper evasit feliciter, vixítq; „longissimo tempore. Quantùm autē ad domesticos, & filios at„tinet, hîc quoq; felix fuit suâ sententiâ, oppressis inimicis & ad„versarijs; sed infelicissimus meo judicio. Hæc ille; & rectè. Nã felicitatis progressus metiendi sunt ex termino. Herodes equidem, si bona, quæ Fortunæ vocantur, consideres, nihil eorũ desiderare potuit. Regnum Iudaicum alienigena consecutus est. Assamonæã seu Machabæam stirpem in Antigono sustulerat. Principum & Cæsarum Romanorum amicus erat. Uxores ad libitum duxerat, & inter eas Mariamnem, Gratiarum gemmam. Proles ei copiosa & imperio digna. Opes affluentes; Milites exercitati, & ad omnem nutum parati. Quod si animi quoque, quanquam depravati, naturalem felicitatem attendas:

Erat consilijs promptus, largitionibus munificus, exstructionibus sumptuosus: in negotijs diligens & industrius, in providendis periculis cautus, in repellendis fortis; eloquiô facundus, in flectendis aliorum animis efficax, in reconciliandis inimicis potens: in bellis felix: rebus gestis, longè latéque clarus: ad populum diu gratiosus.

Idem tamen plenus fastûs, ambitionis: homo duplicis animi, perversi, callidi, suspiciosi, calumnijs creduli, vafri, malitiosi, tortuosi, diffidentis, Zelotypi, sanguinarij, immanis, efferi. Et Atheus cùm esset, Religionem Iudaicam prætendebat nequitiæ suæ. Hypocrita, si quisquam alius, & vulpinis in artibus versutissimus.

Longè verò in dandis scelerum suorum pœnis omnium miserrimus. Luit adhuc vivens, quod peccavit; neque mortuus tamen eluet. Qui à puero, ambitionis insano flagrabat æstu; moriturus arcano torquebatur igne, per intima viscera sæviente. Quem sitis auri argentíque corradendi insatiabilis corripuerat; eum morti vicinum, lupina fames per dies noctésque exagitavit. Qui terras peragravit & maria, potentiæ suæ amplificandæ caussâ; jam pedibus consistere non potest, tabe & pure fluentibus. Qui suppliciorum atrocitate in quosvis sæviebat: cruciatus in se persentiscit fœdissimorum ulcerum, quovis eculeô acerbiores. Qui profanam astutiam, & politicam calliditatem pro amussi rerum gerendarum habebat; non animi modò, sed corporis quoque ac nervorum omnium punctionibus acutissimis laceratur. Qui innocentem Mariamnæ, & geminorum eius filiorum sanguinem fudit: seque tot millium lactentium parvulorum cruore non tam aspersit, quàm lavit: si tamen scelus scelere lavari potuit; in suomet sanguine, & tetro ventris proluvio mergitur. Et quibus membris ad omnis generis turpitudines abusus est: ijs pediculari lue putrefactus, in vivum cadaver solvitur. I nunc, & dubita, num DEI vindex Oculus in mortalium crimina vigilet. Et disce, non invidere improborum felicitati. *Prosperitas enim stultorum perdet illos.* Prov. 1. *Augustini* sententia est, *in epist.* 70. „Hæc „bona, ne putentur mala, dantur & bonis: ac rursus, ne putentur „summa, dantur & malis. Itémque auferuntur ista bonis, ut pro„bentur, & malis, ut crucientur.

In Herode qualia scelera, talia supplicia.

Herodis Ascalonitæ impijs Manibus.

HIc situs est Herodes, Antipatri F. Antipæ N. ortu Idumæus, educatione Ascalonita, cognomēto Magnus, reipsa vitijs omnibus, imprimísq; impietate in Deū, & in homines crudelitate maximus. Qui


mus. Qui regno per vim & cædẽ legitimi Principis Antigoni potitus, religione foris Iudæus proselytus fuit, intus eam coluit, quam ambitio præscribebat. Messiam Filium DEI quæsivit ad mortem, &c. ut eum statim perderet; horribilem carnificinam in Bethlehem, & omnibus finibus in pueros à bimatu & infrà natos exercuit: profana templa & aras impia adulatione Principibus Romanis erexit. Pontifices duos regij sanguinis, alterum calumnijs, alterum insidijs circumventum sustulit. Quatuor alios in ordinem redegit, Pontificatu dejectos: Scribas, Pharisæos, Sacerdotes plurimos interfecit, in queis Zachariam Ioannis Baptistæ patrem. Davidis sepulchrum suffodit, templum instauravit. Homo mulierosus novem eodem tempore, præter alias nefandas delicias, uxores habuit, quarum duas expulit; tertiam cum matre, & duobus eius ex ea susceptis filijs interfecit: parique pœna patruum, & primogenitum filium, magnámque domesticorum turbam mulctavit. Domi calamitosus, foris in prœlijs fortis ac felix fuit. Denique multis sceleribus perpetratis, & morte lectissimæ totius regni nobilitatis imperatâ, plurimorum morborum supplicijs excruciatus, victúsque, cum sibi etiam manus afferre conatus esset, sub Paschales ferias sceleratam animam evomuit. Vixit annos LXX. Regnavit ad XXXVII. juxta aliam computationem XL. Mortuus anno Urb. Cond. DCCLII. in Herodio castro sepultus est. quiescit in pice, & stagno ignis ac sulphuris. Tu Viator despue sepulchrum, & ambula. A. M. 4053. Christi 1.

NARRATIO CXVII. ET ULTIMA.

EXCIDIUM HIEROSOLYMITANUM PER TITUM IMP. R.

Anno Ch. 72. Neronis 12. & 13. Vespasiani Imp. 1.
Ex Josepho lib. 7. de bello Iudaico, & Baronio ad annum Christi 68. 69. 71. 72.

Cur excidium Solymaum his narrationibus annexum.



IN exordio Narrationum nostrarum bellum memoravimus, quod excitatum in cœlo; cives illius Jerosolymæ cœlestis ita inter se collisit, ut innumerabilis eorũ multitudo, qui contra DEUM insurrexere,

insurrexere, sit è sedibus ætherijs pulsa, & in imum Tartarum deturbata. Par igitur est, ut, quemadmodum è *Carceribus* procurrimus, ita *Metam* contingamus. Quare coronidem huic nostræ scriptioni imponet strages omnium (de quibus ulla historia meminit) luctuosissima, Solymææ Urbis Excisio. Quæ tanta fuit, ut ipsi DEO, eius cladis prænuntiatori, lacrimas excusserit. Accessit altera caussa, cur Narrationibus è veteri divinorum Voluminum historiâ conscriptis, Solymæum excidium annecteremus. Visum est enim, ut, qui Hebræorum res gestas, & utramque fortunam hactenus compendiô prosecuti sumus, eorum toties rebellem DEO contumaciam ad exitum, & promeritas pœnas deduceremus; quas si unquam aliàs, tum enimverò novissimas in devastatione Hierosolymitana dederunt.

Ad Vindictam cùm Ira Divina procedit, lento plerumque passu graditur; & minatur, antequam feriat. Meruerat Ierosolyma ob JESUM, æternum DEI Filium occisum, ut Sodomæ, Gomorrhæque in morem, effusis è cœlo picis & sulphuris nimbis obrueretur. Sed Iustissimum Numen de impijs, qui sacrilegas in salutis humanæ Assertorem manus injecere, Romanorum manibus pœnas voluit sumere, & insanas illas voces: *NON HABEMUS REGEM, NISI CÆSAREM*, Cæsareo milite plectere. Utque tarditate supplicij spatium daret pœnitētiæ, prodigia velut prodromos, & monitòres iminentis exitij præmisit. Poterat ictum exire, quicunq; vel oculos ad ea signa: vel aures ad eas voces advertere voluisset.

Prodigia & ostenta Hierosolymitanum excidium præcedentia

Principium ostentorum fuit, Cometes terribili comarum luce fulgurans, & integrum annum, minacis instar gladij, fatalem urbi mucronem intentans. Successit alterum. Prima Azymorum, seu Paschatis die, noctu circa templum, tantum effulsit lumen, ut dimidiæ horæ spatio claritatem solis referret. Eádemque festâ die cùm bos immolanda duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis quoque porta ænea templi interioris, quæ vix à viginti viris claudi poterat, visa est sub concubiam noctem ultrò patescere. Conspecti deinde per cœlum currus ferri, & acies armatæ concurrere. Ipsáque die Pentecostes noctu Sacerdotes templũ ad rem divinam peragendam ingressi, allapsam cum ingenti strepitu vocem (Angelorum haud dubiè custodum) perceperunt; quæ diceret: *Migremus hinc.* Homo præterea quidam plebejus & rusticus, cui *Jesus* nomen, per annos septem, & totidem menses circumcursans urbem, perpetuò ingeminabat: *Væ, Væ Ierosolymis!* ídque etiam cùm à magistratu acriter cæderetur virgis. qui ad diem usque, quô urbs obsideri cœpit, supra mœnia circumiens, cùm tandem clamâsset: *Væ etiam mihi!* missus à Romanis tormentô lapis, eum peremit.

Calamitatis suæ caussa, quemadmodum diximus, Iudæi fuerunt, Servatorem Mundi dirissimis cruciatibus & ignominijs interficiendo. Initium malis dederunt anno Chr. 68. quando pertæsi Romanorũ jugi, dudũ gravioris, quàm pati vel possent, aut vellent; multis eorũ trucidatis, palàm defecerunt. *Cestius*, qui tum Prætor Syriã administrabat, accurrit è vicino, cum exercitu, ad flam̃am restinguendã; obsidet Ierosolymã. sed irrito conatu; recessit inde non sine multorũ militum jactura. Id nimirum DEUS ordinaverat, tum, ne qui Ierosolymis versabantur Christiani, pari pœna afficerentur cum impijs, sed tempestivè cladi se subducerent. (& constat eos ab oraculo præmonitos, salutem ultra Iordanem quæsijsse.) tum ut Iudæi longè sæviora meriti, dignis scelerum pœnis torquerentur.

Cestius, Præses Syriæ frustra obsidet Ierosolymam. Cur?

Nero Imperator Romanus, cognitô Cestium ab obsidio Solymæo rejectum, *Vespasiano* multarum palmarum belli duci (qui tum cum Imperatore in provinciam Achaiam comes iverat) dat in mandatis, ut valido cum exercitu in Palæstinam moveat. Is dicto obaudiens, Galilæam, provinciam Iudææ bellicosissimam invadit, domátque: Iudæorum plusquam centum millibus occisis; quadraginta millibus in captivitatem aut abductis, aut venditis. Quo tempore in expugnatione *Iosapata* civitatis, captus est Flavius Iosephus, militaris Iudæorum præfectus, Antiquitatum & belli Iudaici scriptor.

Vespasianus belli dux Galilæam vastat.

Supplicium peccati meritò apud Galilæos cæpit; quippe quos maximè reos obstinatio fecit; nam primi omnium DEI hominis cœlestem eloquentiam, prodigiosis factis confirmatam, audierunt, auditámque rejecerunt. Hîc igitur exortus belli turbo, deinceps alia atque alia concussit, dejecítque. Terror ingens ex Galilæa clade; & omnibus è locis in urbem Hierosolymam fuga. Recepta, intra mœnia, hominũ magis colluvies, quàm urbis præsidium, añonam consumpsit, non hostem. Maxima pestis intra viscera, *Zelotæ* fuere, qui quò speciosiore titulo divinæ legis observantiam præferebant, hòc impotentiùs in vulgus dominabantur. Seditio erat, non religio. Nam insurgentes in *Ananum*, sum̃um & legitimum sacrorum Iudaicorum Præsidẽ, ipsi sibi in Pontificẽ delegerunt hominẽ quendã, *Phanum* nomine, aratris magis admovendum, quàm aris. Hinc Hierosolyma in duas partes discissa, alijs *Ananum*, alijs *Phanum* sequentibus, tantò infirmiùs externis hostibus obstitit, quantò debilior ex intestino veneno fuit.

Factiones Ierosolymis.

Annus agebatur à Christo nato septuagesimus secundus, quô annô, (post Neronem Galbam, Othonem, Vitellium) *Vespasianus* delatũm à militibus Orbis imperium, ut cunctanter suscepit, ita fortiter gessit. Qui dum nutantem, & factionibus discerptam Rempublicam in Italia magnis animis sustinet; *Titum* filium in Iudæam

Vespasiano, defertur imperium Rom.

mittit

mittit ad absolvendum, quod reliquum erat belli. Iudæi verò, cùm putarent Cæsarem bellis civilibus intentum, curas externi belli posuisse, securi *Patria, Legisque* suæ, Paschalia solemnia magno peregrinorum confluxu peragebant. Cùm repentè apparens Titus, castra posuit in Oliveti monte, unde Christus olim respiciens urbem, lacrimas, malorum imminentium indices fudit. Communis periculum mali factiosos conjunxit; vires & arma, simul in Romanos verterunt; nec citra hostium cladem. Sed rursum incalescentibus intus dissidijs, seditiosi cives inter se commissi sunt; *Zelotæ* ad unum omnes, qui in templum, tanquam in munimentum se recceperant, interfecti, crudelitatis suæ pœnas solverunt; nam præter ingentem stragem civium atque Sacerdotum factam, ipsius quoque *Anani* summi Pontificis sanguine manus contaminavere, corporáque insepulta abjecere. Et quia summâ turbatâ, partes ubique lababant; desperatæ facies urbis, vilissimo cuique licentiam faciebat in alios grassandi; Idumæis maximè sicarijs, (quos Ioannes quidam homo factiosissimus, & tyrannidis affectator, tanquam patriæ libertatis propugnatores in urbem introduxerat) cædibus & rapinis cuncta miscentibus. Unde factum, ut divinis pariter ac humanis proculcatis, nec intra civitatem manere, nec foras egredi tutum esset.

Titus Jerosolymam obsidet.

Res turbatissima in urbe Hierosolyma.

Inter hæc Titus admotis ad urbem machinis, triplicem murum, quô Ierosolyma cingebatur, expugnavit. Cúmque jam ante obsidionem, domesticis, uti memoravi, seditionibus, cellæ, quibus ad plures annos frumentum servabatur, essent incendiô absumptæ; ideóque fames complures cogeret urbe excedere, & ultro se in discrimen dare, Titus ad terrorem oppidanorum, jussit ante eorum oculos suffigi crucibus, quotquot interceperat; tantô numerô, spatium ut crucibus, corporibus cruces deessent. Nec dubitandum, multos ex illis patibularijs fuisse, aut ipsorum certè filios, qui ferale illud: CRUCIFIGE, CRUCIFIGE contra Christum ingeminabant.

Ex urbe profugi, in cruces aguntur à Romanis.

Cæterùm Titus, ut omnia incolis arctiora redderet, undique occlusit exitum, aggeribus quinis contra urbem exstructis. Quos cùm eruptione facta, dejecissent obsessi, Titus incredibili celeritate murum triginta novem stadiorum, tredecim distinctum castellis, tridui non amplius spatiô, urbi circumduxit. Et quia rumor increbuerat, eos, qui ab urbe profugerent, gestare aurum in visceribus abditum, Syri & Arabes, raptô vivere assueti, qui Romanis sub Aquilis militabant, una nocte ad duo millia occiderunt, visceráque fœdè scrutati sunt; mox tamen immane facinus cohibente Tito. Interim fames adeò Ierosolymam infestabat, ut calcea-

Syri & Arabes, Tito militantes, scurtantur aurum in Iudæorum exsectis ventribus.

calceamenta, cingula, scutorum coria, & quod fœdum dictu simus etiam, ac humanæ carnes in cibum verterentur. Constat, matronam quandam, nobili genere ortam, *Mariam* nomine, facultatibus, quas amplas possederat, per seditiosos cives eversam, supremæ necessitatis remedium petijsse è corpusculo lactentis filij, sua manu jugulati. Ut jam viderentur advenisse dies, à Domino, cùm ad crucem duceretur, prædicti, quando beatas prædicabat steriles, & matres jubebat, in suasmet calamitates refundere lacrimas. Josephus hæc mala deplorans, scribit, Judaicum populum à DEO rejectum & repulsum, omni salutis præclusâ viâ, præcipitem in interitum juxta scelerum suorum promerita, datum. & si Romani contra noxios venire tardâssent, civitatem aut terræ hiatu absorbendam, aut diluvio mergendam, aut Sodomæ incendijs exurendam fuisse.

Scelera Solymorum.

Et quia numinis ira scelestos urgebat, Tito sæpius ad honestam deditionem invitanti, obstinatô semper animô responderunt, ultima priùs passuros, quàm Romanis se dedituros. Addebant eam ferociam quidam è tyrannis, intra urbem dominantibus; & falsorum præterea mendacia vatum, certum è cœlo auxilium pollicitantium. Titus igitur contestatur DEUM, hominésque, se ad urbis & templi excidium invitum compelli; nam mortalitatis vires jam tum miseratus est, cùm urbis circumiens muros, aspexit fossas cadaveribus, & sanie tabefactis è corporibus manante plenas. Ante alias capta turris Antonia (quod ei nomen Herodes in gratiam M. Antonij Rom. Triumviri fecit) templo vicina. Acerrimè dimicatum est in eo loco; Iudæis pro sacris suis, omni virium contentione propugnantibus; Romanis pro præda & gloria pertinacissimè, quidquid roboris erat, in eam expugnationem conferentibus; cùm ecce miles quidam Romanæ militiæ gregarius, non exspectatô cuiusquam mandatô (quin contra edictum Titi, jubentis temperari ab excidio templi) divino quodã motus impetu (ut Josephus loquitur) ignem in Sacram Basilicam injicit; cujus flamma mox invalescens, nulla valuit vel Imperatoris diligentiâ, vel ope humana restingui. Conflagravit augustissima structura, postquam à conditore suo Salomone stetit annis mille, centum, triginta, mensibus septem, diebus quindecim. Et à tempore Cyri posterioris (cujus indulgentiâ ac munificentiâ resurrexit è busto Babylonij tyranni) annis sexcentis, triginta novem, & quadraginta quinque diebus. Cùm interea Romæ (ô rerum humanarum vices contrarias!) Capitolium bello civili nuper concrematum, sumptuosissimè restitueretur, & magnificum Iovi delubrum in eo dedicaretur. Cum templo perierunt Sacerdotes, qui ruderibus & latebris

Titus miseratur sortem Ierosolymæ.

Templum incenditur.

latebris extracti, cùm vix tandem se dederent Tito, eius jussu neci sunt dati. Et ne ulla facies calamitatis abesset, quidquid non dejecit ignis, profanavit miles Romanus, nam & signa militaria sunt illic posita; & sacrificia idolis patrata, cum faustis acclamationibus, Titum Imperatorem salutantium.

Incensô templô, etiam urbis inflammandæ potestas militi facta est. Primò quidem pars urbis superior, quæ *Sion* dicta, longè munitissima; deinde urbs reliqua, cum omnibus vasis sacris, & Pontificum ornamentis, clàm asservatis, in manus hostiũ venit. In ea pervastatione, qui se Romanis suppliciter permiserunt, in ambitu templi conclusi, antequam decerneretur, quid de ijs agendum esset, ad duodecim millia fame consumpti sunt.

Urbs tota cum amplis spolijs in manus hostium venit.

Pæne fidem excedit, quod Iosephus de mortuorum & captivorum numero tradit; dum scribit, captos toto belli tempore nonagies septies mille; ferro, fame, peste, peremptos, undecies centena millia; convenisse Ierosolymam ad festum Paschatis diem vicies centena, & septingenta millia; præter eos, quos ob aliquam impuritatem aut maculam, Lex à Sacris arcebat, quorum utique multitudo ingens fuerit. Addítque, tunc velut in carcerem totam gentem fatô (imò, à DEO) fuisse conclusam, & vindici Romanorum gladio traditam. Eorum qui morti erepti sunt, alij ad opera missi sunt in Ægyptum; alij, quos corporis forma commendabat, triumpho servati; plurimi de robustioribus delecti, qui per provincias cum bestijs pugnarent in theatris. Qui verò ætatem agebant intra annum decimum septimum, unà cum feminis, vilissimô pretiô sunt venditi, quod & deessent, qui emerent; & anona, quæ aleret.

Incredibilis hominum multitudo Ierosolymis vel capta est, vel perijt.

Postquam crudelitas non reperit ampliùs, quos occideret: aut avaritia, quod raperet; Titus totam funditus urbem, cum templo evertit, relictis duntaxat aliqua muri parte, in quo præsidium collocaret: & tribus turribus, cæterarum fastigium excedentibus, ut scirent posteri, quid Romana virtus expugnâsset. Reliqua solo æquata, ut ne vestigium quidem superesset, illic aliquando homines coluisse.

Urbs funditus evertitur.

Subactis, & excisis hunc in modum Iudæis, imperatum est, ut didrachum pro tributo quotannis templo inferri solitum, deinceps Jovi Capitolino penderent. Hoc pretium & merces impietatis fuit, latronem præ Messia, cacodæmonem præ DEO, jam tum eligentis, cùm JESUM in ridicula purpura, & vulneribus conscissum in prætoriana pergula stantem spectavit, & damnavit.

Pœna ob Christum latroni postpositũ.

Secuta Iudæorum servitus, juxta Danielis vaticinium c. 9. nunquam desitura. Exuti templo, sacrificijs, civitate, errabundi

extorres, exules, vagantur per orbem (ut olim Cain, fratris occisi manibus agitatus) nuſpiam domi, ubique contempti, ludibrium & Sanna gentium; à militiâ, magiſtratibus, aliiſque publicis officijs apud omnes nationes repulſi, perpetuæ notam infamiæ in fœtenti corpore circumferentes. Solebant verò miſeri, uſque ad Hieronymi tempora (mulierculæ præſertim decrepitæ, & ſenes pañis obſiti, corporibus & habitu iram DEI demonſtrantes) anniverſariâ Hieroſolymæ exciſæ luce, eum in locum confluere, & perſolutô militibus pretiô, deflendæ patriæ permiſſionem emere.
„ *Hieronymi* verba ſunt *in Sophon. c. 1.* Uſque ad præſentem diem per-
„ fidi coloni, poſt interfectionem ſervorum, & ad extremum Filij
„ DEI, excepto planctu, prohibentur ingredi Hieruſalem: & ut
„ ruinam ſuæ eis flere civitatis liceat, pretio redimunt; ut, qui
„ quondam emerant ſanguinem Chriſti, emant lacrimas ſuas.

Judæi fruſtra conantur inſtaurare templum. Conati ſunt quidem circa annum Domini 363. favente Juliano Cęſare Apoſtatâ, Templum inſtaurare, ſed flammeis globis è fundamentis, erumpentibus, & fabrilia inſtrumẽta abſumentibus, rubriſque crucibus in operarum veſte fulgentibus, coacti ſunt à cœptis deſiſtere, & vel inviti tropheum crucis Chriſti circumferre.

Titi victoris modeſtia. Titus porrò rebus magnificè geſtis, tantùm abſuit ut animum de tanta victoria extolleret, ut etiam oblatas à finitimis gentibus coronas recuſaret, eo ſe honore indignum reſpondens: ut qui ſciret, non ſe talium operum autorem, ſed DEI iracundiam fuiſſe, cui manus ipſe ſuas accomodâſſet. Triumphum tamen Romæ nobiliſſimum egit cum Veſpaſiano parente, traductis in pompa Judęorum manubijs, & ſacris ſpolijs; ac Joanne & Simone Judaicarum factionum ducibus, cum ſeptingentis viris electis, robore & corporis dignitate pręſtantibus. Euſebius auctor eſt, Veſpaſianum poſt Solymęam devaſtationem mandâſſe conquiri omnes, qui ex Davidis genere prognati eſſent. intellexerat enim è Vatibus, ex ea progenie regem extiturum, cuius imperium nullo fine terminaretur. *Veſpaſiani arrogantia, & conſilium eradicandæ familiæ Davidicæ.* Quam prædictionem quoniam Joſephi (huius hiſtoriç Scriptoris, qui ſibi à Flavio Veſpaſiano prænomen ſumpſit) & aliorum aſſentatio in Cæſarem contulerat, inflatus eſt is animô, ad eam æternitatem familiæ ſuæ arrogandam. Adeò tumens felicitas columnas in arena ſibi ſtatuit, & votorum indulgentiâ, nubibus arces inædificat; ſed quæ difflantur, eo, qui naturæ debetur ultimus, ſpiritu. Habet hoc adulationis genius; in ſpes & iras grandes, impellit principum etiam bonorum indolem. Certè Veſpaſiani, quas in aditu, Imperij modeſtia collegit laudes, ad extremum Ambitio effudit. *Titus Delicium hominum.* Felicior Titus filius, qui ob inſitam benignitatem & morũ facilitatem, humani

generis

generis *Delicium* audijt; recordatus aliquando super cœnam, quòd eum diem beneficiô cuiquam præstitô vacuum transmisisset, ingemuit, & memorandam illam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.*

Iudæi, quia vitæ Auctorem neci dederunt, non diem tantùm, sed annos, ætates, æternitatem perdiderunt, *eò quòd non recognoverint tempus Visitationis suæ.* id quod Christus Luc. 19. eis dolenter exprobrat. Poterant illi præcavere jacula, quia prævisa, & ab illo prædicta, qui non tam verbis, quàm factis mirabilibus, & omnem humanam virtutem superantibus, fidem sibi conciliare debuit. Sed ô quoties nos DEUS visitat, & adventûs sui prænuntios morbos, angores, angustias, contemptus, molestias, afflictationes, obtrectationes, calumnias, calamitates publicas, privatásque, bella, famem, pestem, inundationes, naufragia, incendia, & omnium malorum cumulum præmittit! nos tamen cæciores talpâ, surdiores littore, cervice intractabili, & Iudæorum in morem induratâ, misericordiam DEI repellimus, Visitationem eius non agnoscimus, atque in voluntarium exitium, scelerum super nos incumbentium pondere degravati præcipitamur. O ter quatérque felices, qui juxta monitum regij Prophetæ, *si vocem DEI audierint, non obdurant corda sua.* psal, 94. qui parati sunt Visitantem excipere, & rigidum Iustitiæ gladium tempestivis lacrimis emollire. Infelicissimi! quibus Vindex mucro superveniet improvisus, & sub unum temporis punctum sentire coget, quod æternùm sentient. Habent, quòd sibi timeant urbes, regna, provinciæ, & singuli quique homines, flagitijs excæcati, & exsurdati. Quod Christus minitatus est Iudæis, id omnibus Iudæorum similibus interminatur. *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt: Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Luc. 19. Ierosolyma, Civitas illa sancta, Civitas visionis & pacis, sedes Davidis ac successorum regum, Patriarcharum & Prophetarum patria, legis divinæ Sacrarium, Religionis propugnaculũ, electi DEO populi habitaculum, ocellus Palæstinæ, decus universæ terræ, domina gentium, felicitatis & gloriæ domicilium, sacratissimi templi sinus, ipsius DEI regia, in lapidum redacta est cumulum & miserabile bustum. Paria formida, quisquis paria peccas. *Dies pacis* est tempus vitæ, misericordiæ, gratiæ; quam diem si sceleribus fœdaveris, veniet *dies ultionis* & *iræ*; Præcessit Visitatio Clementiæ, succedet Justitiæ. *In tempore illo* (DEUS apud Sophoniã minatur c, 1.) *Scrutabor Ierusalẽ in lucernis, & visitabo super viros defixos in facibus suis.* Pessimè perijt, quem

Multi. Solymorum instar, DEI visitationem non agnoscunt.

Sapiendum ex visitatione Ierosolyma.

quę Visitator hic in sceleribus imersum & defixum invenerit. Seri gemitus, cùm lapis ruet super lapidem, quando solventur compages corporis, *& conteretur hydria super fontem* Eccl. 12. cùm peccatorem doloribus circumdatum, & circumvallatum coangustabunt undique scelerũ furiæ, conscientiæ terrores, minæ, tormenta. Parùm est Christianum fuisse, nisi Christianè vixeris. Sic jam olim Hebræi apud Ieremiam cap. 7. securitatem à Chaldæo hoste falsò sibi promittebant, eâ solâ spe freti, quòd apud ipsos sacerrimum DEI templũ esset. Hinc præfidenter ingeminabant sæpius illud: *Templum Domini, Templum Domini est:* Sed quid DEUS? *Nolite confidere in verbis mendacij: Quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra; habitabo vobiscum in loco isto.* Hoc quilibet sibi dictum putet, ac *cum metu & tremore salutem suam operetur.* Philipp. 2, *dum tempus est acceptabile, dum dies sunt salutis.* 2. Corinth. 6. sed prô dolor! multis accidit, quod Hannibali quondam, Pœnorum Duci, qui post Cannensem victoriam, neglectâ capiendæ Romæ occasione, cùm rediens ad obsidionem, repelleretur imbrium ac ventorum violentiâ, dixisse fertur: *Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui.*

Atque hîc finis esto Narrationum, è Testam. V. historia selectarum; in quibus vitiorum omnium & virtutum exempla proposita habemus. Labori nostro pretium is fecerit maximum, qui melioribus ductus, peioribus declinatis, vestigia legerit præcedentium *in via mandatorum DEI.* psal. 118.

AD DEI ter Opt. Max. Gloriam, & legentium emolumentum.

Omnia hæc S. Ecclesiæ judicio subjecta sunto.

INSERENDA SUIS LOCIS.

Pag. 20. post numeros 3365.

Lamechi liberi. Sub hæc tempora Lamechi liberi inclaruerunt, nam *Iabel* construxit tentoria, & vitam pastoritiam adamavit. *Iubal* Musicæ operam dedit, & instrumenta sive *flatu*, sive *tactu* resonantia invenit. *Tubalcain* in acuendo, poliendo, malliando ferro artem ostendit. *Noëma* soror lanificium commenta est, & suo præivit sexui, qua in re proferre ingenium deceret feminam. Horum avus erat Mathusaël, omnium mortalium longævissimus; vixit enim annos nongentos sexaginta novem.

Abrahami ætas & obitus. Centum quadraginta annos circa hoc tempus impleverat Abraham, provixítque ad annum usque centesimum septuagesimum quintum, postquam hæredem constituerat Isaacum; filijs autem *Agaris* & *Ceturæ*, quas secundarias uxores habebat, suas quoque possessiones attribuit, sed longiùs ab Isaaci ditione remotas,

tum ne

tum ne invidia ampliorum facultatum, quas Isaaco reliquerat, rixas & jurgia concitaret inter fratres; tam quia Palæstina, hoc est, terra Abrahæ promissa divinitus, ad solos Isaaci posteros pertinebat; tum, quoniam illi à Dei veri cultu discessuri erant, malorum consortione afflarentur boni. Sepultus est in spelunca Mambræa, duplicem in Cryptam distinctâ, non procul urbe Hebrone, in qua jam antè Saram uxorem condiderat.

Vir per omnia magnus: electus à DEO, qui Pater esset Credentium, & populi sancti Patriarcha. Cunctarum decus & ornamentum virtutum. De quo *Ambrosius lib. de Abrah. cap. 2.* „ Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia æquare non potuit. Minus est, quod illa finxit, quàm quod iste gessit, majórque ambitioso eloquentiæ mendacio, simplex veritatis fides. Et *Nazianzen. orat.* 41. Venerandus Abraham patriarcha ille, illud charum & augustum caput, illud virtutum omnium domicilium, virtutis norma, sacerdotij perfectio, qui voluntarium DEO sacrificium offert, unigenitū nimirum suum, ex pollicitatione acceptum. De quo paucis plurima *Chrysostomus homil. de Abrah.* „ Martyr vivus, & non vivus, mortuus & non mortuus. Omnia complexus est Siracides cap. 44. *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloria.* putà veteris Testamenti; quocum DEUS pactum inijt, Messiámque promisit ex eius semine nasciturum.

Pag. 113. post. certare queat.

Caussa tam longæ circumductionis erat, imbellis Hebræorum, quippe in servitute educatorum, animus, & adversùs occursus hostium meticulosus. *Cur Hebræi per desertū circumducti.*

Pag. 116. post numerum 105.

Item pœna violati Sabbathi. Num. 15. blasphemiæ Levit. 24. neglectæ religionis. Levit. 10.

Pag. 119. post metum.

Circa hoc tempus quidam ex Hebræis tenuioris homo fortunæ, ut necessitati prospiceret domesticæ, lignorum quædam sarmenta aut fragmenta collegit die Sabbathi; In eo deprehensus labore, mox conijcitur in vincula, Mosíque & Aaroni, populi Principibus, sistitur. Res ad Oraculum relata est, vel quia de novæ pœna noxæ, vel de eius gravitate dubitabatur; durum namque visum est, supplicium capitis in eum statuere, quem paupertas adegerat ad ramenta, frustuláve lignea comportanda. Responsum è Tabernaculo est editum, ut facinus lapitatione plecteretur. Ita *Violatio Sabbathi punita.*


severitate exempli sancita est observatio diei festi in documentum posteris, non arborum tantùm magnarum strage, sed parvis etiam segmentis, hoc est, piaculis in speciem levioribus, iram DEI accendi.

Blasphemia punita. Ad hæc etiam tempora pertinet disparis criminis non dispar pœna, divini jussu Numinis inflicta. Erat quidam, mixto ex Ægyptijs & Israëlitis genere oriundus, huic fortè jurgium cum Hebræo Sacerdote intervenerat: in jurgio, ut fieri solet, longiùs irâ provectus, blasphemas in cœli Dominum voces effudit. Igitur captus, capitísque damnatus, lapidibus est obrutus, DEO sic imperante, & nominis sui contumeliam ulciscente.

Aronis filij puniti. Neque multò antè aliud contigit supplicium, temeratæ religioni irrogatum, ipsámque, quâ Pontificatum inierat Aaron, diem funestavit. Pontificis recèns consecrati, filij Sacerdotes *Nadab* & *Abiu*, cùm ignem *Sacrum*, nempe è cœlo delapsum, & ex altari holocaustorum sumendum, ad sacrificia perpetranda adhibere debuissent, incertum, an oblivione præcepti, an quadam perturbatione acti, ignem profanum, quô carnes in atrio sanctuarij coquebantur, arripiunt, eóque implent thuribula, & *incensum* adolent. In vestigio adfuit animadversio divina; nam in ipso tabernaculo, dum offerunt thymiama, subitò flamma ex altari in ipsos erupit, & utrumque repentina morte consumpsit. Tanta cura est Numini, ut, quæ ad sacrum pertinent cultum, ritè, religioséque obeantur. Et intererat honoris divini, ab ipso institutæ religionis principio tristius exemplum edi, quo cervicosa Hebræorum capita admonerentur reverentiæ, Sacris quàm accuratissimè exhibendæ.

Pag. 156. post ferientem.

Angustia Chananitidis. Cæterùm Chananitis etsi populosissima fuerit, refert tamen D. Hieronymus eius inhabitator, longitudinem illius à Dan, usque Bersabéam non ultra 160. passuum millia, hoc est, leucas Gallicas fere 50. Latitudinem à Joppe usque ad Médaba 25. leucis porrigi.



SYNCHRONISMUS

SYNCHRONISMUS REGUM JUDA, PROPHETARUM, REGUM, ET HEROUM GENTILIUM.

SAlomoni Synchronos; sive coævus fuit Nathan Propheta, Hiram Rex Tyri, Hesiodus, & Homerus Græcorum Salomon.

Roboamo coævus fuit Ahias Propheta, ac Ieroboam, primus Rex Israël, & Laosthenes, Rex Assyriorum.

Asæ coævus fuit Jehu propheta, ac Baasa, Rex Israël, & Ophratæus, Rex Assyriorum.

Tempore Iosaphat floruit Elias Propheta, qui curru igneo raptus est in cœlum.

Sub Ioram prophetavit Eliseus per sexaginta sex annos, mortuúsque est sub Amasia rege.

Sub Ioa vixit Ioiada Pontifex, eiúsque filius Zacharias martyr. In Israël successivè regnârunt Iehu, qui domum Achab succidit; Ioachaz & Ioas.

Amasiæ regis frater fuit Amos, pater Isaiæ Prophetæ. Isaias ergo avum habuit Ioam regem, patruum verò Amasiam. Hoc tempore Lycurgus leges dedit Spartanis.

Tempore Azariæ sive Oziæ cœpit prophetare Isaias, ac prophetavit per sexaginta annos sub Ozia, Ioathane, Achaze, Ezechia, & Manasse regibus; prophetârunt tunc quoque Osee, Joël, Amos, Jonas, & Abdias. Sub annum 40. Azariæ, cœperunt computari olympiades, sive anni Iphyti regis, qui eas instituit. Olympiades antecedunt Romæ ortum annis 23. Quare sub annum decimum Joathanis, Roma condita est à Romulo, qui primus in ea regnavit annis 36. Huic successit Numa Pompilius, per annos 44. Huic Tullus Hostilius per annos 32. Huic Ancus Martius per annos 24. Huic Tarquinius Priscus per annos 38. Huic Servius Tullius per annos 44. Huic Tarquinius superbus per años 35.

Sub Joathane prophetârunt Nahum, & Michæas. Sub idem tempus Sardanapalus obsessus in Ninive, ab Arbace Mediæ præfecto, seipsum cum regia, totáque gaza combussit. Quare Arbaces Mediæ se regem fecit; Baladan verò, qui alio nomine dictus est Nabonassar, Babyloniam occupavit, à quo constituta est Æra Nabonassaræa, quæ incipit ab anno 15. Joathanis.

Sub Achaze capta est Damascus ab Assyriis, ac Teglatphalasar eorum rex dimidiam partem decem tribuum Israël in Assyriam abduxit.

Ezechiæ coævus fuit Merodach, filius Baladanis sive Nabonassaris, primus rex Babylonis, & Salmanasar rex Assyriorum, qui Israëlem, id est, decem tribuum reliquias, ac inter eas, Tobiam in Assyriam abduxit. Item eius filius Sennacherib, qui obsidens Hierosolymam, ab Angelo fugatus est, cæsis 185. millibus. Sub Ezechia prophetavit Habacuc.

Tunc quoque floruit Sibylla Erythræa, teste *S. Augustino, lib. 18. de Civit. c. 23.* Manasses Isaiam prophetam sibi consanguineum ligneâ serrâ dissecuit. Tunc floruit apud Lydos Gyges, qui Candaule occiso, regnum obtinuit: eius pronepos fuit Crœsus, quem Cyrus prœlio vicit, & subjugavit. Tunc quoque in Ægypto regnavit Psammetichus, cuius filius Nechao Iosiam superavit & occidit. Tunc quoque claruit Thales Milesius, unus è septem Græciæ sapientibus, ac successivè cæteri sex sapientes. Sub Manasse quoque Romæ regnavit Numa Pompilius; floruit Sibylla Samia. Tunc pariter historiam Iudith contigisse, multi opinantur.

Sub Iosia cœpit prophetare Ieremias, qui tempore Ioakim, Ioachim, & Sedeciæ prophetavit per 45. annos, tandémque in Ægypto, à Iudæis obrutus lapidibus, martyr occubuit. Sub eodem prophetavit Baruch, Sophonias, & Holda prophetissa. Romæ regnârunt Tullus Hostilius, & Ancus Martius. Floruere Aristomenes, Phalaris Tyrannus, Zeleucus Legislator, Terpander Musicus, Sappho & Stesichorus Poëtæ. Anno quarto Ioakim cœpit regnare Nabuchodonosor, qui Monarchiam ab Assyrijs ad Chaldæos transtulit, ac Ierusalem cum templo evertit, & Iudæos in Babylonem abduxit, ac Ægyptum subjugavit, & Pharaonem Nechao, qui Pharaonum fuit ultimus, trucidavit.

Sub Ioachim & Sedecia prophetavit in Babylonia Ezechiel per annos 22. cui successit Daniel, qui usque ad centesimum annum vixit, & prophetavit.

Hoc tempore in Media regnabat Cyaxares, cui successit filius Astyages, & huic nepos ex filia Cyrus, qui Babylonem, occisô rege Balthasare, cum Dario Medo avunculo suo cepit, & Monarchiam à Chaldæis ad Persas transtulit, ac Iudæos ex Babylone liberos in Iudæam remisit. Claruit eo tempore Zorobabel Dux Iudæorum.

Tunc quoque floruere Draco, Atheniensium Legislator, æquè ac Solon, Epimenides Philosophus, qui teste Laërtio Athenis aram erexit *IGNOTO DEO*, de qua Paulus Actor. 17. Itẽ Anaximenes, Xenophanes, Anacharsis Philosophus, Arion Musicus, Æsopus fabularum Dictator, Sibylla Cumæa, quæ Tarquinio regi Romanorum novem libros oraculorum obtulit pretio 300. aureorum: cúmque

cúmque is illud abnueret, Sibylla magnam eorum partem combussit, ac pro paucis reliquis tantundē exegit & obtinuit, uti narrat Plinius, Solinus, Gellius. Hæc ex Eusebio, Torniello, Gordono, Saliano chronologis Cornelius à Lapide in cap. 25. lib. 4. Regum.

CHRONOTAXIS ET SYNCHRONISMUS ALIQUOT REGUM, PRINCIPUM, VIRORUM ILLUSTRIUM, TAM APUD JUDÆOS, QUAM APUD ETHNICOS, A CAMBYSE PERSARUM REGE,

Anno M. 3524. ante Christum 529. usque ad Excidium Hierosolymitanum, anno Christi 72. 73.

CYro Persarum regi successit Cambyses filius, anno Mundi 3524. Huic Darius Hystaspis anno 3532. quo tempore primi Romæ consules creati. Sub hoc prophetârunt Aggæus, Zacharias, Malachias. Darius imperium reliquit Xerxi filio anno 3567. quo tempore in vivis fuerunt Pindarus, Aristides, Herodotus, Thucidides, Themistocles, Socrates, Democritus, Pausanias, &c. Xerxes habuit successorem Artaxerxem, cognomento Longimanum, seu Assuerum, anno 3589. Claruerunt tum apud Iudæos Esdras & Nehemias; ille Sacerdos & Doctor, hic Dux Hebræorum. Item regina Esther, Assueri conjux; & Amanus, purpuratorum primus, in crucem actus. Apud Gentiles Isocrates, Hippocrates, Aristophanes &c. Artaxerxi Longimano successit Darius Nothus, a. 3629. Cuius tempore nominatiores fuere Alcibiades, Dionysius Siculus, Sophocles, Euripides, Euclides. Dario Notho successit anno M. 3650. Arsaces, cognomento Artaxerxes, & Memnon, ob memoriæ præstantiam. Cyrus minor eius frater & æmulus, in acie cæsus. Celebriores fuere Xenophon, Socrates, Militares Duces Atheniēses & Spartani; Plato, Aristoteles, Demosthenes. Arsaci successit an. 3689. Filius Ochus; qua tempestate floruerunt Philippus, rex Macedoniç, Epaminondas Dux Thebanus &c. Ochô cum filijs crudeliter sublatô, regnavit Arses, natu filiorum minimus, unicus de reliquis fratribus servatus a. 3711. In fama fuit Epicurus Philosophus. Post Arsen peremptum regnum

Persicum obvénit an. 3715. Codomanno, Armeniæ satrapæ, Ochi patrueli, qui Darij nomen assumpsit. Hunc Alexander M. debellavit, & imperium Persarum ad Græcos transtulit an. 4724.

Exinde regnum Græcorum à Seleuco Nicanore, Babyloniæ præfecto occupatum, & latè in Oriente propagatum est an. M. 3743. Ab hoc, Syriæ rex octavus fuit Antiochus Epiphanes; à quo Heliodorus missus ad templum Solymæum expilandum, meritas pœnas dedit an. 3878. Septem fratres Machabæos cum matre martyrio affecit. 3886. Eodem tempore Iudas Machabæus, eiúsque frater inclaruerunt. Apud Ethnicos clari, ab anno 3836. ad an. 3886. Fabius cunctator, Hannibal, Marcellus, Scipio Africanus, Archimedes, Plautus, Cato Maior, seu Porcius, Scipio Africanus & Æmilianus. Perseus rex Maced. in triumpho ductus. Polybius, Lælius, Terentius. Saguntum à Pœnis expugnatum. Antiocho Epiphani successit Antiochus Eupator, filius. 3890. Hunc excepit Demetrius Soter; hunc Demetrius filius, cognomento Nicanor. Strenuè pugnârunt Machabæi cum diversis regum Syriæ ducibus. Demetrium Nicanorem an. M. 3910. expulit Tryphon, regiæ militiæ præfectus. Tryphone occiso, regnum Syriæ suscepit Antiochus Sedétes, Demetrij Nicanoris frater. Huic successit Antiochus Grypus; In hunc insurrexit Antiochus Cyzicenus, uterinus frater, & cum eo in partem regni admissus est; varijs utrinque pugnatum prœlijs, alternante fortuna, & se inter æmulos partiente, usque ad annum M. 3930. Quo tempore eversa à Romanis Numantia, & ante eam Chartago. Exorta Romæ Gracchorum seditio; bellum Iugurthinum anno M. 3947. bellum Cimbricum anno sequenti. & an. 3954, Seditio Apuleij Saturnini.


Anno M. 3670. Regnum Græcorum in Asia, desijt in Philippo & Demetrio Antiochi Grypi filijs; & translatum est à Syris, tot turbarum pertæsis, ad Tigranem Armeniæ regem; Hunc Romani bello victum in Armenia regnare passi sunt; Syriam ei ademptam in provinciam redegerunt anno Chr. 65, Mithridaticum, & alia deinceps bella ab anno 3960. Romanos exercuerunt. Sociale bellum an. 3969. Marianum & Syllanum 3967. Servile & Spartacum 3981. Pyraticum 3687. Seditio Catilinaria 3991. Floruerunt Cn. Pompejus, C. Iulius Cæsar, M. Tullius Cicero. Anno M. 4011. ante Ch. 42. devictô M. Antoniô, Romanum Imperium sibi vindicavit Octavius Augustus. Clari fuerunt Virgilius, Horatius, Ovidius, Poëtæ. Circa ea tempora Herodes Ascalonita, ope Antonij & Cæsaris Augusti rex Iudææ dictus à Senatu, Ierosolymitanum regnum quà dolo, quà vi occupavit.

Anno

Anno M. 4052. nascitur ex Virgine Christus JESUS Mundi Salvator. Anno 10. Ch. Archelaus Herodis Ascalonitæ filius tyrannidis apud Augustum postulatus, regno deijcitur,& in exilium mittitur. an. 31. Herodes Antipas Ioannem Baptistam cædit. anno 40. Idem Herodes Antipas, ab Agrippa patruo apud C. Caligulam accusatus, relegatur. anno eodem Herodes Agrippa à C. Caligula regnare jussus, ferream catenam in auream mutat. Eidem à Claudio Imp. ann. 41. regnum confirmatur. Iacobum Apostolum capite plectit. Petrum in vincula conijcit. miserrimè perit à vermibus consumptus anno 46. Pilatus Iudææ procurator seu Præses à Tiberio constituitur anno 28. Exulans in Gallia, se ipsum interimit an. 41. Nero fit Imperator R. an. 56. Agrippam (nempe Juniorem, prioris Agrippæ filium) quatuor urbibus in Galilæa donat. Agrippa Iunior Paulum audit an. 58. Floret Plinius secundus. Homo quidam cœlesti velut afflatus numine. *Væ, væ Ierusalem* ! inclamare cœpit an. 65. Sub Floro Iudææ præfecto, Iudæi deficiunt à Romanis,& Agrippam regem Hierosolymis expellunt,an. 68. Cæstius, Romanus Syriæ Præses, Hierosolymam frustra obsidet. an. 68. Petrus & Paulus occiduntur à Nerone, an. 69. Ab eodem missus in Palæstinam magno cum exercitu Vespasianus, gravissimis cladibus Iudæos afficit, eodem anno. Nero se ipsum confodit an. 70. Circa ea tempora claruerunt Seneca, Lucanus, Persius, Solinus, Epictetus &c. Post Impp. Galbam, Othonem, Vitellium nece sublatos, Vespasianus à militibus Imperio Orbis admovetur. an. 71. Titus Vespasiani filius exscindit Hierosolymā an. 72. Vespasianus cum Tito filio Romæ triumphat an. 73. Inter cæteras Iudæorum manubias, etiam arbuscula balsami translata est Romam, & in triumphali pompa circumvecta.

Hæc ad nostrum propositum ex P. Iacobi Saliani, & Cardinalis Cæs. Baronij Annalibus collegimus, & contraximus.

Nunc ex eodem Saliano in Enchiridio Chronologico, apponemus tabulam Chronographicam illustriorum personarum Historiæ sacræ, profanæque, cum illa conjunctæ. Ubi notandum, si quando tota annorum summa cum singulis numeris collectis non planè congruerit, id fieri propter annos non integros pro integris positos, & incursum duorum Principum in eundem annum.



TABULA

TABVLA CHRONOLOGICA.

Quod in Apparatu meo ſcripſi, repeto, multùm variari à Chronicis ſcriptoribus in computatione annorum ab orbis cœptu, uſque ad tempus ſalutis reparatæ. Sunt, qui ad Chriſtum Natum, numerant à mundi exordio annos 3983. ut noſter Theophilus Raynaudus. alij 3947. alij 3950. ut Henricus Samerius itidem Societatis noſtræ. Liberaliùs etiam Baronius, inſignis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptor, annos numerat 5199. Venerabilis Beda 5200. Nauclerus 5201. Regiomontanus 6984. Noſter Pererius 4022. Sed Salianus noſter cum Torniello ſupputat 4052. Omitto Scaligerum, & alios Chronologos Novatores, quorum, ut Salianus in cit. Ench. loquitur, ferè mos & morbus eſt, per vias incedere minimè tritas, & à communiſſimis recedere ſententijs, quæ uſu ipſo, ac diuturnitate temporis authoritatem, & officioſum ſapientum virorum ſuffragium meruêre. Nos juxta memorati ſcriptoris Chronotaxin, cuius ipſe rationem reddit lib. cit, ſupputationes temporum ſubijciemus.

ÆTATES MVNDI.

Prima, eſt quaſi *Infantia*, ab ortu rerum, uſque ad diluvium, annorum 1656.

Secunda, *Pueritia*, à Diluvio ad Ortum Abrahæ annorum 382, ad annum Mundi 2039.

Tertia, *Adoleſcentia*, à Nativitate Abrahæ, uſque ad Moſen natum, annorum 425. ad annum M. 2462. (exitus Iſraëlitarum ex Ægypto incidit in annum Mundi 2544.)

Quarta *Iuventus*, Judicum Hebræorum, uſque ad Samuelem, annorum 476. annum M. 3517.

Quinta, *Virilis*, Regum Hebræorum, uſque ad ſolutam à Cyro, Perſarum rege, Captivitatem Babylonicam, annorum, 577. an. M. 3517.

Sexta, *Senilis*, Principum & ſacerdotum Hebræorum, uſque ad Chriſtum, annorum 536. annum Mundi 4052. Olympiadem 194. annum Urbis conditæ 751.

Septima, *Decrepita* (noviſſima tempora) à Partu Virgineo ad finem Mundi.

Octava erit in cœlo vel tartaro, eáque perrennis, ut omnes nôrunt, qui verum DEUM nôrunt.

PRIMÆ

PRIMÆ ÆTATIS PATRIARCHÆ
ex Genes. 5.

1. ADam vixit annos 930.
2. Seth filius ejus, vixit an. 912.
3. Enos vixit annos 905.
4. Cainan v. an. 910.
5. Malaleel v. an. 895.
6. Iared v. an. 962.
7. Henoch translatus est anno ætatis 365.
8. Mathusala v. an. 969.
9. Lamech v. an. 777.
10 Noë ante diluvium v. an. 600

SECVNDÆ ÆTATIS PATRIARCHÆ
ex Genes. 11.

NOë post diluvium vixit añis 350. Omnino autem 950.
1. Sem, vixit annis 600.
2. Arphaxad. 438.
3. Cainan posterior, 360.
4. Sale, 433.
5. Heber, 464.
6. Phaleg, 239.
7. Rehu seu Reu 239.
8. Sarug, 230.
9. Nachor, 148.
10. Thare, 405.

TERTIÆ ÆTATIS PATRIARCHÆ.

1. ABraham, vixit annis 175.
2. Isaac, 180.
3. Jacob 147.
4. Joseph cum undecim fratribus
5. Ephraim & Manasses, Josephi filij.
6. Melchisedech rex & sacerdos.
7. Ismael 137.
8. Esau pater Idumæorum.
9. Eliphas, &c.
10. Job, quartus ab Esau, 217.

JVDICES HEBRÆORVM.

MOses Legislator, vixit annis 124.
Josue judicavit populum juxta Salianum, annis 17. juxta Bellarminum 26. juxta Henricum Samerium 27.
Othoniel judicavit 40.
Aod judex fuit annis 80.
Barac & Debóra 40.
Gedeon 40.
Abimelech juxta Salianum 9. juxta Bellarm. & Samerium 3.
Thola 23.
Jair 22. Hîc Samerius ponit interregnum 18. ann.
Jephte judicavit annis 6.
Abesan, 7.
Ajalon, 10.
Abdon, 8.
Samson, 20.
Heli Iudex & Pontifex annis 40.
Samuel, juxta Salianum 22. juxta Bellarm. 20. juxta Samerium 32.

REGES HEBRÆORUM.

SAul cum Samuele rexit XII. Tribus Israël annis 40.

David annis 40.

Salomon annis 40.

Inde facta est regni scissio in Israëlem & Judam, anno Mundi 3060.

REGES JUDÆ.

1. ROboam, insipientissimus Salomonis filius, regnavit an. 17.
2. Abias, regnavit annis 3.
3. Asa, annis 41.
4. Iosaphat, an. 25.
5. Joram, annis 8.
6. Ochozias anno uno.
7. Athalia, mulier tyrannica. 6.
8. Joas 40.
9. Amasias 29.
10. Ozias, qui & Azarias 52.
11. Jonathan, 16.
12. Achaz. 16.
13. Ezechias. 29.
14. Manasses, 55.
15. Amon, 2.
16. Josias 31.
17. Joachaz, mensibus tribus.
18. Joakim vel Ioachim annis 11.
19. Ioachimus, Ioacinus, seu Iechonias, menses tres.
20. Sedecias annis 11. Hic in Captivitatem Babylonicam abductus est à Nabuchodonosore, cognomentô Magno, anno Mundi 3446. ante Christum 607.

REGES ISRAELIS.

1. JEroboam, regnavit annis 22.
2. Nadab, 2.
3. Baasa, 24.
4. Ela, 2.
5. Zambri diebus 7.
6. Amri, annis 12.
7. Achab, 22.
8. Ochozias, 2.
9. Ioram, 12.
10. Iehu, 28.
11. Ioachaz, 17.
12. Ioas, 16.
13. II. Ieroboam, 41. Hic Salianus ponit interregnum annorum 12. Samerius verò Ieroboami dominationem extendit ad annos 52.
14. Zacharias, menses 6.
15. Sellum, mensem unum.
16. Manahem, annis 10.
17. Phaceias, annis 2.
18. Phacee, annis 20.
19. Osee, annis 9. qui, expugnatâ Samariâ, sede regia, à Salmanasare abductus est cum populo in captivitatem trans flumen Euphratem anno Mundi 3314. ante Christum 739. anno regni Ezechiæ, 6.

PONTIFICES HEBRÆI, SIMULQUE DUCES AC REGES POST CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

AAron Pontificatum gessit an. 39.
Eleazar 18.
Phinees 40.
Abisue 55.
Bocci 24.
Ozi 40.

Zaraias 40.

Zaraias. 40.
Meraioth. 39,
Amarias, 36.
I. Achitob, 16.
II. Achitob, 22.
Achias, qui & Achimelech, 13.
Heli, 40.
Abiathar, 46.
Sadoc, 39.
Achimaas, 17.
I. Azarias, 18.
Iohanan, 26.
II. Azarias, 17.
Amarias, 13.
Ioaidas, 34.
Pedaias, 12.
Sedecias, 29.
Ioël, sive Azarias III. annis 58.
Ioatham, 16.
Urias. 14.
Nerias. 29.
Osaias, 5.
Ioachim, qui & Eliacim, 49.
Sellum, 1.
Helcias, 31.
IV. Azarias 10.
Saraias, 11.
Iosedech, 70.

POST SOLUTAM CAPTIVITATEM BABYLONICAM.

Josue sub duce Zorobabele, uterq; annis, 51.
Joakimus seu Joacimus, Dux & Pont. 22.
Eliasib, Dux & Pont. 40. anno huius 20. Nehemias Principatum administravit annis 22.
Joiadas, Dux & Pont. 20.
Jonathan, Dux & Pont. 40.
Jeddoë sive Iaddus, Dux & Pont. 41.
I. Onias D. & P. 24.
Simon, D. P. 12.
II. Eleazar, D. P. 23.
Manasses, D. P. 32.
II. Onias D. P. 32.
II. Simon, D. P. 25.
III. Onias, D. P. 36.
Iason & Menelaus Pseudopont. Prior 3. annis; posterior 6. annis.
I. Mathatias, D. P. 1.
Iudas Machabæus, D. P. 6.
Ionathas, D. P. 19.
III. Simon, D. P. 8.
I. Ioannes Hyrcanus, D. P. 31.
Aristobulus rex & Pont. anno uno.
Iannæus, rex & Pont. 27.
II. Hyrcanus, Pont. 49.
Ananelus, 6.
I. Iesus non toto anno.
Alexandra Iannæi vidua regnavit annis, 9.
Successit Aristobulus eius filius, qui post 5. annos Romam captivus abductus à Pompeio.
Romani Iudæam occupant, & deinde Herodes occiso Antigono, Hyrcani nepote.
IV. Simon, 21.
II. Mathathias, 2
II. Iohazar, 2. natus Christus.
III. Eleazar, 3.
II. Iesus 3.
Ananus 6.
Ismaël, 1.
IV. Eleazar, 1.
V. Simon, 1.
Caiphas annis 68.

INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARVM.

Amasiæ

Excidium

eius

Ismaelitæ


Pacorus

P.

R.

S.

Superbia



Omnia ad majorem DEI Gloriam.

Menda ſic emenda.

P. Significat paginam. f. verſus à fine numerandos.v. verſum.

PAg.25.v.8.à fine.Iubal.pag.90,v.18.f.tenuiſſimus.p.91.v.4.mundatæ.p.95.v.12.f.necturn.p.99.v.16.occurſantes.p.103.v.17.poſt delicias,comma.p.144.v.2.Achan.p.146.v.20.Ex.p.105.v.4.& 5.f.percuſſum & compunctũ.p.155.v.8.reipſaque.p.158. v.ult. permiſit p.159.v.17.ſexcentos.p.161.v.9.terrorẽ.p.164.v.3.ſemitæ.p.166.v.14.f.equeſtres.167.v.3.abiectóq; 168.v.13.vaſtitates.v.17.Kennethus.171.v.13.tranſamnanæ.v.7.f.portendebatur.v.4.f.ſemiapertam.172.v.11.poſt tædis dele ſemicolon.172.v.4.f.Zebeam,Salmanaſarem.174.v.ult.Catone.175.v.5.fractæ.v.6.fracta.dele parentheſin.178.v.7.E.182.v.penult.In.v.18.f.numerus 5.ponendus poſt excutiendo.184.v.3.f.igitur.187.v.11,inolevit.189.v.10.deprehendens.191.v 4.fontanam.195.v.16.f.conciliârat.226.v.15. cognata 230.v.2.dehinc.233.v.5.traijcere.236.v.4 f.poſt alteri dele cõmã.242.v.27.liberabit.245.v.7.f.Davidi hærenti.246.v.13.f.invitiſſimos.251.v.7.f.pedes.252.v.2.oratrice.257.v.14.fletu.260.v.5.f.juſtitia.273.v.13.nequis:285.v 5.poſt inflixerat adde magis.299.v.19.cepit.304.v.20.ſatureiam.370.v.18.tranquillum.374.v.14.f.profeſſione.387.v. ult. proſcindendum.388.v.20.f.imprecatur.409.v.15.f.ceſſaſſe,tradit.420.v.17.Mediæ.496.v.18.f. poſt æternitas,adde.Hæc ille.508.v.10.dele illud.ſubſtitue,corpus.v.16.f.hiſpidum.576.v.2.f.mentem. 582.v.10.f.Calliſthenes.595.v.ult.lebetibus.593.v.11.Antichriſti,v. 20. trepidatio.610.v.7.teſſeram.v.9.f.in certas.

Reliquos errores orthographicos prudens Lector ipſe facilè corriget. Quales ſunt: Scordatoribus pro Scortatoribus, paradyſus pro paradiſus, detundentes pro detondentes, altro pro altero.perficaci pro pervicaci.occiſſum.pro occiſum interpollata pro interpolata,venariæ pro vinariæ.conctos pro cunctos.fermiculum pro vermiculum,trepizationem pro trepidationem,trucitati pro trucidati.



